L. M. B.


BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO SESSORIANO
32
4 C
18

VITAE
SANCTORVM;
EX PROBATISSIMIS
AVTHORIBVS ET POTISSIMVM EX
Reuerend. D. ALOYSIO LIPOMANO,
& R. P. LAVRENTIO SVRIO,
breui compendio ſumma
fide collectæ,

Per Reuerendiſ. D. FRANCISCVM HARAEVM
Vltrai ectinum, S. Theologiæ Licentiatum, & ab eodem auctæ diligentiſſimèque recognitæ.

His acceſſerunt cùm ex IOANNE MALDONATO Hiſpano, tum ex GEORGIO VICELLIO & aliis, Sanctorum vitæ quamplurimæ in ſuos quæque locos digeſtæ, cum quorundam APPENDICE ad calcem breuiſſima, quorum dies feſtus ignoratur.

EDITIO TERTIA.







LVGDVNI,
Apud Thomam Soubron.

M. D. XCV.



ERMVLTVM debere Rempublicam Christianam Reuerendißimo Domino D. Aloysio Lipomano Episcopo Veronensi, nec non & R. P. Laurentio Surio Conuentus Coloniensis Carthusiano, eruditis iuxta ac piis viris fatebuntur, non dubito, mecum, pie Lector, quotquot eorum Tomos de Vitis Sanctorum attentius legerint. Ego certè cùm eos peruoluere diligentiùs cœpißem, quod ad priscam illam pietatem aliquousque saltem in orbem nostrum postliminio, quod aiunt, reuocandam attinebat, existimabam nullum scriptionis genus aggredi eos potuisse accommodatius. Sed dolebam æquè, eorum quæ ipsi reliquissent vsum, tam paucis adhuc esse in manibus, nonnullis etiam ob hoc solùm negari, quod Tomi illi haberi non poßint nisi sumptu maximo.


QVIBVS vt ego pro modulo meo tantisper seruirem, donec ipsos eis fontes adire contingeret, ecce conatus sum tum ex dictis Tomis, tum ex aliis Historiis fide dignis exhibere has vitas compendio descriptas, summa sanè fide, atque adeò vt plurimum ipsis verbis & phrasi primorum Auctorum, Opus, ni fallor, pro moribus nostris ad rectam normam reuocandis accommodatum, æquè ad vsum

omnium. Vnde & congessi hc Sanctos, seu aliàs Sanctitate Illustres, (nam generaliùs ago) vtriusque sexus, omnium nationum, omnium ordinum, & omnium temporum. Vbi si breuior fortè videbor in Religionis nostræ antesignanis, Apostolis & similibus, hoc dispici velim, num præstent pauca certa multis incertis. Quod quàm rectè hic quadret, à pluribus ante me est obseruatum.

De cætero, opto, benigne Lector, vt his sacris Fastis, velut ex quibus discas quid in singulos dies tum tibi, tum aliis sacrè & salubriter fari possis, ad gloriam Dei & Sanctorum, animæq́ tuæ salutem quàm libentissimè vtaris, simul & memineris mei peccatoris.

INDEX





INDEX SANCTORVM QVIBVS HAEC EDITIO FACTA EST LOCVPLETIOR.

A

F

SS. Per-

S

T

V

Z

Ex breuiario Romano quæ sequuntur, petita sunt.

INDEX SANCTORVM IN appendice contentorum.

INDEX SANCTORVM, ORDINE MENSIVM.

IANVARIVS *habet dies* XXXI.

F E B R V A R I V S *habet dies* X X V I I I.

S.Eu

MARTIVS *habet dies* XXXI.

S.Eduar

APRILIS *habet dies* XXX.

21 S.An

M A I V S *habet dies* X X X I.

IVNIVS *habet dies* XXX.

16 V.Lut

IVLIVS *habet dies* XXXI.

18 S.Phi

13 S.Ra

SEPTEMBER *habet dies* XXX.

** 8 *Natiui*

S.Mar

NOVEMBER *habet dies* XXX.

DECEMBER *habet dies* XXXI.

6 S. Nico

INDEX SANCTORVM ORDINE ALPHABETICO

A.

S. Arsenius

D.

E.

F.

G.

S.*Iacobus*

I.

L.

S. Oppor

S. Theo

V.

VV.

Z

Index Solennitatum.

IANVA



SANCTORVM VITÆ.

IANVARIVS.

DE CIRCVNCISIONE DOMINI, EX D. CYPRIANO, ADIECTIS NONNVLLIS ex Radulpho Ardente.

Floruit is Radulphus circa annũ Domini 1050.

I. IANVARII.



NTER * omnia testamenti veteris sacramenta, nihil Circuncisione solennius antiqua celebrauit religio, nec tantùm in Hebræos, sed etiam in Phœnices & Arabes hæc traditio inoleuit. Reliquæ gentes tam mandatum quàm factum irrident, & Deo minimè asserunt conuenire, vt Saluatoris benignitas plagis infantium delectetur, & immeritos in ipso vitæ initio periculo mortis addicat. Verùm cùm opus istud & antiquitas commendet, & iubentis auctoritas; inquirenda est tanti mysterij ratio, quæ Abrahæ specialiter & semini eius tanto pondere mandata est, vt quisquis in illa gente huius signi careret differentia, Ethnicus non Iudæus reputaretur, & à titulo filiorum Israël abraderetur proscriptus. Hoc cùm octaua die iussum sit celebrari, & nomen circunciso aptari, intimatum est his qui digni Sanctorum consortio censebantur, quod eorum nomina scriberentur in cælis, & æternæ beatitudinis quam post vitæ huius septimanam octaua consequitur, hæredes fierent & consortes, quicunque vitæ innocentia & cœlibatus sanctimonia sese Domino consecrassent. Tenera itaque infantia huiusmodi erat imbuenda doctrina, & ante concupiscibiles motus, quos peccatum meruerat, miserabili

* D. Cypr. to. 7 Sury.

Origo Circũcisionis.

Genes. 17.

Eius significatio.

Ea cur adhiberi solita in tenera ætate.

 pœnæ

pœnæ & ineuitabili vindictæ etiam in paruulis adhibenda erat seueritas: & antequam ebulliret sartago libidinum, prouisum est ventilabrum, quo refrigerari posset, & extingui depopulatricis flammæ vagus ardor, & vniuersa perlustrans incendium.

IDEOQVE dolor, voluptati, & sanguini delectationis, sanguis tormenti opponebatur: vt in primis elementis discerent paruuli semper propriæ memores sectionis contraria curare contrariis, & ad cohibendos refrenandosque turpitudinum appetitus, necessarium esse sale corrosorio carnis perfricare pruritus, & semper recrudescentes desiccare putredines. * Fuit igitur, fratres, iussa Circuncisio ob tres causas: vt esset in signum magnæ fidei Abrahæ: & vt per obedientiam homo circumcidendo mereretur, sicut per inobedientiam primus homo demeruerat: & vt per circuncisionis characterem populus Dei à cæteris discerneretur. Fiebat verò octaua die, quia corruptionis circuncisionem significabat, quæ facta est octaua die, id est, in resurrectione in Christo personaliter: & fiet in octaua, id est, in resurrectione in omnibus generaliter. Fiebat & in virili membro, per quod genus humanum in concupiscentia propagatur, quia erat remedium contra originale peccatum, quod per carnalem concupiscentiam traducitur. Fiebat etiam lapideo cultro, quia omnis circuncisio siue peccati siue corruptionis per Christum in petra significatum facienda est: quia non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluari. Nouum verò nomen in Circuncisione dabatur, quia quando aliquis circuncidebatur, tunc primò fidelis & de numero fidelium vocabatur, sicut nunc fit in baptismo.

** Deinceps Radulphus*

Tres causæ cur iussa sit circuncisio.

Eius originale peccatum.

CHRISTVS etiam, licet non indigeret, circuncidi voluit itidem ob tres causas: vt legis sacramenta sacra esse ostenderet: vt exemplum humilitatis & obedientiæ nobis in se demonstraret: & vt se non soluere legem, sed adimplere doceret: Vocatum etiam tunc nomen eius IESVS. Nos ergo, fratres charissimi, tunc verè Christi circuncisionem celebramus, cùm vitia & peccata & superfluitates necessariorum in nobis resecamus. Circuncidamus itaque corda & sensus nostros. Corda, ne noxia vel vana meditentur: sensus, ne noxiis vel vanis occupentur. Circuncidamus Oculos, ne videant vanitatem; Aures, ne audiant deteriora vel noxia verba, siue etiam detractoria; Odoratum, ne luxuriosos odores affectet; Gustum, ne deliciis vel lautitiis capiatur; Tactum, ne voluptatibus inquinetur; Linguam, ne noxia vel vana verba loquatur, seu etiam famam

Cur Christus circuncisus.

Circuncisio spiritualis singulorũ membrorum.

mam siue pacem proximi quoquomodo lædat. Sic fratres mei facientes, per istam Circuncisionem spiritualem veniemus ad illam Circuncisionem æternam: vbi erit omne bonum sine malo, verum sine falso, satietas sine fastidio, regnum sine termino, gaudium sine mœrore, festum sine interpositione, dies sine nocte, vita sine morte. Ad quam Circuncisionem perducat nos qui hodie propter nos circuncidi voluit Deus & Dominus noster Iesus Christus. Amen.

Circoncisio quid operetur in altera vita.

VITA S. FVLGENTII EPISCOPI,

Scriptoris Ecclesiæ, ex ea quæ est per eius discipulum.

I. IANVARII.

BEATVS & verè Fulgentius parentes habuit ex numero Carthaginensium Senatorum, eorum qui ob tyrannidem Hunnerici Arriani Regis in Græcia & alibi exulare sunt iussi. Vndeq; & Fulgentius in exilio natus est in Lepte ciuitate, patre Claudio, matre Mariana. Qui vt Grecè Latinéque puer edoctus erat, artis etiam Grammaticæ traditur auditorio, magnitudine ingenij cuncta sibi tradita fideliter retinens, ipsumque totum simul adeò Homerum; vnde tamen domesticorum negotiorum cogente necessitate citò sublatus est. Primò, mortuo patre, etiamnum adolescens, paternæ domus suscepit gubernationem; deinde crescente eius fama, repentè etiam ordinatur Procurator. Qua in potestate, dum in exigendis pensionibus crudelitatem iubetur exercere, cœpit ei secularium negociorum grauis apparere sarcina. Et cur, obsecro, aiebat, laboramus in seculo? Quid nobis aliquando præstare poterit mundus? Refugium nostrum Deus est: itaque nulla retardet excusatio. Post quæ verba diu in pectore suo ruminata, decreuit secularibus omnibus renunciare. Prius tamen cogitans, ne subita mutatio mentem simul corpusque perturbans inter ipsa initia conuersionis grauissimum sibi vel impedimentum vel scandalum gigneret, occultè arripuit rara exercere ieiunia; dehinc paululum progrediens antiquorum quoque vitabat consortia sodalium.

B. Fulgentij genus.
Eius insignis eruditio.

Fit Procurator, verisimiliter vt nunc dicitur Procurator generalis.

Præmeditatur antequã incipiat.

CAETERVM fuit tunc temporis Episcopus quidam nomine Faustus, qui pro fide Catholica non longè à cathedra sua iussus fuerat exulare, ibique monasterium construxerat. Cui cùm Fulgentius votum aperuisset suum; illeque consensisset, sonuit ilicò per affines & notos Fulgentium monachum factum: quin etiam quidam familiares imitari eum cupientes, & ipsi

Fit monachus frustrà eum retardare conante sua matre.

ipsi seculum contempserunt. At verò ex aduerso, audit mater, rapitur ad monasterium furibunda, magnis ante monasterium clamoribus Fulgentij nomen frequentius inclamat. Sed audiebat ille; & non audiebat. Atque hæc quidem prima tentatio. Qua strenuè superata, supra modum laboribus se abstinentiæ cruciabat, de die in diem melior semper seipso fieri gestiens. Sed ecce noua iterum nascitur pugna; cùm scilicet sanctæ memoriæ Faustus Episcopus non sinitur ab Arrianis in monasterio quiescere. Vnde & B. Fulgentius, eo consulto, vicinum monasterium petiit, vbi paucis & simplicibus Fratribus Felix nomine Abbas præerat. Qui eum ita excepit, vt non multo pòst imparem se eius virtutibus sciens, & nomen & potestatem ei tradiderit Abbatis. Et quidem recusabat Fulgentius; donec totius congregationis passus violentiam, vix tandem consensit esse collega boni consortis.

Cogitur mutare locum.

Fit coadiutor Abbatis.

TVRBATVR interea prouincia incursu barbaricæ multitudinis. Promouerit castra spiritualia Duces inclyti, & per ignotas Africæ regiones, monachorum caterua comitante, pariter gradiuntur. In territorio Siccensi cogitant certas sedes statuere, fidelium fauore suscepti; cùm ecce prædicabat tunc perfidiam in fundo Barbadilla presbyter quidam sectæ Arrianæ. Qui beati Fulgentij nomen in illis regionibus clarum fieri sentiens, arripit Dei seruos crudeliter persequi. Tenentur, ligantur, ad Presbyterum perducuntur; subduntur verberibus; primò quidem Felix Abbas, deinde & B. Fulgentius delicati corporis, vtpote ex familia natus illustri. Cuius facti crudelissimi opinio cunctam statim mœstificat regionem. Nunciatur etiam Carthagine: vbi inter alios quoque Arrianorũ Episcopus, qui Fulgentium singulariter adhuc laicum dilexerat, grauiter commouetur, vindicare quoque illum parans, si querelam de memorato presbytero suæ parochiæ deponere voluisset. Sed beatus Fulgentius, multis vt hoc faceret suadentibus, Nequaquam, inquit, multos enim paruulos scandalizare poterit, si Episcopi Arriani iudicium qualiscunque peccator, tamen Catholicus & monachus quæram. Vnde & ad vicina prouinciæ suæ loca celeriter regrediuntur, eligentes Mauros potius habere vicinos, quàm pati molestissimos Arrianos.

Patitur persecutionem, atque insigniter vapulat.

En mansuetudinem.

IVXTA ciuitatem proinde Ididi fundare monasterium incipiunt, vbi paruo tempore Domino seruientes, insistebant operibus charitatis; donec subitò B. Fulgentius Aegyptiorum Monachorum vitas admirabiles legens, institutionum simul atque

Legit collationes Patrũ

atque collationum spirituali meditatione incensus, memoratas terras petere statuit. Proficiscitur igitur clam, primò Carthaginem, inde Syracusam, exceptus ibi apud beatum Papam Eulalium, virum admirabilis hospitalitatis. Qui cùm eius consilium intellexisset, Fili, inquit, terras ad quas pergere concupiscis, à communione B. Petri perfida dissensio separauit. Reuertere itaque; ne vitæ melioris intuitu periculum rectæ fidei patiaris. Quo audito, B. Fulgentius feruorem deponit, peractoque hyemis tempore, ad proprium monasterium redire statuit, neque tamen prætermittere memoriam Apostolorum. Occasione igitur nauigij accepta, Romam venit caput mundi: vbi cùm Martyrum loca venerabiliter circuisset, omnesque seruos Dei, quorum in breui notitiam capere potuit, humili obsequio salutasset, & iam toto corde monasterium suum reuisere cuperet, velociter redit in Africam per Sardiniam. Tum verò iunguntur seruorum Dei gaudiis etiam laici. Offertur B. Fulgentio statim à quodam Syluestro nomine prouinciæ Byzacenæ primario locus aptus monasterio fabricando: vbi & vir beatus sine mora monasterium fundat, & magnæ congregationis efficitur Pater; quamuis sanè spiritualia meditari magis iugiter concupisceret. Quod sentiens beatus Faustus, ne iterum mutabilis fieret, repente eum Presbyterum ordinat.

Recta fides in communione beati Petri.

Visit Romæ memorias Martyrum.

Fundat monasterium.

QVAMVIS honoris compedibus vinctus, cœpit æquanimiter monasterium suum regere, famaque crescente laudabili, in ipso Vintorum territorio tanquam proprius Episcopus honorari. Definiunt interea sacri Pontifices, qui remanserant etiam aduersus præceptum Arriani regis, ordinare in omnibus locis Episcopos. Fit repentè assumptio certatim; cùm interim absconditur incertis latebris beatus Fulgentius, sciens populorum de se desiderium, idque quousque putat tempus transisse. Veruntamen noluit Deus vas electionis abscondere. Fuit adhuc Ruspæ oppidum nobile, cui nullus fuerat Episcopus ordinatus. Nunciat fama Fulgentium. Consentitur ab omnibus: aggregataque violentæ multitudinis manu, dolens oculos in cella propria reperitur, inuaditur, tenetur, ducitur: & Pontifex esse non rogatur, sed cogitur. Qua dignitate accepta, seruata est tamen & integritas professionis. Nunquam pretiosa vestimenta quæsiuit; semper vsus pelliceo cingulo tanquam monachus. Quin & huic beatissimo sacerdoti nullus aliquando extorsit cuiuslibet generis carnes accipere; sed sola simpliciter olera, ptisanas, & oua, quamdiu iuuenis fuit sine oleo: postquam verò

Fugit episcopatum, sed frustra.

Nunquam comedit carnes.

senuit, superfuso oleo. A vino autem sanus semper abstinuit. Antequam vigiliæ à fratribus nunciarentur, ipse semper corde & corpore vigilans, aut orabat, aut legebat, aut dictabat.

Mittitur in exilium vnà cum aliis 60. Episcopis.

LONGVM est narrare per singula, quo pacto vir beatus in Sardiniam in exilium sit deportatus, vnà cum sexaginta aliis & eo amplius Episcopis, quorum ipse & lingua & ingenium erat, quandocunque transmarinis literis de fide interrogabantur. Longum quam illud, qua occasione Trasimundo Regi, persecutori astuto, doctissimas illas responsiones direxerit, vel quomodo tandem insigni prius propriis sumptibus in Sardinia constituto monasterio, cum cæteris Episcopis exulibus immenso omnium gaudio Carthaginem sit reversus, morte Trasimundi regis, & bonitate Hilderici regnare incipientis; ad cætera siquidem properamus. Ante annum ferme quam de isto seculo raperetur, profunda cordis compunctione permotus, paucis comitantibus fratribus nauigauit ad insulam Circinam.

In [illegible]

Vbi in quodam breui scopulo, vbi iam monasterium fabricari mandauerat, sic egit pœnitentiam, vt diceres similem inchoantis: de qua eius absentia murmurantibus plurimis, necnon descendit paulo pòst ad monasterium suum, cum deesse non multi dies, & seruum fidelem bonus Dominus requirebat. Incidit ergo in corporalis infirmitatis acerrimas passiones. Vbi septuaginta prope diebus fatigatus, frequenter dicebat hoc solum: Domine, da hic patientiam, & postea indulgentiam. Sic tandem memoriter recolens viduarum pupillorumque cunctorum illic indulgentium nomina, quidque singulis daretur constituens, orans iugiter die Calendarum Ianuariarum post peractam vesperam, beatum spiritum feliciter in manus Domini tradidit, annum sui Episcopatus agens vigesimum quintum, vitæ autem totius sexagesimum quintum.

Nouit memoriter omnes suos pauperes.

Quiescit in Christo.

VITA SANCTI CLARI, ABBATIS

Viennensis ex Breuiario item Viennensi.

II. IANVARII.

S. Clari mater deuota maxime.

PVER Clarus matrem orbatam marito habuit, quæ deuotè ad memorias sanctorum Martyrum apud Viennam, subinde orandi gratia occurrebat, cum qua pedissequus Clarus venire solebat. habitabat autem eadem fœmina in vico in loco qui belli campus dicitur. Hanc cùm consueta quadam die ad orationem Clarus sequeretur, venerunt ad sanctissimum cœnobium

nobium Monachorum vltra Rhodanum, vbi tunc temporis ossa beatissimi Ferreoli Martyris quiescebant. Cumque ibi mulier cum Claro puero suo in compunctione posita longiores horas protraxisset, iam vespere ad hospitium reuerti cupiens, Rhodanus agitantibus ventis in vndas periculosissimè assurgere cœpit, iam mater cum Claro puero nauim intrauerat. Desperatis nautis penè vndis submersa naui, Clarus puer extensis manibus contra Ecclesiam beati Martyris Ferreoli, lacrymis suffusus exclamasse dicitur: *Deus pro cuius nomine Martyr Ferreolus mortem suscepit, subueni nobis in periculo positis.* Mox Rhodanus blandior redditus nauim breui impulsu ad littora sua transposuit, de periculo erepti mirantes pueri fidem, Deo gratias reddiderunt. Erat tunc temporis vir strenuus, & Deo placitus Viennensis Pontifex Cadoldus, Monasteria tam virorum quàm Sanctimonialium sub sancta professione viuentium pia districtione tam in ciuitate, quàm extra muros ciuitatis, hæc præcipua erant quæ regebat. Grinianensium cœnobia à sanctis Pontificibus vrbis fundata, in quorum maximo ossa beatissimi Ferreoli Martyris condita venerabantur. Sanctimonialium beatissimæ virginis Columbæ triginta Monachas habens. Nam Grinianensium loca quadringentos Monachos alebant. Porrò S. Petri Monasterium ad Australem partem vrbis situm quingentos penè Monachos continebat. SS. Prothasij & Geruasij venerabilis memoria quinquaginta. Similiter S. Ioannis Baptistæ Monasterium quinquaginta. Similiter S. Vincentij Martyris quinquaginta. S. quoque Marcelli Martyris cœnobium viginti. S. Blandinæ viduarum sanctimonialium locus vigintiquinque. S. Andreæ infra mœnia vrbis centum. Iterum aliud S. Andreæ centum. S. Nicetij eiusdem vrbis gloriosissimi Episcopi quadraginta. S. Martini cœnobium centum quinquaginta Monachos sub districtione regulari viuentes adunatos tenebat. Porrò in domo maiori Sanctorum Martyrum Apostolicam vitam tenentes in vnumque viuentes plurimi Clerici erant, atque vt turmis dispositis officiorum ministeria peragerent. Apud S. Seuerum quoque cœtus clericorum venerabilis. Alia quoque venerabilia Sanctorum in vnum conuersantium habitacula, penè ad sexaginta sub cura Pontificis degentia in Viennensi diœcesi satis ordinabiliter sita erant. Sic tunc temporis ad gloriam omnipotentis Dei Viennensium Ecclesia florebat. Claro puero cœnobio Monachorum ad memoriam B. Ferreoli Martyris tradito, postmodum Abbas factus est in Mona-

Eius adhuc pueri miraculum.

Cœnobia à sanctis Pontificibus fundata.

Clarus factus Abbas.

sterio S. Marcelli, à sancto Pontifice vrbis. Clarus nomine, clarus virtutibus, clarus omnis religionis obsequio, strenuus omni actione sua, curam sibi impositam per Dei gratiam solicitè administrabat. Appropinquante hora exitus sui, Psalterium iisdem decantare cœpit. Vt fratres igitur finitis Psalmis dixerunt, *Omnis spiritus laudet Dominum*, cum luce odor ineffabilis totam cellam, vbi sanctus Clarus iacebat, repleuit: sicque beata anima à carne soluta recessit. Sepultus autem est in Ecclesia beatæ Martyris Blandinæ, ante altare, quò miraculis Clarus dimicuit.

Eius obitus.

VITA S. ADELHARDI ABBATIS

Corbeiensis, ex ea quæ est per Pascasium Ratbertum.

II. IANVARII.

Nota fidem Scriptoris.

S. Adelhardus consobrinus Caroli Magni.

Nota.

RECOLERE cupientes virum quem admirabilem vniuersus prædicat orbis, quemque vidimus familiariter, vt sciat posteritas quis iste fuerit Adelhardus, fuit è regali prosapia, Pipini magni nepos, Caroli consobrinus Augusti. Qui cùm inter palatij tyrocinia omni mundi prudentia esset eruditus, neque ferret tamen quòd Imperator Carolus Desiderij Regis Italorum filiam repudiaret, depositis omnibus, Corbeiæ, imo Christi ibidem expetiit fontem. Vbi cùm parum fuisset immoratus, subitò humilitatis discipulus factus est magister virtutum. Elegeras enim eum, bone Iesu, elegisti eum fermè cùm viginti esset annorum. Atque iam totus efflorebat inter monasticam disciplinam; & nescio quo ducti Patres affectu, quasi ex iussu regio constituunt eum hortulanum: in quo ille obediens lætabatur animo. Sed molestabatur, quòd sæpiùs quàm vellet, inuisendo propinqui & noti eum frequentarent. Quo factum est, vt fugiens perueniret vsque ad montem Cassinum totius religionis fontem; vbi tamen non diu permissus fuit permanere. Nam per nuntios regios, quod etiam ei quidam Anachoreta futurum prædixerat, ad patriam celeriter reducitur. Agitur hîc non longè postquam redierat, proprio consentiente patre, vt nec multum longè dispar, id est, alter Augustinus viuente prædecessore successor eligatur. Erat enim verè idem beatus beati Augustini clarissimus imitator, acutus ingenio, voluntate promptus, eloquentia diues, cuius prædicationis officium commendabant lacrymæ corda mollientes.

Monachus factus, constituitur hortulanus.

Eius virtutes.

QVI iustitiam quantum sectatus sit, testis est Francia, & omnia regna terrarum, maximè tamen Italia, quæ sibi cōmissa fuerat,

Administrat Italiam.

fuerat, vt regnum & eius Regem Pipinum iuniorem ad statum Reip. informaret. Thesaurarius erat pauperum, orphanorum pater; mœrentium consolator, brachium infirmorum, & fortè simul superbientium flagellum; ita tamen vt plerosque de supercilio mentis deponeret artificioso ingenio. Cùm ad Romanorum peruenisset fines, à domino Leone tunc temporis Apostolico officiosissimè est exceptus. Testis est mihi conscientia mea, quod sæpè mirabar, cur tantum vellet mutuo accipere, vt indigentibus vel suorum erogaret vsibus, donec vitam B. Syluestri inspexi, cuius in hoc imitabatur exemplum. Nouit altissima virtus, quòd frequentiùs in tantum liberaliter tribuebat, vt ipse pauper ac sui simul viderentur egere. Sed tunc lætus, tunc gaudens exultabat in Domino. Flebat autem diebus singulis (si non amplius) semel aut secundo, mane videlicet & vesperi: cuius rei causam cùm ego exiguus aliquando ab eo requirerem, Plango, inquit, fili mi, plango; non vt altiora cœli sacramenta conspiciam; sed me, inquam, quid sim, considerans, plangendo lugeo. O profunda humilitas! Quod si inter mundi discrimina huc illucque pro Ecclesiæ negotio occupatus esset, instituta tamen Regulæ minimè deserebat. Erat autem filius pacis, charitatisque catena, vti nouit Spoletum & Beneuentum inter se per eum reconciliata. Vnde & non solùm apud eos, sed etiam apud Græcos & omnes maris insulas, nimiam promeruit amoris gratiam. Sed nihil immune ab inuidia.

Accipit mutuo vt largiatur indigentibus.

Quotidie amarè flet.

CVM Imperator Carolus diem vitæ fecisset extremum, & Ludouicus proles eius Augustus successisset in regnum, diaboli per quosdam agente inuidia, Adelhardus sine accusatore, sine congressu, necnon sine audientia ob beneficium Reip. hoc est, suam iustitiam, exilium tulit: mittitur quasi vnus ex ignobilibus ad Heri insulam Aquitaniæ: qua etiam occasione fratres eius Vuala & Bernarius; sorores item Theodrada & Gundrada in aula summi, non multo post seculo valedicentes, Christi iugo se subdiderunt: Vuala Corbeiæ, Bernarius Lirini, Theodrada Suessione, Gundrara ad S. Radegundem. Quàm verè autem angelicam vitam beatus noster Adelhardus per septennium exilij vixerit, testes sunt fratres inter quos habitauit. Certè cùm publicè appareret improbos illos suos æmulos in aula quacunque dignitate nequaquam reuerendos posse fieri; sed ab omnibus desiderari Adelhardum fontem consilij, iustitiæ regulam: mittuntur tandem à Rege qui eum honorificè reducant. Vbi suscepto eo ambitiosè ab omnibus; quæsitum est, quomodo ei

Pellitur in exilium.

Post septennium honorificè reducitur.

celsitudo regia satisfaceret; quia timebant pro tanti viri iniuria futurum discrimen incurrere. Tunc beatus senex videns pudore animi talia meditantes; Nihil, inquiebat, se de huiusmodi facto in animo retinere, sed omnia Dei iudicio deputare debere.

Recipit suam Corbeiam.

INTEREA, tum eodem cogente Principe, compellitur recipere suum sanctae vitae coenobium, flagitantibus filiis suis, vt eum saltem quocunque modo recipere meruissent. Sed cum ibidem aliquantisper dulciter quieuisset, charitatis officio iucunditus, iterum ab Augusto gloriosiùs accersitur, & redit ad palatium. Vbi cùm introisset, velut quidam ait, Quia venit Titan; apparuit ilicò nudata insipientia quae tegebatur pallio caliginis, & factus est stupor nimius, quis Senatum populumque ad tantam ineptiam deduxisset. Qui comperto non parum eos insidia fuisse delusos, duxerunt in irritum penè quicquid per hoc tempus, vt eis visum est, argumentosè tractauerant. Certè ipse gloriosus Imperator publicam ex nonnullis suis reatibus poenitentiam suscipiens, factus est omnium humillimus, vt quorum oculi offenderant in delicto, satisfactione Regia sanarentur.

Imperator agit publicā poenitentiā.

Quantus fuerit hic vir beatus Adelhardus, quàm curans se semper laboribus etiam & vigiliarum negotiis fatigari, non facilè dixerim. Fateor planè, quod nunquam, nisi erga se quod durior esset, necessitatem corrigendi habuit. Vnde cum à suis fratribus & filiis quàm saepè corriperetur publicè, cur sibi tam infensus esset, qui sic discretus omnibus habebatur, aiebat ita dicens, vt belsos eorum animos mitigaret: Ego mei curam habebo, & profusè vestro prouidebo famulo, ne fame aut laboribus fatigatus pereat. Sed hoc peracto, paululùm delitescendo non diu post resumebat esuriem & laborum negotia. Viduas destitutas & caelibes viros per singulas villas, constituens eis stipendia, iugiter ministrabat: orphanorum quoque & debilium, necnon & hospitum in eisdem locis opportunius velut constituens Xenodochium.

S. Adelhardi insignis abstinentia.

Fundit Xenodochium.

PORRO peruenit tandem vir sanctus vsque ad Saxoniae fines, vbi iam paruissima cellula à sancto viro, suo aequiuoco, Adelhardo sumptu huius monasterij aedificari coeperat, eo quòd idem beatus vir, quia suus fuerat nutritus & familiaris filius, intercesserat loco eius, dum ipse in Heri insula exul esset. Quod videns senex sanctissimus, quia locus minus esset commodus, Regem adiit, petens ab eo locum commodiorem: à quo electione accepta, locum elegit supra littus VVisurae in modum litterae Δ vbi & monasterium construxit, quod beatus Pater

[illegible] Corbeiam Saxonicam.

etiam

etiam vocauit Corbeiam, alterius scilicet de homine. Parauerat se iam Simeon senex ad natalem Saluatoris; cùm ecce tetigit eum triduo ante Natalem Domini validissima febris, dum iuxta consuetudinem noctis medio in basilica fleret. Quo morbo fatigatus vsque ad octauam eiusdem Natalis, neque tamen omittens quotidie ad oratorium B. Martini Missas audire, communionem sanctam percipere, animoque maximè hilaris esse, per beatum virum Hildemannum Episcopum Bellouaci suum quondam nutritium monachum, sacro oleo inunctus, felici tandem fine quieuit. Porrò sepulta sunt decenter membra charissimi senis in basilica beati Petri.

En sacramẽtum extremæ Vnctionis.

VITA S. GENOVEFÆ VIRGINIS

Parisiensis, ex ea qua est apud Surium.

III. IANVARII.

VIRGO sanctissima Genouefa in Nemethodorensi parochia, quæ à Lutetia Parisiorum * quatuor ferè millibus abest; Seuero patre, Gerontia matre progenita est, non multò priùs quàm in Britanniis grassante hæresi Pelagiana, missi sunt ad eam reprimendam præclarissimi Antistites Germanus Antisiodorensis, & Lupus Trecassinus Episcopi. Qui quidem cum carpentes iter, ad supradictam parochiam diuerterent, occurrit illis vtriusque sexus ingens turba vici illius, & inter cæteros Genouefa quoque adolescentula parentum vestigiis insistens. Quam cùm S. Germanus procul esset intuitus; Felices vos, ait ad parentes, tam venerandæ prolis genitores; puellamque Genouefam postridie sibi antequam abscederet, adduci iussit. Itaque sole oriente properant cùm filia parentes ad Episcopum, qui eam præscius futurorum hortari cœpit ad propositum vitæ religiosæ, quod etiam illa se summopere exoptare respondit: tanta erat in ea spiritus diuini. Defigit quoque Pontifex in terram obtutus, & ecce videt nummum æreum humi iacentem crucis imagine notatum, quem tollens, atque Genouefæ quasi pignus quoddam donans, proficiscens parentibus eam diligenter commendat. Interea parentes eius defuncti sunt, & illa puella Genouefa, matre eius spirituali eam accersente & adhortante, Parisios commigrauit. Quo cùm se contulisset, paralysi non multò pòst correpta est. Verùm ex illo morbo Christi gratia ei peculiarius collata, magis etiam cœpit ad vulgi notitiam propagari. Nam cùm eius corporis paralysis lenius seuiens adeò dissolueret,

* septem

S. Genouefa contẽporanea S. Germano Antisiodorensi.

Oppigneratur Christo.

Vt paralysis.

quasi exanimis facta per triduum multa videt in spiritu.

ueret, vt vi noxij humoris populante, nulla prorsus compago suis artubus adhæreret, triduo semianimis iacens solis genibus subrubescentibus palpitauit. Vnde & postea vbi corporis incolumitatem Dei misericordia recuperauit, multa quæ in spiritu interim viderat, quibusdam spiritualibus personis indicauit. Ea tempestate Attila Hunnorum Rex prouincias Galliæ immani cœperat populatione vastare. Cuius vim furorémque reformidantes Parisienses, cùm se vnà cum coniugibus ac liberis, fortunisque suis ad munitiora loca, relicta Lutetia, transferre instituerent, sancta Genouefa illorum coniuges magna constantia adhortata est, ne vrbem desererent, sed ieiuniis potiùs se & orationibus communirent. Quibus auditis, matronæ dies aliquot in baptisterio vigiliis insistentes incumbunt precibus. Illarum quoque maritos modis omnibus sancta virgo idem admonebat. Verùm hac occasione incitati quidam non dubitarunt sacrilegos contra illam inire consensus, atque adeò iam de inferenda illi nece consenserant; tantùm de mortis genere adhuc tractabant: cùm contigit interea Antisidorensem Archidiaconum Parisios aduenire. Qui cùm, quid ciues tractarent, agnouit; Nolite, nolite, ait, ô ciues, tantum facinus mente concipere: Hanc ego sanctum Germanum venerabili voce laudare, & vitæ eius merita prædicare crebrò audiui. Ecce etiam quæ à memorato Pontifice per me ad eam allatæ sunt eulogiæ. Quæ & id genus plura Archidiacono referente, ciuium animi paulatim sunt mitigati.

Agit tempore Attilæ ne Lutetia deseratur.

Specialiter curat Deus de electis.

S. Genouefa mirabilis abstinentia.

CERTE eximia Genouefa à decimo quinto ætatis suæ anno vsque ad quinquagesimum, bis in hebdomada exigua cibi sumptione ieiunium dissoluit, panis hordeacei duntaxat & fabæ capiens pulmentum, idque Dominica tantùm die, & feria quinta, vinum autem, vel quidquid inebriare potest, toto vitæ spatio non bibit. Post annum quinquagesimum Episcopis suadentibus (quibus contradicere sacrilegium est) piscium etiam & lactis vsum admisit, sed rarò & perparcè. Vicum Catullacensem, in quo S. Dionysius sepultus est, grandi veneratione prosecuta est. Cupiebat autem sancta virgo huic sanctissimo Martyri in iam dicto vico basilicam eximij operis construere, sed ob rei familiaris angustiam voluntati par facultas non aderat. Adhuc tamen cùm ad eam Presbyteri conuenirent, cœpit cum iis de construenda basilica conferre sermonem. Quibus potissimum causantibus, quòd ad calcem coquendam deesset facultas, sancta Virgo de Deo nihil hæsitans auscultare iubet si

Singulariter deuota est S. Dionysio.

quid à prætereuntibus fortassè dicatur. Et quidem obtemperant illi, egressique foras stant indicto silentio, & ecce duos audiunt inter se colloquentes subulcos, quemadmodum alter & alter itidem inuenisset in sylua in locis abditis fornacem calcariam. Vnde presbyteris gratias Deo agentibus, ciuibus quoque ferentibus opem, non multo pòst basilica constructa est.

Impetrat ei exstrui insignem basilicam.

PORRO solebat virgo sancta in obseruandis vigiliis hac vti deuotione, vt noctem sabbathi vsque in crastinam lucem, id est, Dominicum diem peruigili prece transigeret. Ad quam peruigilij sui rationem cùm quadam vice ad domesticæ volucris cantum properaret, ecce inter eundum cereus exstinguitur. Sed haud multa mora. Quandoquidem virgines comites illius vbi gressus ponerent ignorarent, Genouefa ipsa cereum arripuit, moxque vt prius, ardere cœpit. Childericus quoque Rex Francorum, tametsi non esset Christiana religione initiatus, virginem hanc singulari veneratione prosecutus est. Qui cùm aliquando reos quosdam capitis decreuisset occidere, ne sanctæ Genouefæ precibus flecti posset, ex vrbe egressus portas iussit occludi. Sed frustrà. Nam festina virgo abiens, confestimque stupefactis custodibus, quasi ad quoddam iubentis imperium valuis reseratis, ad Regem perueniens, ne miseri illi capite plecterentur, obtinuit. In regionibus Orientis erat eo tempore vir quidam sanctissimus nomine Simeon, qui quadraginta ferme annis in columna extra Antiochiam constitit. O rem admirandam! Et is ipse per mercatores sanctam Genouefam cum multa veneratione salutabat, & vt pro ipso Dominum oraret, sedulò precabatur.

Nota cur hæc sancta pingatur cũ cereo.

Liberat reos capitis.

Salutat eam S. Simeõ Stylites, de quo 5. huius.

REFERAM & illud; Dæmoniacus quidam (vt sæpè alij aliàs) ad sanctam perductus est. Tum illa ampullam sibi adferri iussit, in qua sacratum oleum asseruare solebat. Accidit autem vt nihil eius olei ampulla id temporis haberet, nec Episcopus aderat, qui oleum sacraret. Illa igitur humi prosternitur: vbi cùm prolixæ orationis officium fideliter implesset, ampullam subitò inter manus suas oleo plenam conspicit: atque adeo sub vnius horæ momento, & de obsessi hominis emundatione, & de olei collatione, remunerante Christo, gratiam geminæ virtutis emeruit. Ego verò post * tricenos ab obitu eius annos, quo tempore ad eius conscribendam vitam appuli, in imo ampullæ oleum quod illa oratione creuerat, vidi. Cæterùm diem clausit extremum virgo beatissima post plurima tum Parisiensibus tum aliis præstita beneficia, tertio Nonas Ianuarias, cùm

Sanat dæmoniacũ oleo impetrato diuinitus.

**al. ter senos Nota ætatem Scriptoris.*

vixisset

vixisset annos amplius octoginta, peregrina mundo, venerabilis populo, deuota Christo. Cuius venerabile corpus requiescit in conuentu Apostolorum Petri & Pauli in monte Parisiis.

VITA S. GORDII MARTYRIS, *militis Cæsariensis, ex S. Basilio.*

III. IANVARII.

Notandus lepos huius exorij allegoricus.

NATVRA est ex apibus innata, fratres dilectissimi, vt nisi rex prius agmen præcedat, ab aluearibus nunquam discedant. Vos autem Dei populum, cum nunc primum ad martyres, tanquam ad flores cœlestes exeuntes, & huc frequentes conuenire viderim, quo id duce feceritis, exquiro. Quis hyemalem hanc tristitiam in vernam serenitatem commutauit, vt populus ex ciuitatis ædificiis tanquam ex apum aluearibus hilaris egressus, ad suburbanum decus præclarumque martyris stadium conflueret? Sed quoniam (vt mihi quidem videtur) pristina desidia reiecta, ducem secuti estis, præstantem martyris virtutem, & nos quoque quantum voce contendere licet, veluti bombantes apes vernantibus floribus circumfusæ, præclara ipsius gesta personemus, rem quidem piam agentes, simul ac vobis ore intentis gratam. *In laude nãque iusti populus lætabitur.* Salomonis lectio nobis nuper recitata, quidnam per latentem huiuscemodi prouerbij sensum ibi velit, mecum ipse cogitabam: an fortè dicat, quòd populus oratione magnifica, ac planè culta, quæ auditorum aures demulceat, oblectetur: præterea sermonis ornatum, rerumque inuentionem, ac dispositionem elegantem exoptet. Quod profecto mihi verisimile non videtur, cum ipse nunquam huiuscemodi dicendi genere vsus fuisse inueniatur. Nam & Sanctorum memorias orationis & eloquentiæ fuco prosequi, non fas erat admonere illius præsertim, cuius scripta sermone simplici, nulloque styli apparatu conspiciuntur. Quis ergo illorum verborum sensus? Is videlicet, quòd populus sola in dicendo veritate, ac simplici testimonio spiritualiter lætatur: tum ad bonorum exemplorum, quæ audit, cupiditatem, & imitationem vehementer incenditur. Illorum enim, qui in fide claruerunt, historia simplex, velut lucem quandam Dei cultoribus, virtutis iter ostendit. Quamobrem cùm in sacris voluminibus Mosis vitam, morum lenitatem nostræ naturæ, magnopere optatam audimus, statim æmulamur. Quòd si reliquorum facta virorum eloquentiæ floribus ornantur,

Historia Sanctorum, fructus.

tur, Sanctis tamen ad ea, quæ maxima gessêre, demonstranda sat fuerit oratio simplex. Cuius dum nitimur ac insistimus veritati, Sanctos ipsos ex eorum tamen testimonio, quæ de eis referimus, laudare videmur, & populum omni eloquentiæ suspicione remota, ad ipsius rerum synceræ narrationis fidem facilè deducimus, ac maxime exhilaramus. Ioseph dum audimus aut legimus vitam, illius assequi castitatem magnopere cupimus. Si verò Samsonis narratur historia, ad illius imitandam fortitudinem accendimur. Sacra igitur schola, præcepta rhetorum aut instituta non sequitur: nudam rerum expositionem Sanctis, ac nobis satis esse existimat: illis quidem ad virtutis eorum præconium, nobis verò ad imitationis gloriam atque formam. Rhetorum nanque instituta sunt, patriæ dignitatem ostendere, generis originem ex alto repetere, & educationis incunabula diligentius referre. Nostrum verò dogma hæc tanquam superuacua dimittit: & quæ sunt propria ac vernacula, sectatur. Quidnam ego sum melior, si mea ciuitas olim magna bella gessit, aut de hostibus triumphauit? Si eadem optimo sit in loco sita, æstate ac hyeme cœli temperie fruatur? frequens est ædificiis? si ager pascendo pecori sufficiat? si meliores nutriat equorum greges, quàm vsquam reperiantur? Quid, inquam, ista quo ad virtutem commendatiores reddere possunt? Nos ipsi profectò decipimus, si in montis cacumine constituti, nubes nos transcendere, ac sublime cœlum nobis cedere videntes, hac de causa nobis magis aliquid accedi existimamus. Ineptum insuper, si Sanctis qui res orbis vniuersas contempserunt, his esse opus commendationibus putamus. Igitur nostri tantum causa profectus, sat illorum celebrare memoriam fuerit. Non enim nostris indigent laudibus ornari, sed nos ipsorum vitæ historia & commemoratione imitationis gratia indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex vnguento quoque præstanti diffunditur odor: sic è Sanctorum commemoratione gestorum, ad omnes prouenit vtilitas. Huius itaque martyris venerandi facta singula explicare hodierno die nullo modo pollicemur, quod eorum fama tenuis, nec omnia sanè complectens, ad nos vsque delata sit. Quamobrem pictoribus rectè comparabimur. Illi enim cùm ex antigrapho, siue archetypo imagines expresserunt, vti par est, à prima forma plurimum recedunt: Nos item cum rerum gestarum aspectu caruerimus, valde metuendum, ne dicendo, rerum veritatem atteramus. Verum quando eius hodie festum celebramus, qui in huiusce

Sacrorum expositio nuda & simplex.

Simile.

Simile.

iuſcemodi die certamen pro Chriſti nomine ſubiit, quantum ex eius hiſtoriæ notitia deprehendere licet, enarrabimus. Fuit hic martyr beatiſſimus ciuis noſter Cæſarienſis, ex quo non mirum, ſi noſtræ mentis affectus ad eum potiſſimum dirigitur, quod profectò ad verum ac domeſticum huius facit ornamentum. Nam ſicut arbores quæ bona ferunt poma, propriæ bonitatis laudem nutrienti tribuunt humo: ſic iſte ex noſtræ vrbis prodiens vtero ad ſummumque gloriæ culmen euectus, patriæ quæ eum produxit atque aluit, honorem glorioſiſſimi martyrij tribuit. Iucunda nempe ſunt nobis externa poma, modò ſapore delectent, ſed longè noſtro gratiora guſtui propria, quàm peregrina, præterquàm quod & gloriam quandam nobis conferre videntur. Militiam exercuit, in quo locum admodum inſignem tenuit, ita vt centum milites eius imperio parerent: quodque animi virtute & corporis viribus præcelleret, cunctis inter ordines militibus præſtantior habebatur. Ea ſanè tempeſtate, cùm tyrannus impius, qui tunc imperitabat, in Chriſtianum nomen virus ſuæ feritatis effunderet, manumque Deo inimicam aduerſus eccleſiam exerceret, tota vrbe præconis tuba ſonabat, toto foro & per compita tyrannicum promulgabatur edictum, ne quis Ieſum coleret. Qui vero contra iuſſa faceret, graui ſupplicio plecteretur. Idola proponebantur adoranda, lapideaque ac lignea hominum ſimulacra pro vero numine colenda. O miſera tempora. Dei ciuitas rei nouitate attonita, tota tumultuabat: Chriſtianorum domus ſingulæ petebantur: innocentium facultates diripiebantur: matresfamilias pudiciſſimæ per vicos trahebantur: nulla iuuenum pietas: nulla ſenum reuerentia erat. Inſontes noxiis ac maleficis digna patiebantur. Turba plurima in carcerem arctiſſimumque locum coniecta torquebatur: domus inſignes & opulentæ euertebantur. Pleni ſaltus, plena profugis loca deſerta, ob vnum tantum crimen, quòd Chriſtum colerent. Prodebat patrem filius: pater filium accuſabat. Frater aduerſus fratrem inſurgebat. Seruus domino inſultabat. Adeò diabolicis artibus hominum animi affecti tenebantur, vt velut in tenebris agentes, ſeſe minimè cognoſcerent. Præter hæc autem, ſacra templa, baſilicæ, aræ ſanctiſſimæ euertebantur. Thus ante ſacrificia in odorem ſuauitatis non amplius fumabat: nulla erat oblatio. Diuinæ rei nullus iam locus amplius relictus. Cuncta mœror ingens veluti diffuſa caligo occupabat. Sacerdotum collegia fugabantur. Sacer omnis conuentus cladem inſolitam expaueſcebat. Gentilium verò concilia

Simile.

S. Gordius militiá exercet.

Cæſareæ vrbis calamitas maxima, ſæuientibus Chriſtum ſectantibus.

conciliabula gaudebant, nidore ac sanguine victimarum infecta cuncta dabant. Hæc igitur exempla crudelia cum Centurio generosus conspiceret, tantorum malorum exitum præueniens, abiecto militiæ baltheo, sponte sibi exilium delegit. Itaque relictis honoribus, relictis omnis generis facultatibus, seruis, propinquis, amicis, voluptatibus, & rebus aliis, quas cæteri maxime appetere, ac magno studio parare solent; ad vasta deserta nemorum loca contendit, longe secum melius agi putans, si in ferarum recessibus, quàm inter idola vana cum hominibus habitaret: Heliæ prophetæ secutus exemplum, qui cum Sidoniorum conspiceret impietatem quotidie inualescentem, in montis Oreb speluncam secessit, ac sese ab omni humana conuersatione, vt deum quæreret, ac videret, abdicauit. Vidit tandem, quantum fas est homini mortali. Eodem modo noster Gordius spretis omnibus, vrbanos fugiens tumultus, fori clamorem, magistratuum ambitionem, tribunalium fastum, obtrectatores, ementes, vendentes, peierantes, mentientes, mimos, scurras, cæterosque huiuscemodi generis homines, quibus magnæ vrbes refertæ sunt, multosque secum tanquàm magnæ naues alligatas puppibus cymbas per æquora trahunt. Insuper visu audituque ac animo à vitiis purgato & libero, Deum ipsum contemplando videre meruit: tum magna discere mysteria, quæ non ab hominibus, nec per homines fuit edoctus, sed magno vsus præceptore spiritu sancto. Quamobrem secum meditans, quàm sit fallax & inanis vita humana, ac somnij phantasmatis æquiparanda, in supernæ illius ac melioris vitæ amorem exarsit, ac veluti fortis athleta sese ieiuniis, vigiliis, orationibus, studiis demum diuinæ eruditionis probè exercitatum animaduertens, hunc maxime diem obseruauit, in quo frequens ciuitas visendo equestri spectaculo erat intenta, quòd hoc in loco ea tempestate, in Martis, seu potius furentis bellorum dæmonis, honorem celebrabatur. Populus omnis ex edito spectabat, nec vllus deerat, non Iudæus, non gentilis, non item Christianorum multitudo, quæ cum vanitatis concilio commixta sedebat, & iniquorum imitans consuetudinem, equorum cursum & aurigarum agilitatem spectabat. Serui eo die ab opere liberi. Pueri è scholis spectatum currebant. Feminæ prostitutæ ac ignobiles aderant. Plenum iam stadium, & omnis iam turba consederat, equestre certamen videre intenta. Tunc magnanimus heros per montis cliuum in theatrũ properans, non populum horruit, non quantis se pugnantibus

Exulat Gordius.

Totus cõtemplationib. deditus Gordius.

Martis dies festus.

Eius animi magnitudo in hoc apparuit maxime.

manibus traderet, pensitauit: sed animo intrepido, seueroque vultu super hominum terga, qui circum theatrum sedebant, tanquam per aliquam lapidum congeriem, aut lignorum struẽ ingrediens, in medio campo constitit, illud secum sæpe repetens dictum: Iustus ex fide viuit. Quid plura? Adeò intrepido excelsoque animo fuit, vt cum in eminentiore theatri parte staret, ingenti voce: quam qui audierunt extant adhuc aliqui, exclamauerit, & clarè illud Apostoli ad Romanos dixerit: Ecce inuentus sum ab iis, qui me non quærunt: his qui me non interrogabant, palàm apparui. Quibus sanè verbis se in eum venisse locum significauit minimè coactum, sed vltrò se mancipium præbuisse: seruatoris exemplum secutum, qui cum per atram noctem minime videretur, se Iudæis manifestauit. Omnium igitur oculos statim in se conuertit. Erat enim aspectu horridus, & quòd montana diu incoluerat squallenti capillo, barba promissa, veste obsita, corpore incuruus, pera præcinctus, baculo innixus. Quæ sanè omnia horrorem quendam vulgo aspicienti incutiebant, simul & eum illustrem magnopere reddebant. Vbi autem quis esset, cognitus fuit, gentium simul & Christianorum murmur est ortum: his quidem ob gaudium sui commilitonis exultantibus, illis verò factum damnantibus, ac iudicis animum ad eius cædem accendentibus. Hominum igitur clamor atque tumultus omnia complebat. Equos, currus, aurigas, iam despiciebat. Frustrà rotarum stridor aërem verberabat, nullus aliud quam Gordium videre malebat, nullus quàm Gordium verba sonantem audire studebat. Totum denique theatrum murmure, more venti, per aëra sonantis perstrepebat. Vbi verò per præconem silentium imperatum, conticuêre buccinæ, sopitæ fistulæ, varia musicorum instrumenta siluerunt. Solus aspiciebatur Gordius, solus audiebatur. Hinc ad præsidis tribunal in eodem loco confestim adductus, ab eo quisnam aut cuias esset, interrogatus, & patriam & generis & dignitatis locum quem tenuerat, præterea fugæ causam ac reditus pariter enarrauit. Reuersus sum, inquit, palàm ostendens, quod tua edicta nihil omnino curo, sed Iesum Christum spem meam, meumque præsidium profiteor: cumque acceperim, te reliquos homines crudelitate superare, hoc sanè tempus explendo meo voto maxime idoneum sumpsi. His sanè verbis, velut ignis ira præsidis accensa, quicquid in eo furoris erat, in eum subitò conuertit. Præstò sint (inquit) lictores, flagella, plumbatæ, corpus rotis scindatur, in eculeo suspendatur, omne tormento-rum

Eius aspectus horridus.

Adducitur ad præsidis tribunal quo varie impetitur.

rum genus excogitetur: feroces adsint feræ, mucronibus transfigatur, igni tradatur, in altum deiiciatur barathrum. Verum parua hæc omnia viro execrando, modò vna morte intereat. Quin (inquit Gordius) damnum profectò me facere videor, si sæpe variisque modis extingui, variaque pro Christo pati supplicia nequeo. At ille his magis irritatus verbis, magisque se lędi ac sperni, ob talem loquendi licentiam, existimans, naturali eius feritati vehementior accessit impetus: ac eo truculentior fiebat, quo ille constantior in contemnenda pœna videbatur. Cum nulla tormentorum ratione, nullis armis à cœpto proposito auerti posset, quin in cœlũ oculos attollens, sacra Psalmorum carmina decantabat: *Dominus mihi adiutor; non timebo, quid faciat mihi homo.* Et rursus: *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et alia istis germana, quæ de sacris promebat voluminibus, ad animum confirmandum; & in proposito perseuerandum maximè facientia. Tantumque abfuit, vt intentatas horreret pœnas, vt eas vltrò in se prouocaret, supplicijque moras vehementer increparet. Quid (inquit) agitis? Quid cunctamini? Quid hanc mihi gloriam inuidetis? Corripite corpus, membra frustatim cædantur. Denique quodcunque de me supplicium ocyus sumite. Quanto enim mihi plus tormentorum accesserit, tanto plus referam præmiorum. Res enim in hac vita aduersæ, nobis apud deum perpetuam pariunt voluptatem. Si vulnera mille ac cicatrices patimur in resurrectione splendido induebimur amictu. Pro contumelia atque ignominia palmas coronasque assequemur. Pro vinculis & carcere per ampla paradisi spatia læti vagabimur. Pro accusatione demum atque iniqua condemnatione, gloriam ex Deo & angelis referemus. Minæ vestræ semina mihi sunt diuina, vnde immortalitatem, perpetuaque gaudia metam. Cum tandem vir beatus hac seueritate à fide obstinata auerti non posset, alią tunc via præses est aggressus. Illecebris & omni lenitate contaminare conatus est, cum præsertim diabolus hac vti soleat arte, vt timidos metu perterreat, fortes leniat atque palpet. Quod imitatus præses, vbi illum rebus terribilibus non flexit, dolis ac placabilitate circumuenire quærebat: quamobrem magna se daturum spondebat, quorum alia tunc haberet, alia imperatorem daturum ei affirmabat, locum inter milites illustrem, facultates, opes, quicquid denique animus cuperet. At ille nec sic quidẽ victus, præsidis insaniam ridebat, qui compensare dignum aliquid supernis sedibus existimaret. Impius ille tunc laxatis iræ habenis

Tormenta in se prouocat, ac nihili facit.

Eum præses promittẽs magna corrumpere nititur, cui strenuè resistit.


furore percitus, ensem vagina diripit, lictorem coràm astare iussit, & manu & lingua nefanda ad viri damnationem se accinxit. Ad tribunal omnis theatri multitudo conuenit: reliquus verò populus, qui ante vrbis mœnia diffusus erat, ad hoc nouũ properauit spectaculum, quod & angeli & homines verebantur, dæmones verò perhorrebant. Quid plura? Concurrentibus eò cunctis, vrbs penè vacua facta est. Matres familiâs, nobiles, ignobiles properabant, domus sine custodibus relictæ, tabernæ operarijs desertæ, in foro venalia disiecta iacebant. Ex hoc tamen vrbs tuta, quòd omnibus extra mœnia egressis, nemo intus remanserat, qui nefas aliquid perpetrare posset. Serui domino simul & opere neglectis, auidi spectandi erant. Virgines tunc primò extra domos prodeuntes, marium vultus conspexêre. Valetudinarij ac senes ipsi quoque extra muros contendebant. In tanto itaque ciuitatis concursu, beatum Gordium alteram vitam iam-iam per mortem corporis spectantem atque tenentem, necessariorum amicorumque turba circumsistebat, amplectebantur, oscula dabant, demum flentes adhortabantur, ne sese in ardentes flammas coniiceret, ne florem proderet iuuentutis, aut æthereas auras, solisque dulce iubar relinqueret. Nonnulli quando à fide omnino auertere non poterant, aut fas putarent, quibusdam eum verisimilibus aggrediebantur rationibus, & Christum tantum corde si cuperet retinere, ore autem negare suadebant. Non enim Deum verba, sed loquentis animum inspicere. Hoc fermè modo exasperatum iudicis animum demulceri, & deum nihilominus propitium posse reddi asseuerabant. At ille tanquam cautes immota maris exagitantibus fluctibus, nulla vi, nulloque verborum impulsu quassatus, in obstinato cœptoque proposito inexorabilis permansit. Vt enim sapientis domum supra petram ædificatam, vis nulla ventorum, aut imber è cœlo vehemens, nec torrentis impetus quassare potest: ita demum nec preces vllæ, aut minæ constantiam eius euertere potuerunt. Cumque mentis acie hoc illuc vagantem diabolum, & eius impulsu ac arte hinc lachrymas oriri, inde vim eloquentiæ suadendique copiam subministrari animaduerteret, illud Domini verbum flentibus ait: Nolite flere super me, sed flete super Dei inimicos, qui in Christianos continuò grassantur, Ipsos inquam flete, qui ignem nobis parant, sibimet gehennę incendia, iramque in die irę thesaurisant. Meum sollicitare aut emolire animum desinite. Ego enim pro nomine Domini Iesu Christi mille pericula,

Magnus populi fit concursus, vt eũ precibus aut minis à fide auerterent.

Cautes immota Gordius.

milleque mortes, si opus foret, adire sum paratus. Aliis verò, qui Christum ore negare adhortabantur respondit: Lingua quidem, quam Christi beneficio retineo, adduci non possum, vt suum neget autorem. *Corde nanque credimus ad iustitiam: ore confeßio fit ad salutem.* An primus nunc ego, qui Christum profitear? Nonne alios mei ordinis audiistis Christianos? Primi centurionis exemplum succurrat, qui cruci seruatoris assistens, eius diuinitatem per prodigia facta cognoscens, non est veritus adhuc Iudæis furentibus, in cæde nomen eius palàm fateri. Quod enim animo sensit, id ore subitò manifestauit: *Verè filius Dei erat iste.* Alius item centurio, antequàm morti traderetur Christus, tanta fide egregia inuentus est, vt sese indignum eius aduentu, qui curare verbo poterat absentem, iudicaret. Ex quo Domini voce palàm laudatus est, non inuenisse tantam in Israël fidem testantis. Cornelius item centurio angelum domini videre, & per Petrum saluus fieri meruit; cuius dominus preces simul & eleemosynas respexit. Horum igitur centurionum libenter discipulus & imitator esse cupio. Negem ego Deum meum, in cuius cultu sum educatus? Nonne cœlum, sol & astra omnia, lumen mihi clauderent suum? Credam, profectò humum, quam pedibus tero, mihi ruituram. Reuocate tam nefandam ex animo sententiam, aliam induite mentem. Deus nequaquam irrideri potest: ex ore nostro nos iudicat: ex nostris inquam verbis nos seruat & damnat. Nonne tremendam Domini sententiam audiuistis? Qui me negabit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est. Mihi consulitis, vt deum nosse dissimulem? Quamobrem? vt vitam prorogem? mortem differam? dies adiiciam? At supernæ vitæ longæuos perdam annos. An vt corporis cruciatus effugiam? At æternæ patriæ dulcedine priuabor. Nam in perditum, dedita opera & fraude ac dolo, sæuas tartari pœnas mercari, manifesta quidem insania. Vobis igitur consulo, si malè sapitis, sapientiam ac veritatem discite. Si verò dissimulatis temporique obsequimini, vos hortor rogoque, relicto mendacio, vera loquamini. Dicite quoniam dominus noster Iesus Christus est in gloria dei patris. In eius nomine omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Omnes profectò morti sumus obnoxij, sed non omnes inclytam martyrij mortem sortiuntur. Non igitur naturalem vitæ cursum præstolemur: mundana funera, supremas nostrorum lachrymas despiciamus, cœlestem gloriam violenta immaturaque morte præueniamus. Velociter ex

Centurionum fidē sibi proponit imitandam.



hac vita, quæ potius est interitus longus dicenda, breui quidem labore ad veram vitam commigremus. Quid miseri supremum ætatis finem inutilem, sterilem, infructuosum, stultum, vanum, hominibus pariter & brutis communem expectatis? Quicunque enim nati sunt, aut senio tabescunt, aut ægritudine corporis resoluuntur, aut violento improuisoque casu aliquo conciduntur. Quando igitur omnino semel è vita migrandum est, martyrium pro Christi nomine, vt semper viuatis, alacriter assumite; ac vitæ, quam omnino relinquere oportet, ne parcite: sit pro necessitate voluntas. Si enim res mundi perpetuæ forent, danda venia fortasse, si superna pro terrenis relinqueremus. Verum quoniam fluxæ fragilesque sunt, & illorum comparatione magnopere indignæ, quis furor in his inuigilare, hæc tanto studio complecti? Hæc vbi dixit Christi miles, crucis se signo communit, & animi magna constantia, vultu intrepido, colore nusquam mutato, ad ignis supplicium hilaris contendit: vbi tantam cordis præ se ferebat alacritatem, vt non lictorum, sed angelorum manibus se committere videretur, qui subito post interitum sublimem eum in cœlum deferrent. Ad hæc tantus illius populi clamor ac tumultus est factus, vt vel tonanti cœlo nunquam similis sit auditus. Hoc igitur huius præclari martyrij certamen fuit. Hoc hodierna dies spectaculum vidit: quod procul dubio tale est, vt nec temporis diuturnitas vnquam abolere, nec longæ consuetudinis fastidium tollere, nec aliud quippiam quamuis magnum exuperare valeat. Nam quemadmodum solem quanto magis aspicimus, tanto magis eum admiramur, nec vllo modo assiduitate vilescit: sic & huius viri sanctissimi memoria, quo maiori eam temporis spacio retinemus, eo recentior in nostris animis floret. In memoria enim æterna erit iustus: In terris quidem, dum terra durabit: in cœlis vero, apud æquum & altissimum iudicem dominum nostrum Iesum Christum: Cui honor & imperium in æterna sæcula, Amen.

VITA S. RIGOBERTI ARCHIEPISCOPI
Rhemorum, ex ea quæ est apud Surium ex M.S.

IIII. IANVARII.

S. Rigoberti natales. TEMPORIBVS Childeberti, Dagoberti, & Chilperici Regum Franciæ exstitit vir Dei Rigobertus, quem quidam Robertum vocant. Traxit ille originem ex spectabili prosapia in regione quam Ribiariorum vocant, patre Constantino,

no, matre è Francorum gente. Porrò à primis ætatis initiis totum se cælestibus mácipauit studiis, vigiliis & orationibus intentus, abstinentiæ studiosus, charitate feruidus. Vnde factum est, vt breui ad perfectionis apicem & Pontificis dignitatem pertingeret. Qui factus episcopus, diuina ipsum adiuuante gratia, talis ac tantus ilicò apparuit, vt & bonis charus, & improbis esset formidabilis. Itaque quod de B. Remigio quoque legitur, erga bene agentes præ se ferebat vultum Petri, erga delinquentes Pauli in spiritu seueritatem. Successit autem in Pontificatu Reolo magnarum virtutum viro, quo obeunte, quia aliquot annis sedes Rhemensis Antistite vacua fuerat, pleraque præcedentium Patrum studio & vigore instituta iam collapsa visebantur, quæ sua industria vir sanctus in pristinum restituit statum. Canonica clericos religione contineri voluit, ante enim illius Pontificatum non dabatur eis panis, vt vocant, canonicus, nec erant, vt sunt hodie, canonici. Ipse denique primus inter Rhemorum Episcopos fertur commune eis instituisse ærarium, quod generatim omnibus eorum vsibus perenniter applicaretur.

In episcopatu sicut bonis charus, ita improbis est formidabilis.

Instituit Canonicis commune ærarium.

ISTE vir sanctus quodam tempore de Culmisiaco villa Episcopatus sui veniens, adiit Pipinum Maiorem domus, quem alij Magistrum equitum vocant, patrem Caroli Martelli, præmissis quibusdam eulogiis ad illum. Morabatur tum Pipinus in pagi cuiusdam loco, cuius vocabulum est Gremaca chortis. Tum verò Pipinus ad sanctum Rigobertum: Pete, inquit, à me, quicquid volueris. Cui sanctus Rigobertus, Vt des, inquit, exiguam hanc mansiunculam, & sufficit mihi. Ac rursum ille: Et hanc tibi do, & quantum in eius circuitu tibi vendicare voles. Itaque sicut olim Clodoueus Rex beato Remigio, ita ille quoque S. Rigoberto tantum largitus est agri, quantum posset ambulando circumire, dum ipse meridie dormiret. Sanè amabat illum atque colebat haud vulgariter Pipinus, ita vt etiam Carolum, Martellum posteà dictum, filium suum ad eum mitteret, vt à sancto Episcopo baptizaretur, & è sacro fonte susciperetur, tametsi admodum fuerit Carolus pro his ingratus. Sed audi historiam.

En liberalitatem.

Suscipit Carolum Martellum è sacro fonte.

POST obitum Pipini inter Carolum eius filium atque Ramanfredum non leuis simultas de obtinendo Principatu seu Magisterio equitum exorta est. Accidit tum vt Carolus Rhemorum vrbem præteriens, eam intrare vellet. Quod cùm ei recusaret vir sanctus, quamdiu victor non esset, varium dicens

 esse

esse belli euentum, multas quidem tunc ab eo passus est comminationes. Nec multa mora, cùm Carolus duodecimo Calendas Augusti summo mane conflixisset cum Chilperico Rege & Ramanfredo, quem Chilpericus Maiorem domus creauerat, & pro voto victoria esset potitus, mox vt reuersus est, è sede sua exturbauit sanctum Pontificem Rigobertum. Qui non immemor illius Dominici præcepti: Si vos persecuti fuerint in ista ciuitate, fugite in aliam, secessit in Vasconiam, ibique exilium patienter ferens, multas indefessus Sanctorum memorias inuisebat, quousque tandem rediit in Franciam in chortem Gremacam.

Expellitur ab eodem è suo Episcopatu.

MORABATVR autem in chorte Gremaca diu satis, in parcitate, humilitate, vigiliis, orationibus, eleemosynis, cæterisque operibus bonis vitam transigens: crebrò quoque ciuitatem Rhemensem ingrediens, in ara beatissimæ Virginis, vt optârat, Missam celebrabat, atque inde reuertens, ibat orationis causa ad S. Mauritium, pòst ad S. Theodoricum, subinde ad B. Cyriacum in villa Culminisiaco. Breuiter, exegit sanctus Episcopus illo in loco annos non paucos Apostolicis clarus actionibus, multisque pollens virtutibus; atque tandem consummata strenuè huius vitæ militia, plenus dierum migrauit ad patriam claritatis æternæ, pridie Nonas Ianuarij, anno Dominicæ incarnationis plus minus septingentesimo septuagesimo tertio, sepultus in ecclesia S. Petri. Claruit autem post obitum multis miraculis, sed hominum incuria non sunt literis mandata. Porrò Hincmarus, qui ab illo quintus fuit Rhemorum Episcopus, transtulit eius sacras reliquias decimooctauo Calendas Iulij ad monasterium S. Theodorici.

Visit frequēter memorias Sanctorum.

Obdormit in pace.

VITA B. SIMEONIS EREMITÆ, *ex Theodoreto & Euagrio historicis.*

V. IANVARII.

Theodoretus sui Philothei c. 26.

SIMEONIS maximi terrarum orbis miraculi gesta percursurus, illinc initium faciam vnde vocatus sit. Oppidum est quoddam intra nostros Cilicumque fines situm, quod incolæ Sisan appellant. Hinc oriundus Simeones ouium gregibus pascendis primùm à parentibus præfectus est: in qua functione cùm quadam vice multa vi niuium, ouibus domi detentis, ipse ad sacrum templum venisset, accepissetque euangelicam vocem, quæ flentes ac lugentes beatos, ridentes verò

miseros

miseros esse dicebat, confestim in propinquum Monachorum cœtum se contulit: vbi biennio commoratus, summamque apud eos virtutem assecutus, Teledam ad Heliodorum virum egregium profectus est. Vbi cùm octoginta socios haberet, omnes tamen superauit. Nec mirùm; cum enim alij binis quibusque diebus cibum sumerent, hic certè totam hedomadam ieiunus peragebat; quin & asperrimo fune ex palmarum foliis côtexto nudos lumbos cingebat, atque ita constringebat, vt assiduus cruor manaret ab vlcere. Et quidem improbarunt primò gregis illius duces hunc eius rigorem, ab eorum vsque adeò palæstra eum excedere iubentes; reuocarunt tamen statim, post quinque dies, in solitudine inuentum. Sed părum apud illos commoratus, paulò pòst in oppidum Telasinum proficiscitur, quod montis vertici vbi nunc situm est, subiacebat.

Compungitur S. Simeon, audito illo: Beati qui lugent.

Ieiunat totas hebdomadas.

Nec hæsites pie lector, narrat is qui vidit, & auctor fide dignissimus.

VBI cùm angustam admodum domunculam inuenisset, totum triennium in ea inclusus permansit; & cùm virtutis opes augere semper contenderet, Moyses & Eliæ diuinorum virorum exemplo decreuit ieiunare dies quadraginta. Quare Bassum, qui ea tempestate oppidorum presbyteris præfectus multa loca circuibat, rogat, vt nulla re intra domunculam relicta, fores ipsas cementis obstrueret. Qui rei difficultate proposita eum deterrebat, violentam mortem dicens non virtutem esse, sed vitium, & quidem maximum. Quibus acceptis, vir Dei, Depone, inquit, ò Pater, hic decē panes & aquæ lagenám. Nam si corpus cibi indigens sensero, sumam illum. Rectè, inquit ille, moxque pane & aqua deposita fores obstruxit. Et quidem post quadraginta dies reuersus Bassus, dirutis foribus ingreditur, inuenit panum numerum & aquam, at illum mutum & immobilem. Quare accepta spongia, labra illius primùm madefacit, mox diuinorum mysteriorum imponit symbola. Quibus ille refectus, surrexit, ac cibi aliquantulum sumpsit. Et quidem ab illa vsque ad hanc tempestatem octo & viginti anni præteriêre, quorum vnoquoque quadraginta dies ieiunus peregit. Triennio autem vt dicebam, in domuncula illa commoratus, postremò diuulgatum hunc verticem ascendit: ibique septo quodam constructo; parataque catena quadam ferrea viginti cubitorum longitudinis,* alterum eius caput lapidi cuidam maximo affixit, alterum verò dextro pedi annexuit, ita vt ne volens quidem extra fines illos abire posset.

Item integros 40. dies.

En diuina mysteria sub vna specie panis.

** id est, vnā catenæ extremitatem.*

QVAM rem si quis miretur, reuocet in mentem Esaiam nudum; Hieremiam zona lumbos præcinctum; portantemque

Nota cur nō sint temerè.

videnda quæ aliquando scribuntur ut sancta. vectes ligneos & ferreos; Osee quoque iussum amare adulteram; & Ezechielem nunc in latus dextrum nunc sinistrum dormientem; maximéque quod Meletio Antiocheno Episcopo superfluum illud ferrum esse dicente, magnus hic noster Simeones promptissimè statim illud per fabrum auferri permisit. Sed ad institutum redeo. Tandem cùm fama eius vbique peruagaretur, omnes ad illum vndique confluebant, non vicini tantùm, sed & qui maximè distabant, Ismaëlitæ, Persæ, Armenij & interiores etiam populi: multi etiam illorum qui vltimam Hesperiam incolunt, videlicet Hispani, Britanni, & Galli: nam de Italia dicere superuacaneum est. Ita enim virum hunc celebrem apud Romanos esse dicunt, vt pro omnibus officinarum vestibulis paruulæ huius imagines collocatæ sint, quippe sui custodiam in illis esse credentes. Quę omnium vndique aduentationes & tactiones, cùm viro beato essent molestæ, super columna illa stare decreuit: quæ primùm sex, mox duodecim, deinde viginti, demum sex & triginta cubitorum longitudinis est. Præ cæteris autem eius animi dotibus patientia potissimùm eius mihi admiranda videtur; nocte enim ac die stans spectatur ab omnibus; nisi quòd frequentissimè humi prostratus Deum adoret, semel tantùm in hebdomada cibum capiens. Quin & publicis solennitatibus aliud etiam exhibet patientiæ specimen.

Innotescit toto orbe.

Romani constituunt ei sacras imagines.

Stat in columna die ac nocte, nimirum vt doceat homines cœlum spectare.

NAM ab occasu ad ortum Solis sublatis ad cœlum manibus totam noctem stat, neque somno victus, neque labore defessus. Tanta autẽ rerum gestarum, miraculorumque numero splendens; adeò modestus est, vt omniũ hominum se infimum atque postremum existimet. Præter modestiam verò ita facilis, affabilis ac humanus est, vt ad cuiuslibet siue artificis, siue mendici, siue rustici interrogata respondeat, hortans omnes vt cœlum tantùm spectent. Atque hactenus quidem de eo Theodoretus Episcopus, viri sancti quasi domesticus; nunc * deinceps audiamus de illo Euagriũ: Simeones (inquit ille) hoc seuerum viuendi genus in carne traducens, vitam vsque ad quinquaginta sex annos propagauit. Nam in monasterio in quo primùm diuinas viuendi præceptiones didicit, annos vixit nouem; in Mandra autem (sic enim vocatur) quadraginta septem; atque horum annorum decem in loco admodum angusto confecit; in columnis arctioribus septem; denique in columna quadraginta cubitorum triginta. Huius sanctissimum corpus post migrationem è vita Antiochiam deportatum fuit Leone tum Imperium gerente,

** Deinceps Euagrius hist. eccles lib. 1. c. 13.*

Proh! pudeat nos delicatos milites.

rente, multis miraculis in itinere editis; qui quidem Leo etiam postea illud ab Antiochenis petiuit: Sed Antiocheni contrà Imperatori responderunt: Quoniam, inquiunt, ciuitas mœnibus caret, sanctissimum Simeonis corpus huc apportauimus, vt nobis & muri & munimenti loco sit. Quibus verbis persuasus Leo, venerandum corpus illis concessit. *En cultum reliquiarum.*

VITA S. EDVARDI REGIS ANGLORUM, ex ea quæ est per Alredum Rhieualiam.

V. IANVARII.

CVM Rex Ethelredus ex filia Comitis Thoreti filium suscepisset Edmundum, cognomento Ferreum latus, ex Regina autem Emma Alfredum; beatus Eduardus intra viscera materna conclusus præfertur vtrique. Fit coram Rege magnus Procerum & Episcoporum conuentus; & quia iam futuræ cladis indicia sæua præcesserant, agitur de regni statu: alij Edmundum æstimant præferendum, alij Alfredum. Sed futurorum omnium præscius Deus prioris breuissimam vitam, alterius mortem prospiciens immaturam, in puerum necdum natum vniuersorum vota conuertit; itaque & Proceres sacramentum fidelitatis illi iurant. Interea post natiuitatem sancti, sæuiebat in Anglia gladius hostilis: Regina cum filijs in Nortmanniam transposita est, ac tandem, eousque proditio ciuilis & astutia processit hostilis, vt defuncto Rege Ethelredo, magna pars Insulæ, legitimis hæredibus abdicatis, Canuto, qui regnum inuaserat, manus darent, peremptoque Rege Edmundo etiam filios eius in cunis agentes Barbaris mitterent occidendos: Alfredus demum Eduardi frater in Angliam transuectus inaudita crudelitate ab hostibus ciuibusque perimitur.

Genus sancti Eduardi.

Eligitur Rex antequam natus.

Inuaditur Anglia a Canuto Dano.

TVNC Eduardus omni humano destitutus auxilio, exul patriæ, regni, & honoris, Deo prosternitur: Tibi, ait, Domine, derelictus sum pauper, pupillo tu eris adiutor. Tu quondam Eduinum morti expositū mirabili modo & vitæ reseruasti & regno. Tu illud Angliæ decus sanctum Osuualdum, ex exule Regem factum, per signum crucis reddidisti hostibus fortiorē. Si reduxeris me in regnum patris mei, eris tu mihi semper in Deum, & beatus Petrus Apostolus in patronum: cuius sacratissimas reliquias in vrbe Roma, te annuente, visitaturum me promitto. Exhinc autē expectans expectauit; & ecce, Canuto Rege rebus humanis exēpto, filijsque eius immatura morte præreptis, Angli Danico

Vouet S. Eduardus visere limina Apostolorum.

Danico iugo liberati Eduardum, Regem inungi fecerunt. Tunc sacerdotes sapientia & sanctitate fulgebant, populus stabat in gradu suo. Erat Rex pater orphanorum, & iudex viduarum, supra humanum modum pecuniæ cõtemptor. Certè quadam vice furem bis & tertio ex thesauris suis magnum pondus auri auferre, in lecto iacens, sciens & videns permisit. De quo & post ad Cubicularium reuertentem, iocosè; Sine, inquiebat; forte ille qui cepit, plus nobis indiguit: nobis sufficit quod remansit. Sed reuertamur ad seriem historiæ.

Nota insignẽ contemptum pecuniæ.

PROCERES terræ de successione soliciti, conueniunt Regem de ducenda vxore; cùm ille tandem Procerum voluntati consensum præbẽs, duxit in vxorem filiã Goduini. Erat is Goduinus vir magnarum opum, sed astutię singularis: sed sicut spina rosam, genuit Goduinus Editham. Conuenientibus enim in vnum Rex & Regina de castitate seruãda paciscuntur; nec huic fidei alium quàm Deum testem æstimant adhibendum. Quod quàm Deo gratũ fuerit, variè postea est demonstratum. Quadã die Petecostes cùm Rex diuinis interesset mysteriis, hora eleuationis, subitò Rex vultu hilarior in risum modicũ soluitur. Mirabatur qui aderant, & peractis solennijs instãter causam petût. Tum ille, vt erat miræ simplicitatis; Cõuenit, inquit, Danis cũ Rege suo antiquum facinus iterare: hodierna die ventis pro voto flantibus, naues parari præceperat. Iam naues velis, & vela ventis fuerant committenda; & ecce Rex iniquus dum de scapha in nauem conscendere vellet, pede lapso inter vtramque in mare corruit, & statim abyssus vallauit eũ. Et spero in Domino Deo meo, & dulcissima matre eius, quòd temporibus meis nullum habebit conatus eorum effectum. Hæc sunt quæ Christo reuelante cognoui, & vidi, & risi.

Rex & Regina paciscuntur de seruanda castitate.

Visio quadã S. Eduardi visa M.ss.

En cultum Dei, ara.

SVCCEDENTIBVS itaque prosperis, Rex voti sui nequaquã oblitus, vocatis regni Proceribus, habuit cum eis de sua peregrinatione sermonem. At omnes in communi vociferantes ad Regem, se non deserendos, patriam hostibus non prodendã clamãt. Quorum precibus vrgeri se Rex sentiens diu in animo fluctuabat. Tandem peregrinationem differẽs, exspectabat, donec Apostolico fultus esset consilio. Demum Pontifex summus consideratis præmissis & diligenter discussis, Regi rescripsit in hæc verba: Leo Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Eduardo Anglorũ Reg: salutem & Apostolicam benedictionẽ. Quoniã volũtatem tuam laudabilem cognouimus, gratias agimus ei per quem Reges regnant, &c. Sed quia prope est Dominus

D. ... sui Papa inser...

nus in omni loco,&c. Et quia constat periclitari Anglicā regionem ex tua discessione,&c. ex auctoritate Dei & SS. Apostolorum absoluimus te à peccato illius voti pro quo offensam times. Deinde præcipimus tibi sub nomine sanctæ obedientiæ & pœnitentiæ, vt expensas quas ad iter istud paraueras, pauperibus eroges,& cœnobium Monachorum in honorē S. Petri Apostolorum Principis aut nouum constituas, aut vetustum emendes & augeas, &c. Quibus literis Rex statim abundantissimè satisfecit, monasterium magnificè construens in occidentali parte Londiniæ in Thornæia, loco iam olim (hoc est, prædicante B. Augustino) ipsius D. Petri in cœlo rogantis manibus consecrato. Sed vide rursum stupenda. *voto peregrinationis.*

Cvm in palatio iuxta Ecclesiā B. Petri Rex aliquando moraretur, superuenit quidam vir Hibernicus pedis vtriusque priuatus officio. Hic videns Regis Cubicularium, ait ad eum: Hugoline, sexies, vt cernis Apostolorum limina repens visitaui, & sanitatem necdum promerui. Ab Apostolorum autem Principe accepi in mandatis Regem adire, vt me suo sacro subuectū dorso, ad ecclesiam eius quæ palatio vicina est, perferat, recepturū, si id fecerit, sanitatem. O profunda humilitas! Supponit Rex humeros, procedit: distendit homo crura poplite iam flexibili, & sanie cū sanguine profluente vestis regia ornatur; languidus sanus Deo & B. Petro resignatur. Sanè & Christus Iesus quoque huic beato Regi, cuidamque Leofrico in Missarum solennijs quadam vice visibiliter apparens, Regem dextera extensa benedixit. Qui cùm nulli petenti in nomine S. Ioannis Euangelistæ aliquid denegaret, (quippe quem post Apostolorum Principem arctiùs diligebat) contigit aliquādo, quòd cùm quidam peregrinus absente Camerario in eius nomine eleemosynā postularet, cùm nihil aliud haberet in promptu, dedit pretiosum annulū. *Construit sanctus Eduardus monasterium in Thornæia.* *O verè profunda & simplex humilitas.* *Apparet Christus in Missa.*

Accidit verò post hæc, duos Anglicos ad adorandum Saluatoris sepulchrum Hierosolymā proficisci. Qui die quadā à publica strata declinātes, deuia sectati sunt, & Sole ruente nox adducta est. Qui cùm nescirēt quò se verterent, apparuit eis senex quidam venerandus, qui eos ad ciuitatem reduxit. Susceptis hospitio mensa paratur, refecti dant membra quieti. Mane facto, egressis de ciuitate, ait senex: Ego sum Apostolus Christi Ioannes, qui Regē vestrū ob meritum castitatis summè diligo. Hunc ego annulum, quem mihi in habitu peregrino apparenti tribuit, reportate, denunciantes ei obitus sui instare diem. Quę omnia vbi intellexisset Rex, transitum suum mox in circuitu *Dat pauperi suum annulum.* *Pauper ille noscitur fuisse S. Ioannes.*

propa

propalari iussit, idque ne mortis suæ agnitione dilata, differen- tur quoque suffragia orationum: sicque senex & plenus bonorũ operum migrauit ad Dominũ, multa in parabolis de futuro re- gni statu vaticinatus, anno Domini millesimo sexagesimo sex- to, cùm regnasset annis viginti tribus, pridie Nonas Ianuarij. Post cuius obitum anno tricesimo sexto, cùm corpus eius de terra eleuaretur, repertum est integrum, incorruptum & flexi- bile cum vestibus recentibus. Denique relatus est in numerum Sanctorum per Alexandrum tertium.

Curat Rex post obitum viuens, vt oretur pro se defuncto.

Insigne miraculum.

DE EPIPHANIA DOMINI, *ex SS. Augustino, Leone, & Gregorio.*

VI. IANVARII.

D. Leo ser. 2.

GAVDETE in Domino, dilectissimi, iterum dico gaudete, quoniam breui interuallo temporis post solẽnitatem Na- tiuitatis Christi, festiuitas declarationis eius illuxit; & quem in illo die Virgo peperit, in hoc, mundus agnouit. Verbum enim caro factum sic susceptionis nostræ tẽperauit exordia, vt natus IESVS & credentibus manifestus, & persequentibus esset oc- cultus. Iam tunc ergo cæli enarrauerunt gloriam Dei, & in om- nem terram sonus veritatis exiuit: quando & pastoribus exerci- tus Angelorum Saluatoris editi annũciator apparuit, & Magos ad eum adorandum præuia stella perduxit: vt à Solis ortu vsque ad occasum veri Regis generatio coruscaret, cùm rerum fidem & regna Oriẽtis per Magos discerent, & Romanum imperium non lateret. Nam & sæuitia Herodis volens primordia suspecti sibi Regis exstinguere, huic dispensationi nesciens seruiebat; vt dum atroci intentus facinori, ignotum sibi puerum indiscre- ta infantium cæde persequitur, annunciatum cælitus Domina- toris ortum insignior vbique fama loqueretur, quam promptio- rem ad narrandum, diligentioremque faciebat, & supernæ si- gnificationis nouitas, & cruentissimi persecutoris impietas.

Natiuitas Christi credẽtibus manifesta simul & persequẽtibus occulta.

Impij seruiũt bonis.

TVNC autem etiam Aegypto Saluator illatus est, vt gens antiquis erroribus dedita, iam ad vicinam salutem per occultã gratiam signaretur; & quę nondum eiecerat ab animo supersti- tionẽ, iam hospitio reciperet veritatem. Agnoscamus ergo, di- lectissimi, in Magis adoratoribus Christi, vocationis nostræ fi- deique primitias & exultantibus animis beatæ spei initia cele- bremus. Exinde enim in æternã hæreditatẽ cœpimus introire; exinde nobis Christum loquentia Scripturarum arcana patue- runt,

Cur Christus fugerit in Aegyptum.

Hic dies primitiæ nostræ fidei.

runt,& veritas quam Iudæorum obcæcatio non recepit, omnibus nationibus lumen suum inuexit. Honoretur itaque à nobis sacratissimus dies, in quo salutis nostræ auctor apparuit, & quē Magi infantem venerati sunt in cunabulis, nos omnipotentem adoremus in cœlis. Ac sicut illi de thesauris suis mysticas Domino munerū species obtulerunt, ita & nos de cordibus nostris quæ Deo sunt digna promamus. Ad partum Virginis adorādum Magi ab Oriente venerunt. Hunc diem hodie celebramus, huic debitam solennitatem sermonemque persoluimus. Illis dies iste primus illuxit; nobis anniuersaria festiuitate rediit. Illi erāt primitiæ gentium, nos populi gentium. Nobis hoc lingua nunciauit Apostolorum, stella illis tanquam lingua cælorum: & nobis ijdem Apostoli tanquam alij cæli enarrauerunt gloriam Dei. *D. Augustinus.* *Quod Magis fuit stella, hoc nobis est prædicatio Apostolica.*

MAGNVM sacramentum. In præsepio tunc iacebat, & Magos ab Oriēte ducebat: abscōdebatur in stabulo, & agnoscebatur in cælo; vt agnitus in cælo, manifestaretur in stabulo, & appellaretur Epiphania dies iste, quod Latinè, Manifestatio dici potest: simul eius celsitudinem humilitatemque commendans, vt qui in aperto cælo signis sidereis mōstrabatur, in angusto diuersorio quæsitus inueniretur; inualidusque infantilibus membris, inuolutus infantilibus pānis, adoraretur à Magis, timeretur à malis. Timuit enim eum Rex Herodes, eisdē Magis sibi nunciantibus, cùm adhuc quærerent paruulum, quem cognouerant cœlo teste iam natum. Quid erit tribunal iudicantis, quādo superbum Regem cuna terrebat infantis? Quanto consultiùs Reges non sicut Reges interficere quærant; sed, sicut Magi potiùs adorare delectentur, iam præsertim eum, qui & ipsam mortem quam cupiebat inimicus inferre, etiam pro ipsis inimicis ab inimicis sustinuit, eamque in suo corpore occisus occidit. Piè timeant Reges ad Patris dexteram iam sedentem, quem Rex impius timuit adhuc matris vbera lambentem. *Quid Epiphania.* *Insignis admonitio ad superbos & impios.*

MAGI verò aurum, tus, & myrrham deferunt. Aurum quippe Regi congruit, tus verò in Dei sacrificium ponitur, myrrha autem mortuorum corpora condiuntur. Eum ergo Magi, quem adorant, etiam mysticis muneribus prædicant, auro Regem, ture Deum, myrrha mortalem. Sunt verò nonnulli hæretici, qui hunc Deum credunt, sed vbique regnare nequaquam credunt. Hi profecto ei tus offerunt, sed offerre etiam aurum nolunt. Et sunt nonnulli, qui hunc Regem existimant, sed Deum negant. Hi videlicet ei aurum offerunt, sed offerre tus nolunt. Et sunt nonnulli qui hunc & Deum & Regem fatentur, sed assumpsisse *D. Gregorius homi. 10.* *Notat, ni fallor, eos qui negāt prouidentiam Dei in consilijs humanis.*

carnem

carnem mortalem negant. Hi nimirum ei aurum & tus offerunt, sed offerre myrrham assumptæ mortalitatis nolunt. Nos itaque nato Domino offeramus aurũ, vt hunc vbique regnare fateamur, offeramus tus, vt credamus quòd is qui in tẽpore apparuit, Deus ante tempora exstitit. Offeramus myrrhã, vt eum quem credimus in sua diuinitate impassibilẽ, credamus etiam in nostra carne fuisse mortalem. Quamuis in auro, ture, & myrrha intelligi & aliud potest. Auro namque sapiẽtia designatur, Salomone attestante, qui ait: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Ture autem quod Deo incenditur, virtus orationis exprimitur, Psalmista testante, qui dicit: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Per myrrham verò carnis nostræ mortificatio figuratur: vnde sancta Ecclesia de suis operariis vsque ad mortem pro Deo certantibus dicit: Manus meæ distillauerunt myrrham.

Offerri nõ potest vnũ sine altero.

Item alia significatio.

Psalm. 140.

VITA B. RAYMVNDI TERTII GENERAlis Magistri ordinis Prædicatorum, ex F. Leandro Alberto.

VI. IANVARII.

B. Raymundus ex prosapia Regũ Aragonum.

RAYMVNDVS de Pennaforti, Cathalanus originẽ retulit in Aragonum Reges. Is postquã adoleuit, missus est ad Gymnasium, vt sciẽtiam hauriret. In quo tantum breui admodum tempore profecit, vt ea tẽpestate in Pontificio atq; Imperatorio iure inter viros clarissimos facilè connumerari posset. Quamobrẽ ciues nostri Bononiẽses tanti viri famã exaudientes, publico stipendio ipsum ad docendũ conduxẽre. Hanc autẽ ob causam togam induit Religionis. Fortè dissuaserat cuidam scholastico adolescenti plurimis rationibus sanctæ cõuersationis ingressum. Quapropter deinde cõscientia exagitatus, quod illi dissuaserat, ipse amplexus est, videlicet relictis mũdi illecebris, fauore & gratia, cũ omnium admiratione Ordinẽ Prędicatorum ingressus. Simul ac votũ emisit anno euoluto pro more, accitus est in socium à Legato Põtificis Maximi in Hispaniam concedente. Deinum cognita eius insigni doctrina à Gregorio IX. Pontifice, iussus est Epistolas Pontificum ac Conciliorum Decretales in vnum corpus redigere (quod hactenus in vsu habetur in Gymnasiis & ad amussim seruatur) prout dinosci potest in proœmio ex eius nominis citatione ab eodẽ Pontifice.

Ritus.

Ingreditur Ordinẽ Prædicatorum.

Iussu Gregorij nono compilat epistolas Decretales.

FECIT & ipsum Pontifex Capellanum suum & Pœnitentiarium: quæ dignitas temporibus illis non nisi valde literatis conferre

conferebatur. Factus est etiam inopum causarum expeditor. Post epistolas autem Decretales in vnum congestas, Summam quoque de Casibus conscientiæ edidit, opus insigne, & omni admiratione obseruationéque dignum. Animaduertens autem Pontifex eius præclarissimam vitam, mores, ingentémque doctrinam, & animi probitatem, Præsulem ciuitatis Barchinonæ creauit. Qui cernens sub tanto honore maximum latere onus, dicto approbãte Pontifice, eam ipsam dignitatem missam faciens, ad Ordinem Prædicatorum remigrauit, malens tunica pallióque rudi & ignobili tegi, atque sub eo egenus Deo seruire, quàm post tantæ dignitatis fastigium mox rationem tantæ villicationis reddere. Igitur ad Ordinem Prædicatorum reuersus humillimus Pater petiit sibi quempiam virum bonum præfici, per quem posset erudiri ea quæ religionis essent: & vt erat mitis ac naturæ compositæ, sic religionis moribus ornatus breui admodum tempore euasit, vt in Conuentu generali duodeuigesimo (quod Capitulum generale vocant) Bononiæ anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo octauo, Præsidentia totius Ordinis Prædicatorum absens dignus nominaretur omnium Patrum consensu.

Repudiat Episcopatum Barchinonẽsem.

D[isci]t humiliter ea quæ sunt Ordinis.

Creatur Magister Ordinis absens.

QVIN & metuentes ne oblatam Præsidentiam detrectaret, pari consilio miserunt ad eum Barchinonam Hugonẽ Bonisium Placentinum, Pontium de Sperra, Philippum & Stephanum Hispanum cum nonnullis aliis; sed vir Dei secum magis exoptans habitare, inexorabilẽ se primò præbebát, donec tandem tantorum virorum auctoritate & rationibus suasus, inclinato capite onus suscepit. Verùm biennio duntaxat hoc officio functus est: quippe in Synodo prima generali quæ sub ipso celebrata est (quæ decimanona fuit) anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo nono edidit legem, vt Præsidens totius Ordinis posset officio renunciare coram Patribus, quos dicimus Diffinitores, & isti obligarentur cessionem acceptare. Id quod tunc facere annixus est, sed minimè potuit, eo quòd Patres admittere cessionem noluêre. Tandem insequenti anno, videlicet 1240. in Synodo vigesima Bononiæ celebrata cessionem petiit, corporis valetudinem allegans, & nonnulla alia. Et cùm plurimum hoc efflagitaret, tandem voti compos factus est ob dictam legem præcedenti anno editam.

Celebratũ sub ipso Capitulũ generale.

Item al[t]erũ in quo & renunciat Præfecturam.

QVAMOBREM etiã animaduertentes Patres ingentem perturbationem, quæ de facili suboriri posset in Ordine, si pro voluntate, huiusmodi Præsidentes seu Magistri Generales Ordinis

dinis vulgò dicti, officio renunciare possent, & ipsi eorum vota admittere tenerentur; lege sancitum est, ne in posterum eorum cessio admitteretur, nî propter impedimenta perpetua: sicque lex illa abrogata. Raymundus interim voti compos factus, lęto animo Barchinonam rediit, ibique vitam egit sanctissimam, & in studiis assiduis meditationibusque occupatā. Edidit, vt præmisimus, plura opera, & Institutiones Ordinis Fratrum Prædicatorum miro quodam ordine distinxit, quæ prius indistinctæ erant. Superuixit postquam Præsidentiæ Ordinis renunciauerat, annis quinque & triginta. Vita functus est in die Epiphanię 8. Idus Ianuarij, anno millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, cuius sanctitatem crebra miracula ad inuocationem eius nominis per Deum facta protestantur.

Redigit in certas classes indistinctas eiusque Institutiones Ordinis.

VITA S. ANDREÆ EPISCOPI FESVLANI, *Ordinis Carmelitarum, ex ea quæ est apud Surium.*

VI. IANVARII.

S. Andreas nobilis Florentinus.

ANDREAS Corsinus Florentiæ ex Corsinorum nobili familia natus fuit, patre Nicolao, matre Peregrina. Quę cū hunc, quem D. Mariæ religioni vouerat, Andream vtero gestaret, in somnis sibi visa est lupum peperisse pro homine, sed qui tamen Ecclesiam ingressus, paulatim verteretur in agnum. Nec vanum somnium. Puer educatus ingenuè, crescit; studiis literarum traditur. Cùm autem admodum scitus esset, & forma præstante, vtrique parenti plurimum charus erat. Postremò factus adolescens canes alere, equos mercari, sodalitates parare, diuina humanaque promiscua habere cœpit, castigationem parētū etiam tandem non ferens. Quod iniquè ferens mater quadam vice; Profectò, inquit, tu ille lupus es quem visa sum mihi parere. Quibus verbis perterritus adolescens; cùm & votum parentum de se intellexisset, & totam denique superiorem historiam, ad Carmelitarū Ecclesiā profectus est, atque ita Andreas in agnum versus est, ad Religionis scilicet obseruantiam admissus. Vbi, vt eius animi firmitatem experirētur, cuiuslibet vilissimæ conditionis seruitia ei demandabant, ædes verrere, ostij curam gerere, interdum etiam patinas purgare. Quæ omnia libenti animo perferens, tandem de more professus est, Religionis solennia vota suscipiens. Et quidem iā animus adolescentis in dies magis ac magis in diuino amore atq; virtute flagrabat. Superabat ieiuniis & abstinentia atque corporis flagellatione terreno

Factus adolescens primum dissolutissimè vixit.

Fit Carmelita.

Nota de anno probationis.

terrenorum cupiditates, tantus amator silentij factus, vt non nisi vbi maximè opus esset, loqueretur.

DIEBVS tribus in hebdomada ieiunabat, in quibus nihil cibi præter panem & aquam sumere consueuit, domans corpus cilicio, obturabatque aures suas ne audirent verba detrahẽtium sibi. Nam, vt moris est mendicantium, sabbatho pro accipiendis eleemosynis ciuium domos adire, Andreas ob humilitatem officium huiusmodi plurimum exercebat. Et cùm à suis qui in via maxima ædes haberent, eleemosynam peteret, multis iniuriis repellebatur (namque illis inuitis religionem acceperat) sed omnia ipse ingenti patientia tolerabat. Ita vir Dei ardens in virtutibus ad sacros Ordines suo tempore admittitur. Statuunt tunc omnes Corsini, vt primam missam Andreas cantaturus, oblationem magnis apparatibus ingentique pompa celebraret. Sed ille vbi hoc audiuit, habita licentia à Prouinciali, secessit septimo milliario ab vrbe in Conuentum Siluarum, ibique deuotissimè sacerdotij sui primitias obtulit; cùm ecce beata Maria virgo cum comitatu Angelorum apparuit ei dicens: Seruus meus es tu, quia ego elegi te. Post paucos autem annos Pisis Capitulum celebratur, & Andreas Parisios literis imbuendus mittitur: vnde tamen post tres annos statim in Prouinciam reuocatur. Qui dum in patriam reuertens per Diuionem iter faceret, maneretque ibi aliquot dies apud patruum suum Cardinalem eo tempore Legationis officio functum (ô rem miram!) cæcum quendam qui ad portam templi sedens à prætereuntibus eleemosynam petebat, pro eleemosyna donauit lumine, ostendente Deo quàm etiam mira fuissent quæ iam prius per eum obscurius mundo præstiterat.

Tribus diebus in hebdomada vescitur solo pane & aqua.

In primitiis suis apparet ei beata Maria.

Illuminat cæcum.

POST paucos deinde dies Florentiam rediit, vbi tunc Capitulum Prouinciale fiebat, in quo Andreas Conuentui Florentino præficitur. In qua administratione tanta vitæ sanctimonia claruit, vt narratu difficile foret. Non longè tamẽ Deus pietissimus ibi illum voluit latere. Factum est, vt extremum diẽ clauderet Fesulanus Antistes. Pro cuius successore eligẽdo cùm Canonici, cæterique apud quos ius erat, conuenissent in vnũ, vnanimi consensu designatur Andreas Corsinus Carmelita. Quod cùm ipsi nũciaretur, latitauit tertio milliario ab vrbe apud Carthusienses, nec quæsitus vspiam apparuit. Itaque rursum Canonici conueniunt. Qui dum vacillant, Spiritus sanctus per os infantis locutus est, dicens: Elegit Deus Andream in sacerdotem sibi: ecce autem apud Carthusienses orat, ibi eum inuenietis.

Eligitur Episcopus Fesulanus absens.

Latitans proditur à Spiritu sancto per os infantis.

Qui Episcopus factus anno ætatis suæ quinquagesimo octauo mira sanctitate floruit. Omnes terrenorum cupiditates subiecit pedibus. Mulierum colloquia fugiebat tanquam semina vitiorum: macerabat corpus sobriè cibum sumendo: subterque tunicam super nudo corpore catena ferrea cingebatur. Sarmenta autem vitium membris eius requiem nocturnam pręstabant. Qui in ædificiis sacris plurimum intentus, tantæ simul liberalitatis fuit in pauperes, vt nemo vnquam egens sine eleemosyna ab eo recederet.

Cingit se catena ferrea.

QVI H etiam cùm annonæ magna penuria esset, & pro eleemosynis ad eum confluerēt plurimi, ipse omnem panem in domo sua repertum pauperibus erogauit; qui tamen diuino beneficio statim pòst in magno numero in penu inuentus est alius. Consueuerat quoque vir Dei qualibet feria quinta in memoriam Dominicæ humilitatis pauperibus pedes lauare. Quorum vnus cùm id recusaret, quod crura haberet morbo putrida; Cōfide, inquit vir sanctus, in Dominum Iesum. Et infusa aqua in peluim crura lauare cœpit. O diuina bonitas! Ille crura lotus statim morbo solutus est. Orta erat huius sancti viri tempore Bononiæ discordia ciuilis, quæ nullius auctoritate videbatur posse sedari. Mittitur hic Andreas ab Vrbano quinto, & statim pòst ciues depositis animis recōciliantur. Sed iam tempus erat, vt solueretur fideli operario denarius diurnus. Anno igitur ætatis suæ septuagesimo primo, in nocte Natiuitatis Domini, in Ecclesia cathedrali, dum rē diuinā facit, apparuit ei Virgo gloriosa: nunciat ei obitus sui diem, proximam Epiphaniam Domini. Nec mora. Prorsus vt beata Virgo prædixerat, morbo correptus diuus Antistes eo die naturæ concessit, Pontificatus sui anno duodecimo ab Incarnatione Domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, octauo Idus Ianuarij: cuius corpus cōditur tūc quidem Fesulis in Ecclesia Cathedrali, tametsi vir sanctus sepeliri petiisset apud Carmelitas Florentię. Vnde & Carmelitæ oportunitatē temporis nacti, noctu clam sacrū corpus sublatum Florentiam deferunt. Vbi ex eo tempore multis miraculis coruscat. Ab Eugenio autem quarto sanctis est adscriptus.

Largiēs pauperibus non deficit.

Reconciliat Bononienses dissidentes.

Migrat in cœlum.

VITA S. SEVERINI APOSTOLI

Noricorum, ex ea quæ est per Eugippum eius contemporaneum.

VI.

VII. IANVARII.

TEMPORE quo Attila Rex Hunnorum defunctus est, in vtraque Pãnonia, cęterisque confiniis Danubij, res turbabantur ambiguè. Quibus diebus sanctissimus Dei famulus Seuerinus de partibus Orientis in Pannoniam veniens morabatur in oppido quod Casturis dicitur, vbi Catholicę fidei propositũ sanctis operibus adimplebat. Sed cùm quodam die ad Ecclesiã ex more procedẽs cœpisset presbyteris & clero atque omnibus ciuibus prędicere, vt hostium insidias imminentes, orationibus & ieiuniis ac misericordiæ fructibus inhiberent; nec tamen audirent viri Dei oracula; famulus Domini reuersus ad hospitium quo ab Ecclesiæ custode fuerat susceptus, diem & horã imminentis excidij prodens; De contumaci, ait, oppido, & citiùs perituro festinus abscedo. Atque ita inde abiẽs, ad proximũ, quod Comagenis appellatur, oppidum declinauit: quod videlicet hostium intrinsecus cõsistentium custodia seruabatur arctissima, à quibus tamen vir Dei interrogatus non est. Itaque mox ingressus Ecclesiam, cunctos de salute propria desperãtes, ieiunio & orationib' ac eleemosynis itidem hortabatur armari, proponens antiquæ salutis exempla. Sed neque hîc profecit; donec senex ille qui dudum in Casturis ciuitate tanti hospitis susceptor exstiterat, eò aduenĩes, interitum sui oppidi, & præcedentem etiam de viro Dei historiam omnibus demonstraret.

S. Seuerinus venit de partibus Oriẽtis ad oppidum Casturis.

Inde in Comagenis.

ET quidem iis auditis habitatores memorati oppidi statim in Ecclesiã cõuolant, iuxta monita beati viri per triduum ieiunijs dediti, erratorũque veniam postulantes. Et ecce, die tertio, facto subitò terræ motu, ita sunt hostes intrinsecus habitantes exterriti, vt exeuntes fugam velociter inirent, ac tandẽ mutuis se gladiis conciderent. Eodem tempore ciuitatem Fabianis nomine sæua fames oppresserat: cuius habitatores vnicum sibi remedium adfore crediderũt, si à supradicto oppido Comagenis hominem Dei Seuerinum religiosis ad se precibus inuitarent. Quos ille ad se venire prænoscens, cùm hæsitaret vtrum pergeret cum eis nec ne, admonetur à Domino vt pergat. Veniẽs igitur ad prædictam ciuitatem, cœpit suadere, dicens: Pœnitentiæ fructibus poteritis de tãta famis pernicie liberari. Qui cùm talibus proficerent institutis, beatissimus Seuerinus diuina reuelatione cognouit, quandam viduam nomine Proculam fruges plurimas occultasse. Quam productam in medium cùm vehemẽter arguisset, magno mulier pauore perterrita, cœpit seruata libenter pauperibus erogare. Nec multò pòst, naues etiam de

Liberatur, ipso prædicãte ieiunium, oppidum ab hostibus.

Fabiana, nũc Vienna Austriæ.

Acriter reprehendit viduam occultantem fruges tempore famis.

partibus Rhetiarum, mercibus onustæ quàm plurimis, extra legitimum tempus glacie quoque soluta, insperatè videntur in littore Danubij.

Multa prædicit futura.

MVLTAE sunt autẽ & aliæ huius sancti viri prædictiones & salubres monitiones, & imprimis quas experti sunt Rugiorum Reges Flaccitheus, & eius filius Feletheus, ille feliciter, iste infaustè. Insuper & Odoacer quoque qui postea regnauit in Italia. Qui cùm ad humillimæ viri Dei cellulæ tectum adhuc iuuenis, vilissimo tunc habitu intrasset, Vade, inquit ei vir Dei, ad Italiam, vilissimis pellibus nunc coopertus, sed multis citò plurima largiturus. Porrò præsentabat se post aliquantùm temporis nuncius sancti viri, quẽ pro deferendis reliquijs sanctorum martyrum Geruasij & Protasij direxerãt. Vnde ille condigno honore suscipiens allata munuscula, in quadã basilica collocauit officio sacerdotum. Quo videlicet in loco plurimorũ martyrũ congregauit reliquias: quas semper præeunte reuelatione emeruit accipere. Episcopatus plerunque honorem vt susciperet postulatus, præfinita responsione conclusit, sufficere sibi dicens, quòd solicitudine desiderata priuatus ad illã diuinitus venisset prouinciam, in qua turbis tribulantium frequentius interesset. Daturus nihilominus formam monachis, solicitus admonebat beatorum Patrum vestigiis inhærere.

Solicitè curat sibi adferri reliquias sanctorum.

Recusat dignitatem Episcopatus. Nota.

Ex quibus cùm esset quidã nomine Maurus, monasterij, cui beatus vir Seuerinus præerat, æditiuus; dùm eum vir Domini prius redemisset de manu Barbarorum, secundò etiam abductũ à latronibus, sola sua maiestate inermis latronibus excussit. Sed nihil hoc mirum. Siquidem dum adhuc Norici Ripensis oppida superiora constarent, tam celebris S. Seuerini flagrabat opinio; vt certatim cũ ad se singula castella pro suis munitionibus inuitarent, credentes, quòd eius præsentia nihil eis deueniret aduersi. Quibus præditus gratijs, tantam vir Dei captiuorum egenorumque curam ingenita sibi pietate susceperat, vt penè omnes per vniuersa oppida vel castella pauperes ipsius industria pascerentur. Quibus tã læta sollicitudine ministrabat, vt tunc se crederet tantummodo satiari, quádo videbat egentium corpora sustentari. Et cùm hebdomadarum sæpè continuatis ieiunijs minimè frangeretur, tamen esurie miserorum se credebat afflictum. Cuius largitionem tam piam in pauperes plurimi contemplantes, quamuis ex duro Barbarorum imperio famis angustiam sustinerent, deuotissimè frugum suarum decimas pauperibus impendebant.

Passim expetitur vt sit pro munitione.

Nota insignẽ abstinentiam & simul misericordiam in pauperes

BASI

BASILICAE extra muros oppidi * Patauini in loco nomine Boiótro trans * Rhenũ fluuiũ constitutæ, vbi paucis Monachis cellulã ipse construxerat, Martyrũ reliquiæ quærebãtur. Legebat S. Seuerinus in monasterio Fabianis Euangeliũ. Parua mora. Parata scapha transmeato Danubio inueniunt in ripa ignotũ aliis, notũ autem beato viro per reuelationem, qui S. Ioãnis reliquias obtulit. Quas Dei famulus venerabiliter suscipiens, sacrauit basilicam officio sacerdotum. Et quidem iam post multos agones, multaq; in circuitu præstita beneficia, reuelante Domino beatus Seuerinus se de hoc seculo transiturũ cognouerat, cùm ad se vocatum supradictum Regem Rugiorũ Feletheum cum vxore crudelissima Gisa, de innocentium oppressione grauiter arguit. Deinde ad subiectos sibi fratres, verbis beati Ioseph, Visitatione, inquit, visitabit vos Dominus: tollitẽ ossa mea hinc vobiscum; sicq; quo totum corpus suum signo crucis extenta manu consignans, non multo pòst quieuit in Domino sexto Iduum Ianuariarum.

* Bataui
* Oenum

Prædicit diuinitus de suo obitu.

Moriturus arguit Regẽ, & Reginam de suis sceleribus.

CVIVS quàm iusta fuerit iã cõmemorata ad fratres monitio, non multò pòst euentus docuit. Etenim per Odoacrum bello subacti Rugi, omnes deinde iussi sunt per eundem trãsire in Italiam: cum quibus & translata sunt B. Seuerini pignora, integra adhuc corporis cõpage, cùm iam sextus depositionis eius effluxisset annus. Apportatum est autem sancti viri corpusculum per diuersas Italiæ regiones. Et primò quidem delatũ fuit ad Castrum nomine Montem Feletem: vbi aliquandiu mansit carro adhuc impositum: pòstea verò Gelasij sedis Romanæ Pontificis auctoritate & Neapolitano populo exequijs reuerẽdis occurrẽte, cùm illustris femina Barbaria venerabilem Presbyterum nostrum Marcianum, sed & cunctam congregationẽ literis frequentibus inuitasset in castello Lucullano, per manũ S. Victoris Episcopi in Mausoleo quod prædicta femina condidit, collocatur. Qua celebritate multi diuersis lãguoribus afflicti, quos recensere longum est, receperunt protinus sanitatem: Monasterium autem eodem loco constructum est quod & hactenus perseuerat.

Transferuntur eius reliquia in Italiam.

Nota ætatẽ Auctoris, & clarius etiam in originali.

VITA S. GVDVLÆ VIRGINIS
Brabanticæ, ex ea quæ est apud Surium.
VIII. IANVARII.

SIGEBERTI Regis tẽporibus, qui fuit Dagoberti Regis filius, exstitit quidã Comes VVitgerus in pago Bracbãtẽsi,

S. Gudula clari natalis.

probabilis moribus, cuius thalamis inhærebat coniunx dignissima Amelberga Maioris domus inclyta Pipini sorore progenita. quibus in seculo piè degentibus sanctum quoque contulit germen Dominus. Eo namque germine sanctus exstitit Emebertus Cameracensium Præsul gloriosus; cuius etiam exstitere sorores simili sanctitate probabiles, Reineldis scilicet sanctissima, & Pharaildis moribus egregia, atque demum hæc eorum soror. Quam cùm mater vtero ferret; quanta futura esset, discere etiam meruit ab Angelo. Orta est autem hæc virgo Dei Gudula Bracbantensium finibus, vti prædictum est, eo tempore quo B. Gertrudis celebris habebatur; quæ etiam rogata vt hanc sacram virginem de sacro fonte susciperet, libenter tam piæ preci præbuit assensum. Vnde factum est, vt virgo virginis mater per spiritum fieret, atque vlterius sub vbera doctrinarum suarum educandam suspenderet. Exstitêre etiam sanctæ virginis neptes sanctæ sorores Aldegundis atque VValdetrudis.

Eius sancti frater & sorores.

Suscipitur è sacro fonte à S. Gertrude.

ET quidẽ iam B. virgo Gudula infra monasterij claustra sacræ scripturæ lacte alebatur, & à sua sancta consanguinea, nec non spirituali matre pascebatur; cùm interim ad beatam atque æternam vitam vbertim exardescit. Vnde cõtigit, vt semper in dies melior se fieret, patientia laudabilis, mansuetudine præstabilis, pietate ineffabilis, idq; quousque spiritualis eius genitrix sanctissima, videlicet Gertrudis, de huius mundi peregrinatione trãsiuit ad cœli regiam. Repedat enim tunc almiflua Christi virgo Gudula tantæ cognatę solamine destituta ad parentũ limina, parentibus deinceps subiecta iuxta Apostoli præceptum. Porrò erat in confinio villa Morzella vocabulo, distans ab eorũ mansione duorum milliariorum interstitio, in quo ædificatum fuerat oratorium in honore sancti Saluatoris. Quem locum deligens Dei virgo crebrò expetijt remota à suis, appetens vacare cõtemplationi solius diuinitatis. Orationibus protelatis, deputabat dies, continuabat & noctes, pernox in vigilijs, strenua in psalmodiis, exercitata in ieiunijs: Interim quadam nocte dum ad idẽ Oratoriũ declinaret, hostis ei insidiari conabatur: Quia nox lumen negabat, Virgo Dei secum lucernam habebat, quã tunc fortè ferebat eius pedissequa, exstinxit hanc inimicus. Sed elusit fraudẽ inimici in virgine virtus Christi. Nam virgo Domini, vt lucerna per diabolum exstincta reaccendatur, genibus flexis deprecatur. Nec mora. Videres velut in ictu oculi lumen exstinctum restaurari. Sed & audi miraculum aliud.

Educatur apud candẽ.

Post mortem S. Gertrudis redit ad parentes.

Nota causam cur pingatur cum lucerna adstante diabolo.

SOLI

SOLITA erat virgo beata nocturnis horis sola comite famula, frequentare Sanctorum loca pedibus nudis; diebus, vt humanum vitaret fauorem, talibus, & vt ita dicam, dimidiis vtens subtalaribus, vt superior pars pedum videretur tecta. Sed ecce dum id quod piè agit, homines latere vult, quodam die insigni miraculo res fit palá. Solo prostrata animo in cœlos erecta, plãtas obliuiosè videndas reliquerat visibus prætereuntium. Viderat hoc etiã Sacerdos celebraturus Missam: qui eius algori compatiens, tãtiq́ue facti horrore perculsus, chirotecas de manibus suis extrahit, eiusque vestigiis supponit, vt scilicet tam illustris meriti puellam religioso officio honoraret. Et vide rem mirá. Dũ recedẽte sacerdote, longe à se virgo beata chirotecas proijcere exoptat, diuina operante clementia ferè vnius horæ spatio restitêre in aëra. Multa sunt & alia beatæ Gudulæ miracula, vt de sanato eodẽ cõtracto & muto, leprosa etiã illa Herenfrida, & alijs: sed ex his paucis cætera coniiciuntur. Felici & vltimo eius præsentis vitæ termino mediante Dominici sacramẽti sese viatico circunquaque vallans, flentibus fidelium cateruis, beata virgo ad Christum migrat, Pipino seniore monarchiam tunc regni regente, sexto Idus Ianuarias.

Nocte visitat loca sancta pedibus nudis.

Insigni miraculo ostenditur eius sanctitas.

Migrat ad Christum.

ADMINISTRATA sunt autẽ honorificè corporis ipsius funebria, vt tantæ nobilitatis puellam decuit. Sepulta est autẽ in villa Ham; vbi vno eodemq; die ipsius sepulturæ, sole in Capricorni sidere posito, arbor, quam ferunt populum, visa est subitò ibidem excrescere, virescere & frondescere. Quo è loco tẽpore Caroli Magni crebrescẽtibus miraculis eleuata, cùm neq; Niuellam neque ad * Castri locum se transferri pateretur, monente de Morzellæ illo oratorio quodã sene à diebus S. Gudulæ superstite, Morzellam trãsfertur, supradicta arbore beatam virginem postridie diuina virtute subsequente. Vbi & sanctimonialium instituto cœnobio, multo tempore quieuit; donec Vuenemaro quodã bona ecclesiastica inuadente, nec curante sanctum corpus, transfertur illud Bruxellam; primò quidem à Carolo Duce regni Lotharienfis in Ecclesiam S. Gaugerici, idque sub Othone secundo; deinde verò per Comitem Baldricum nepotem Caroli Ducis in recens tunc exstructum templũ in honorẽ S. Michaëlis, anno millesimo quadragesimo septimo: quod templum vocatur nunc D. Gudulæ, Bruxellarum præcipuum.

Ciuitas nunc est Montensis in Hannonia.

Transfertur diuinitus arbor de loco in locum.

Defertur sacrum corpus Bruxellam.

VITA B. LAVRENTII IVSTINIANI,

Patriarchæ Veneti, ex Bernardo Iustiniano.

VIII. IANVARII.

B. Laurentij patria & parentes.

NATVS est Laurentius Venetijs, patre Bernardo Iustiniano, matre Quirina, stirpe imprimis nobili. Quem cùm nihil ludicrum in puerilibus annis delectasset, annum natus vndeuigesimum insignem visionem de concupiscẽda æterna Dei sapientia promeruit. Quam cùm Marino auunculo suo viro religioso aperuisset, voluit ille occultè prius in adolescente & animi & corporis firmitatẽ experiri, idque maximè ne rescisceret mater. Quæ cùm præter suspiciones alias, ligna quædam rudia super lectũ sternere, superque his lignis cubitare filium deprehendisset; induxit in animum tentare illius propositum, & nuptias apparare. Et quidẽ virgo offerebatur forma, nobilitate, & amplis diuitiis præstans, quam ego senem cognoui. Sed id quũ animaduertisset filius, simulque fratres cũ matre cõiurasse perspiceret, fugam maturauit, atque ad Marinũ auunculum iam dictum se contulit in Religionem Canonicorum collegiatorum, qui S. Georgij in Alga nuncupantur. Nihil hic dicã de cibi vel potus in eo parcitate, quæ vltima vix necessitate definiebat. Vigilias sanè à Patribus institutas sic seruauit, vt ad Matutinũ primus veniret, vltimus discederet. Sed nec hoc solùm. Cùm omnium monachorum mos sit post Matutinum ad somnum redire, donec sol illucescat; Laurentius per omnem vitam nunquam de Ecclesia discessit, donec ad Primam fratres conuenirent.

Nuptiis ei apparatis, fugit ad S. Georgium in Alga.

Mirus in eo religionis feruor.

RIGENTE hyeme accedere ad ignem nunquam visus est. Stabat autem gradu nixus, dum diuina canerentur Officia, non dextra non læua sedilibus hærens. Quem eius in omnibus feruorem cùm Patres in Capitulo remitti nonnihil per eum vellet, in cibo (dico) somno, & veste; Iubete, dicebat, vt lubet; parebo libenter iussis: interim tamen, ô Patres mei, hoc quoque vos scire velim, quòd sperem quòd ei qui pro Christo pati vult, nũquã deerit via. Spectabat autem suas illas priuatas disciplinas, hoc est, verbera & plagas; ex quibus sæpè & notæ & sanguinis maculæ apparebãt. Si Rector erat monasterij, velut id sibi muneris contemptui esset, infima quæque ministeria deligere solebat, quę relatu etiã sint indigna, nihil nisi de peccatis suis loqui. Memini puer adhuc cùm essem, videre eũ ad domus nostræ ianuam pulsantem, panes petere, domum tamen aut limen non ingredi, sed foris stantem panes operiri. Mater autem filiũ ægrè ferens tanto onere grauem diutiùs per vrbem vagari, iubebat ministris, vt saccum illi panibus implerent. Sed recusare semper

Volenti pati pro Christo nunquã deest patiendi via.

Mendicat cũ summa animi voluptate.

ſemper Laurentius, & panibus duobus contentus diſcedebat, vt operam nauaret humilis mendicationis.

QVAS aliaſque ſancti viri virtutes Eugenius Pontifex cùm audiret, animum induxit Venetis eum Epiſcopum dare. Et quidem bis fugiendi cepit impetum, & in abdita aliqua loca ſecedendi. Sed tandem poſt indictum ieiunium obſecutus Patrum ſuæ ſocietatis conſilio, non potuit non parêre Pontifici ter iubenti. Anno itaque ætatis quinquageſimo primo iniit Epiſcopatum, ſed nulla pōpa aut comitatu, adeò vt fratres etiam germanos adeſſe noluerit. Porrò familiam ſic inſtituit. Elegit duos de cœtu ſuo fratres: quorum altero vtebatur ad officia diuina, cum altero partiebatur curas maiores. Quinque prætereà miniſtros habuit per tres & viginti annos quibus fuit in eo Pontificatu. Veſte vſus eſt colore, quem dicunt, cæleſtino iuſta longitudine. Tapeta & aulæa & cætera ornamenta ędium omnino ſpreuit. Menſam habuit non ſordidā; cibo ſemper vſus vulgari. Nihil appetere, aut damnare. Cubile habuit vix ſex pedes protenſum tormento paleari; & opertorio quod veteres centonem, noſtri ſclauinam vocāt, excluſis ſemper de thalamo omnibus; vt liberiùs vacaret lacrymis & orationi. Statim autem operam dedit, vt Pontificalis Eccleſia excoleretur. Canonicorum Ordinem ad nihilum redactum reſtituit, addidit ſacerdotes, cantores inſtituit. Eandem curam adhibuit & circa Eccleſias alias.

Suſcipit Epiſcopatũ Venetũ triſtis.

Dormit in paleis.

MORES deinde Cleri caſtigare adortus eſt, quod facile impetrauit liberalitate naturæ. Pecuniam cōtempſit, vt nemo amplius. Domus erat aperta omnibus opem aut conſilium petentibus; omne penu pauperibus patebat. Primum illi de pecunia inſtitutum fuit, vt nullum penitus ſibi cum fratribus carnalibus eſſet commercium: quibus illud tantum in amoris fraterni ſignum reſeruauit, vt in Paſchate & in Natiuitate Domini & feſto Apoſtolorum Petri & Pauli eos donaret duobus panibus ex farinæ flore confectis. Vidi aliquando, cùm ab eo elemoſyna peteretur, quod pecunia non poſſet promiſſioni ſatisfacere; ſæpè cùm domi nihil reliquiſſet, æs alienum contrahere. Et cum Procurator rogaret eum qua ſpe faceret? Spe Domini mei, inquiebat; is enim pro me diſſoluere facile poterit. Nec ſpes illum fallebat. Nam continuò ſubmittebat illi Dominus pecuniam inſperatò multis de locis. De cuius eximia ſapientia, vt aliquid ſaltem dicam; ſanè ſententiæ illius habebantur inappellabiles. Non cauſarum multitudine, non vlla proteruitate litigantium

Nolunt Tralati qui vbique primos promouẽt ſuos conſanguineos.

Propè pauperibus libẽter contrahit æs alienũ.

Sententiæ illius habentur inappellabiles.

potuit

potuit defatigari. Scientia eius diuinitus potiùs infusa quàm humanitus acquisita videri poterat. Vix enim elementa prima didicit à præceptore,& tamen scripsit in diuinis contemplatiua volumina quindecim, & sermones quadraginta. Sed & neque minor in eo fuit dæmoniorum pellendorum, & discernendorum gratia spirituum. Sed omnia singulatim narrare, nimis est prolixum.

Amat latere.

INCREBRESCENTE viri fama semper magis ac magis, habere eum sæpè apud se Eugenius Pontifex voluit. Sed semper excusauit vir sanctus, nisi quod ad eum Bononiæ morãtem, semel obiter excurrerit, lætior rediens quàm ierat. Pari amore seu maiore quoque Nicolaus quintus Pontifex nobilissimus eum dilexit. Qui Gradensi Patriarcha mortuo, Patriarchatum Venetias transferens, eum Patriarchã creauit. Omninò ex quo die factus est sacerdos vir beatissimus quotidie Missã celebrauit, nisi valetudine impediretur. Dicebatq. qui cùm posset Domino suo frui, non frueretur, facilè se declarare Domini sui curam nõ habere. Agebat annum quartum supra septuagesimum, corpore quidem imbecillo, sensibus tamẽ integris, cùm quodã die post cibũ mecũ de more ambulãs: Quàm libenter, inquiebat, abirẽ, si Domino placeret. Voluit autẽ Dominus preces eius audire, ita vt febri post paucos dies acerrima corriperetur. Tum verò nos ei lectũ paramus, cùm ille cõmotior, & indignanti similis, Mihíne, inquit, plumã paratis? ecce Domin⁹ meus in durissimo ligno cubitauit. Vnde nihil proficientes, victique ad suam eum detulimus mattam inter brachia. Intellexit autem vir sanctus migrationis diem aduenisse. Quare armari se postulat Sacramentis Ecclesiæ. Tandem cùm per biduum totum omnes eò aduenire volentes & admonuisset & benedixisset, in sancta pace quieuit, sexto Idus Ianuarias.

Creatur Patriarcha.

Notẽt ignaui sacerdotes.

Moriturus munit se Sacramẽtis Ecclesiæ.

IAM orta erat lux altera, cùm effusa tota ciuitas est, vi penè fores effractę, ita vt in Ecclesiam subitò deferri necesse fuerit ad oculos populi depascendos. Tanta autem continuò circũstetit feretriũ multitudo, vt à gradibus chori, vbi positus fuerat, raptus deinde sit, non hominum manibus, sed sola sese comprimẽtium atque impellẽtium turba, vsque ad valuas Ecclesiæ. Discissę vestes, sublati calcei, omnia ad venerationem direpta. Sed & expletis officiis, cùm efferendi tempus esset, lis oriri cepta inter Canonicos Patriarchales, & fratres S. Georgij. Fratres repetebãt ex testamento defuncti, Canonici adferebant Canones, neque semper parẽdum ordinationibus huiusmodi defunctorum, sicut

Magna circa defũctum populi deuotio.

Item cleri.

nec

nec Marcellinus Papa propterea relictus est insepultus. Itaq; reponitur sacrum corpus in sacrario quasi litis euentũ exspectaturum. Labitur dies, secunda, tertia. Nihil pigmenti aut artis; nihil tamen corruptionis: imò incipiunt magis rubescere genæ. Concurritur ab omnibus summa deuotione. Lis protracta est in diem octauum, quadragesimũ imò sexagesimum septimum. Quo tempore sepulturæ traditus est officiis & honoribus non quibus cæteri solent, sed quasi sancti cuiusdam reliquiæ. Vbi quæ miracula deinceps acciderint, quæque accidant quotidie, relinquo scribendum aliis.

Sepelitur vt sanctus.

VITA SS. IVLIANI ET BASILISSÆ Martyrum, ex Io. Maldonato Hispano.

IX. IANVARII.

IVLIANVS vir nobilis Antiochensis,* Christianis parẽtibus ortus, annum agens decimum octauum, ducere Basilissam virginem, & genere & professione non imparem, coactus est. Antè tamen quàm Iulianus parentibus assentiret, diuinis est colloquiis admonitus, mansuram sibi virginitatem solidam ac inconcussam. Nocte itaque nuptiali virginitatem sponsæ diuino spiritu iam afflatæ, facilè persuasit: præsertim quòd ipsis dẽ virginitatis merito colloquẽtibus, visio est cœlestis obiecta. Itaque duobus sic amor diuinus insedit, vt mortuis parentibus, facultates partim pauperibus, partim duobus construendis monasteriis impertierint. Quorum alteri, quod fuit monachorum, Iulianus præfuit; alteri virginum Basilissa. Grassante tum temporis per omnem Syriam Ethnicorum in Christianos sæuitia, Basilissa suo timens sodalitio, fletibus ac prece obtinuit, vt virgines Christus ad se reciperet, priusquam carnificum experirentur flagitia. Quæ paulò post mortuæ, Basilissæ omnes apparuêre, magna de beatorum vita nunciantes. Illa visu gaudibunda, contendit ad Iulianum: & cum visa cœpisset, auditaque referre medio in sermone defecit, & animam Chisto reddidit. Martiniano præside per id tempus Antiochiam ingresso, copia Christianorum cõfugit ad Iulianum E quibus solus ipse duxlac princeps vinctus est: reliqui omnes ad vnũ cum cœnobio exusti. Multa tunc idola prece Iuliani contrita sunt, cæcus quidam illuminatus, puer Celsus Martiniani præsidis filius, & vxor baptizati. Non tamen est Martinianus motus, sed prodigia quæ Iulianus passim faciebat, magiæ cæcus ascribebat. Quid præses non tentauit,

** Anthiochia ciuitas Syriæ, regionis Asiæ.*

Mors Basilissæ.

Miracula facta à Iuliano in martyrio.

tauit, quo filium & vxorem à via Christi deduceret? Quæ genera tormentorum in Iulianum non excliciuit, direxit, intendit, quo illum à cohortanda Christiana turba, martyrioque vouenda deterreret? Sed tandem miraculis attonitus, Iulianum, Celsum filium, & vxorem, Antonium etiam presbyterum, iuuenem Anastasium, quem Iulianus suscitauerat, carceri dedit: milites vinginti decollauit: septem nobiles fratres igni consumpsit. Postero die productus Iulianus, & vincti cum eo, Iouis templo inferuntur: quod preco Iuliani subrutum cum idolis est, Iussi postea supposito torreri igne, caput Celsi excoriari, Antonius, Anastasius exoculari, postremo bestiis omnes in amphiteatio exponi, cum nihilo læderentur quin magis tortoribus insultarent, capite simul damnati, & securi percussi sunt.

Tom. 1. epist.

VITA S. PAVLI PRIMI EREMITAE.

ex ea quæ est per D. Hieronymum.

X. IANVARII.

INTER multos sæpè dubitatum est à quo potissimùm monachorum eremus habitari cepta sit. Alij asserunt Antonium huius propositi caput; at Amathas & Macarius discipuli Antonij etiamnum affirmant, Paulum quendam Thebæum, principem istius rei fuisse: de cuius principio & fine pauca scribere disposui (quomodo enim in media ætate vixerit, & quas satanę pertulerit insidias, nulli hominum compertum habetur.) Sub Decio & Valeriano persecutoribus multas apud Aegyptum & Thebaidam ecclesias tempestas sæua populata est. Per idem tempus apud inferiorem Thebaida cum sorore iam viro tradita, post mortem amborum parentum, in hæreditate locupleti Paulus relictus est annorũ circiter quindecim, literis tam Græcis quàm Aegyptiacis apprimè eruditus, mansueti animi, Deum valde amans, & qui, cùm persecutionis procella detonaret, in villam remotiorem & secretiorem secessit. Verum quid non mortalia pectora cogis auri fames? Sororis maritus cœpit prodere velle quem celare debuerat. Quod vbi prudentissimus adolescens intellexit, ad montium deserta confugiens, dum persecutionis finem præstolaretur, necessitatem in voluntatem vertit, ac paulatim progrediens, rursusque subsistens, atque hoc idem sæpius faciens, tandem reperit saxeum montem, ad cuius radicem haud procul erat grandis spelunca, fontem lucidissimum

Multa vult Deus homines latere.

Ingruente persecutione fugiet S. Paulus ad deserta, tandem ne cessitatem vertit voluntate.

sinũ ostẽdẽs, vbi adamato, quasi quod à Deo sibi offerretur, habitaculo, omnẽ ibidem in orationib⁹ & solitudine duxit ætatẽ.

Palma ei simul cibus vestimentum.

CIBVM & vestimentum ei palma præbebat. Ad quem ritum modumque cùm iam cẽtum tredecim annos beatus Paulus vitam cælestem ageret in terris, & nonagenarius in alia solitudine Antonius moraretur, vt ipse asserere solebat, hæc in mentem eius cogitatio incidit, nullum vltra se perfectum monachum in eremo consedisse. At illi per noctem quiescenti reuelatum est esse alium vlterius multo se meliorem, ad quem visendum deberet proficisci. Ilicò itaque erumpente luce, venerabilis senex infirmos artus baculo regente sustentans, cœpit ire velle quò nesciebat, cœptamque pergebat regionẽ ferarum tantum vestigia intuens; hippocentaurum etiam monstrum & satyrum obuios habens: quẽ terrorem tamen facilè signo crucis in frõte picto superauit. Quid ageret, quò verteret gradum, nesciebat. Iam altera effluxerat dies. Restabat vnum, vt deseri se à Christo non posse consideret. Pernox secundas iam in oratione exegit tenebras; & ecce dubia adhuc luce, procul intuetur lupam sitis ardoribus anhelantem ad radicem montis irrepere. Quam secutus oculis, & iuxta speluncam, cùm fera abiisset, accedens, intro cœpit adspicere, nihil curiositate proficiente, tenebris arcentibus visum: verum (vt Scriptura ait) perfecta dilectio, foras mittit timorem.

Nota de signo crucis.

In rebus diuinis requiritur quædam pia pertinacia.

SVSPENSO gradu & anhelitu temperato ingressus, ac paulatim progrediens, sæpiusque subsistens, sonum aure captabat. Tãdem per cæcæ noctis horrorem procul lumen intuitus, dum auidus properat, offenso in lapidem pede, strepitum concitauit. Post cuius sonitum B. Paulus ostium quod patebat, occludens sera obfirmauit. Tunc verò Antonius præ foribus corruens vsq; ad sextam & eo amplius horam aditum precabatur, dicens: Scio me non mereri conspectum tuum; tamen nisi videro, non recedam. Quod si non impetro, hîc moriar ante postes tuos: certè sepelies vel meum cadauer. Talia perstabat memorans, cùm tandem Paulus patefacit ingressum. Quo aperto, dum in mutuos miscentur amplexus, propriis se salutauère nominibus: gratiæ Domino in commune referuntur: & post sanctum osculum residens Paulus cum Antonio, ita exorsus est: En quem tanto labore quæsisti. En vides hominem puluerem mox futurum. An supersint aliqui, qui dæmonum errore capiantur? Inter quas sermocinationes suspiciunt alitem coruum in ramo arboris consedisse, qui inde leniter subuolans, integrum panem ante

Inuenitur sanctus Paulus à S. Antonio.

Coruus adfert panem.

ante mirantium ora depoſuit. Poſt cuius abſeſſum, Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium miſit verè pius, verè miſericors. Sexaginta iam anni ſunt quòd accipio dimidij ſemper panis fragmentum: verùm ad aduentum tuum militibus ſuis Chriſtus duplicauit annonam.

Certant inuicem ſtudio humilitatis.

IGITVR, Domino gratiarũ actione celebrata, ſuper marginem fontis vterque conſedit. Hîc verò quis frangeret panem oborta contentio penè diem duxit in veſperum. Paulus more cogebat hoſpitij: Antonius iure refellebat ætatis. Tandem conſilium fuit, vt apprehenſo è regione pane, dum ad ſe quiſque nititur, pars ſua cuique remaneret in manibus. Dehinc paululum aquæ in fonte libauerunt prono ore, & immolantes Deo ſacrificium laudis, noctem tranſegere vigiliis. Poſt quod, cum iam eſſet terræ redditus dies, B. Paulus ad Antonium ſic locutus eſt: Olim te, frater, iſtis regionibus habitare ſciebam, olim te conſeruum mihi promiſerat Deus. Sed quia iam dormitionis meæ tempus aduenit, tu miſſus es à Domino, qui humo corpuſculum meum tegas. Quamobrem, quæſo, perge, niſi moleſtum eſt, & pallium quod tibi Athanaſius Epiſcopus dedit, ad inuoluendum corpuſculum meum defer. Hoc autem B. Paulus rogauit, non quòd magnopere curaret vtrum tectum putreſceret cadauer, an nudum (quippe qui tanto temporis ſpatio contextis palmarum folijs veſtiebatur) ſed vt à ſe recœdẽti mœror ſuæ mortis leuaretur. Stupefactus ergo Antonius quod de Athanaſio & pallio eius audierat, quaſi Chriſtum in Paulo videns, & vltra reſpondere nihil auſus, cum ſilentio lacrymans, exoſculatis eius oculis manibuſque ad monaſterium quod poſtea à Saracenis occupatum eſt, regrediebatur, quò & tandem fatigatus & anhelans confecto itinere peruenit.

Prædicit ſanctus Paulus de ſuo obitu.

Dicit S. Antonius ſe indignum hactenus nomine monachi.

Eccle. 3.

CVI cùm duo diſcipuli occurriſſent, dicentes, Vbi tamdiu moratus es Pater? reſpondit, Væ mihi peccatori, qui falsè monachi nomen fero. Et ſic ore compreſſo, & manu verberãs pectus, ex cellũla pallium protulit. Rogantibus autem diſcipulis, vt pleniùs quidnam rei eſſet, exponeret, ait: Tempus tacendi & tempus loquendi, ſicq́ue egreſſus foras, & ne modicum quidem cibi ſumẽs, per viam qua venerat, regreſſus eſt: timebat enim, quod euenit, nè, ſe abſente, Chriſto debitũ ſpiritum redderet. Etenim cùm iam dies alia illuxiſſet, ecce videt inter Angelorũ cateruas, in Prophetarum & Apoſtolorum choros niueo Paulum cãdore fulgentem in ſublime conſcendere. Vnde & ſtatim in faciẽ ſuã procidens, ſabulum capiti ſuperiacebat, plorãſq́ue aiebat: Cur me

Videt Antonius Paulum in cælum cõſcendere.

me Paule dimittis? cur insalutatus abis? Tam tardè notus, tam citò recedis? Referebat posteà B. Antonius, tanta se velocitate, quod reliquũ erat viæ cucurrisse, vt instar auis peruolasset: Nec immeritò. Nam introgressus speluncam, vidit genibus complicatis, erecta ceruice, extensisque in altũ manibus corpus exanime. Ac primùm & ipse adhuc viuere eum credens, pariter orabat. Postquam verò nulla, vti solebat, suspiria precantis audiuit, in flebile osculum ruens, intellexit quòd etiam cadauer Sancti, Deum cui omnia viuunt, officioso gestu precabatur.

IGITVR obuoluto & prolato foras corpore, hymnos quoq. & Psalmos de Christiana traditione decãtat. Contristatur autẽ quod sarculum quo terrã foderet, nõ haberet, fluctuãs propterea vario mentis æstu. Et en miraculum. Duo leones ex interioris eremi parte currẽtes, directo cursu ad cadauer beati senis substiterunt, adulãtibusque caudis circa eius pedes accubuêre, fremitu ingenti rugientes, prorsus vt intelligeret eos plangere quomodo poterant. Deinde haud procul cœperũt humum pedibus scalpere, arenamque certatim egerentes, vnius hominis capacẽ foderunt locum, ac statim quasi mercedem pro opere postulantes, cum motu auriũ, ceruice deiecta ad Antonium perrexerũt, manus eius pedesque lingentes, cùm ille quasi ad eos, Domine, aiebat, sine cuius nutu nec folium arboris defluit, da illis sicut tu scis. Et manu annuens eis vt abirent, imperauit. Qui cùm recessissent, sancti corporis oneri seniles curuauit humeros, & deposito eo in fossam, desuper humum congregans, tumulum ex more composuit. Post quod cum alia dies illuxit, ne quid pius hæres ex intestati bonis non possideret, tunicam eius sibi vendicauit, quam in sportarum modum de palmæ foliis ipse sibi contexuerat, ac sic ad monasterium est reuersus, cuncta discipulis ex ordine replicans, tunica Pauli deinde semper vestitus diebus solennibus Paschæ & Pentecostes.

En Psalmos etiam tũc dicit solitos sup defunctis.

Fit fossa sepeliendo Paulo ministerio leonum.

Sepelit eum S. Antonius.

Pauli tunica in sportarum modum contexta, vtitur Antonius tãtum in Pascha & Pentecoste.

VITA S. SALVII EPISCOPI
Ambianensis, ex Ioanne Maldonato Hispano.

XI. IANVARII.

SALVIVS quanquam iuuenis mundi se fluctibus immersit, nullis tamen vitiis, vt assolet illa ætas corruptus est. Increbescente iam virtutis in dies sanctimoniæque indole *, relicto prophano habitu, monachorum institutum complexus est. Fuit quidem

* *Significatione.*

quidem solitudinis tam studiosus, tam seuerissimus Anachoretarum legum ac disciplinæ obseruator: vt abbate mortuo, cunctorum suffragio sit abbas ipse renuntiatus. Verumenimuerò quamuis omnes honore præcellebat, omnibus tamen se ducens inferiorem, vltimam longèque remotam cellam delegit: vt sine interpellatoribus precationibus ac lectioni quandoque vacaret. Non valuit tamen diu ferre munus negotiosum, in quo sibi non liceret esse solo: quare salutatis fratribus, abbatia se abdicauit. Semotus à negotiis, quodam die febricitare cœpit, fessósque anhelitus trahere, cùm magna subito coorta luce, cellula contremuit: & vir pius tensis in cælum manibus expirauit. Concurrunt monachi: mater ipsius aduolat: corpus lauant: feretróque imponunt. Et ecce vitæ repentè redditus, admiranda de felicium vita prædicabat: in has se dolens tenebras remissum. Post hæc tam frequens fuit miraculis, vt Episcopo Ambianensi defuncto, inuitus & omni nisu subterfugiens, in locum eius subrogatus sit. In qua quidem functione, ita piè vixit, sic boni pastoris omnes sapienter partes egit, vt felicissima morte post annos aliquot iterum ad cœlos remigrarit. Sunt quidam nõ incelebres autores, qui Saluium à Vinegando nobili adolescente ob auaritiam martyrio Valentianis affectum, affirment, quibus non est prorsus abroganda fides.

Moritur, & vit repente redditur, Episcopus factus.

VITA SS. SATYRI ET ARCADII

Martyrum, ex Georg. Vicelio.

XII. IANVARII.

VTERQVE Christi Iesu Martyr, & propter vetus Ecclesię Euangelium à sacrilegis ac feralibus Tyrannorũ manibus occisus. Illud scilicet peccarat Satyrus, Idolum falsi cuiusdam Dei, cũ exufflasset fide crucifixi Iesu, accidit, vt in puluerẽ redigeretur. O Deũ nullũ, inquit, ô Deũ, qui hominis flatu disperit! Idẽ ferè proditũ est de Felice presbytero & martyre: nã ad hui⁹ quoque exufflationem Serapidis, Mercurij, & Dianæ simulacra corruentia in nihilum, vnde erant, redierunt. Quod summum miraculũ, summũ suppliciũ sequitur. De Arcadio scribitur, quòd tot supplicia pertulerit quot suo ĩ corpore mẽbra habuerit. Declinãs persecutionem, in persecutionem fugiendo maximã incidit. Sed vbi venit hora, nihilò fortiùs in confessione sancti Euangelij perstitit, ad sanguinem vsque, in quo mutilato corpore sese volutabat, dum emitteret extremum spiritum.

Virtute Martyrũ simulacra falsorũ Deorum corruunt.

Arcadij quãta supplicia.

VITA

VITA S. HILARII EPISCOPI PICTAnorum, Scriptoris Ecclesiæ ex ea quæ est per Fortunatum.

XIII. IANVARII.

BEATVS Hilarius Pictauorum vrbis Episcopus, oriundus fuit partibus regionis Aquitanicæ, apud Gallicanas familias nobilitatis lampade non obscurus. Cuius à cunabulis tantæ sapientię primitiua lactabatur infantia, vt iam tũc potuisset intelligi, Christum sibi iussisse suum militem propagari. Denique coniugem habens & filiam, ita tamen plenitudine Domini venerabiles annos Ecclesiasticæ Regulæ tradidit informandos, vt adhuc in laici proposito constitutus, diuino nutu Põtificis gratiam possideret. Nam quod inter mortales adhuc valde videtur difficile, tam cautum esse quenquam, qui se à Iudæis vel hæreticis cibo suspẽdat; adeò vir sanctissimus hostes Catholicæ Religionis abhorruit, vt non dicam conuiuium, sed neque salutatio fuerit cum his prætereunti communis. Omnes tamen de pię Religionis opere cõmonebat. Quo cognito de S. Hilario, quoniã tantum lumẽ latere non potuit, concordante fauore populi, aut potius Dei spiritu proclamante, sacris altaribus sacerdos electus est. Crescebat in eo quotidie opinio famulatrix virtutum. Nec erat fama eius contenta circumiectas illustrare Gallias; exteras etiam nationes & regiones implebat, meritorum gratia præcurrente; idque actum est, vt in toto orbe velociter beati Pontificis gloria militaret.

S. Hilarij natales.

Etiam coniugatus viuit sanctissime.

Eligitur in Episcopum.

IGITVR Constantij Imperatoris tempore, cùm Arriana hæresis iterum pullularet, tunc sanctissimus quasi signifer belligerator per medias acies inter hæreticos gladios se ingerebat, nihil de sua morte formidãs; illud solum metuebat, ne pręiudicium Religioni illatum præualeret. Hinc à Valente & Vrsacio Episcopis, qui praua credulitate Ecclesiam Dei turbare insistebant, Imperatori persuasum est, vt virum eruditissimũ, de quo loquimur, & Dionysium Mediolanensem, & Eusebium Vercellensem, exilio condemnaret. Nihil enim poterat ante insuperabilem S. Hilarij facundiam obtinere. Itaque in Phrygiam Asiæ regionem missus exilio, ad augmẽtum virtutis gratias egit. Sed interea cũ toto orbe Arrianæ hęresis peruersitas pullularet, dato generaliter Imperatoris Edicto iussum est, vt omnes Oriẽtales Episcopi apud Seleuciam Isauriæ oppidum cõuenirent, disceptaturi scilicet quid sentirent de fidei veritate. Tunc inter reli-

Mittitur cũ aliis à Cõstãtio Arriano in exilium.

quos quarto iam exilij anno de Phrygia & S. Hilarius in prædi-
cto loco, data sibi pergendi euectione, ad Synodum venire compellitur. In quo itinere cùm cuiusdam castelli templum Dominico die esset ingressus, Florentia quædam puella gentilis irrumpens, multitudinem voce magna seruum Dei illuc aduenisse testata est, & ad pedes eius accurrens, non cessauit, nisi signum crucis ab ipso sibi fideliter impetrasset. Quam Florentiam Pater secutus, & cuncta familia in nomine Domini meruerunt pariter baptizari, quæ etiam Florentia relictis parentibus, vestigiis eius inhærens vsque Pictauos perducta est. Sed hoc obiter.

Proditur eius sanctitas.

Venit ad Synodum Seleucensem.

CVM Seleuciam peruenisset vir sanctus, magno fauore à cunctis exceptus est. Hinc, post examinationẽ, agnitis hostibus & oppressis, Decretis in scripto conditis, prospera gerens Synodi ad Imperatorem dirigitur legatio, cum qua & perrexit S. Hilarius, quamuis ei non fuisset iniunctum, metuens ne adhuc contra religionis dogmata respitaret damnata perfidia. Differere longum est, qualiter etiam in Ariminensi Synodo, composita mentione, aliud ex alio referens fraus hæretica serpẽtino lapsu subrepserit, & quomodo postea Legatis Seleucensibus per Imperatoris impietatem ipsa est illata calumnia. Quod Athleta Christi beatus Hilarius agnoscens, grauiter dolet: Imperatori autem tribus libellis oblatis, preces effudit, vt in eius conspectu collectis aduersariis esset ei contra hæreticos disceptãdi de Religione licentia, ne veritatem falsitas obnubilaret, ne Imperator Deo resisteret. Vnde Valens & Vrsatius conscientiæ reatu perterriti, quoniam si daretur facultas certandi, mox se recognoscebant Hilarij eruditione prosterni, solicitant Imperatoris animum iam magna ex parte captiuum, vt ipsum Dei virum ad Gallias redire perurgeret, dicentes, illo præsente, hæretica non posse machinamenta proficere. Quo obtentu ad Gallias compulsus reuertitur, putans amplius se pati exilium, quod illic perturbationem Ecclesiæ relinqueret, termino disceptationis non consecuto.

Offert pro veritate Imperatori tres libros.

Remittitur in Gallias.

O beatum Pontificem, qui in summo discrimine, inimico etiam sibi Iudice, adiit tribunal Imperij: sanctissimam animam etsi gladius persecutoris non abstulit, ipse tamen palmam martyrij non amisit. Hunc ipsum diuino nutu seruatum testificor pro correctione multorum. Nam penè totum mundum graui errore confusum, factis sæpiùs in Gallia Synodis, per Hilarium fuisse ad viam veritatis adductum, confitetur lingua multorum

cui, cùm ad propria regrederetur, ipse etiam B. Martinus æquè meritorum lumine non absconsus, Romam vsque occurrit. Sed quis prosequatur singula? maximè verò quis abundantem rigantis ingenij venam contendat euoluere? Cuius dicta qui legit, non credit dicere, sed tonare. Atque vt in summa dicam, qui dum superstes fuit in hoc seculo, aut scripsit Ecclesiasticæ fidei documenta, aut pugnando calcauit hęretica crimina, aut petenti tribuit miraculorũ suffragia: quę volente Domino vsque in hodiernum diem eius orationibus perseuerant. Sed mea lingua non sufficit singula condignè proferre. Det mihi pius veniam, quia multa præteriui, qui vix pauca conscripsi. Ita beatissimi Hilarij de præsenti seculo vita, Valente & Valentiniano regnantibus, cum gloria migrauit ad Christum, terra plorante, cœlo gaudente.

Occurrit ei S. Martinus.

Nota.

Migrat ad Christum sub Valente & Valentiniano.

VITA S. GODEFRIDI COMITIS

Cappenbergensis, ex ea quæ est apud Surium.

Tomo 7.

XIII. IANVARII.

COMITES nobilissimi Godefridus & Ottho, fundatores cœnobij nostri, à regia feruntur stirpe traxisse originem, quorum auus fuit Comes Hermãnus, cuius manualis aqua cæcum illuminauit. Tãti igitur viri nepos fuit noster Godefridus, vir summa mansuetudine, in militia tamen strenuus. Qui cũ aliquãdo suos videret aliena diripere; Obsecro, inquit, bone Iesu, vt me è medio huius iniquitatis eripias; scio enim in meum redundare caput. Erat autem Comiti Godefrido frater Ottho, ipso iunior: quem Godefridus ad idem induxit sanctitatis propositum, imò & eius coniugem, quamuis initio prorsus renitentem, ita vt sacrum velamen acciperet. Cuius occasione multas postea contumelias ab eius patre Comite Arnesbergio passi sunt, tum ipse beatus Comes, tum Pater Nortbertus, tum reliqui fratres. Obtulit autem Comes Godefridus castrum suum Cappenberg & omnia sua, Deo, ipsis Feriis S. Petronillæ, suadente Patre Nortberto: præterque plura monacharum cœnobia ab ipso constructa, tria monachorum monasteria in Cappenbergo, in * Varbar, & in Eluenstat condidit, in quibus voluit monachis esu carnium interdictum. Multa etiam donauit aliis. Centum & quinque ministros suos cum eorum vxoribus & liberis magnis affectos beneficiis cum aliis egregiis muneribus Monasteriensi donauit Ecclesiæ, præter alia multa quæ

Godefridus ortus ex stirpe regia.

Fastidit militiã terrenam.

Construit plura cœnobia.

* Varlar.

Ecclesiæ Coloniensi, aliisve locis, prout eorum prouisores petiêre, elargitus est.

Crebrò victitat non nisi pane & aqua.

MIRA eius erat abstinentia, ita vt crebrò non nisi pane & aqua victitaret. Qui siue mensæ cum aliis assideret, siue in preces incumberet, siue Dei verbum audiret, ob desiderium æternorum vbertim ab eius oculis manabant riuuli lacrymarum. Studebat in omnibus appetere contemptum sui. Indigna quæque & extrema seruitia nunquam fastidiuit, etiam ad vilissima paratus. Tantũ verò ei charitatis & eleemosynæ studium fuit, vt domum hospitalem suis impendijs construxerit, atque in ea pedes pauperum ipse lauerit, Comitem se appellari molestissimè ferens. Cui cùm Fratres quidam tepidi de relaxando rigore monasticæ disciplinæ suggererent; Non, inquit, fratres, non: qui ingentem fluuium naui transmittere volunt, longè supra illum locũ quem è regione alterius ripæ attingere cupiunt, nauim soluunt; propter impetum scilicet fluminis semper eam secum ad inferiora rapientis. Tanta autem illi inerat facultas & gratia exhortandi, vt Pater Nortbertus de illo gratulabundus diceret: Postquã ego in prædicationis cursu delassatus substitero, Godefridum filium meum loco meo excitabo. Cui vt cum summo Patriarcha non deesset obedientiæ meritum, dictum est ei à Patre Nortberto; Exi de terra tua: ac sic venit ad locum reuera à Domino iuxta nomen suum Præmonstratum, vbi noster Ordo sumpsit exordium. Vbi cum fratre suo Acolythus ordinatus, ambo angelicæ vitæ exemplis plurimos roborabant. Studebant enim humilitate fratres omnes anteuertere, quemadmodum mundi claritudine antecellebant.

Nota insignẽ similitudinẽ contra homines tepidos.

Mittitur ad Præmonstratum.

Cupit dissolui & esse cũ Christo.

PORRO autem vir Dei Godefridus incredibili ad Christũ proficiscẽdi flagrabat desiderio. Cuius preces vt exauditas ostẽderet Deus, cùm annum vnum egisset Præmonstrati, à Nortberto iam Magdeburgensi Archiepiscopo reuocatus est: & ecce cùm pompam mundi & strepitum ægrè ferret, lenta eum pulsauit Dominus ægritudine. Percepta igitur Patris Nortberti benedictione, confert se ad Eluenstadense monasterium, atque interim in dies auctus est morbus. Vnde nõ multo pòst sacro vnctus oleo, pacis osculum præbens fratribus, videns occurrentes sibi nuncios Domini, Idibus Ianuarij spiritum reddidit, anno à Christo nato millesimo centesimo vigesimo sexto, ætatis suæ tricesimo. Impensè autem amabat illum Gerbergis Abbatissa, patrui eius filia; eaque sæpiùs rogauerat eum ab ipsa discedentem, vt vel viuus vel mortuus breui eam rursus inuiseret.

En sacramẽtum extremæ Vnctionis.

Ei

Ei ergo vita functus statim apparuit miro decore conspicuus, & aureo diademate coronatus. Illa verò nesciens eum è vita decessisse, Quid est, inquit, dilectissime Godefride, quod sic ingrederis coronatus? Tum ille; Noueris, ait, me modò tanquam Regis immortalis filium beata immortalitate vestitum. Nunciat illa Cappenbergensibus: post dies decem venit etiam eò Dominus Ottho Comes, felicem fratris sui è vita excessum annuncians; compertumque est planè ea hora eum defunctum, qua apparuerat Abbatissæ Gerberbi. *Apparet post mortem Abbatissæ Gerbergi.*

VITA S. FELICIS MARTIRIS, EX *D. Augustino.*

XIV. IANVARII.

DE hoc diuo Felice S. Augustinus super Psalm. cxxvij. in eum modum scribit: Ergo fratres, Felix martyr & verè felix & nomine & corona, cuius hodie Natalis est contempsit mundum. An fortè quia timebat Dominum, inde erat felix: inde erat beatus, quia vxor eius tanquam vinea fertilis erat in terra, & filij eius circundederunt mensam eius? Omnia ista perfectè habet, sed in corde illius qui hîc describitur, & quia sic ille intellexit, contempsit præsentia, vt acciperet futura. Noueritis autem, fratres, non eum passum mortem, quam alij martyres passi sunt. Confessus est enim, delatus est ad tormenta, alio die inuentum est corpus exanime. Clauserant enim illi carcerem, sed corpori, non spiritu. Quem illic parabant torquere carnifices, absentem inuenerunt, perdiderunt sæuitiam suam, iacebat exanimis sine sensu illis, ne torqueretur, cum sensu apud Deum vt coronaretur. Vnde & iste Felix, fratres, non tantum nomine, sed & præmio vitæ æternæ, si ista dilexit, &c. *Felix, cur ita dictus.*

VITA S. BONITI EPISCOPI *Claromontensis, ex manuscripto Ecclesiæ Claromontensis.*

XV. IANVARII.

VENERABILIS vir Bonitus futurus seculo Bonitatis exẽplar, ex Equestri linea ducẽs. Origine Capitaneã totius Aluerniæ, Claromontẽsis ortus sui priuilegio decorauit, Patre Theodato, matre Siagria genitus sanguinis splẽdore Galliæ Senatoriæ dignitatis prosapia colorauit. Impleto partus tẽpore, *S. Boniti ortus, & institutio prima.*

potiùs in se formam quàm Potentis imaginem exprimebat. Inerat adolescenti proceritas elegantior in statura, decentior aptitudo membrorum in habitu. Sic vtrumque debito fuerat cultu dispositum, nihil vt illi de pulchritudine corporis minueret insufficiens plenitudo. Quibus duobus expectandis in carne, alia duo quædam spiritus germina succedebant, tranquilla simplicitas, & sincera mundities miræ conuenientiæ in iuuene consueta carnem ad spiritum temperatura partium condiebat, lenis ei sermo, sed efficax, & in asserenda veritate constantior, indifferens omnino studium erat ei tam sustinendi patienter iniurias discordantium, quàm discordes ad vnitatem concordiæ reuocandi. Iis artibus, instituerat semetipsum, vitam exercitij honestabat vt cui necdum fuerat sacerdotij sacra promotio; sacerdotalis vitæ præludia non deessent. Administrante Bonito Massiliæ præfecturam, fœlicis memoriæ Auitus Episcopus Germanus eius Pontificatum ornans operibus, virtute complens Aruernorum Ecclesiam paterno moderamine gubernabat, par quidem ferè annos curam gerens prouinciæ, & singulis vnus assistens veritate doctrinæ & exempli veritate suum candelabrum illustrabat, plenus dierum & consummationis iam vitæ subito languore decumbens extremo viuendi spiritu anhelabat. Transmiserat stadij spatium brauium Galliæ recepturus, desiderium vnum erat dissolui & esse cum Christo, verùm Claromontensis Ecclesiæ destitutio & periclitantium desolatio filiorum festinantes ad cœlum morientis præsulis morabantur affectus. Vocat in partem consilij canonicali sanctimoniæ concionem, impendentem articulum suæ dissolutionis exponit, dulce sibi & iucundum esse, si vel morte mediante coronam iustitiæ consequatur, paterni tamen obitus gratia deesse disciplinæ, dissipari ouile Ecclesiæ & oues in diuersa dispergi, nisi pastoris præsidio fulciantur, nauem esse erraticam & vicinam naufragio, nisi rectoris prouidentia dirigatur, currus electissimos in præceps ferri, nisi rectè aurigarum moderamine temperentur, & Ecclesiam sine rectore non stare sed ruere, nec erigi ad profectum, sed labi penitus in ruinam, nisi ante illius obitum prouideatur Ecclesiæ, vaga licentia clericorum diuidetur in partes, & dum in sua quærent schismate suscitato destruent vnitatem. O pietas viris Apostolicis quoque imitanda! Præfert beatus Pontifex commune commodum priuato bono, & naufragantibus filijs pater renuit coronari. Dixit

Auiti Episcopi mors.

miraculum signis & mirabilibus non careret. Æstu nimio tellus aruerat & solis insolita virtute percussa vehementi diruerat siccitate, calor ebulliens infecerat arua squalētia & herbarum virorem vel arborum feruoris intemperies violenta torruerat. Nulla cælo clementia; nulla prorsus aeri moderata temperies, quæ vel humoris guttam, vel stillam pluuiæ terræ superinfunderet sitienti. Bonitus Pontifex motus vel inuidia temporis, vel periculo filiorum, vocatam ad Ecclesiam plebem alloquitur. Ostendit iram Domini, cœlorum indignationem prosequitur, & commune discrimen generali censet oratione pellendum. Niniuitarum indicit ieiunia, vt humilitate & abstinentia propitietur diuinitas, quæ per luxum & insolentiam fuerat irritata. Euestigio sublata cruce proceditur ad Ecclesiam B. Laurentij Martyris, peracta processio, accedit indutus Pontifex ad altare, Missam celebrat, & inter agendum cælestem clementiam impetraturus, totus ferè eliquatur in lacrymis, tanta quippe redundabat in eo, quotiens sacris intererat, gratia lacrymarum, vt summitas amphiboli, quo caput Episcopi tegebatur, suffusa plerumque & madida videretur. Adest oranti propitiata diuinitas, cogitur aër in nubem, & serenitate fugata coëuntium nebularum conglobatione densatur. Sequuta est ea nocte iam grandis exundatio pluuiarum, vt alia die exeundo de Ecclesia aditu intercluso, Bonitus quatuor dies in oratione & ieiunio se continuare gauderet. O virtus cælestibus efferenda præconiis! Bonitus ad arbitrium cæli vtens dum lacrymam exprimit, imbrem deduxit, potenti miraculo dum maxillam fletibus compluit pluuiis terram infundit. Ea fuit consequentia lacrymarum & imbriū, vt patens esset. Boniti lacrymas tēpori vim fecisse, & eduxisse cœlo fluentes cumulos pluuiarum. Apparuit duplex miraculum in eodem facto, dum eximio orationis puncto & aeri serenitatem abstulit, & terræ cōtulit vbertatē. Vsitatū fuerat beato viro vt in Ecclesia sedens non in cathedra celsiori, sed in loco humillimo resideret. Sæpe ita abiectè & contemptibiliter se habebat, vt offenderet in illū quilibet intrans Ecclesiam, nec sciret esse Episcopū, qui facie nō nouisset; denique vir discretus & humilis certa sibi loca distinxerat, in quibus modò despectus & pauper, modò reuerendus & Pontifex apparebat. In domo orationis suæ conditionis memoriā, in loco iudicij præsulatus insignia referebat. Cauebat in primis ne superba ostentatio professionem paupertatis

Per eius preces & ieiunia siccitati accedit pluuia.

Virtutes in eo innumeræ, & vsitatæ.

pertã

familiæ ſuæ nobilitatem. Ad illud meus ſermo feſtinat, qua fide baptiſmum in adoleſcentiæ annis proprio cõcupierit arbitratu, quomodo adhuc catechumenus puerili ſæpè cœtu pauperes iuuans, quicquid habere illa ętas poterat, miſeratione prodigus iã tum efferebat, Clericos ſimul ſemper vt patres honorans. Quæ quò tenderent videns pater, conatur venatibus, ludorumque varietatibus filium occupare. Tendit pater, ſed contendit ex aduerſo fortius filius. Nec longa mora. Iugum Dominicæ ſeruitutis ſuſcipit. Rediguntur ad breues capillos luxuriantes comæ: ceruicis lacteæ decus palliis rigentibus occupatur. Tota hinc parentum perſecutio ſuſcitatur. Sed adſiſtit tyroni ſuo Dominus. Suſcitat enim ei vnum ex germanis in collegium, qui exemplo illius ad conuerſionem vocatus, & ſenior iuniorem ſecutus, in ipſo breui, quo vixit, tempore, ſicut collegio ita etiam virtute illum comitatus eſt.

Pium adoleſcentem fruſtra conatur pater occupare rebus mundanis.

HINC iam inter illos certamina grata; cuius cibus durior, cuius amictus aſperior, quis loqui rarius, quis orare crebriùs poſſet; quis daret promptiùs quod ſibi detraxiſſet; quis libentiùs ſtratum cilicij & ceruical illud conſueti lapidis offerret. Ornabant itaque omnem patriam; horum ſpiritus, illorum corpora, prout quiſque erat indigens. Nullus illic peregrinus non tanquam ad patrimonij ſui iura peruenit. Intereà amor in illos omnium creſcebat, cùm illi quaſi honoris ſui paſſi perſecutionem, ad peregrina contendendi ineunt conſilium. Ne quid tamen iuuenili auſu ab ipſis inceptum putaretur, aſſumunt ſenem perfectæ grauitatis ſanctum Capraſium. Quęritur peregrinationis latebra. Longum eſt recenſere, quem ab illis profectum vnuſquiſque locus traxerit. Illud commemoraſſe ſufficiat, etiam Achaici littoris ſterilitatem ab iis expetitam; vbi & beatiſſimus in Chriſto Venantius eius germanus è vita exceſſit. Hinc iam vobis Honoratum veſtrum Chriſtus reducit. Huius Italia benedici gaudet introitu, hunc Tuſcia veneratur, complectitur, & blandiſſimas per ſacerdotes ſuos innectit moras. Sed Dei prouidentia nobis proſpiciens cuncta diſrumpit. Ecce quem è patria eremi deſideria prouocârant, hunc in eremum huic vrbi propinquam Chriſtus inuitat.

Certat cum fratre de ſtudiis pietatis.

Aggreditur vna cum fratre, & S. Capraſio peregrinari.

Redit in patriam.

VACANTEM itaque Inſulam venenatorum animalium metu in Chriſto ſecurus petit, ſancti Leontij Epiſcopi oblectatus vicinia. Hîc primùm illigatur, diu euitans, Clericatus officio; hîc refugam ſuum ſacerdotalis infula nectit. Sufficiens illic electis Dei Eccleſiæ templum excitatur, apta monachorum

Conſtruitur monaſterium Lirinenſe.

habita-

habitaculis tecta consurgunt, negatæ à seculis aquæ largiter fluunt, in vno ortu suo duo veteris testamenti miracula præ se ferentes, dũ & ex saxo, & in media maris amaritudine profluunt dulces. Hic verò quis dignè efferat, quo modo ille suos instruxerit; quæ terra, quæ natio in monasterio illius, ciues suos non habuit; quam ille barbariẽm non mitigauit? Valentes corpore à desidia semper excutiẽs, feruentes spiritu cogebat ad requiem. O me, me, inquam, ipsum inter alios tali instructore felicem, quem ille reluctantem atque adeò recalcitrantem tandem saltem imbre lacrymarum suarum ad Deum, tandẽ, dico, emolliuit. Festino ad alia: ad illud nimirum, quomodo sacerdotium ipsius actibus & sanctimonia summum, cùm eum tantopere expetistis, etiam summum factũ sit nomine? tum etiam quomodo feliciter hinc excesserit.

Fit Episcopus Arelatensis.

In summa verò ex illo breui quo vobis indultus est tempore, facilè metiri datur, an plus an minus de ipso dixerim. Vidistis enim, dilectissimi, illam solitudinis vigilantiam, illas pietatis lachrymas, illam latitudinem charitatis: de qua quidam Sanctus: Quòd si arbitrio, inquit, hominũ charitas exprimenda esset, Honorati potissimùm vultu pingi debere videretur. Atque sic quidem fuit noster Honoratus in vita. Qui cùm lectulum infirmitatis teneret, ecce quam nobis reliquerit hæreditatem: Hanc, inquit, vobis Honoratus relinquit hæreditatem in supremo halitu constitutus: Nullus nimium mundi huius amore teneatur. Optimum est vt voluntate fastidias, quo te vides necessitate cariturum. Scelus est precium salutis in materiam perditionis assumere, & illo capi quemque quo redimi potest. Et hæc est illa præclara hæreditas: qua nobis fideliter assignata, non diu pòst ad beatam illam transit quietem verè beatus, verè felix. Sed nunc ad te conuertor vno verbo, ô amice Dei, Memento, memento iugiter nostri, profusas ad sepulchrum tuum preces perfer patronus, interpres, fortis assertor, quæ nomina, vos, ô dilectissimi non dubito probatis, pretiosissimi scilicet muneris loco habentes, aliquam de velaminibus illius in feretro iacentis fimbriam decerpsisse.

S. Honoratus vocatus suo tempore ipsa charitas.

Insigne eius testamentum.

Nota pro inuocatione Sanctorum.

VITA

VITA S. FVRSEI CONFESSORIS.

ex ea cuius meminit V. Beda lib. 3. Hist. c. 19.

XVI. IANVARII.

FVIT vir vitæ venerabilis Furſeus nomine, nobilis quidem genere, ſed nobilior fide. Huius viri infantia claris quibuſdam miraculorum præſagiis apparentibus pollebat. Summis etiam ſacerdotibus per diuinam prouidentiam commiſſus, ſacris literis & monaſticis erudiebatur diſciplinis. Bonorum ergo operum gratia plenus, patriam parenteſque relinquens, ſacræ Scripturæ ſtudiis aliquot vacabat annis, inſtructuſque monaſterium in quodam conſtruxit loco, vbi vndique religioſis confluentibus ad eum viris, aliquos etiam parentum ſuorum pia ſolicitudine euocare curauit. Sed mirum, quas hic beatus vir ſubito ægrotans habuerit viſiones, dum teſtimonio omnium qui aderant, veſpertinali hora mortuus ad Gallorum cantus iterum reuiuiſcit, & rurſum, accepta tunc communione ſacri corporis & ſanguinis, & biduo viuens, iterum moritur, ac demum ſecundò redit ad vitam. Horribilia ſunt quæ vidit & audiuit, maximè verò, vt nulla habita perſonarũ acceptione acriter omnes redargueret, atque ad eleemoſynam pœnitentiæque opera admoneret. Demum exſurgens vir ſanctus, conſpicienſque parentum multitudinẽ, vel vicinorum, ſiue etiam Clericorum, grauiter ingemiſcebat, magnitudinem humanæ ſtultitiæ, arduumque & difficilem trāſitum vehementer admirans. Qui egreſſus inde, verbum Dei ſummo ardore prædicabat, ea quæ viderat vel audierat, diligenter omnibus Scotorum populis annuncians.

S. Furſei clarum genus & infantia.

Mortuus ſiue ſpiritu raptus, multa videt horribilia.

ERAT verò in illo incomparabilis gratia, nihil terrenum vſquam petente, bonis amabili, iniquis & peccatoribus terribili, diuinis virtutibus claro. Ex obſeſſis corporibus dæmonia fugabat, & pauperes recreabat. Qui dum vnius anni ſpacio iam Hyberniæ inſulæ populos per doctrinæ ſtudium circuibat, inſtabat dies anniuerſarius, quo viſionem à corpore ſublatus viderat. Memorabat vnius illius diei iter quod ſibi fuerat iniunctũ. Multis denique ſapiẽtibus ac religioſis eũ comitātibus, eadem nocte moleſtia corporali eſt correptus. Et ecce in ſolo tantùm pectuſculo vita palpitante, iterum videt Angelum Domini, ſed vnius diei iter exponentem, ac duodecim annos in opere prædicationis completurum prædicentem. Completi iam erant anni decem, cùm omnibus ſine perſonarum acceptione in ver

Fugit dona omnes.

Seuerè omnibus prædicat, vt pæniteāt.

mentum vitæ assumebant æternæ; ac sic tandem præsentia relinquens ad æterna migrauit regna. Porrò corpus illius ab illustri viro Ercheualdo Patritio retentum causa Ecclesiæ quã sibi magno opere construxerat, in villa, cui Perona vocabulum est, ponitur, Vbi quia ipsius Ecclesiæ dedicatio intra triginta parabatur dies, in quodam loco in porticu interim corpus sanctum summa cum diligentia custoditur, ac post tot dies ita illæsum inuenitur, ac si eadem hora de hac luce fuisset egressus. Reuerēter ergo iuxta morem prope a tare reconditur, ibique annis ferè quatuor demoratur. Constructa verò ad Orientalem partem altaris domuncula, ibi post tot annos immaculatum corpus à reuerendissimis subuectum Episcopis Eligio & Autberto, transfertur sine vlla putredine. Vbi etiam recta fide petentibus merita illius clarescunt diuinis virtutibus.

Corpus eius transfertur Peronam.

Eleuatur à SS. Eligio & Autberto.

DE SS. BERARDO ET SOCIIS, *quinque Martyribus Franciscanis, ex iis quæ sunt apud Surium.*
XVI. IANVARII.

SANCTORVM Martyrum Berardi, Petri, Accursij, Adiuti & Ottonis festiua gaudia nobis, fratres charissimi, celebrātibus, ipsorum quoque ordinē martyrij breuis sermo perstringat. B. Franciscus Minorum Pater cernens se & suos pro aliorum salute vocatos, impiæ etiam Mahometicæ legis obseruatores posse deducere ad lucem fidei cupiebat. Vnde anno à sua côuersione vndecimo, multis cum periculis iter aggressus, vt Sulthani adiret præsentiam, ad Miramilini regnum præsentes destinauit sanctos. Quibus, vt itineris laborem cum obedientiæ merito susciperent, fratrem Vitalem omni sanctitate & discretione, in Prælatum præfecit. Venerant iam in Aragoniam: vbi pater eorum Vitalis diutini languoris morbo præuentus, diuina putans voluntate suum iter impediri, cæteros abire permisit. Itaque nō multo pòst Colimbriam Portugalliæ vrbem deuenerūt, vbi ad Reginam Oracham nomine se cōtulerunt. Apud quam per aliquot dies commorati, ipsius precibus deuotissimis victi, vt vitæ terminum demonstraret suppliciter Dominum rogauerunt; factumque est adeò vt primò martyrij sui ordinem, & deferēdas suas Colimbriam reliquias, ac ab ea honorifice suscipiendas, & post vitæ ipsius exitum reuelarent; quod & rei demonstrauit euentus. Itaque inde recedentes Apostolici viri, Alanquearriam ad Sanctiam Sanctij Regis filiam, Reginam vtique Deo deuotam, peruenerunt; quæ eos secularibus vestibus superinduтos,

Vide hæc plenius in vita S. Francisci.

Veniūt sancti martyres Colimbriam.

Nota: Hispali, quæ nunc Siuilia.

quia aliter nō erat ipsis transeundi facultas, Hispalim, quæ nūc * S.bbilia dicitur, transmisit. Vbi secularibus abiectis indumentis, ad infidelium Mesquitam, vt prædicarent, accesserunt.

* Sibligia.

ET quidem impetu facto, repulsi & verberibus pluribus laniati sunt, sed non tamen ob hoc à cōcepto spiritus feruore defecerunt, quin verò aulam ingressi, fidem Mahometicam damnantes, Christum coram Rege prædicauerunt. Qui in furorem versus, mox eos præcepit decapitari. Sed filius Regis naturali quadam pietate illis compatiens, paterno furore nōnihil compresso, vt maturiùs in his ageretur obtinuit. Vnde Rex, seniorum iam habito cōsilio, vocatos ad se ex squalido carcere, auertere magis nitebatur à Christo, misericordiā pollicens. Cui illi: Vtinam, ô Rex, tui ipsius potiùs miserearis consilio nostro. Age quod malueris; corpora eripere potes, siderea loca animas detinebūt. Tunc Rex eorū immobilem animū cernēs, Marochium cum quibusdam Christianis destinauit. Erat Marochij inter cęteros Dominus Petrus Infans Portugalliæ Regis frater, & Regis Marochiorum ductor exercitus. Qui in sua Fratres recipiēs domo, pio venerabatur affectu. At illi, quod facturi venerāt cogitantes, omni sublato timore, vbicunque collectos Saracenos videbant, Christum prædicabant. Cōtigit autem semel Regem Miramolinum ipsos in legis suæ auctorem conuicia iactantes audire. Itaque nimio furore succensus, iussit cum impetu eos expelli, & ad Christianorū terras, datis à domino Petro Infante comitibus, deduci. Verùm illi martyrij desiderio flagrantes, dimissis in via Comitibus iterum Marochium reuertuntur.

Prædicant coram Rege Mahumetano.

Mittuntur seruandi domino Petro Infanti.

QVO audito, Rex ira vehementer efferbuit, præcepitque vt teterrimo carcere conclusi, fame sitique interficerentur. Stant beati in omnibus firmi & infracti. Mirabile dictu. Cùm per viginti dies fuissent sine aliquo corporali cibo carceribus inclusi, sic inuenti sunt fortes & alacres, vt meritò in stuporem conuerterent se videntes. Iterum ergo ad Christianorum plagas missi sunt; sed secundò, relictis comitibus, Marochium redierunt. Interim contra sibi rebelles Rex exercitum mittit, & dominus Petrus infans secum Fratres adducit. Vbi redeuntes Marochium Saraceni simul & Christiani, per triduum aquam non reperientes, nimio sanè sitis ardore cruciabantur. At Berardus S. Trinitatis cultor, tanto compatiens hominum labori, oratione cum cæteris præuia, breui paxillo terram fodiens, aqua à Domino impetrata, iumentorum sitim exstinguit & hominum. In ipso verò loco nec fons antè visus fuerat,

Relinquuntur in carcere per viginti dies sine cibo.

Impetrāt diuinitus aquā

nec

nec post. Reuersi autem Marochium seruabantur, ne prædicarent. Sed illi quadam sexta Feria in publicum proruperunt: vnde & iussu Regis cuidam Principi, qui aquæ miraculum viderat, decapitandi traditi sunt: quos ille præcepit mancipari carceri. Quò dum ducerentur, varijs sunt opprobrijs & alapis saturati.

Rursum prorumpunt in publicum vt prædicent.

POST triduum verò de carcere tracti nudi,& manibus post terga ligatis,durissimis flagellis afflicti,tandē impio Iudici sunt præsentati.Qui cernens eorum constātiam non mutari,iterum iussit durissimè tādiu virgis & fustibus cædi, donec penè viscera apparerent & ossa. A ministris etiam feruente oleo & aceto vulneribus infusis per totam sequentem noctem super testas volutati sunt. Nocte verò illa custodes magnā de cælo lapsam lucem viderunt,ita vt putarēt eos diuinitus liberari.Sed in carcere adhuc inuētos suis fecit Rex tribunalibus præsētari.Ministri verò illos nudos trahētes,cōtinuis rursum flagris lacerabāt. Occurrit interim illis quidam Princeps Mahometicam suadens fidem, sed Ottho illius persuasionem confutans etiam in contemptum profanæ legis in terram spuit, vnde & ab ipso alapa egregiè est percussus,statim præbēs maxillam alteram.Et quidem iam ad impij Regis conspectum erant adducti, cùm Rex ita orsus est: Estisne vos impij illi qui fidem veram vituperantes,etiam Dei nuncium blasphematis? At illi:O Rex, fidem veram minimè spernimus, tuam autem falsam, & iniquum eius conditorem, omninò abhorremus, pro vera autem & pati & mori parati sumus.Quod audiens Rex,alia tentat via.

Crudelissimè torquentur.

Dei nūcium vocāt impiū Mahometem.

PROMITTIT pecunias & formosarum mulierum quæ aderāt,delicias,si Mahometem recipiant,aut aliàs certè gladio trucidandos.Sed viri Dei immobiles,Sint,inquiunt,tibi mulieres & pecuniæ,nobis autem sit IESVS Christus: Adhibe vincula,ignes,tormenta,mortes:Omnis nobis leuis est pœna cùm de cælesti gloria cogitamus.Et hæc quidem illi,cùm ecce Rex furore insaniēs,arrepto gladio,minister iniquitatis effectus,capita eorum per medium frontis amputauit. Passi autem sunt beati Martyres anno Domini millesimo ducētesimo vigesimo, ante mortem beati Frācisci sexto, decimoseptimo Calēdas Februarias.Quorum reliquiæ multis affectę ludibrijs,obiectę bestiis,in ignem coniectę,sed vbique diuinitus seruatę,ita vt modo flamma se contra eas diuideret, modò proiectum pluries in ignem caput,iterum semper inde exiliret, Christianis tandem sunt venditæ, ac postremò cùm iam claræ esse inciperent mul-

Frustra tentantur blādimentis, ac deinde occiduntur.

Varia miracula circa eorū reliquias.

tis miraculis, præcipuè verò salubri castigatione duorum fornicariorum ad eas accedentium, & in immobilitatem quandam versorum, per iam dictum dominum Infantem, qui & ipse istorum Sanctorum meritis ex illis regionibus diuinitus fuit abire permissus, Colimbriam Portugalliæ sunt delatæ. Vbi Regina Oracha, & populus vniuersus, eas in monasterio S. Crucis Regularium Canonicorum, cum maximis quæ longum foret narrare solenniis sepelierunt vbi multis coruscant miraculis.

Deferuntur Colimbriam.

VITA S. ANTONII ABBATIS,
ex ea quam scripsit B. Athanasius.

XVII. IANVARII.

ANTONIVS nobilibus religiosisque parentibus natus, in Aegypto oriundus fuit. Hic post mortem parentum annorum circiter decē & octo seu viginti, intrauit, vt solebat, Ecclesiam. Accidit verò vt legeretur: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, &c. Quo audito, quasi propter se hęc esset scriptura recitata, ad se Dominicum traxit imperiū. Erat in agello vicino senex quidā vitā solitariam à prima sectatus ætate. Quem æmulatus Antonius etiam ipse in locis paululū à villa remotioribus manebat primò: exinde autem si quem in hoc studio vigilātem cōpererat, procedens quærebat vt apis prudentissima; omnibus ad quos studio discēdi pergebat, obediēs, vnde & proprias hauriebat gratias singulorum, huius continentiam, istius lenitatē, illius vigilantiam, omnibus charus. Sed dùm hæc gereret Antonius, inimicus diabolus impatienter ferens tantas in adolescēte virtutes, veteranis eum aggressus est fraudibus. Et primò quidem immittebat ei memoriam possessionū, generis nobilitatē, & reliqua vitæ remissioris blandimenta, postea autem & per noctes in pulchræ mulieris vertebatur ornatum, nulla omittens figmenta lasciuiæ. Sed hic vltrices gehennæ flammas ingestæ sibi libidini opponebat. Neque tamen securitatem dedit hic vnus triumphus; quocirca etiam magis ac magis subiugabat corpus suum. Meminerat quoque Eliæ Prophetæ dicentis: Viuit Dominus, cui adsto hodie ante ipsum; tanquam quotidie in conspectibus Dei constitutus.

S. Antonius subito cōuersus ex lectione Euangelij.

Tentatur à diabolo recordatione eorū quæ reliquerat.

Nota.

3. Reg. 17.

IGITVR ad sepulchra non longè à villa secessit, vnum de cognitis rogans, vt statutis diebus sibi alimenta deferret. Et cū

in

in vna marmoria supradictus Frater eum clausisset, solus ibidē morabatur. Quare metuens diabolus ne accessu temporis eremum quoque habitari faceret, rursum eum aggreditur, & ita quidem, vt aggregatis satellitibus suis varia eum cæde laceraret, ita vt doloris magnitudo & motum auferret & vocem: Vnde & à Fratre iam dicto cibos deferente semimortuus inde delatus est ad villulæ domum: vnde tamen ad se reuersus referri statim voluit. Relatus ergo iuxta consuetudinem solus iterum permanebat. Et stare quidem propter recentes plagas non poterat, orans verò prostratus, post orationem clara voce dicebat: Ecce ego hîc sum Antonius, non fugio vestra certamina, etiãsi maiora faciatis. Signum crucis, & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est. Quæ eo dicente, bonorum hostis proprio furore se lanians, congregatis canibus suis: Omnia, omnia, ait, arma corripite: sentiat: debet scire quos prouocet. Sonitus igitur repentinus increpuit: Dæmonum se turba effundit, omnem repleuêre locum fantasiis leonum, taurorum, luporum, aspidum, nec non & pardorum atque vrsorum. Et sentiebat quidem asperrimos corporis dolores flagellatus atque confossus Antonius, sed imperterritus durabat mente peruigili. Ad extremum discedentibus dæmonibus, videt per culmen radium lucis: sentit præsentiam Domini. Tum verò Antonius: Vbi eras bone Iesu? vbi eras bone Iesu? vbi eras? Et vox ad eum: Antoni hîc eram, sed exspectabam videre certamen tuum.

Egregiè verberatur a dæmonibus.

Prouocat diabolum nixus virtute crucis.

Post multum certamen tãdem sentit præsentiam Domini.

ERAT autem tunc Antonius annos natus trigintaquinque. Contendit exinde ad montem. Doli auctorē in itinere in phantasmate argentei disci obiurgat: quin & veri auri ingētem massam quasi quoddam vitat incendium. Venit ad montem: & flumine transuadato inuenit castellum desertum. In quo se cōstituēs nouus hospes, obstructo lapidibus introitu, panesque mēsium sex, vt Thebæis mos est, secum recōdens, solitarius perdurabat, nusquam inde procedens, nunquam aliquem suscipiens; intãtum vt cùm bis in anno per tectum desuper panes acciperet, nullum cum deferentibus haberet alloquium. Perdurauit autem sic Antonius annis fermè viginti, donec multis propositum imitari cupientibus, nec non & patientium infinita caterua se conglomerante, iamque penè per vim foribus euulsis, tandem quasi ex aliquo cælesti aditu consecratus apparuit. Erant igitur in monte monasteria tanquam tabernacula plena diuinis choris psallentium, legētium, & orantium; quos omnes paterno moderabatur affectu, in pristinis ipse laboribus perseuerans.

Tēdit ad loca planè deserta.

Sic et per annos viginti.

uerans. Quibus rebus transactis, cùm persecutio impiissima Maximiani furore vesano vastaret Ecclesiam, sanctis Martyribus Alexandriam perd...is, relicto monasterio, secutus est futuras Christi victimas.

Tempore persecutionis animat Martyres ad constantiam.

ET hos quidem magna libertate hortabatur: iudicem autem procedentem suo etiam prouocabat adspectu. Sed Dominus, qui suo gregi parabat magistrum, seruauit Antonium. Iam persecutionis turbo defluxerat, & Antonius ad pristinum monasterium regressus, acrioribus se ieiunijs vigilijsque conficiebat. Plurima interim Dominus per eum mirabilia operabatur, quæ longum est referre. Metuens certè ipse ne signorum copiosa concessio aut suos animos extolleret, aut alios plus de se quàm videbant in ipso cogeret æstimare, ad superiorem Thebaidem pergit, primùm voce facta desuper commonitus: deinde in desertum deductus à Saracenis, qui mercandi gratia ad Ægyptum venire consueuerant. Tribus autem diebus & noctibus itinere confecto, inuenit montem valde excelsum, ad cuius radices fons aquæ dulcis labebatur, & campus erat haud magnus palmulis perpaucis consitus. Hunc ergo Antonius locum quasi à Deo sibi offerretur amplexus, accipiens à comitibus panes, ibi solus remansit, quasi propriam domum agnoscens. Saraceni quoque videntes eius fiduciam, optato per eum transitu, panes eidem deferebant. Fratres quoque, agnito loco, tanquam ad patrem filij solicitè alimenta transmittebant.

Iterum mutat locum.

Colit paruum terræ cespitem, ut pascat aduenientes.

QVIBVS onerosum laborem indici videns Antonius, olus in paruo terræ cespite coluit, vt post asperū iter, aliquo venientes solatio refouerentur. Proh quantas ibi conuersans expertus est luctas, quas omnes Christi gratia vincens, tātarum victoriarum Antonius fratrum precibus vincitur. A monachis enim rogatus, vt eos dignaretur inuisere, vnà cum his profectus, lætātibus de aduentu suo cunctis, quasi xenia de mōte portans spiritalia impartitur alimenta. Laudat veterum studia, hortatur nouorum. Sororem quoque iam vetulam virginem videns, & aliarum puellarum magistram, mira exultatione sustollitur. Exinde, quasi diu abesset ab eremo, rursum festinauit ad mōtē. In cōmune autem præcipiens aiebat: Credite in IESVM fideliter, mentem à cogitationibus sordidis seruate puram. Recordamini gestorum quæ Sancti quique fecerunt, vt exempli memoria animum inuitet ad virtutem. Magnam quoque esse di-

Inuisit suos monachos.

Hortatur legi gesta Sanctorum.

Nota.

cebat

cebat ad virtutem viam, si singuli vel obseruarent quid gererent, vel vniuersas mentium cogitationes fratribus referrent. Nunquam ille aut ira subita concitatus patientiam rupit, aut humilitatem erexit in gloriam. Clericos omnes vsque ad vltimum gradum ante se orare compellens, Episcopis atque Presbyteris, quasi humilitatis discipulus, ad benedicendum se, caput submittebat.

Eius summa humilitas.

QVIN & mentientibus aliquando Arrianis Antonium ita vt se credere, rogatus ab Episcopis & fratribus Alexandriam etiam descendit, ibique Arrianistas publico sermone condemnauit. Quæ tanti viri prædicatio exprimi non potest quantum ad fidem populos roborauerit. Aliquando Philosophi duo gentiles venerunt ad eum, putantes Antonium se posse decipere. Sed valde sapiens ille, etiamsi literas non didicisset, ita per interpretem est ad eos locutus: Quare, inquit, tam longè ad stultum hominem sapientes se vexare voluerunt? illis dicentibus, non esse illum stultum, sed & nimium sapientem; vigilanter respondit: Si ad stultum venistis, superfluus est labor vester; si autem putatis me sapientem esse, estote sicut ego sum, Christiani. Et deinde, Et quid ait, pulchrius est, quid ve honestius, crucem colere, an adulterium, parricidium vel incestum his assignare quos colitis? cùm in altero sit contemptus mortis insigne virtutum, in altero turpis religio obscœnitatis magistra. Erubescite parricidium Iouis & incestum. Quæ Antonio dicente, Philosophi stupore perculsi cum honorifico salutatu ab eo recesserunt. Fuit & hoc in eo viro singulare, vt hominem in extremo mundi limite conditum, & fauor Principum & omnis celebraret aula regalis. Nam & Constantinus Augustus, & eius liberi Constans atque Constantius crebrò ad eum quasi ad patrem missis literis obsecrabant, vt reciprocis eos scriptis exhilararet.

Insigniter ipse duos sapientes.

Honoratur literis ab Imperatore Constantino, & eius liberis.

SED nunc dignũ est commemorare de beati viri fine. Iuxta consuetudinem ad visendos fratres, qui in exteriori mõte erãt, venit: vbi, de sua morte condiscens, ita exorsus est: Vltimam, inquit, filioli, Patris audite sententiam; Cogit conditio naturæ, vt post centenariũ numerum, quem annis quinque supergredior, iá resoluár. Non debet desidia instituto subrepere, sed, tanquam quotidie morituri, animã debetis custodire; ad Meletianos verò schismaticosque ne propè quidem accedere, neque cum Arrianis communione coniungi. Quapropter, aiebat, custodienda

Docet hæreticos & schismaticos omnino esse fugiendos.

E: Traditione. est pia fides in Christo, & Patrum religiosa Traditio, quam ex scripturarum lectione, & crebro meæ paruitatis didicistis admonitu. Quo finito sermone metuens ne, si ibi moreretur, Aegyptio illo etiam circa se laberentur errore sæpiùs à se reprehenso, vt terra eum non absconderent, sed super lectum domi repositum honorarent, celeriter illis valedicens ad amicum virtutis habitaculum repedauit. Vbi post menses paucos, vocatis ad se duobus fratribus, repetitisque quæ suprà, vestibusque suis assignatis, Athanasio melote & pallio, Serapioni melote altera, fratribus cilicino vestimento, extendens paululum pedes, mortem lætus adspexit, seruantibus mandata discipulis; ita vt & corpus operirent humo, & nemo interim vsque in hanc diem præter eos vbi sit conditum nouit.

Lætus adspicit mortē.

VITA S. SVLPITII COGNOMENTO *Pij, Archiepiscopi Bituricensis, ex ea qua est apud Surium.*

XVII. IANVARII.

Nota ætatē Auctoru.

ORTVS est beatus Sulpitius claris parentibus inter ciues penè primarijs, & in castris regijs alitus. Quantum autem eorum relatione didicimus, qui ei ab ipsa pueritia ad nostra vsque tēpora comites vel ministri fuēre, in seculari adhuc habitu positus magnā nauabat operā construendis monasterijs, basilicis à fundamento nouis exædificandis, dirutis verò instaurãdis, ope & auxilio subleuandis miseris; in pauperes conferendis eleemosynis, in vincula coniectis non solùm sermone & exhortatione, verũ etiã sua opera ex carceriũ squalore liberãdis, ipse interim sedulis semper prætcrea ad Deum orationibus & abstinētię laboribus incũbēs. Intereà verò cœpit coruscare signis & miraculis; adeò vt in ipso etiam seculari habitu dæmones fugaret verbo, & ægros suis precibus curaret. Qua eius fama lõgè lateque diffusa, Austregisilus Bituricēsis Antistes obtinuit à Theodorico Principe, vt liceret ipsi sancto Sulpitio docendi in Ecclesia munus deferre: videbat enim doctrinæ gratia multos ad eũ confluere. Annuit autē sine mora Rex, ita vt tonsis capillis in clerum ille transiret. Itaque per gradus ad altiora promotus, etiam Leuiticum est adeptus ministerium: seruiebatque in Ecclesia, & in dies maiori signorum cõpia illustrabatur. Suggerentibus autem quibusdam, Clotarius Rex petijt ab Episcopo, vt pro sua & exercitus sui salute, permitteret virum beatum in ipsius

S. Sulpitius etiam laicus totus est circa construenda monasteria & similia.

Etiam tunc claret miraculis.

Versatur spiritualis Pater in castris Regijs.

ipsius castris Abbatis fungi officio.

CVIVS virtutum floribus, signorumque gemmis, & gratia multiplici, cùm Regis aula egregiè vernaret, accidit vt sacer Episcopus, cuius iã meminimus, feliciter migraret ad Dominũ. Ita vir sanctus, Deo volente, primam obtinuit Aquitaniæ sedẽ. Vidisses ibi sanctum sacerdotem velut lampadem diuinitus accensam, tradere se ieiunijs, & vigilijs propè continuis; adeò vt si naturæ necessitas somnum interdum exigeret, eũ non in molli strato, quo nũnquam vsus est, sed humi substrato cilicio & mattula, parcè captaret. Disseminabat quotidie verbum Dei per omnem regionem, breuique spatio tantum profecit apud populum Iudaica perfidia contaminatum, vt quasi nouam veritatis lucem sibi adspicere viderentur. Vbi cùm multa verbis, plura exemplis & factis doceret, nullum sanè non salutari expiatum lauacro in ea vrbe Iudæum habitare permisit. Iam verò ita cœpit in eo signorum gratia augeri, vt haud secus atque olim Apostoli miraculis coruscaret. Nam cùm paulo suprà diximus, Dæmones eum verbo fugasse, & ægros curauisse precibus, iam Deus hanc in eo gratiam ita cumulauit, vt processu temporis etiam cæcis lumen, mutis loquelam, contractis membrorum vsum, quin & vitam mortuis restituerit, pluraque alia mira effecerit, quæ nimis prolixum sit vniuersa explicare.

IAM ætas in eo ingrauescebat, atque ad decrepitam propendebat senectutem: Iam cernebat omnibus se non posse sufficere, & neque in rerum diuinarum sublimi meditatione, atque sanctæ orationis studijs, vti optabat, iugiter permanere, neque eorum qui quotidie ad nostram Religionem traducebantur, institutioni posse vires adferre necessarias, cùm consultissimum illi fore visum est, vt vni ex primoribus regionis illius Vulfelento nomine, viro iam exactè & accuratè instructo, partem sui demandaret officij, diuinique verbi committeret ministerium. Construxit quoque vir sanctus Ecclesias, monasteria & cellas; innumerabiliumque clericorum ac monachorum Pater effectus est: qui omnes exemplo beati viri ita erant studijs Christianæ philosophiæ dediti, vt nonnulli etiam post triduum demum cibum caperent, quorum studijs Pater sanctus mirificè lætabatur. Aderat iam beatæ consummationis diu optatum tempus: & quamuis graui senecta vires exhaustæ deficerent, attamen propè emortuum corpus ipsum abstinentiæ onus confirmabat & roborabat; quodque natura non potuit, meritorum gratia concessit. Denique plenus iam dierum,

Fit episcopus Bituricensis.

Cubat in cilicio.

Coruscat miraculis instar Apostolorũ.

Ingrauescente ætate adsciscit sibi coadiutorem.

Discipuli eius quidam per integrum triduum ieiunant.

multoque insignium meritorum splendore coruscans, terræ relicto corpore, spiritu sublimes cœlorum petit sedes, sepultus indicibili omnium luctu in basilica quam iam pridem ipse construxerat. Locus à Maioribus dictus est Nauis, ob nauium stationem: vbi varijs morbis præsens adferendo remedium, præsentem se declarat.

Migrat in cœlum.

DE S. SEBASTIANO MARTYRE,

ex nouo Breuiario Romano.

XX. IANVARII.

SEBASTIANVS ex patre Narbonensi, matre Mediolanensi natus, ob generis nobilitatem & virtutem Diocletiano carus fuit. Dux primæ cohortis, Christianos, quorum fidem clam colebat, opera & facultatibus adiuuabat; & qui ex eis tormentorum vim reformidare videbantur, cohortatione sic confirmabat, vt pro Iesu Christo multi se vltrò tortoribus offerrent. In illis fuêre Marcus & Marcellianus fratres; qui Romæ in custodia erant apud Nicostratum. Cuius vxor Zoë vocem, quam amiserat, Sebastiani oratione recuperauit. Quibus Diocletiano delatis, Sebastianum accersit, & vehementius obiurgatum omnibus artificijs à Christi fide conatur auertere. Sed cùm nihil, nec pollicendo, nec terrendo proficeret, ad palum alligatum, sagittis confici iubet. Quem omnium opinione mortuum, noctu sancta mulier Hirene sepeliendi gratia iussit auferri: sed viuum repertum, domi suæ curauit. Itaque paulo pòst, confirmata valetudine, Diocletiano obuiam factus, eius impietatem liberiùs accusauit. Cuius adspectu cùm ille primùm obstupuisset, quòd mortuum crederet, rei nouitate, & acri Sebastiani reprehensione excandescens, eum tamdiu virgis cædi imperauit, donec animam Deo redderet. Eius corpus in cloacam deiectum, Lucina à Sebastiano in somnis admonita, vbi esset, & quo loco humari vellet, ad Catacumbas sepeliuit: vbi sancti Sebastiani nomine celebris Ecclesia est ædificata.

S. Sebastianus Dux primæ cohortis, clam iuuat Christianos.

Accusatur apud Imperatorem.

Conficitur sagittis, vnde tamen adhuc superuiuit.

Virgis cæditur donec exspiret.

VITA S. FABIANI EPISCOPI

& Martyris, ex Georg. Viceli.

XX. IANVARII.

ROMAE ortus, patre Fabio, vir pietati Christianæ deditissimus, quam ob rem Anthero Romano Episcopo (cuiusmodi hodie Papas vocant) vt in pastorali officio succederet, mirabiliter à Deo electus est. Eusebius Cæsarien. in sexto super ista mirabili electione sic scribit: Tradunt Fabianum, Anthero defuncto, cùm de agro reuerteretur vnà cum amicis suis, & vniuersus Ecclesiæ populus pro Episcopo deligendo in vnum coisset, atque alius de alio (vt fieri solet in talibus) conclamaret, nec tamen vulgi sententia certi aliquid obtineret, adstitisse etiam ipsum inter cæteros, scire cupientem, qui rei exitus foret. Et subitò per dei prouidentiam columbam cœlitùs lapsam, figuram ferentem illius, quæ in sancti Spiritus imagine super Iesum descenderat apud Iordanem, supra caput adstitisse Fabiani. Ad quod spectaculum, ora cunctorum oculosque conuersos, & omnes velut vno spiritu commotos, hunc esse Episcopatu dignum, per dei iudicium decreuisse, eumque mox Cathedræ impositum, & legitimo sacerdotio confirmatum, &c. *Quomodo Fabianus in locum Antheri suffectus sit.*

Diuus Hieronymus de S. Fabiano sic reliquit scriptum: De crudelitate autem persecutionis, quæ aduersum Christianos sub Decio consurrexit, eò quòd in religionem Philippi desæuiret, quem & interfecit, superfluum est dicere, cùm etiam Fabianus Rom. Eccles. Episcopus in ipsa occubuerit, & Alexander Babylasque Hyerosolymorum & Antiochenæ Ecclesiæ Pontifices in carcere pro Confessione dormierint. Hactenus ille. Atq; ita habes & vitam & mortem sancti Fabiani ab Eusebio & Hieronymo descriptam. Fuit & alius Fabianus, nempe inter istos xxiiii. Antiochenos Episcopos planè diuinos, successione decimus quintus, de quo etiam apud Eusebium. *Lib. de script. Eccles. cap. 21.*

DE S. AGNETE VIRGINE & Martyre, ex sermone D. Ambrosij.

Est sermo 90.

XXI. IANVARII.

AGNES Romana, virgo nobili genere nata, tredecim annorum, à Præfecti vrbis filio, qui eius amore flagrabat, magnis muneribus tentatur an sibi nubere velit: quæ se præstantiori desponsam respondit, nec adduci posse vt fidem falleret, quam ei dedisset. At ille insana cupiditate stimulatus cùm pretiosiora ei in singulas preces offerret munera, & ingentes *S. Agnetis natales.*

polliceretur diuitias, iis contemptis & irrisis omnibus, virgo, Discede, inquit, à me, pabulum mortis, fomes peccati: nam multò vberiora & præclariora mihi deferens, me nobilior ille prior occupauit sponsus: is anulo dato sibi desponsauit: is collum ac dexteram meam fulgentibus ac sempiternis gemmis ornauit: quem ego & amans casta, & tangens munda, & accipiens virgo sum. Ea repulsa furens Præfecti filius, rem ad Symphronium patrem detulit. Is indignè ferens quenquam filio suo præferri, cùm à suis quæsisset quisnam ille esset cui Agnes se desponsam diceret, intellexit Agnetem à prima ætate Christianam, adeò magicis artibus addictam, vt sponsum suum esse Christum, sibi persuadeat.

Contemnit prorsus sponsum terrenū.

Commonitur à Præfecto de Christiana religione.

QVO audito Præfectus virginē vnà cū parentibus accersit: eāque monet, vt neglecta Christianorum superstitione, honestissimā filij sui conditionē acciperet. Quæ cùm virū & Dominum suū esse Chistū affirmaret, parentes hortatur Prefectus, vt puellam de illa mente deducant. Postridie eius diei ipse vocat Agnetem, & frustrà adhibito omni persuadenti artificio, iubet puellam, si virginitas tantoperè ei placeret, cum virginibus Vestalibus viuere, sin minus, cum scortis vitam agere. Cui illa, Nec diuinū honorem Vestæ, inquit, habere volo, quę nihil aliud est nisi ligneum aut lapideum simulacrum: & si virginitatem meam in discrimen adduxeris, mecum habeo custodem corporis mei Angelum Domini, qui me inuiolatam seruabit. Quibus verbis furore inflammatus Symphronius virginem ad scorta duci iubet. Quò cùm eam violaturus Præfecti filius esset ingressus, vidit ipsam clarissima luce circunfusam: sed nihilominus in insania perseuerans, continuò concidit mortuus. Qui mox reuiuiscens oratione virginis, prodiit in publicum, exclamans templa Deorum esse dæmonum domicilia. Quare idolorum ignominia magnopere commoti Pontifices, Agnetem apud Symphronium magicarum cantionum accusant.

Ducitur ad scorta vt violetur, sed violaturus eam statim concidit mortuus.

Resuscitatio per Agnetem Præfecti filio, causa demādatur Aspasio vicario.

QVI etsi virginem libenter absoluisset, tamen Pontificum calūniam veritus, causæ cognitionem Aspasio vicario dedit. Is in ardētem rogum puellam iniici imperat: quam diuisa in duas partes flamma non attigit: imò verò, orante ipsa, exstinctus est ignis. Quo facto vsqueadeò Aspasius ira concitatus est, vt eam securi percuti iuberet duodecimo Calendas Februarij. Cuius corpus parentes in suo prædio via Nomentana sepelierunt. Quibus ad sepulchrum eius assiduè vigilantibus, quadam nocte beata Agnes choro virginū comitata cùm apparuisset, sic ad eos

Apparet beata Agnes post mortem.

locu,

locuta dicitur: Ne me parentes mortuam lugeatis: nam vnà cum his virginibus viuo apud illum in cælis, quem in terris tota mente dilexi. Cæterùm cùm aliquot post annos Constantia Constantini Imperatoris filia, insanabili vlceri medicinam quærens, nondum Christiana ad idem sepulchrum accessisset, obdormiscens sibi audire visa est vocem hanc Agnetis, Constanter age Constantia: crede in Iesum Christum filium Dei: qui te sanam faciet, Quæ sanata paulo pòst vnà cum multis ex familia Imperatoris baptismum suscipiens, ibi Ecclesiam nomine beatæ Agnetis ædificauit.

Sanatur ad sepulchrum eius filia Constantini.

DE S. VINCENTIO MARTYRE, *ex nouo Breuiario Romano.*

XXII. IANVARII.

VINCENTIVS Entichij Enolæ filius, Oschæ in Hispania citeriore natus, à prima ætate studiis deditus, sacras literas à Valerio Cæsaraugustano Episcopo didicit: cuius etiam partes suscepit prædicandi Euangelium, quòd Episcopus, propter linguæ impedimentum prædicationis officio fungi non poterat. Ea re ad Dacianum prouinciæ à Diocletiano & Maximiano præpositum delata, Vincentius Cesaraugustæ comprehenditur, & vinctus ad Dacianum Valentiam adducitur. Vbi verberibus & equuleo tortus, multis præsentibus, cùm nulla aut tormentorum vi, aut acerbitate, vel lenitate verborum à proposito deterreri posset, iterum ducitur in carcerem stratum testaceis fragmentis, vt eius nudum corpus somno oppressum, à subiectis etiam testarum aculeis torqueretur. Verùm illo in tenebricosa incluso custodia, clarissimus splendor obortus totum carcerem illustrauit.

S. Vincentius prædicat Euangelium pro Episcopo qui erat impedita lingua.

Incluso in carcerem clarissima oboritur lux.

QVAE lux cùm summa admiratione omnes qui aderant adfecisset, res à custode carceris ad Dacianum defertur: qui eductum in molli culcitra collocat, & quem cruciatibus in suam sententiam trahere nõ poterat, deliciis perducere conatur. Sed inuictus Vincentij animus, Iesu Christi fide speque munitus, vicit omnia. Itaque in craticula impositus, prunis ardentibus suppositus, & ferreis vnguibus excarnificatus, candentibusque laminis exustus, ignis, ferri, tortorum immanitate superata, victor ad cælestem martyrij coronam aduolauit, vndecimo Calẽdas Februarij. Cuius corpus cùm proiectum esset inhumatum, coruus & à volucribus, & à lupo, vnguibus, rostro

Torquetur tormentis horribilibus.

Coruus defen-

dit eius ſacrũ corpus, & a aliis vestiat. roſtro, alis, mirabiliter defendit. Qua re cognita Dacianus illud in altum mare demergi iubet: ſed inde etiam diuinitus eiectum ad littus, Chriſtiani ſepeliunt.

VITA S. EPIPHANII EPISCOPI TIcinenſis, ex ea quæ eſt, a eius ſucceſſore B. Ennodium.

XXII. IANVARII.

VITAM beati Epiphanij Ticinenſis Antiſtitis narraturus, inuoco Spiritum ſanctum teſtem actuũ eius & comitem. Igitur vir inſignis Epiphanius cæleſtis militiæ tyrocinium ſortitus, lectoris eccleſiaſtici ſuſcepit officium, ſigno antè cælitus demonſtrato. Nam dum eſſet in crepundiis lactentis infantiæ, fulſiſſe eius cunabula vidêre quàm plurimi. Cuncta cõſilia in annis puerilibus meditabatur, nulli ſe præferens, cùm tamẽ religioſo curſu per cæleſtem viam tem omnib⁹ anteiret. Talis iam ad octauum decimum ætatis ſuæ peruenit annum, in quo in ſecundo à Leuitis numero dedicatus, ſenũ cœtibus peradiunctus eſt. Stupuêre quamplurimi, ſed qui mores illius cum ætatis immaturitate iungebant. At ille venerabilis Criſpinus Epiſcopus ſic eum mulcebat ſenſibus, vt morderet obtutum, & ſub ſpecie frontis rigidæ, clandeſtinum circa diſcipulum nutriebat affectum. Iam in illo Subdiaconi ordine nihil amplius quàm biennio erat commoratus, cùm meritorum ſuorum ſaltibus euectus exiliuit ad Leuiticam dignitatem, atque interea ſupradictus Antiſtes omnem Eccleſiaſticæ conuerſationis ſubſtantiam, & diuitias pauperum ſuorum, in eius poteſtate committit.

Mira S. Epiphanij infantia.

Ordinatur Subdiaconus.

Fit Leuita, & committitur ei cura pauperum.

CONSTITVERAT in eo domum ſuam caſtitas, & continentia radices fixerat in profundis. Virum ſe eſſe niſi per patientiam laboris ignorabat, carnem habere, niſi cùm moriturum ſe meminerat, neſciebat. Vtebatur lectione pro requie, librorum venerabilium pro inſtrumentis blandimenta ſuſcipiens. Poſtremò quod libri docuiſſent, vita ſignabatur. Domum taliter regebat Eccleſiæ, vt nec profuſione immoderata commiſſam pecuniam exhauriret, nec odia, ſordium pietate contraheret, quin & poſtquam inualida ſenectus venerabilem Criſpinum occupaſſet, iſtius ſuſtentabatur manibus, cuius miniſterio quidquid optaſſet fieri, ante iuſſionem videbat impletũ: præſentiunt enim bonæ mentes eorum deſideria, quibus cum integritate famulantur. Sed & aliquantis diebus emenſis, morbo regio idem perfuſus, lucem

Venerabiliter ſeguit ſuo Epiſcopo.

ſeculi

ſeculi noſtri ſuperna habitatione commutauit. Tum verò extemplo, bonorum omnium in beatum Epiphanium conſenſus adducitur: rapitur à lamentatione funebri in gaudium populi conſecrandus Antiſtes. Mox per vniuerſum etiam mundum ſanctam illius conuerſationem illa, quæ licet in glo iosis tardior ſolet eſſe, fama non tacuit. Ad aures Recimeris, qui tunc ſecundus ab Anthemio principe habitus, Rempub. gubernabat, eum detulit Nutabat ſtatus periclitantis Italiæ, & affligebatur ipſis diſcriminibus grauiùs, dum exſpectat futura diſcrimina. Mulcetur Recimer, & velle ſe reparare concordiam, permotus multorum fletibus, pollicetur. *Epiſcopus factus, mox fit celeberrimus.*

ROGATVR ſuſcipere pro eo ad Anthemium legationis pondus Ticinenſis vrbis Epiſcopus beatus Epiphanius. Nec opus eſt hîc vti multis verbis. Quo pacto beatus vir legationem illam obierit, colligi facilè poteſt ex poſtremis verbis Anthemij, quibus ita eum eſt allocutus: Etſi inquiens, ſolitæ calliditatis Recimeris aſtutia etiam te fefellerit, me tamen, ſtatumque Reip. tuis committo & commendo manibus? & gratiam quam ſupplicanti & profuſo per ſe Recimeri negare diſpoſueram, per te primus exhibeo. O admirandum Epiphanium! De Tholoſanis partibus aliquando regrediens, ſingula ſanctarum habitationum loca viſitabat, vnde ſingulos vitæ floſculos decerpſit ex omnibus. Ipſe etiam, cùm ſumma dæmonum turba de obſeſſis cœpiſſent clamare corporibus, flagris ſe & cruciatibus nimiis, vt fugiant, ſacerdote Epiphanio imperante, compelli, modica cum fletu oratione profuſa, ad extima terrarum confinia eos tranſmittebat, ac diuerſis vocibus eiulantes, meritorum ſuorum vrgebat imperio. Cuius cæleſtis anima cùm cerneret maturiùs ſe ad purum ætheris euolare fulgorem, hymnis & canticis reſonans ad ſedem ſuam remeauit, cæleſti lumine ac decore vſque in tertium diem circa ſanctas eius reliquias cunctis apparente. *Mittitur legatus ad Anthemium.* *Nota.* *Potentiſſimè fugat dæmones.*

VITA S. IOANNIS ELEEMOSYNARII
Archiepiſcopi Alexandrini, ex ea quæ eſt apud Surium.

XXIII. IANVARII.

BONORVM virorum memoriam tradere poſteris, conciliat ſanè magnam vtilitatem. Quarum vna eſt ea quoque vita quæ nunc eſt nobis propoſita ad narrandum, boni, inquam Ioannis, cuius actioni nomen eſt conueniens. Vocatur enim

Quid eleemō siue eleemosynarius.

enim eleemon, id est, misericors, propter magnam suam ad hoc propensionem. Quem tulit quidem insula Cyprus, patre Epiphanio viro illustri, vt cui committeretur illius insulæ rectio, postea autem Alexandrina sortita est Pontificem & patronum. Sed veniamus ad narrationem. Cum rectè educatus Ioannes peruenisset ad mensuram ætatis, vel inuitus à parentibus vxori iungitur matrimonio. Cum qua habitare postquam admisisset, vt parentibus obediret, auersatus tamen est coniunctionem, continentiam amplexus etiam in matrimonio. Sed magna soceri importunitas coëgit tamen rursum magnum Ioannem cedere legibus. Ex quo efficitur quidem pater liberorum, patrem autem vocari citò ei est ablatum, immatura morte ei præreptis filiis. Postquam autem cum ramis radix quoque concidit, & ablata est ei vitæ socia, propter omnia quidem agit gratias grata & memor anima Deo, qui dederat & abstulerat, eam autem rem efficit materiam virtutis; & cùm illorum priuationem reputasset esse curarum depositionem, Deo perpetuò ita assidebat, vt diuelli non posset, & ad Christi portam assiduè pulsanti ei aperiuntur viscera diuinæ benignitatis.

Ducit S. Ioānes vxorem.

Mortuis vxore & liberis, totus deinde astdet Deo. Profusissimus est in pauperes.

ITAQVE ipse quoque illa imitans pro viribus, aperit viscera & portas omnes, & manum indigentibus non misericordiæ aliquas guttas præbens, sed ambabus manibus opes effundens inopibus. Hinc euadit omnibus manifestus. Heraclius autem tunc sceptra tenebat Romanorum. Quamobrem cùm ciuitas Alexandrina tunc esset orbata Patriarcha, ad hunc virum toto contendit desiderio; & rogat Imperatorem, vt ab eo pasceretur eorum Ecclesia. Et ille quidem magnum illum accersit protinus; iste autem strenuè resistit primùm, succumbit tamen tandem, fitque sedis Marci successor. Quā postquam ascendisset, hoc antè alia omnia contendit, vt renouaret Marci prędicationem & fidem Patrum. Nam cùm Petrus Cnaphæus blasphemam quandam in diuinitatē additionē hymno ter sancto ausus esset inserere, & ei quod est, Sanctus, immortalis, adiecisset, Qui crucifixus est propter nos: diuinus iste vir, hac blasphemia sublata, impatibilem & immortalem diuinitatem suo dogmate asseruit.

Eligitur Patriarcha Alexandrinus.

Resistit impio Pet. o Cnaphao.

CVM autem inuenisset septē sola Orthodoxorum oratoria, ea efficit decies plura, vt qui ea septuaginta constituerit. Deindè omne confecit studiū, vt qui capti fuerant omne genus hæresibus, conuerterentur ad pietatem, fuitque zelus eius vehemētissimus in ordinationibus, vt eæ quidem puræ essent à lucris & muneribus; nulla autem earum fieret citra examinationē. Præterea

quibus fiebat injuria, & ne Iudices gratificando personis ius proderent. Quod autem erat ei maximum & maximè proprium, erat misericordia in pauperes, & in curandis indigentibus insatiabilitas, & procliuitas quæ non poterat comprimi, & nihil omninò parcere pecuniis, adeò vt etiam sæpè ad fundum ipsum perueniret, sic tamen, vt Deus semper rursum prouideret, aliquando quidem miraculo, aliquando autem alia inopinata via. Exstruxit xenodochia & nosocomia & ptochotrophia, eis frumentum attribuens quotidianum. Pauperes vocabat suos dominos, vt qui soli ipsi (vt aiebat) opem ferre possent, ne à Christi regno excideret. Quos, vt Pontifex factus, iussisset per totam ciuitatem describi, intellexit omnes qui numerati fuerant, efficere septem millia & quingentos, & iussit vnicuique eorum dari sumptum diurnum. Post hæc autem suũ conuertit studium ad hoc, vt justis ponderibus & mensuris vterentur qui vendebant in ciuitate: quod quidem pulchrè fecit iustus, publicè præscriptis Edictis.

Largienti egenu, nunquam deest quod largiatur.

Pascit pauperes ad septem millia quingentos.

PORRO verò hoc quoque ab illo factum est, qui, vt diximus, magnam curam gerebat eorum quibus fiebat iniuria. Cùm accepisset, multos ad eum accessuros, & de iis quæ illis factæ fuerant iniuriis supplicaturos, ab iis qui ipsum sequebantur, arceri, duobus hebdomadæ constitutis diebus, quarto, inquam, die, & die Parasceues sedens in templi porticibus se cuilibet volenti præbebat adeundum, nonnullos ex iis qui erant virtute insignes, habens secum considentes. Quibus sæpè dictitabat illud dignum quod scriptis & memoriæ mandetur: Si nobis, dicens, qui sumus homines, licet omninò ad Deum, qui summus est, accedere absque vllo intercessore, & de quibus volumus eum rogare; quomodo nõ ipsi nostris conseruis portas aperuerimus absque vllo impedimẽto, & cuilibet, cui opus est, benignam aurem præbuerimus? Scimus enim qua mensura mensi fuerimus, eadem nos esse remetiendos. Præter alia autem bona, in sacrarum quoque Scripturarum cognitione summè laborabat, & plurimum meditabatur. Hoc autem propterea maximè quòd tunc abundaret multitudo hæreticorum; ad quos euertendos adsciuerat eos qui illis temporibus erant excellentissimi, Ioannem, inquam, & Sophronium.

Duobus diebus hebdomadarum patet omnibus liberrimus ad eum accessus.

Matth. 7.

AD HAEC erat ei etiam studio consessum conseruare, nulli detractioni affinem, & nullo vano sermoni. Quòd si quis ex iis qui considebant, tale quid proposuisset, ille ingeniosè & aptè id repellebat, iniiciens bonam aliquam quæstionẽ & ani-

Odit detractionem.

mæ vtilem. Si is autem esset crassus & plebeius, & qui non recedebat ab iis quæ sunt consueta, præsentem quidem non malè tractabat, nec se iracundè & asperè in eum gerebat, præcipiebat verò, ne eum sinerent amplius esse è cõsilio, vt per eum vnum fierent alij cautiores. Vt autem mortis memoriam suæ cogitationi profundè imprimeret, iussit sibi monumentum extrui, non tamen finem imponi; vt semper moneri posset ab his qui erant ipsi operi præfecti, sicque meminisset simul se moriturum. Maximè etiam illi erat curæ accedere ad ægrotorum visitationem & eorum sepulturam. Sæpè autem etiam assidebat eis qui emittebant animam, & eorum oculos suis tegebat manibus. Iubebat synaxes quoque celebrare pro iis qui dormierant; asserens defunctis multum prodesse quæ pro eis fiunt commemorationes & sacra ministeria. Suadebat quoque omnibus non esse promptos ad condemnationem, sæpè repetens illud: Nolite iudicare ante tempus.

Studiosè curat sibi semper offerri memoriam mortis.

En Missas pro defunctis.

NEQVE verò suadebat solùm; sed eorum etiam, qui diuina præcepta negligunt, volens corrigere socordiam, tale quid fecit, dignum quod mãdetur memoriæ. Cùm enim cognouisset, multos negligentiores post lectionem diuinorum Euangeliorum exire ex Ecclesia, & vanis ac ociosis vacare sermonibus, solenni quodã die, relicto sacrificio, ipse quoque è tẽplo egreditur, & sedet cum vniuersa multitudine. Omnibus autem hoc stupentibus. Non oportet, inquit, admirari: vbi enim sunt oues, illic omninò oportet esse Pastorem; deinde, quod propter vos & vestram vtilitatem celebramus synaxes: atque hoc modò multos correxit. Hic reuera bonus Pastor, diuinus, inquam, Patriarcha, credens principi Pastorum Christo, qui iubet, si persecuti fuerint, ex vna ciuitate fugere in aliam, cùm esset Alexandria tradenda manibus Persarum, diuina prouidentia illinc quidem recedit, peruenit autem in suam patriam Cyprum, in suam ciuitatem Amathuntem. Vbi cùm præsciret iam appropinquare suum ex hoc seculo discessum, iussit Scribis vt scriberent testamentum; quod sic habebat: Quandoquidem ex mundi bonis nihil aliud sit mihi reliquum, nisi tertia pars nummi; hanc ipsam iubeo quoque dari pauperibus, qui sunt mihi fratres in Christo: sicque deponit spiritum in manus Dei viuentis, depositus in æde diuini Tychonis.

Iucundo actu corrigit eos qui negligebant rem diuinam.

Migrat ad Christum.

VITA

VITA S. HILDEPHONSI TOLETANAE vrbis Episcopi, ex ea quæ est per Iulianum Pomerium.

XXIIII. IANVARII.

HILDEPHONSVS memoria sui temporis clarus, & ir- *Nota ætatem auctoris.* riguis eloquentiæ floribus exornatus, sæculo ætatis nostræ nobilissimus Toletanæ ciuitatis adscitus in cathedra Præsul post sanctum Eugenium in sacerdotem consecratur, vir tanta laude dignissimus, quanta & virtutum gratia numerosus. *S. Hildephonsus successor S. Eugenij.* Quippe qui mellifluas dapes de paradiso Dei capiẽs, & per totam Hesperiam dispergens, inediam nostram ingenti eloquio satiauit, non impar meritis Isidori, de cuius fonte adhuc clientulus purissimos latices bibit. Nam directus à sancto Eugenio venerabili Toletanæ sedis Episcopo ad supradictum Doctorem Isidorum Hispalensem Archiepiscopum, cùm sibi iam sciolus videretur, adeò ab eo tentus & elimatus est, &, vt ferunt, aliquo ferro constrictus, vt si quid scientiæ deerat, pleniùs instrueretur. *Eruditur à S. Isidoro Episcopo Hispalensi.* Tandem ergo optimè informatus, ad pædagogum suum dominum Eugenium remeans, non post multos dies Diaconij officium adeptus est. Hic igitur sub rudimẽtis infantiæ adhuc degens, diuino tactus spiritu, monachorum vita delectatus, contemptis parentum rerumque affectibus, *Fit monachus.* Agaliense cœnobium petiit, monachumque se in eo multis annis decenter exhibuit.

COENOBIVM quoque virginum in Deibrensi villa construxit, ac propriis opibus ditauit. Rector deinde vel Abbas effectus Agaliensis cœnobij, monachorum mores exercuit, rem discrepuit, vitamque seruauit. Deinde post multum tempus, decedente sancto Eugenio, regali violentia Toletum deducitur, atque ibidem Pontifex subrogatur; cùm virtus eius enucleata statim in sede Romulea refulsit, & veluti facula ardens omnẽ Hesperiam perlustrauit: Fuit si quidem timoris Dei instantia plenus, patientia singularis, eloquij decore celeber. Scripsit autem quam plurimos libros, id est, librum prosapiæ imbecillitatis propriæ, librum de virginitate beatæ Mariæ contra tres hæreticos; opusculum de proprietate personarum Patris, & Filij, & Spiritus sancti, opusculum annotationum actionis diurnæ, opusculum annotationum in Sacramentis, librum in cognitione Baptismi vnum, librum Epistolarum, Missarum, Hymnorum atque Sermonum. *Eius virtutes & sacra opuscula.* Scripsit & alia multa, quæ variis occupationibus impeditus, alia cœpta, alia semiplena reliquit.

Præsentat solemniter reliquias S. Leochadiæ.

HIC etiam dono afflatus superno, reliquias sanctæ ac Deo dicatæ Virginis & Confessoris Leochadiæ, adueniente Rege in sedem suam regiam ob festiuitatem, omnibus adstantibus præsentauit. Nam ante tumulum Virginis orante Hildephonso in genua prouoluto, tumulus in quo sanctum corpus eius humatum est, exiliuit, & operculum, quod vix triginta iuuenes mouere possent, angelicis manibus fuit eleuatum, quin & velum quod sanctæ Virginis membra tegebat, consurrexit, tanquam illud ipsa viuens foras submitteret. Et quidem alia etiam adhuc miracula Spiritus sanctus per eum peregit, sed ego adhuc vnum tantum insigne narrabo. Superueniente die semper virginis Mariæ, ante tres dies Litanias peregit, & Missam, quæ in eius laudem caneretur, composuit. Porrò vbi ventū est ad eius sanctam solennitatem quæ est Assumptio, tam Regem quàm populum ad hanc gratiam solicitabat. Iam ante horas Matutinas solito more ad obsequia Deo peragēda consurrexerat, vt Vigilias suas Domino consecraret, Diacono vel Subdiacono atq; Clero ante eum cum faculis præcedentibus; cùm ecce subitò ostium aperientes, & ecclesiā intuentes splendore cælesti micantem, deficientes ad lumen, aufugientesque cum tremore, faculas quas manibus tenebant, reliquerunt, propè mortui reuertentes ad sodales.

Cōponit Missam de beata Maria.

Nota maiestatem cælestem.

SOLICITE verò omnis congregatio requirebat quid de Dei seruo ageretur. At ille bene sibi conscius, ante altare beatę semper Virginis procedens, reperit in cathedra ipsam Dominam sedentem, vbi erat solitus sedere, & populum salutare. Et eleuatis oculis vidit in circuitu eius absidem repletam virginum choris; quæ de Canticis Dauid modulata suauitate aliquid cantabant; ac deinde aspiciens in eam ipse Deo charissimus, talem nostræ Dominæ ad se loquentis vocem audiuit: Propera in occursum serue Dei, & accipe de manu mea munusculum quod tibi de thesauro filij mei attuli: sic enim tibi opus est, vt benedictione tegminis, quæ tibi data est, in meo tantùm die vtaris. Quibus dictis, vnà cum virginibus & luce ab oculis eius remeauit. Vestis autē quam detulerat Dei mater, seruatur in Toletana Ecclesia, miræ subtilitatis, mirique candoris. Cathedram quoque Episcopalem in qua dignata est residere Dei mater, nullus postea sedere pręsumpsit Episcopus, nisi Sigebertus, qui statim sedem ipsam perdens, exilio relegatus est. Iam nouem annis & duobus ferè mensibus, vir Dei Hildephonsus clarus exstiterat meritis & retentatione Pontificalis

Apparens ei Deipara, dat ei insigne donum.

Moritur sanctus Episcopus nono anno sui Episcopatus.

calis regiminis;cùm ecce expleto decimooctauo Regis Recesſundi anno, die decimo Calendas Februarij domicilio carnis exuitur,atque in Ecclesia B.Leochadiæ honorificè tumulatur, felice eius anima ad cæli perlata palatia.

VITA S. EMERENTIANÆ *virginis, ex D. Ambrosio.*

XXIII. IANVARII.

EMERENTIANA, quæ fuerat collectanea eius, virgo ſanctiſſima,licet catechumena, conſtáter intrepida ſtabat immobilis,& his verbis exprobrabat eos:Superflui,miſeri, caduci,atque atrociſſimi, Deum omnipotentem colentem occidiſtis, & percuſſione lapidum homines innocentes iugulaſtis. Hæc & his ſimilia dum turbis furentibus diceret, lapidata eſt ab eis, & orans iuxta ſepulchrum Agnetis beatiſſimæ, emiſit ſpiritum.Non dubium eſt,quòd in ſuo ſanguine ſit baptizata, quæ pro defenſione iuſtitiæ,dum confiteretur dominum,mortem conſtanter excepit. Eadem denique hora fit terræmotus vehementiſſimus,& cùm nimia eſſet cœli ſerenitas, tantæ coruſcationes,tantaq; fulgura & tonitrua extiterunt,vt pars maxima inſani populi expiraret.Vnde factum eſt, vt nullus penitus ex eo aduenientibus ad ſepulchra ſanctorum aliquas moleſtias excitaret. Venientes autem parentes beatæ Agnetis cũ ſacerdotibus nocte, abſtulerunt corpus ſanctæ Emerentianæ virginis, & ſepelierunt illud in confinio agelli beatiſſimæ virginis Agnetis.Igitur dum parentes beatæ Agnetis aſſiduis pernoctationibus vigilarent ad tumulum eius, vident in medio noctis ſilentio exercitum virginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ,cum ingenti lumine prçteribant,inter quas vident beatiſſimam Agnetem ſimili veſte fulgentem, & ad dexteram eius agnum niue candidiorem. Hæc itaque dum viderent parentes eius, & qui ſimul erant, ſtuporem mentis incurrunt. Sed beata Agnes rogat ſanctas virgines, paulumper gradum ſigere,& ſtans parentibus ſuis dixit:*Videte,ne me quaſi mortuam lugeatis, ſed congaudete mihi & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas ſedes accepi. Et illi ſum iuncta in cœlis, quem in terris tota animi intentione dilexi.* Et his dictis pertranſiit. Hæc viſio publicè ab omnibus qui viderant, quotidie

Lapidatur S. Emerentiana, & moritur ad ſepulchrũ B. Agnetis.

Viſio ad tumulũ Agnetis facta parentibus illi ſe noctantibus

Agnetis verba ad parentes.

vulgabatur. Vnde factum est, vt post aliquantos annos ad Constantiam Constantini filiam hoc factum ab his, qui viderant, narraretur. Erat enim ipsa Constantia regina virgo prudentissima, sed ita obsessa vulneribus, vt à capite vsque ad pedes nulla membrorum pars libera remansisset. Accepto autem consilio spe recuperandæ salutis, venit ad tumulum martyris nocte, & licet pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat. Quod dum faceret, repentina somni suauitate corripitur, & vidit per visum beatissimã Agnetẽ talia sibi monita præferentem: *Constanter age, Constantia, & crede, Dominum Iesum Christum Dei esse saluatorem tuum, per quem modò consequeris omnium vulnerum, quæ in corpore tuo pateris, sanitatem.* Ad hanc vocem Constantia euigilat sana, & sic sana, vt nec signum in eius membris alicuius vulneris remaneret. Reuersa igitur ad palatium sanissima, facit gaudium & patri suo, & fratribus suis imperatoribus. Coronatur ciuitas tota, fit lætitia militantibus atque priuatis & vniuersis audientibus hæc. Infidelitas gentium confundebatur, & fides dominica lætabatur. Intereà patrem & fratres Augustos rogat, vt basilica beatæ Agnetis construeretur, & sibi illic mausolæum collocari præcepit. Currit hæc opinio ad omnes, & quotquot credentes ad tumulum eius aduenissent, sanabantur, quacunque fuissent infirmitate detenti. Quod facere Christum nullus dubitat vsque in hodiernum diem. Perseuerauit autem Constantia Augusti filia in virginitate; per quam multæ virgines, & mediocres, & nobiles, & illustres sacra velamina susceperunt. Et quia fides mortis damna non patitur, vsque in hodiernum diem multæ virgines Romanæ Agnetem beatissimam, quasi in corpore manentem atendunt. Et eius exemplo agentes viriliter, integrè perseuerant, credentes sine dubio, quòd perseuerantes perpetuæ victoriæ palmam acquirant. Hæc ego Ambrosius seruus Christi, dum in voluminibus diuinis inuenissem scripta, non sum passus infructuoso silentio tegi. Ad honorem igitur tantæ martyris, sicut gesta eius agnoui, conscripsi, & ad ædificationem vestram ô virgines Christi, textum passionis eius credidi destinandum, obsecrans charitatem Spiritus sancti, vt labor noster in vestra imitatione fructum in conspectu Domini valeat inuenire, Amen.

Constantia Regina vulneribus obsessa ad tumulũ S. Agnetis.

VITA S. TIMOTHEI PAVLI DISCIpuli, ex literis noui Testamenti.

XXIIII. IANVARII.

TIMOTHEVS Lystris oppido Lycaoniæ natus ex Iudæa matre & patre gentili, Christianæ religionis cultor erat, cum Paulus in ea loca peruenit. Qui motus Timothei sanctitate & optima fama, qua idem inter Christianos illius tractus celebrabatur, asciuit ipsum sociũ & comitem suæ peregrinationis. Ac ne offenderentur ij qui ex Iudaismo conuersi fuerant ad Christum, Timotheumque nouerant filium esse patris gentilis, ipsum circumcidit, quod licebat, adhuc nondum satis Euangelio promulgato. Cùm autem peruenissent Ephesum, ibidem Timotheus à Paulo relictus est, vt Ecclesiam doctrina exemploque iuuaret. Ad hunc Paulus, vt doctrina qua præsentem instituerat, absentem quoque confirmaret, duas epistolas scripsit: alteram à Laodicea, alteram ab vrbe Roma. Postremò Timotheus quùm in festo celeberrimo Dianæ populum ab impio sacrificio conaretur auertere, lapidibus obrutus est à furente populo, vnde penè mortuus sublatus à Christianis, & ad montem vbi vicinum eductus spiritum emisit.

Natales D. Timothei.

Lapidibus obruitur.

VITA S. BABYLÆ ANTIOCHENI Episcopi, ex Ioan. Maldonato Hispano.

XXIIII. IANVARII.

BABYLAS Antiochenus Episcopus tantæ fuisse virtutis in asserenda, prædicanda, propugnandaque religione Christiana memoratur, vt Numeriano Imperatori templi valuas irrumpere conanti, manus iniecerit, continuerit, retroque cedere coëgerit. Quare proritatus Numerianus in carcerem trudi, ferroque constringi præcepit. Productum tandem postea interrogauit, si quos sciret alios pari dementia Christi dogmatis assertores. Cui Babylas tres habere se dixit pueros probè instructos Vrbanum, Prilidanum, ac Apollonium, ex quibus facilè posset intelligi, veram nullatenus sapientiam ætate annisve rectè metiri. Vinciuntur pueri, trahuntur cũ matre Theodulla, & cùm summa se præ licarent audacia Christianos, ante ora parentis alapis cæsi, cruciantur,

Interrogatio Babylæ à Numeriano.

Eius & puerorum martyrium.

non tamen à Christiana possunt veritate moueri. Torquentur denuò, & ad numerum annorum plagæ cuique singulariter infliguntur, alij duodecim, alij nouem, alij septem, sed à matre Episcopoque solantur, animantur, & præmij sempiterni admonentur. Postremo Babylas tresque pueri suspenduntur simul, ac crudelissimè feriuntur, & cùm fortiter ac constanter cruciamenta perferrent, tormentisque in ipsis Christum Deum faterentur, ac prædicarent, obtruncatione capitum vitam finiêre.

DE CONVERSIONE S. PAVLI, *ex sermone D. Augustini, adiunctis nonnullis ex Radulpho.*

XXV. IANVARII.

D. Augustinus.

HODIE, dilectissimi, nobis lectio de Actibus Apostolorum hæc pronunciata est; vbi Apostolus Paulus ex persecutore Christianorum, annunciator factus est Christi: percutiens eum Christus & sanans; occidens & viuificans; occisus agnus à lupis, & faciens agnum de lupis. Prædictum enim erat in præclara illa prophetia, cùm Iacob patriarcha benediceret filios suos, præsentia tangens, futura prospiciens, quod in Paulo cõtigit. Erat autem Paulus, sicut ipse testatur, de tribu Beniamin. Cùm autem Iacob benedicens filios suos venisset ad benedicendum Beniamin, ait de illo: Beniamin lupus rapax. Quid ergo, lupus semper rapax? Absit, sed quid? manè rapiet prædam, & ad vesperam diuidet escas. Hoc in Apostolo Paulo impletum est, quia de illo dictum erat. Iam si placet audiamus illum manè rapientem, & ad vesperam escas diuidentem. Manè & vesperè posita sunt pro eo, ac si diceretur, prius & postea. Sic igitur accipiamus: prius rapiet, & postea diuidet escas. Attendite raptorem: Saulus, inquit scriptura, acceptis epistolis à Principibus Sacerdotum, ibat vt vbicunque inueniret Christianos, ad Sacerdotes traheret, & adduceret, vtique puniendos. Ibat spirans & anhelans in cædes, hoc est, manè rapiens. Nam & quando lapidatus est Stephanus primus martyr pro nomine Christi, euidentius erat ibi Saulus, & sic aderat lapidantibus, vt non ei sufficeret si tantum suis manibus lapidaret: vt enim esset in omnium lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta seruabat, magis sæuiens omnes adiuuando, quàm suis manibus lapidando.

Gen. 49.

Explicatur illa prophetia Geneseos de Paulo.

Fuit Paulus in omnium illorum peccato qui lapidarunt Stephanum.

AVDIVIMVS, manè rapiet. Videamus, ad vesperam qualiter diuidat escas. Voce Christi de cœlo prostratus, & accipiens

cipiens desuper edictum iam non sæuiendi, cecidit in faciem suam, prius prosternendus, postea erigendus; prius percutiendus, postea sanandus. * Et quis vnquam, fratres mei, putaret hominem tam crudelem & sanguinolentum ad tantam gratiam posse peruenire? Sed Dominus, cuius misericordiæ non est numerus, huius etiam misertus est, vt ostenderet se esse illum de quo scriptum est: Qui eduxit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, & qui habitant in sepulchris. Diuinitus prostratum, oculisque apertis nihil videntem, socij (inquit eadem sacra scriptura) ad manus trahentes, introduxerunt Damascum. Hæc mutatio dexteræ excelsi. Qui venerat trahere oues, trahitur vt ouis, factus de lupo agnus, de Saulo Paulus, de persecutore Prædicator. Et erat ibi tribus diebus & tribus noctibus non videns, & non manducauit neque bibit. Ad modum triduanæ Domini sepulturæ mortuus est peccato, vt surgeret Deo.

** Princeps Radulphus.*

Psa. 67.

Fit de Saulo Paulus, de lupo agnus.

VBI cùm Dominus iam per se interius eum Euangelium docuisset (vnde ipse gloriatur se non ab homine accepisse illud neque didicisse, sed per reuelationem Iesu Christi) tamen mittit eum illuminandum, erigendum & confortandum ad Ananiam, nimirum vt per hoc ostendat, ministris, id est, ministerijs Dei quanta reuerentia debeatur, vt non nisi per eos & per ea pateat salus. Vnde & mox vt Ananias imposuit Paulo manus, ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ serpentinæ malitiæ, & illuminatus est: & cùm accepisset cibum tam corporalem quàm spiritualem, confortatus est. Fuit autem cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot, & continuò ingressus Paulus in synagogas, prædicabat illis Iesum, ostendens quoniam hic est filius Dei. En qui prius adiuuabat toto nisu Iudæos persequens Christum, nunc toto nisu persequebatur infidelitatem eorum. Porrò, fratres mei, in Paulo & in Magdalena & huiusmodi, voluit Dominus demonstrare viscera misericordiæ suæ; vt scilicet cæteris peccatoribus exemplum pœnitentiæ & spem veniæ præstaret, ne videlicet aliquis in quantacunque scelerum enormitate desperaret, sed potius per pœnitentiam ad spem veniæ festinaret. Audi etiam peccator: Non proponitur tibi Paulus in exemplum peccandi, sed pœnitendi. Si secutus es peccantem, sequere pœnitentem: non desperes, sed, dum licet, ad remedium pœnitentiæ festines, compungaris, plores, confitearis, & bonis operibus redime peccata tua.

Gal. 1.

Paulus doctus intus, atque adhuc mittitur ad Ananiam.

Conuersus à Domino, statim pro illius gloria decertat.

Vt nemo desperet quantuscunque peccator.

VITA V. POPPONIS ABBATIS *Stabulensis, ex Euerhelmo Abbate Alsimontensi.*

XXV. IANVARII.

V. Popponij genus illustre.

BEATVS Poppo in diebus nostris, Deo & seculis in omni virtute cōmēdatissimus, Listrogaugij partibus editus est. Natus est verò Tizekino patre, atque Adalunif illustrissima matre; quorum ille quinta septimana natiuitatis beati Popponis, nulli commilitonum suorum secundus, in bello Hasbaniensi occubuit. Et quidē & iste quoque beatus postea Poppo adolescentiæ crescens processibus, inaniter primò studuit in curis rei militaris versari, sed solùm ad tempus. Videns enim periculum & præcipitium pluribus inde prouenire, voluit inde pedem retrahere. Vnde contigit, eum non multò pòst ex inspiratione diuina excitatū, Dominici sepulchri loca ire visitatum, sacris inde etiam reportatis reliquijs atque in oratorio S. Mariæ in villa Dunsa sito, religiosè collocatis. Non multum quoque temporis intercesserat, & diuina agente gratia etiam inuisit limina Apostolorum Petri & Pauli; deinde etiam miro quodam modo sanctum eius desiderium siue constantia à Deo probatur. Illis diebus Balduino Marchiso Flandriarum populis imperante, beatus Poppo tam apud eundem Principē quàm optimatum suorum primos plurimum amicitia valuit, potissimùm autem apud Frumoldūm in loco Sithiu cōmorantem, qui eum generum suum valde adsciscere sibi expetebat.

V fit sepulchrum Domini.

Item limina Apostolorum Petri & Pauli.

ET quidē eius votis vir Dei adsensum ad tempus præbuerat; quin etiam vterque per arrham consiliū iam firmauerat: sed posteà infusione sancti Spiritus reuocatus B. Poppo paulatim tenuit. Denique imminēte nuptiarum tempore in Sithiū tendens, admonitus miraculo lucis cælitus super eū equo insidentem immissæ, lanceæque suæ in modum faculæ radiantis, conuolauit ad sanctum Theodoricum, vt ibi se monachū profiteretur. Cœpit autem ibi mox à Gilberto Marnliacensiū postea Abbate, Domini autem Gerardi Cameracensium Episcopi carne & spiritu germano strenuè erudiri in omnibus quæ sunt monasticæ institutionis. Sub ipso autem iā memorato Gilberto tunc tēporis monasterii existente portario, non multò pòst ab eiusdem loci Abbate mandata est illi cura pro recipiēdis in xenodochio pauperibus. In qua functione dum versatur, videt etiam eximium miraculum, nimirum leprosus quidā, coopertorio,

Relictis nuptiis sibi paratis, diuina commonitione fit monachus.

Curatur per eum quidam leprosus.

torio, quo ipse vir beatus in stratis recumbens vti solebat, ipsius commiseratione coopertus, euestigio, omni lepra fugata, sanus apparuit: quod mihi scribenti, qui à prædicto Gilberto coràm didicerunt, intimauerunt. Subsequenti verò tempore sanctæ recordationis virum Abbatem Richardum ad sanctum contigit Theodoricum venire, atque piam viri Dei conuersationem intelligere, qui & eum secum abduxit Virdunum. Vbi ante omnia & super omnia ab eodem Abbate pro obedientia seu patientia tentatus & probatus, tandem ex primis rerum negotiis administrare est iussus. *Abducitur Virdunum.*

OMITTO hîc de ipsius matre venerabili vidua, quæ circa hæc tempora posthabitis omnibus sui iuris redditibus, partim filij sui consilio, partim diuina visione, quam ad sanctum Amandum habuit, Virduni velo piæ conuersationis sibi imposito, cœnobialis vitæ arripuit propositũ, ac tandem apud S. Vitonem reclusa, cursum vitæ feliciter peregit: nimium siquidem prolixum est narrare vniuersa. Succedente verò tempore, memoratum Abbatem Richardum Balduinus Marchisus apud S. Vedastum, Folcado à regimine deiecto, subrogauit. Qui, quòd rerum gerendarum copia se offerebat, virum Dei Popponem secundùm à se eo loci præfecit. In administrandis autem eiusdem loci necessariis magna tunc exstitit difficultas, vt pote vbi milites res monasterij possiderent. Sed annuente prædicto Marchiso, prudenter callideque eas beatus Poppo repetiit: atque vt eiusdem loci fratribus permanerent publicis archiuis stabiliuit, frustrà in eum militibus frementibus, & occupantibus, etiam nonnũquam ad ipsum perimendum viarum septa. Iam plurimum pro monasterij illius elaborauerat rebus, cùm à venerabili Richardo Abbate iussus inde abiit, & Virdunum pristinum conuersionis suæ locum rediit. *Adhibetur vt simul regat monasterium S. Vedasti.* *Redit Virdunum.*

VBI pro comprobanda post summam Præpositurae administrationem ipsius patientia, onus infimarum rerum monasterij deinde ab Abbate ei iniungitur. Sed quia omne subiectionis onus humilitate & patientia præueniebat, Abbas eum non multo pôst proximo à se loco promouit, atque insuper Abbatiam sancti Mauritij Vuaploi dictam, cum omnibus eiusdem loci appendicibus ei delegauit: quam ille ita rexit, vt breui tempore veteribus ædificiis funditus diiectis, nouisque eleganter exstructis, locum mutato nomine ex honestate sui denominârit Beloacũ, quod vocabulũ durat vsque in præsens. *Committitur ei Abbatia S. Mauritij, post Beloacensis dicta.*

Con

Itē Abbatiæ Stabulēsis & Treuirensis.

Contigit verò interea Stabulensis cœnobij Abbatem Bertramum debitum mortis persoluere: vnde & Henrico Imperatori tam pio quàm magno, beatum Popponem subrogare animo sedit. Quod vt fieret, à Richardo Abbate tunc secum in in consiliis agente persanctum Heribertum Agrippinæ Coloniæ Episcopum, licet difficulter, obtinuit tamen. Quin & biennio elapso, succedere etiam eum iussit idem Imperator Herichoni Treuirensium Abbati apud S. Maximum: tanta erat fama eius sanctitatis. Mirum autem quas vir beatus molestias vtrobique sit passus ab iis qui à monasticis obseruationibus per abrupta deflexerant, quos ipse ad regularem disciplinam reuocare conabatur. Sed triumphauit ipse de omnibus, modò venenum sibi propinatum sine læsione sumens, modò diuinam vidēs in suos infestatores immitti vindictam.

Venenum sibi oblatū ab his quos volebat reformare bibit illæsus.

ACCIDIT autem post hæc Henricum Imperatorem viuendi finem facere. Quo tempore cùm inter Principes regni magna fuisset dissidiorum occasio exorta, beatus Poppo illos in pacem redigere, diu multumque laborauit, tandemque Dei virtute reduxit, Conradum, dico, & Henricum Reges; quorum ille Romanorum siue Orientalium; Henricus verò Occidentalium populis imperauit. Destinârat quoque ei Rex Conradus Argentinæ ciuitatis Episcopatum, sed declinauit eum constanter & humiliter, dicens, se, ne quidem in iis quæ tunc ei incumbebant curis sufficere. Cuius humilitas quia cæterarum virtutum eius argumentum Regi fuit, totius consilij viribus idem mox Rex eò saltem incubuit, quatenus eas regni sui Abbatias illum administrare iuberet, quas aliquando Pastoribus destitui videret: quod & factum est, quicquid ipse impossibilitatem excusaret. Et primò Lintburg in Vosago situm, quod hæreditaria sorte sibi iam olim in manus venerat, beato viro tradidit, pro struendo inibi in honore S. Ioānis Euangelistæ cœnobio, quod & vir beatus egregiè perfecit, seruos Dei ibi congregans, atque Ioannem nepotem suum tam illi loco quàm apud S. Maximinum Treuirensibus præficiens. Successit etiam vir Dei, à præfato Rege iussus, & aliis quamplurimis monastici instituti cœnobiis, Rectoresque singulos singulis præfecit: apud Herffeldiam quidem Ruodonem * Pathalabornensem postea Antistitem: ad S. Gallum versus Alpium iuga, Nortbertum, & in VVirtzenburg, Volmarum: Hasternaco quoque Humbertum vita & moribus præclarum.

Recusat Episcopatum Argentinensem.

Iussu Imperatorū curat plerer etiam Abbatias alias.

* *for.* Padebornensem.

VAS

SVARVM præterea precum interuentu Heribrandus in Cella S. Gisleni, Euerhelmus quoque in Altomonte Rector cœpit haberi. Apud Brunuillarium verò, quod ab Ezzone palatij administrante Comitatum suscepit, Ellonem omnibus eiusdem loci habitaculis à fundamentis exstructis præfecit: atque in Bosenthorff, quod largiente sibi Adalberto Comite in manus venerat, similiter sub Conone, quem Rectorem illic subrogauerat, monachorum gregem aggregauit. Sed & apud Traiectum, quod Phrisiam respicit, ab Adalboldo eiusdem ciuitatis Episcopo, cœnobium S. Pauli regendum suscepit; ibique Herigerum tam prodesse quàam præesse præcepit. Quin etiam non multo pòst ipse memoratus Antistes Adalboldus hortatu beati viri ad monastica instituta adspirauit, omnemque illi in pastoralibus officij sui administrationem commendauit, quam tamen ex præscripto beati Popponis iterum recepit, & in ea, quoad vixit, sub monastico habitu permansit. In Niuilrario præterea Theodoricum, & Meti apud S. Vincẽtium præfecit Heribertum, in Vualciodoro quoque Lambertum, quæ quidẽ monastici vigoris cœnobia per Theodoricum Metensem Antistitem diuina ei indulsit gratia. Apud S. Eucharium etiam Treueris Bertulfum in regimine promouendo roborauit.

Inter cætera regie & cœnobium S. Pauli Vltraiecti.

Nota obedientiam.

QVAE omnia & singula cùm diligenter tam diuersis locis curasset, in Stabulaus tamen frequentiùs versabatur, vbi se prius in excolendis institutionibus monasticis arctiùs fixerat. Vnde & locum illum quasi specialiter suum per totum septennium, veteribus ædificiis deiectis, tum in structuris nouis marmoreisque columnis, tum in ornamentis Ecclesiæ in auro, argento & gemmis insigniter exornauit ad decôrem domus Dei: Malmũdarium quoque eidem loco semper attinere, Imperiali sceptro declarauit. Suscepit etiã vir beatus, magno rogatu Balduini Marchisi, defuncto Ioanne Atrebatensium Rectore, illius loci gubernationẽ, vbi iam olim explorata fuerat eius sanctitas, præficiens ibi Emmelinum virum prudentem, similiter & Martianas cœnobium illac regrediens. Sed vide imminentem iam beati viri finem. Cœpit interea cunctis singula quæ vsui forent prouidere. Sed quia multimoda rerum occasio aliò eum trahebat, in administrandis his Balduinum Atrebatensium postea Abbatem secundum à se promouit. Iam verò vltimo exitus eius tempore imminente, in cella paululum sopori indulgens, somnium quóque diaboli minas

Insigniter auget Stabuletum Malmundarium.

Intelligitur Atrebat. Abbatia S. Vedasti.

Diabolum sibi minantem pellit signo crucis.

minas ei intentantis patitur: sed signo crucis facto mox illud depellit.

INTERIM tamen valida vi febrium cœpit fatigari: vnde & Euerhelmum Altimontensem Abbatem, qui secutus eum illuc vsque fuerat, cæteris vnà cum fratribus euocans, resolutionis suæ diem imminere prædixit: deinde ad visitationem vnctionemque sui præfatum Abbatem admonuit. Adiecit insuper, ad pristinum professionis suæ locum Stabulaus se post mortem ab eo deferendum. Demum cilicio se recolligens, in S. Pauli Conuersione, quod ardenter prius desiderauerat, spiritum Deo reddidit, octauo Calendas Februarij, anno incarnati Verbi millesimo quadragesimo octauo, ætatis suæ septuagesimo, Imperij Henrici decimo. Sacrum eius corpus sacerdotalibus infulis indutum, qui aderant, clam è patriæ ipsius limine exeuntes honorificè detulerunt, primò Leodium, inde, vt petierat, ad Stabulaus, Leodiensium Antistite Vuazane comitante. Fuit autem beatus Poppo miræ compunctionis, ita vt in celebratione Missarum, vt plurimum * casubulam lacrymis humectaret, interdum etiam ipsum pauimentum. Carnem ieiuniis flagellisque atterebat, sæpè excubias frequentans Sanctorum. Excepto quoque quòd pauperes quotidianis sumptibus alebat, trecentos insuper singulis Calendis plenè reficiebat, ac demum iis etiam qui eremiticam vitam ducebant, plura destinabat tam auri quàm argenti donaria.

En sacramentum extremæ Vnctionis.

Post mortem celebri pompa defertur Stabuletum.

* casulam.

Singularem habuit gratiam lachrymarum.

VITA S. POLYCARPI SMYRNAE Episcopi, ex S. Hieronymo.

XXVI. IANVARII.

POLYCARPVS Ioannis Apostoli discipulus, & ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit: quippe qui nonnullos Apostolorum, & eorum qui viderant dominũ, magistros habuerit & viderit. Hic propter quasdam super die Paschæ quæstiones, sub Imperatore Antonino Pio, Ecclesiam in vrbe regente Aniceto, Romam venit, vbi plurimos credentium, Marcionis & Valentini persuasione deceptos, reduxit ad fidem. Cumque ei fortuitò obuiam fuisset Marcion, & diceret: Cognoscis nos? Respondit: Cognosco primogenitum diaboli. Posteà verò regnante M. Antonio & L. Aurelio Commodo, quarta post Neronem persecutione,

Romã venit Polycarpus.

Smyrnæ,

Smyrnæ, sedente proconsule & vniuerso populo in amphitheatro aduersus eũ personante, igni traditus est. Scripsit ad Philippenses valde vtilem Epistolam, quæ vsque hodie in Asiæ conuentu legitur, nempe hæc. Polycarpus, & qui cum eo sunt presbyteri, Ecclesiæ Dei quæ est Philippensis: Misericordia vobis & pax à Deo omnipotente, & Iesu Christo saluatore abundet. Cõgratulatus sum vobis magnificè in Domino nostro Iesu Christo, suscipiens immutabilia verba dilectionis quam ostendistis in illis (qui præmissi sunt) viris sanctis, decoris vinculis connexis, quæ sunt coronæ electæ Deo, illius veri regni, per Dominum nostrum Iesum Christum: & quia firmitas fidei vestræ à principio vsque nunc permanet, & sanctificatur in Domino Iesu Christo, qui sustinuit pro peccatis nostris vsque ad mortem, quem suscitauit Deus, dissoluens dolores inferni, quem cum non videritis, nunc diligitis, in quem nunc non aspicientes, creditis, credentes autem, gaudebitis gaudio inenarrabili, &c. Reliqua ex libro Epistolarum Ignatij, quibus addita est hæc Polycarpi Epistola. Et Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus, & conuersatus cum multis ex eis, qui dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate, multum enim perseuerauerat, & valde senex gloriosissimè & nobilissimè martyrium faciens, exiuit de hac vita. Hic docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera. Et testimonium de his perhibent, quæ sunt in Asia Ecclesiæ omnes, & qui vsque adhuc successerunt Polycarpo, qui vir multo maioris authoritatis est testis, quàm Valentinus & Marcion, & reliqui, qui sunt peruersæ sententiæ.

Epistola S. Policarpi.

Hæc ex Irenæ. epistola.

INSIGNIS autem vir Polycarpus, primò quidem cum audiret vulgus in se acclamationibus excitatum, in nullo penitus motus est, sed mansit impauidus. Tranquillibus namque erat moribus, & serenus aspectu. Qu cùm in eadem ciuitate vellet interritus permanere, acquiescens tamen deprecantibus se familiaribus suis, agrum quendam ciuitati proximum secedit, atque ibi cum paucis, die noctuque nihil aliud quàm in orationibus permanet, pro pace Ecclesiarum, quæ vbique sunt, supplicans Deo, quod ei facere in omni vita sua moris perpetui fuit. Sed is in orationibus positus, ante triduũ quàm comprehenderetur, visionem videt per noctem, ceruical capitis sui

Huius Martirium ex Eusebio Cæsariensi.

Per visionem nocturnã mortis suæ diem præcognoscit.

ſui flammis eſſe cõſumptũ. Cumqu; euigilaſſet poſt viſum, interpretatus eſt aſtantibus ſomnium ſuũ, dixitque pro certo, ſe ob Chriſtum, per ignem vitæ exitum ſortiturum. Imminente igitur, &c. Poſtea verò quàm finiuit orationem, memoriam faciens omnium quoſcunque noſſe potuit, maiorum minorumq; nobilium & ignobilium, & totius Catholicæ Eccleſiæ, quę per orbem terræ eſt, inſtante iam hora progreditur, & aſino ſedens ad ciuitatem ducebatur, cùm eſſet dies magni ſabbathi. Pergit, occurrit ei præfectus pacis Herodes nomine, & pater eius Nicetus, qui leuantes eum ſecum in vehiculum, perſuadere ſedulò conabantur, dicentes: *Quid enim mali eſt dicere Dominum Cæſarem, & immolare & de cætero viuere ſecurum?* Hæc ille primò tacitus audiuit. Sed vbi perſiſtebant, ait ad eos: *Quid multis opus eſt? facturus non ſum quod dicitis.* At illi poſteaquàm nihil ſe profeciſſe ſenſerunt, indignatione commoti, cum contumelia eum vehiculo deturbant, ita vt pedem læderet præceps actus. Sed quaſi nihil fuiſſet iniuriæ, tota alacritate contentus, pergebat ad ſtadium quò duci fuerat imperatus. Cùm verò tumultus ingens in ſtadio ex ingreſſu eius fuiſſet exortus, vox de cœlo delapſa eſt: *Fortis eſto, ô Polycarpe, & viriliter age.* Sed authorem quidem vocis videre potuit nemo, auditus tamen ad plurimos venit. Intereà animatur ad furorem tumultus populi, videntis quia Polycarpus introducitur. Cumq́ue eminus à Proconſule interrogaretur, ſi ipſe eſſet Polycarpus, ſe eſſe confiteretur: *Ergo* (inquit) *habeto ætatis tuæ reuerentiam, & parcens vltimæ ſenectuti tuæ. iura fortunam Cæſaris, gerens de prioribus pœnitudinem, & conclama etiam tu, Tolle ſacrilegos.* Tum Polycarpus toruo vultu ad populum, qui in ſtadio reſidebat, aſpiciens, eleuata ad cœlum dextra, cum gemitu proclamauit & dixit: *Tolle ſacrilegos.* Sed inſiſtente Proconſule, & dicente *Iura fortunam Cæſaris, & dic in Chriſtum conuicia, & dimitto te* Polycarpus ad hæc: *Octoginta* (inquit) *& ſex annis ſeruio ei, & nihil me læſit vnquam, quo modo poſſum maledicere & blaſphemare regem meum, qui ſalutem mihi dedit?* Cumq́ue rurſum vehementiùs vrgeretur, vt fortunam Cæſaris iuraret: *Si hanc* (inquit) *iactantiam quæris, vt ego fortunam Cæſaris iurem. & quis ſim, ignorare te ſimulas, cum omni libertate audi à me. quia Chriſtianus ſum Si verò etiam rationem vis Chriſtianæ religionis accipere, ſtatue diem & audi* Proconſul dixit: *Suade hoc populo:* Polycarpus ait: *Tibi quidem reſpondi. Docemur enim principibus & poteſtatibus ijs quæ à Deo ſunt, honorem deferre, eum ſcilicet qui re*

Herodes & Nicetus occurrunt ei.

Eius cũ Proconſule colloquium.

qui religioni non sit contrarius: populo autem furenti sati-facere, nõ est meum. Proconsul dixit: *Bestias habeo paratas, quibus subigêrũ, nisi citò pœnitueris* At ille respondit: *Adhibeantur, nobis enim immobilis stat sententia, nec possumus de bono ad malum per pœnitudinem commutari. Melius autem erat, si hi mutarentur ad bona, qui perseuerant in malis.* Tunc Proconsul: *Igni te* (inquit) *faciam consumi, si tibi bestiæ contemnendæ videntur, nec propositi recipis pœnitudinem* At ille: *Ignem minaris,* (inquit) *hunc qui ad momentum incenditur & paulò pòst extinguitur, quia ignoras futuri iudicij ignem æternum, qui ad perpetuas pœnas præparatus est impiorum. Sed quid moraris? Adhibe vtrum voles.* Hæc & multa alia his similia dicens Polycarpus, confidentia simul & lætitia replebatur, ita vt alacritatem vultus eius, responsionumque constantiam Proconsul maximo stupore miraretur. Misso igitur Curione ad populum, iubet voce maxima protestari, Polycarpum tertiò confessum Christianum se esse. Quo audito, vniuersa multitudo tam gentilium quàm Iudæorum Smyrnensium ciuitatis, cum ingenti furore acclamabant: *Hic est totius Asiæ doctor & pater christianorum, nostrorum autem subuersor deorum Ipse est qui multos docet, ne immolent, néue adorent deos.* Et post hæc verba acclamabant Philippo munerario, vt Leonem Polycarpo dimitteret, &c. Cætera legat pius presbyter apud Eusebium lib.iiij.cap.xv.

VITA S. BATHILDIS REGINÆ *Franciæ, ex ea quæ est per eius contemporaneum apud Surium.*

Tomo 7. Surij

XXVI. IANVARII.

BEATA Bathildis de partibus transmarinis deprædata, à Principe Frãcorum clarissimo Erchinoaldo, qui tunc palatium gubernabat, dinoscitur esse recepta. In cuius ministerio ipsa adolescens ita decentissimè cõuersata est, vt pote quæ claro sanguine Saxonum esset progenita, vt matrona supradicti Erchinoaldi defuncta, hæc esset eidem Principi socianda. Sed subtraxit se virgo beata ab eius adspectib⁹, donec alterã duxisset. Quod factũ est diuino nutu. Nã quę Principis prius nuptias deuitauerat, postea Clodoueũ Dagoberti quõdam filiũ in coniugem accepit, vt magis posset Ecclesiis & egenis prodesse. Hæc, collata sibi à Deo prudẽtiæ gratia, Regi obtemperabat

S. Bathildis captiua de partibus trãsmarinis.

Nubit Regi Clodoueo.

 vt Do-

vt Domino, Principibus se ostendebat vt matrem, sacerdotibus vt filium; eidem Regi humiliter assiduéq; pro Ecclesiis & pauperibus suggerens. Iam enim sub seculari habitu Christo militare cupiens, frequentabat etiam orationem, quotidie cómendans se cum lacrymis Christo. Cui Rex pius consulens iuxta fidem & deuotionem eius, vt plenius hæc, quæ mente conceperat, perficeret, venerabilem quoque virum Genesium Abbatem, Lugduni postea Episcopum ad subleuamen ac supplementum adiutori contulit. Per cuius manus ministrans ipsa sacerdotibus & pauperibus, pascebat egenos, & induebat vestibus nudos, studioséque sepeliri ordinabat mortuos. Dirigebat quoque per ipsum ad cœnobia virorum & sacrarum virginum auri vel argenti non modica pondera.

[illegible] circa Ecclesias & [illegible].

INTEREA dominus Rex Clodoueus, vir eius, gratia euocante diuina, decimo septimo regni sui anno, rebus exemptus humanis, migrauit à seculo; relictaque sobole filiorum, cum matre suscepit illicò filius eius Lothatius Rex Francorum regimen: Austrasij verò pacifico ordine receperunt filium eius Childericum Regem, factique sunt Burgundiones & Franci ex illo tempore vniti. Quæ credimus per magnam fidem dominæ Bathildis accidisse. Factum est præterea per eam, nutu Dei, exhortantibus sacerdotibus, vt hæresis Simoniaca, quæ prauo vsu maculabat tunc Ecclesiam Dei, à Catholicis viris penitus pelleretur. Largiebatur verò per religiosorum cœnobia integra prædia & syluarum aditus, quo pacto cœnobium Kale sanctimonialium virginum in pago Parisiaco, vnda circumfluente Matronæ fluminis, decentissimè ædificauit, villis amplissimis cum earum reditibus illud exornans, Deique famulam Bertiliam (quam ex monasterio Iodro euocauerat) in locum matris ibi primam constituens; vbi & ipsa postea Deo acceptabilis Bathildis, vt dicemus, sub religionis regula in pace quieuit. Monasteriũ etiam, cuius vocabulum est Corbeia, in pago Ambianensi suo opere fundo tenus struxit, ac deuotum gregem monachorum ibi esse constituit, sub venerabili Theofredo tunc Abbate,* nunc Episcopo, quem de Luxouio monasterio expetierat, ipsum monasterium villis & prædiis, omnibusque sumptuum necessitatibus fundans.

Moritur Rex Clodoueus.

Burgundiones & Franci vniti per hanc sanctam Reginam.

Construit monasterium Kalense.

Item Corbeiæ in territorio Ambianensi.

** Nota ætatem Auctoris.*

DOMINO etiam Philiberto Gemmeticensis monasterij Abbati syluam magnam ex fisco, vbi ipsum cœnobium fratrũ situm est, magnaque munera & pastus de fisco dominico ad ipsum monasterium construendum concessit. Multa quoque

talenta

talenta argenti vel auri domino Laygoberto Curbionẽsis monasterij Abbati, cum villa quadam ad opus seruorum Dei illic habitantium contulit. Sed & ipsum regale quo cingebatur cingulum à sacris lumbis abstulit, fratribusque in eleemosynam dedit. Similiter & ad Fontinellam & Logium plura concessit beneficiorum compendia. Ad Luxouium etiam & ad reliqua Burgundiæ monasteria, villas perplures ad integrum concessit, & pecuniam innumerabilem direxit. Ad Iotrũ quoque monasterium, vnde sacras virgines cum præfata domina Bertilia Abbatissa ad cœnobium Kalense accersiuit, villam nouam sitam in pago * Vermandensi, cum pluribus aliis muneribus, quibus ipsum honorauit, deuotè contulit. Monasterij quoque sanctæ Faræ non immemor fuit, villam quandam cum sæpè datis muneribus ac largissimis donis eidem delegans. Ad basilicas quoque nec non & Ecclesias seu ad monasteria sãctorum virorum, sacrarumque virginum Parisiacæ vrbis, itidem villas laudabiles ac multas condonauit, & muneribus pluribus amplificauit. Sed enarrare non valemus, vel scilicet media dicere per singula.

Ipsum suum cingulum regale largitur fratribus in eleemosynã.

* *for.* Viromandensi.

Multa largitur passim omnibus Ecclesiis Gallicanis.

QVIN etiam basilicas sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Romæ positas, propter eorum amorem decẽtissimè muneribus honorauit: Romanisque reclusis & pauperibus sæpiùs largissima dona direxit. Crescebat autem quotidie eius sancta deuotio, & omnimodis satagebat, vt cœnobialem vitam in monasterio quod ipsa ædificauerat, duceret. Quod eius desiderium Primores & Proceres Francorum differebant primò; quia scilicet eius sapientiâ palatium regebatur: postea autem concesserunt, nimirum, cùm metuebant beatam Reginam, propter Sigebrandum Episcopum contra voluntatem eius, indiscussum, & contra legem interfectum. Itaque sancta eius deuotio per quamlibet occasionem Christo gubernante est adimpleta, estque ipsa deducta ab aliquibus Seniorum Principibus ad præfatum monasterium diu desideratũ Kalam. Hîc verò ipsa beata mater piissimo affectu diligebat sorores, nimirũ vt proprias filias; & sanctæ quam sibi præfecerat Abbatissæ obediebat vt matri; omnibus non vt domina, sed sicut sagax ancillula sancta deuotione ministerium obsequij exhibens. Ita autem humilitatis magnæ forti animo omnibus ministrabat exemplum, vt ipsa quoque in officio coquinæ ministraret sororibus, ipsa munditias omnes faceret.

Mittit & Romam suas eleemosynas.

Ingreditur monasterium Kalense.

Etiam ipsa ministrat in officio coquinæ.

INSISTEBAT etiã assiduè orationi deuotæ cum lacry-

mis,& diuinam lectionem sæpiùs frequentabat, consolationē continuam per sanctam exhortationem,& frequentem visitationem infirmis impendens. Studio enim charitatis cum dolentibus dolebat,ac pro debilibus & infirmis,vt consolationis subsidium animæ & corporis eis administraretur, sæpissimè dominæ Abbatissæ humiliter suggerebat. Tandem autem cœpit & ipsa domina Bathildis corpore infirmari,& viscerum incisione,pessimo infirmitatis vitio (quod medici Ileos vocant) grauiter laborare. Attamen licet per tenera membra vi doloris torqueretur,semper cælesti medico,qui subuenit in tribulatione laborantibus, sancta conscientia gratias non cessabat agere. Appropinquabat autem dominæ Bathildis obitus, cùm visio præclara & ei conueniens fuit ostensa. Scala siquidem recta videbatur adstare ante altare sanctæ Mariæ, cuius culmen cælos contigebat, & quasi Angelos Dei benignè comitantes secum secreta cælestia penetrare; quod tamen sileri à sororibus, quæ consciæ huius mirabilis visionis fuerant, præcepit. Nec multo pòst, Ecce consignans se confidenter, & pios oculos ac sanctas manus ad cælum eleuans, sanctam illam animam à corporis vinculo in pace resoluit, obuiãte sibi fidelissimo amico Genesio Episcopo, qui visus est adstantibus inter agmina Angelorum, tertio Calendas Februarij. Porrò corpus sacrum in eodem monasterio est conditum: ad quod plura per suam famulã efficit Deus miracula, cui sit gloria per infinita secula.

Grauiter torquetur iliaca passione.

Obdormit in Domino.

VITA D. IOANNIS CHRYSOSTOMI,

Scriptoris Ecclesiæ, ex scriptoribus historiæ tripartitæ.

XXVII. IANVARII.

IOANNES Antiochenus propter aureum eloquentiæ flumen cognomento Chrysostomus, filius fuit Secundi & Anthusæ nobilium personarum. Adolescens nondum sacro lauacro regeneratus audiuit ingeniosum, sed insigniter impium Libanium Sophistam (sic enim tum Rhetores appellabantur) in philosophicis, discipulus Andragathij. Qui cùm ad aduocationem se præpararet, considerans, lustratis Athenis aliisque oppidis, molestias litigantium, iniustumque vitæ propositum, potiùs elegit quietem: hocque fecit æmulatus Euagrium, quoniam & ille cùm iisdem studiis esset vsus, quietam magis secutus est vitam. Mox ergo mutato cultu pariter & incessu,

S. Ioannes Chrysostomus ortus ex stirpe nobili.

Socrates.

vnà cum aliis quibusdam suis olim condiscipulis diuinis lectionibus incumbebat, & frequentiùs ad sanctam concurrebat Ecclesiam: vnde non multo pòst & baptizatus est, & insuper ordinatus Lector. At iuuenis haudquaquam ratus in ciuitate celebri publicis functionibus implicari, in montes vicinos secessit, atque illic seni cuidam adhæsit, magno monasticæ vitæ exercitatori, vt ex eius contubernio continentiam vitæque austeritatem disceret. Mansit autem apud hunc annos quatuor. Deinde verò ab hoc gradu tendit etiam ad perfectiora, abdit se in remotiora deserti, ibique speluncæ inclusus biennium ferè peregit solus, noctes diesque versans in meditatione sacrorum voluminum, eaque ediscens. Vbi dum humi cubat, saxo insidet, ieiuniis ac peruigiliis vtitur, carnis rebellionem egregiè domuit.

Relicto munere & uocationis confert se ad diuina.

In locis deserti speluncæ inclusus, ferè biennium peregit solus.

REVERTITVR autem deinde ad Ecclesiam, ordinaturque Diaconus, nec non & per quinquennium sacris ministrat altaribus, semper in explanandis peruestigandisque scripturis occupatus. In qua functione, cùm ita se gessisset, vt & vitæ eius continentia, & egregia doctrina cunctis esset explorata, Presbyter tādem Antiochenæ ecclesiæ cōsecratur, eius muneris dignitatē omninò licet detrectās. In hoc autem munere summa cū omnium laude, summaque Ecclesiæ vtilitate versatus est annis duodecim, gregem Domini cùm morum integritate, tum sermonibus ac libris ad pietatem erudiendo. Defunctus est verò interea Nectarius Constantinopolitanus Episcopus. Mox ergo studia generantur in episcopatum, aliis alium ordinare cupientibus. Nouissimè verò placuit, vt ab Antiochia Ioannes euocaretur: erat enim eius fama mirabilis. Nec mora. Ab Arcadio Imperatore euocatur: euocatus Constantinopolitanæ Ecclesiæ præficitur inuitus. Docendo autem præcipuus erat, vtilis ad corrigendos audientium mores. Itaque sacerdotibus supplicabat vt secundum ecclesiasticas viuerent sanctiones; quas qui præuaricari præsumerent eos ad templum prohibebat accedere. Vnde & cùm nonnullos Clericorum pro diuersis exemisset causis, passus est non modicam statim eorum conspirationem, & apud populum derogationem. Sed populus tamen propter sermones quos in Ecclesia faciebat, impensè eum diligebat, paruipendens detractorum voces.

Ordinatur presbyter.

Præficitur Ecclesiæ Constantinopolitanæ.

Theodoretus.

Passus sibi [illegible] Clericos.

NEQVE verò solùm prouidentiam vrbis Constantinopoleos habebat, sed etiam totius Thraciæ, quæ sex Præfecturis est diuisa, & Asiæ totius, quæ ab vndecim Præsidibus regi-

tur. Quibus legibus ornabat etiam Ponticam regionem quæ totidem Iudicibus gubernari dignoscitur. Sed & cùm cognouisset in Phœnice adhuc dæmonibus sacrificia ministrari, destinauit eò electos monachos; quod etiam fecit apud Scythas accolas Istri, intelligens ibi quosdam esse desiderium salutis habentes. Pertinuit autem specialiter hic vir sanctus ad signũ illud Euangelicum cui contradiceretur. Expertus est siquidem maximas contradictiones continuò à Clericis, quorum mores magno zelo corrigere studebat; quibus tamen cùm solis esset exosus, machinationes contra eum parum valuerunt. At verò cùm etiam Procerum Nobiliumque viuendi licentiam vehementiùs obiurgare cœpisset, tunc certè contra eum inuidia maxima accensa est. Longum est singula eius stratagemata hîc attexere. Non parua autem huius inuidiæ pars fuit reprehensa ab eo Eudoxia Augusta, quòd prætextu nescio cuius ciuilis legis vineam & agrum Callitropæ viduæ sibi iniustè vendicasset: ac denique partim ipsa, partim Theophilo Alexandrino veteri Ioannis inimico agente, cogitur aduersus eum Synodus. Coiêre autem permulti Præsules à Theophilo prouocati, & in his Episcopi, quos Ioannes in Asia ob manifesta crimina legitimè ab officio semouerat, & breuiter quotquot Ioanni varijs de causis malè volebant.

Lucæ 2.

Item Nobiles quorum mores arguebat.

Cogitur cõtra eũ Synodus, agente Imperatrice, & alijs qui ab ipso erant reprehensi.

CONVENERVNT autem in suburbano Chalcedonensi, eò Ioannem euocantes, vt satisfaceret pro his de quibus accusabatur; in quibus inter cætera quæ erant quæsita, illud erat quasi præcipuum de depositis ab eo præter ius quibusdam in Asia Episcopis. Sed Ioannes, velut inimicos refugiens, vniuersalem legitimeque indictam Synodum, vt fieret, proclamauit. At illi nihil morati, quater eum euocauerunt. Qui cùm noluisset occurrere, sed Synodum, vt diximus legitimam fieri flagitaret, damnauerunt eum. Quod cùm circa vesperam fuisset nunciatum, populus ad seditionem maximam excitatus est, ita vt noctu concurrentes eum trahi ab Ecclesia non sinerent, sed clamarent, vt apud maius Concilium de eo ageretur examen. Porrò iussio Principis vrgebat, velociter eum eijci, & in exilium deportari. Quod cognoscens Ioannes, tertio damnationis die seipsum, populo ignorante, contradidit: cogitabat enim ne vlla propter ipsum seditio nasceretur. Et ille quidem in exilium ducebatur ad ostium Ponti, quod vocatur Hieron; in populo autem seditio enormis est exorta, ita vt etiam ad ipsa regalia concurreret & proclamaret. Accessit autem & quòd

Prouocat Ioãnes ad Synodum legitimam.

Seipsum tradit in exiliũ, ne tumultus oriatur.

quòd per noctem terræ motus ciuitatem regiam inuaſerit. Vnde & Legati manè mittebantur ad eum, rogantes vt velociùs reuerteretur ad ciuitatem, & orationibus ſuis pericula remoueret. Sed & alij poſt illos, & rurſus alij deſtinati ſunt, ita vt Legatis Boſphorus repleretur. Quod cùm fideliſſimus populus cognouiſſet, fluctus Propontidos nauibus eſt coopertus. Omnes enim occurrerunt, cereos & lampades accendentes pro reuerſione Paſtoris.

Renocatur eum ſumma gloria.

COACTVS eſt itaque iterum in ſede reſidere Epiſcopali. Sed poſt aliquantum temporis iterum noua exorta eſt tragœdia. Omitto hîc illa quæ contra eum de nouo calumniabatur Theophilus, eiuſque complices, vt quòd in cathedra ſediſſet ſine declaratione quòd ipſius depoſitio fuiſſet irrita, aliaque eiuſcemodi: illud autem inſigne erat atque adeò præcipuum: Erat Auguſtæ Eudoxiæ ſtatua argentea conſtituta in columna Porphyretica, chlamyde circumamicta, eratque poſita non longè ab Eccleſia Sophiæ, quam plateæ tantummodo diuidebat iter. Illic ergo conſuetè ludi publici occurrebant. Porrò Ioannes iniuriam hoc arbitratus eſſe Eccleſiæ, conſueta fiducia ſuam iterum armauit linguam: Auguſta quoque identidem ad ſuam hæc trahebat iniuriam, & denuò præparabat vt aduerſus eum Synodus celebraretur Epiſcoporum. Interea autem * quidam homo comprehenſus eſt qui Ioannem volebat occidere, traditusque ad ſupplicium Præfecto, à Ioanne tamen, ne perimeretur, ereptus eſt. Poſtea etiam Elpidij preſbyteri ſeruus curſu in Epiſcopum irruens, eum interimere nitebatur. Et dum à quodam teneretur, & ipſum repentè percuſſit, ſimul & alium adſtantem, & item tertium. Quin & clamore facto, & multis conuenientibus, plurimos interemit, ſed nouiſſimè tentus & traditus eſt. Ex illo autem tempore Ioannem populus cuſtodiebat, die noctuque eius circũſedentes domum.

Iterum ab eo reprehenſa Imperatrix iterum contra eum m[illegible]litur.

** Zozomenus.*

Plures nituntur ſanctum Epiſcopum occidere.

SED neque hic quieuit inimicorum eius conatus; ſed coit denuò Synodus: in qua aderant Leontius Ancyræ, Ammonius Laodiciæ & alij; ſubornanturque rurſum accuſatores veteres. Quorum minis cùm nihil Ioannes moueretur, Epiſcopi nihil aliud intendebant, niſi quòd per Concilium abdicatus à munere, nihil ſeciùs conſediſſet in cathedra. Cumque reſpondiſſet Ioannes, quòd poſt eam damnationem ſexagintaquinque Epiſcopi ipſi communicantes declaraſſent irritam eſſe depoſitionẽ; illi reclamantes; Plures, inquiũt, te depoſuerũt.

Iterum coit contra eum Synodus.

Nota.

Ad quæ rursum Ioannes: Si ita; & Athanasium oportet habere pro damnato, quòd à pluribus damnatus sit quàm probatus. Sed non receperunt Episcopi satisfactionem. Sed & negotio fauebat Imperator, Augusta scilicet, alijsque Ioannis æmulis ei ad aurem obgannientibus. Itaque sub Natalem Christi non venit ex more ad templum; sed Ioanni denunciauit, se non communicaturum illi, donec criminibus esset purgatus, idque faceret, priusquam Synodus in eum pronunciasset: vnde & postea sub Paschæ festum, quo tempore iam erat pronunciatum, rursum denunciauit ei, omninò se non posse venire ad illius Ecclesiam, qui duobus Concilijs esset condemnatus. Quo accepto nuncio Ioannes, ne quid tumultus ampliùs oriretur, ab Ecclesia tandem abstinuit. Cui qui fauebant, in Thermis Constantinianis Pascha celebrârunt. Quod exemplum secuti plures Episcopi, Presbyteri, Clerici, diuersis in locis collectas celebrarunt, qui post dicti sunt Ioannitæ, magnasque propterea persecutiones sunt perpessi.

Recusat eius communione etiam ipse Imperator Arcadius.

SED vt finem imponamus, coactus est tandem Ioannes rursum in exilium ire, & quidem in pusillum atque desertum Armeniæ oppidulum nomine Cucuson; cùm interim Innocentius Romanus Antistes audiens de Ioanne, & molestè ferens, volensque generale celebrari Concilium, scripsit Clero Constantinopoleos, quòd non oportet eum parère alij Pontifici quàm Ioanni. Scripsit autem & Honorius Imperator fratri suo Arcadio, increpans, admonens, adhortans, vt reuocetur sanctus. Sed omnia impedit suis machinis Imperatrix, obsessis etiam deinceps itineribus, Legatisque Romanis clàm malè mulctatis. Mansit igitur in exilio Ioannes, quamuis non sine fructu. Nam cùm vixisset ibi annum vnum, plurimos interim sua vita linguaque ad Euangelicam philosophiam pertraxit, egenos eius regionis, cùm valida ibi esset fames, miro studio subleuans. Sed hinc acrior exarsit inuidiæ flamma. Itaque Cucuso Arabissum deportatus est, hoc studio agentibus qui eum deportabant, vt itineris incommodis exstingueretur homo tenui corpusculo. Verùm ille spiritu infracto, & illic plurimos ad fidem Christi conuertit.

Cogitur rursum exulari, frustra pro eo scribentibus Innocentio Papa & Imperatore Honorio.

In exilio multa bona facit.

Rapitur de loco ad locum vt quàm citissimè moriatur.

QVO se verterent inimici eius inuidia dirupti? impetrant rescriptum atrocius, vt in desertum angustumque locum deportaretur, vnde non liceret prodire, Pityuntem vocant, vbi fines sunt Ponti regionis, Imperijque Romani, regio crudelissimis Barbaris finitima. Quò cùm eum milites deducerent,

non

non dissimulantes magnifica sibi præmia esse promissa, si Ioannes in itinere moreretur, postquam mensibus tribus per æstus sine vlla refrigeratione corpusculi durissimum iter pertulerat, tandem vocatus noctu à beato Basilisco martyre propè Comanas, sumptis Ecclesiæ Sacramentis, seque consignãs, animam Deo reddidit, decimo octauo Calendas Octobris. Cuius sanctitas quanta fuerit, vel ex eo solo collige, quòd Occidentales Episcopi, Orientalium, Ægyptiorum, Bosphorensium, atque Thracensium non prius amplexi sunt communionem, quàm illius sacratissimi viri nomen inter prædecessores poneretur Episcopos. Corpusculum eius primò honestè conditum est iuxta Basiliscum martyrem in eadem Ecclesia, concurrente eò magna multitudine hominum insignium è Syria, Cilicia, Ponto & Armenia. Sed postea insigni pompa Constantinopolim illud portandum curauit Theodosius Arcadij filius, parentum suorum veniam petens; quod factum fuit sexto Calendas Februarij: vnde postremò translatum est Romam, in Basilicam Vaticanam.

Vocatus in visu à S. Basilisco martyre, paulo post moritur.

Defertur eius sacrum corpus Constantinopolim.

VITA S. PAVLÆ NOBILISSIMÆ

viduæ Romanæ, ex D. Hieronymo ad Eustochium.

Est epist. 17.

XXVII. IANVVRII.

SI cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humana voce resonarent, nihil dignum sanctæ ac venerabilis Paulæ virtutibus dicerem. Alij altiùs repetant, & matrem Blesillam & Rogatum proferant patrem; quorum altera Scipionum Gracchorumque progenies est; alter per omnes ferè Græcias vsque hodie Agamemnonis fertur sanguinem trahere: nos nihil laudabimus, nisi quod proprium est, tametsi valdè magnum sit pro Christo ea despexisse. Tali igitur stirpe generata, iuncta est viro Toxotio, qui è Iuliorum erat posteris, cui quinque edidit liberos, Blesillam, Paulinam, Eustochium, Ruffinam & filium Toxotium. Qui vir eius cùm esset mortuus, ita eum planxit vt propè ipsa moreretur; ita autem se conuertit ad Domini seruitutem, pauperumque curam, vt eius mortem videretur optasse. Orientis interea & Occidentis Episcopos ob Ecclesiarum dissensiones, Romam Imperiales literæ contraxerant. Vidit ibi inter alios, admirabiles viros, Paulinum Antiochenæ vrbis Episcopum, & Epiphaniũ

S. Paulæ genus clarissimum.

Nota insignẽ antithesim.

Salaminæ Cypri, quæ nunc Constantia dicitur: quorum Epiphanium etiam hospitem habuit; Paulinum in alia manentem, domo, quasi proprium humanitate possedit.

Etiam ipse S. Hieronymus multum eam excitauerat sed vide plenius in vita ipsius. Deserit patriam & liberos, vt melius vacet Christo.

ET quidem horum accensa virtutibus, patriam deserere cogitabat, solaque, si dici potest, ad eremum Antoniorum atque Paulorum pergere; cùm tandem descendit ad portum. Iam carbasa tendebantur, & paruus Toxotius supplices manus tendebat in littore; Ruffina iam nubilis, vt suas exspectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat: & tamẽ illa siccos tendebat in cœlum oculos, pietatem in liberos pietate in Deum superans: sola ex liberis Eustochio comitata nauigat. Longum est quo affectu, seu quali munificentia omnes vbique in transitu viderit sanctos, per monasteria Cypri, Antiocheni tractus, Palæstinæ vniuersæ, nec non & Ægypti. Tandem in sanctam Bethlehem veniens, ibi perpetuò mansura, angusto per triennium mansit hospitiolo, donec exstrueret cellulas ac monasteria, & diuersorum peregrinorum iuxta viam conderet mansiones, in qua beata Maria & Ioseph hospitium non inuenerant. Sed magis consideremus eius virtutes. Quod apud Christianos primum est; tanta eius erat humilitas, vt cùm frequentibus choris virginum cingeretur, tamen & voce & habitu & incessu omnium esset minima. Nunquam post viri mortem vsque ad diem dormitionis suæ cum vllo comedit viro, quamuis etiam eum sanctum, & in Pontificali sciret culmine constitutum.

Exstruit in Bethlehem monasteria & xenodochia.

Nunquam comedit cum viris quantumuis sanctis.

BALNEAS nisi periclitans non adijt. Mollia, etiã in grauissima febre, lectuli strata non habuit; sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat; si tamen illa quies dicenda est, quæ iugibus penè orationibus dies noctesque iungebat. Crederes in ea fontes lachrymarum. De quo cùm à nobis crebriùs moneretur, vt parceret oculis, aiebat: Turpãda est facies, quam cõtra Dei præceptum purpurisso & cerussa & stibio sæpè depinxi: affligẽdũ corpus, quod multis vacauit delicijs: lõgus risus perpeti compensandus est fletu: mollia linteamina & serica pretiosa asperitate cilicij commutanda. Si pauperem videbat, sustentabat; si diuitem, ad benefaciendum hortabatur. Liberalitas ipsa, vt ita dicam, excedebat modũ. Et vsuras tribuens, versuram quoque sæpiùs faciebat, vt nulli stipem rogantium denegaret. Fateor errorem meum. Cùm in largiendo esset profusior, arguebam illud proferens de Apostolo: Non vt alijs sit refrigerium, vobis autẽ tribulatio, aliaq; eiusmodi.

Affligit se rigidissime.

2. Cor. 8.

At

At illa: Ego, inquit, si petiero, multos inueniã qui mihi tribuãt: iste mendicans, si à me non acceperit quæ ei possum etiã de alieno tribuere, & mortuus fuerit, à quo eius anima requiretur? *O veri animus Christiani, qualis debet esse in pauperes.*

SED non hoc solùm. Quin & tantæ fuit continentiæ, vt exceptis diebus festis, vix oleũ in cibo caperet, vt ex hoc vno æstimetur quid de vino & liquamine, piscibus, & lacte, & melle, & ouis, & reliquis quæ gustui suauia sunt, iudicârit. Varias patientissimè tulit obtrectationes quorundã & calumnias, gloriam suam existimans testimonium suæ conscientiæ. Post virorum monasterium, quod viris tradiderat gubernandum, virgines quas è diuersis prouinciis cõgregarat, in tres turmas monasteriaque diuiserat, ita tamen vt in opere & cibo separatæ iungerentur in psalmodiis & orationib. atq; ita hora tertia, sexta, nona, vespere & noctis medio per ordinem Psalterium cantabant, vnoquoque agmine matrem propriam sequente. Si qua erat nobilis, non permittebatur de domo sua habere comitem, ne veterum actuũ memor, lasciuientis infantiæ crebra confabulatione renouaret errorem. Tarda erat Paula ad loquendum, velox ad audiendum, scripturas sanctas tenens memoriter. Loquar & aliud. Hebræam linguam etiam consecuta est, ita vt Psalmos Hebraicè caneret, & sermonem absque vlla Latinæ linguæ proprietate personaret. Sed quid agis anima. Cur ad mortem eius venire formidas? *Patiẽter fert varias calumnias.* *En vsum horarum canonicarum antiquissimum.* *S. Paula tarda ad loquendum.*

SENTIEBAT prudentissima adesse mortem: & frigente alia parte corporis, solum animæ teporem in sacro pectore palpitare. Susurrabat illos versiculos: Domine, dilexi decorem domus tuæ: &, Quàm dilecta tabernacula tua Domine, concupiscit & deficit anima mea. Cumque à me interrogaretur, cur nollet respõdere, & an doleret aliquid, Græco sermone respondit, nihil se habere molestiæ, sed omnia quieta & tranquilla perspicere. Atque post hæc obmutuit. Demum clausis oculis quasi mortalia despiciens, vsque ad exspirationem animæ eosdem repetebat versiculos, vt quod dicebat, vix audire possemus, cùm ecce digitum ad os tenens, crucisque signum pingens in labiis, fideli creatori animam suam tradit. Et quæso, quem tunc monachorũ latentium in eremo cellula sua tenuit? quam virginum cubiculorum secreta texerunt? Sacrilegum putabant, qui non tali feminæ vltimum reddidisset officium. Hebræo, Græco, Latino, Syroque sermone Psalmi in ordine personabant, non solùm triduo, donec & subter Ecclesiam & iuxta specum Domini conderetur, sed per omnem hebdomadam, *Psal. 25. & 83.* *Moritura per spicit omnia tranquilla & quieta.* *Cruce se consignans migrat ad Christum.* *En Psalmos super defunctos.*

dam, cunctis qui venerant, suum funus & proprias credentibus lachrymas. Sed tu vale ô Paula, & cultoris tui vltimam senectutem precibus iuua. Porrò dormiuit sancta & beata Paula septimo Calendarum Februariarū. * Honorio Augusto sexies & Arestenio Consulibus, cùm vixisset in sancto proposito Romæ annos quinque, Bethelhem annos viginti, omne autem vitæ tempus quinquaginta sex.

* *Post solis occubitum: vnde scilicet et Martyrologiū sexto Calēdas habet.*

VITA S. CAROLI MAGNI

Cæsaris, ex incerto auctore.

XXVIII. IANVARII.

CAROLO Francorum regi, cui postea ex magnitudine rerum gestarum Magno fuit cognomen, patrem fuisse tradunt Pipinum regem, qui primus in Francos (sicuti quidam scriptores memoriæ prodidêre) liberam dominandi potestatem habuit: cùm superiores Francorum reges angustis conditionibus septi, ea lege viuerent, vt magis nomine & inani titulo, quàm dignitate regia potirentur. Nam opes ac potentia regni, & omnium rerū administratio ad præfectos regiæ domus (sic enim eos vocitabant) communi consensu deferebatur. Hi domi militiæque summam potestatem habentes, populos pro suo arbitratu regebant, de omnibus cōtrouersiis decernebant, præmia pœnasque constituebant. Quibus fiebat, posthabitis regibus, ij soli essent qui in summo honore haberentur: hunc verò magistratum qui apud Francos amplissimus habebatur, consequi non poterant, nisi præcipua nobilitate viri, & qui regibus essent necessitudine, aut propinquitate coniuncti. Pipinus igitur hac dignitate, quam veluti hæreditariam à patribus suis acceperat, multis annis egregiè functus, maximā sibi apud omnis generis homines tum famā, tum beneuolentiam comparauit: quibus postea factum est, vt cùm Franci ac Romanorum Pontifex Hildericum regem à dominatione veluti inutilem semouissent, hunc potissimùm deligendum putarent, cui communi sententia regnum decernerent. Sic igitur Pipinus autoritate Pontificis & Francorum decreto plena dominandi potestate suscepta, reliquam deinde vitam publicis pariter ac priuatis rebus egregiam duxit. Regnauit annos quindecim, cuilibet superiorum regum belli pacisque artibus & gloria par. Huic successêre superstites filij duo, Carolus, & Carolomannus, æquè regno inter se partito. Sed non multò pòst defuncto Carolomanno, Franci

Administratio regni habita antiquitùs seruata.

Pipinus Frācorum Rex factus.

Eius filij duo.

cam

eam regni partem quam ille possederat, Carolo fratri detulerunt. Cuius vitam & mores, & res egregiè gestas literis mandare constitui, vt memoriam tanti viri, tamque præclarè de nostra patria meriti, quantum ego possem, ab obliuione hominum atque à silentio vindicarē. Primùm igitur (vt à rebus gestis narratio nostra exordium sumat) satis exploratum habemus, Carolum regem extempló post Pipini obitum aduersus Aquitanos bellum gessisse. (Aquitania pars Galliæ est, quæ antiquorum descriptione, à Garumna flumine ad Pyrenæos montes, & ad eam partem Oceani, quæ ad Hispaniam pertinet, spectat, inter Occasum solis & Septentrionem.) Hanc prouinciam Pipinus superato Vaifario duce, post longum bellum ditioni suæ penè subiecerat. Deinde Pipino Vaifarioque sub vnum propè tempus defunctis, Hunuldus vir potēs, ex eorum morte (vt plerunq; fit) occasionē nactus, bellū quod antea penè confectū videbatur, renouauerat, iamq; ferè Aquitaniam totam ad defectionem cōpulerat. Carolus verò vbi hæc quæ in Aquitania gerebantur, cognouit, nullā moram interponendam ratus, ingenti celeritate exercitu cōparato, obuiam Hunuldo progreditur. Primò aduentu conatus illius facilè reprimūtur, nec multo postea cōmisso prælio, Carolus hostē superat, exercitū fundit, fusum persequitur: nec priùs victoriæ modum imponit, quàm Hunuldū ex omni Aquitania pulsum, in proximā regionem, quam nunc Vasconiā vocant, cōpelleret. Lupus, qui huic prouinciæ dominabatur, propinqui ac familiaris viri misericordia motus, Hunuldū ad se fugiētem comiter hospitaliterq; accepit. Euenire enim solet, vt principū afflictę fortunæ facilè corū opes ad misericordiā alliciant, qui sunt in simili dignitate ac potentia cōstituti. Verùm Carolus cùm non minorē victoriam in capiendo hoste, quàm in subigenda Aquitania collocatā putaret, traiecto Garūna flumine, ac exercitu propius admoto, legatos ad Lupum misit, qui dicerent, vt nisi Hunuldum hominē infestū nomini Francorum quàm primùm ad se adduxent, se eum hostis loco habiturum. Lupus his mandatis vehemēter cōmotus, ac veritus, ne potentissimū regē totamq; belli molē, quam sustinere nō potuisset, in se vnū conuerteret, salutare sibi ac gratū Carolo consilium cepit. Nulla enim interposita mora, Hunuldū simul & seipsum vnà cū prouincia Caroli potestati permisit. Sic igitur Carolus in Aquitania cōpositis rebus belloq; citiusomnium opinione confecto, cum victore exercitu in regnum reuertitur. Post Aquita-

Caroli Magni res gestæ in Aquitania.

Hunuldus à Lupo recipitur in Vasconia.

Datur in manus Caroli Magni.

quitanicum bellum Hadrianus Ro. Ecclesiæ pontifex à Desiderio Longobardorum rege vehementius, quàm vires suæ paterentur, opressus, quum proprijs præsidiis Ecclesiæ statum tueri non posset, Oratores ad Carolum misit, qui multis precibus eum rogarent, vt Ro. Ecclesiæ in summo periculo constitutæ, opem & auxiliũ ferret: ac Pipini patris, Caroliq; Martelli qui olim in Italia aduersus hanc nationẽ egregiè pugnauerant, memoriam renouaret. Carolum multæ res hortabantur, quare Pontificis defensionem suscipiendam, & Longobardorum audaciæ quacunque ratione occurrendum putaret, In primis quòd non ignorabat, caput Christianæ fidei rẽ Romanam esse, eiq; tam graui bello laboranti non subuenisse, turpe simul ac periculosum esse cẽsebat. Indignabatur prætereà, quòd barbaræ gentes tamdiu in Italia regnarẽt & à maioribus suis sæpe prælijs victæ nondum contineri possent, quin Pontificibus Romanis contra ius fasq; vltrò bellũ inferrent. Quare his rebus, antequàm vlterius augerẽtur Longobardorũ vires, quàm primùm occurrendũ ratus, legatos ad Desiderium mittit, qui eum hortentur, vt finem iniurijs faciat, ab armisque discedat, ac omnia oppida, quæ aut vi occupata essent, aut sponte ad eum defecissent, pontifici Rom. restituat. Hæc si fecerit, sibi perpetuã gratiã atq; amicitiam cum eo fore polliceantur, sin vero, quod facturus videbatur, mandata neglexerit, ei suo nomine bellum indicant. Dum legati proficiscuntur, interim Carolus non segniùs, quàm si hostes in Gallia essent, exercitũ parat, nullã proficiscendi morã facturus, si Desideriũ regem perseuerare in bello cognouerit. Hæc expeditio per omnem Galliam vulgata adeò grata cũctis Francorũ populis erat, vt iam palam vociferaretur, maturãdum in Italiã esse, toties à se victã Longobardorũ gentem vires resumere, conditiones acceptas negligere, semper bella ex bellis serere, itaq; nunquam quieturã, nisi eorũ nomen penitus deleatur. Sic igitur omnium in expectationem belli erectis, legati à Desiderio redeũt, nunciantes omnia ibi hostilia esse, regem maius quàm antè bellum moliri & quãtum coniectura assequi possent, nunquã iniurijs finem facturum, nisi cùm sibi vires & arma ad inferendam iniuriam desint. Carolus his rebus vehementer commotus, maturandum sibi existimauit, ne antè Rom. Pontifex opprimetur, quàm ei ferre subsidium posset, Itaque re frumentaria, cæterisq; ad bellũ necessarijs quàm celerrimè potuit comparatis, magnis itineribus in Italiam cõtendit. Sed multa huic suæ fe

Oratores missi à summo Pontifice ad Carolum Magnum.

Legati ad Desiderium missi.

Expeditio in Italiam grata populo Gallico.

Multa eius festinationem impediebant.

suæ festinationi aduersabantur; montium altitudo, locorum angustiæ & penè inuij saltus, per quos miles onustus armis, & impedimenta exercitus ducenda erant. Accedebat, quòd Alpium iuga præsidijs hostium tenebantur. Miserat enim Desiderius, qui occupatis oportunis locis, quantùm possent Francorum transitum prohiberent. Hæc cùm ita essent, Carolus tamen non ignarus, res præclaras, labores maximos, maxima quoq; pericula sequi, suos hortatur, vt quoad locorũ angustiæ patiãtur, seruatis ordinib⁹ ire ad hostẽ pergãt. Appropinquãti Alpiũ iugis, nunciatũ est, hostes relictis angustijs se in planum recepisse, seu metu perterritos, seu quia tutiùs faciliusque esse arbitrarẽtur, descendẽti ab Alpibus Carolo cũ omnib. copijs confestim occurrere. Vix ad Desideriũ perlatũ erat, Francorum exercitum post paucos dies in Italia fore, cùm Carolus superatis iam Alpibus, in agrum Taurinũ descendit, vbi primùm Hannibalem Carthaginensem alpes transgressum cum omnibus copijs constitisse tradunt. Eo in loco Carolus paucis diebus refecto milite, cùm per exploratores præmissos certior factus esset, Desiderium regem prope Vercellas castra habere, ac ibi cum ingenti exercitu aduentum expectare, nihil vltrà differendum ratus, ex Taurinis mouit, atque continuatis castris in agrum Vercellensem peruenit. Erat Carolus virtute militum & rei militaris peritia longè superior, multitudine ac numero hominum à Desiderio vincebatur. Cùm propè in conspectu exercitus essent, facta vtrinque potestate pugnandi, prælium cõmisère. In ea pugna superati Longobardi in fugam vertuntur, magna parte suorum amissa. Desiderius postquàm suos passim fusos fugatosque conspexit, cito gradu Papiam, quæ caput regni erat, cum paucis militibus petit. Nec segnius Carolus, priusquàm se hostes ex terrore fugaq; reciperent, regẽ persequutus, in agrum Ticinium exercitum ducit extemploq; omnibus copijs ad mœnia regiæ vrbis admotis, tẽtat si primo impetu capi posset. Vbi id parum processit, consilijs, ab oppugnanda vrbe ad obsidendã versis: sub ipsis mœnibus castra locat, subsidiaq; firma ne qua eruptio fieri possit, portis apponit. Cæterùm cum satis constaret Desiderium regem priusquàm deditionem faceret, paratũ esse etiam vltima experiri, Carolus parte copiarum ad obsidionem relicta, ipse cũ reliquo exercitu ad trãspadanos cõtendit. Ibi ciuitates permultę audita fama virtutũ suarũ, rebusq; prosperè gestis, certatim ad eũ deficiũt. Sed quod in primis ei gratissimum fuit, filij

Eius res gestæ contra Desiderium Regem Lõgobãdorũ, pro defensione sedis Apostolicæ.

Papiæ obsidetur Desiderius.

Carolo

Carolomani, qui ex tẽplò post mortẽ patris malo consilio temeritatẽ matris sequuti, ad Desideriũ regẽ perfugerãt, spõte in sua castra venerũt, ac se suaque omnia potestati Caroli permiserunt: à quo benigne excepti, magnoq; affecti honore, etiam in posterum filiorum loco habiti sunt. Post hæc Carolum, cùm studio salutandi Pontificem, tum desiderio visendi celeberrimum beati Petri templum, Romam profectum, ac incredibili honore ab Hadriano susceptũ, post paucos dies ad obsidionem redijsse comperio. Erat obsidio vehemens, & frumenti cum summa caritate inopia, sedendoque expugnaturos se vrbem Franci sperabant. Oppidani contrario insessis omnibus vijs per quas commeatus ex proximis locis subuehebantur, diffidebant inopiam diutius ferre posse, rem tamen quantũ poterant producebant, beneuolentia alij, alij metu Desiderij regis compulsi. Postremò spe quoque non solum cibo deficiente, cum famem vlterius tolerare non possent, sexto mense quàm obsideri sunt cœpti, deditionem faciunt. Capitur Desiderius vnà cum vxore ac liberis, quem vltimum Longobardorum regum in Italia regnasse tradunt. Tunc enim summo beneficio Caroli Italia se primùm erexit, quæ anteà diutius quàm victricem omnium gentium prouinciam decuit, Barbarorum immanitate oppressa iacuerat. Nam post sedem Romani imperij Byzantium translatam, Gotthi primi barbarorum, diuersis deinde temporibus Hunni, Vandali, Heruli, postremi omnium Longobardi, veluti in vacuam possessionem ruentes Italiam inuasere. Eam gentem tradit fama ab Oceano Germaniæque vltimis oris, vnde illis haud dubiè origo fuit, nouas quærentem sedes in proximas regiones transisse, ac Vandalos, Herulos, Gepidas aliasque finitimas gentes, Ibore & Aione ducibus, sæpe bello superasse, mutatisq; frequenter sedibus, tandem intra Pannonias constitisse. Inde Albuinus eorum rex, accersitus ab Narsete eunucho (vt quidam memoriæ prodidêre) cùm præter Longobardorum multitudinem viginti quoque Saxonum millia spe optimarum sedium exciuisset, profectus ingentibus peditum equitũq; copijs in Italiam venit, breuiq; Vicentiam, Veronam, Mediolanũ, ac omnis penè citerioris Galliæ vrbes partim peste, partim Gotthorum cladibus exinanitas, ad deditionem compulit. Papia verò cum tres annos obsidionem tulisset, tãdem & ipsa fame domita, Barbarorum imperio cessit. Nec ambigitur, quĩ idẽ rex paucis annis totam Italiam subegisset, ita omnia apud Italos

Capitur vrbs & Desiderius cum vxore ac liberis.

Albuinus Rex Longobardo.

los

los perdita erant, nisi sexto supra trienium mense, postquàm Italiam ingressus est, apud Veronam interijsset, dolo vxoris Rosemundæ necatus. Huic successit Dephon insignis nobilitate vir, Albuino nequaquam virtute par, sed crudelitate ac immanitate naturæ longè superior. Eo quoque intra biennium vita functo, Longobardi decem deinde sequentibus annis nullum sibi regem creauère, siue superbia proximi regis huic generi dominationis infensi, siue gubernationem suorum ducū vtiliorem rati, qui iam per omnem Italiam vagantes ita impigrè bellum gerebant, vt nunquam eo tempore sit regia desiderata potestas. Sub his ducibus adeò creuère Longobardorum opes, vt Hetruria, Flaminia, Piceno, Samnio, alijsq; regionibus subactis, omnem Italiam à Brundusio Tarentóq; vsque ad Alpes tenerent, præter vrbē Romam quam constat in huius gentis potestatem nullo vnquam tempore deuenisse. Finito decēnio, reditum est rursus ad pristinam consuetudinem creādi reges, seruatumque deinde per omne tempus vsque ad Desiderium, qui vltimus Longobardorum regum in Italia fuit. Quo debellato (vt suprà memorauimus) Carolus Magnus grauem eius gentis dominatum quarto & ducentesimo anno quàm regnare inceperant, à ceruicibus Italorum dimouit, ac omnes ciuitates quæ ad Desiderium proximo bello defecerant, recuperatas Pontifici Ro. restituit; Beneuentanum quoque ac Spoletanum agrum adiecit. Quibus meritis Hadrianus pontifex, cū nullum maius grati animi indicium posset ostendere, conuocato frequenti Episcoporum cœtu, eximioque celebrato concilio, multis ac maximis priuilegiis eum ornauit. Carolus confecto Longobardorum bello, potentissimo rege capto, cùm alia quoque magni ponderis animo moliretur, nullam moram interponendam putauit, quin in Galliam confestim rediret. Saxonicum quippe intermissum bellum eum domum reuocabat, quod eo biennio antequam Carolus ad liberandum Romanum Pontificem in Italiam veniret, & inceptum simul, & à præfectis eius per id tempus leniter administratum comperio. Quo magis adducor vt virtutem viri ac animi magnitudinem admirandam putem, quòd posthabitis ferocissimis hostibus relictoque domestico bello, rem suam neglexerit, vt Italiam, Ecclesiamque Romanam, qua omnium Christianorum salus continebatur, ab immanitate barbarorum liberaret. Saxonum gens longè maxima erat, ac etiam bellicosissima penè Germanorum omnium. Hi falsos colentes deos, cùm neque diuini

Longobardi biduoes non reges creant.

Rursus reges.

Car. li M. gni [illegible]

Saxonū [illegible]

neque humani iuris quicquam pensi haberent, nihil æquè, ac religionem nostram hominesque ei deditos oderant. Proximi erant Francis, cum quibus continenter bella gerebant. Sæpe prælijs victi conditiones acceperant, obsides dederant: sed nõdum apud Francos erat inuentus, qui domita penitus eorum perfidia, plenissimam esset victoriam consequutus. Hæc palma cùm Carolo Magno quasi diuino numine reseruata videretur, non solùm consilio principes, sed passim omnes clamoribus agunt, vt aduersus perpetuos Francorum hostes totis viribus arma sumantur. Carolus verò tempus venisse ratus, in quo non modo Barbarorum hominum audaciam frangere, sed etiam eorum regnum, quod multo antè animo agitauerat, fũditus euertere possit; ingentem exercitum parat, diem dicit, qua die prope ripam fluminis Rheni omnes conueniant. Nũquam aliàs maiori alacritate contentioneque animorum suscepta à Frãcis expeditio est. Hinc odium gentis, hinc spes bene gerendæ rei animum excitat. Sed supra omnia, studium auget præsentia regis, cuius ductu auspicioque non modò Saxonum gentem, sed etiam orbem terrarum, si velit, superare se posse credebant.

VITA B. MARGARETÆ VIRGINIS

filiæ Regis Hungariæ, ord. Prædicatorum, ex

F. Garino S.T.D.

XXVIII. IANVARII.

Vouetur sancta Margareta Domino antequam nascitur.

Triennis statim Domino offertur.

ILLVSTRISSIMA virgo Margareta in Dominicano cœnobio Insulæ beatissimæ semperque virginis Mariæ, quæ est in Danubio & diœcesi Vesprimiensi, monasticam professa religionem, valde nobilis fuit genere, sed moribus etiam nobilior. Fuit enim filia illustrissimi Regis Hungariæ Belæ, ac Reginæ Mariæ: qui cùm timerent Tartaros ipsorum regnum inuasuros, voto se obstrinxêre Deo, si regnum liberaret à Tartaris, & filiam ipsis daret, oblaturos se illam ipsi perpetuò seruituram apud Sorores instituti Dominicani. Et Tartari quidem discessêre: Regina verò concepit, & peperit filiam Margaretã. Quæ vbi annos tres & sex menses ætatis habuit, à parentibus in monasterium Vesprimiense oblata est, eiusque amore domina Olympias comes, quæ eius fuerat nutrix, monasticum

quoque

quoque induit habitum in eodem cœnobio, vt & Deo seruiret, & puellam nobilem custodiret. Margareta verò in tantilla etiam ætate statim deuotioni se dedit, & preces Horarias beatissimæ Mariæ virginis cum aliis persoluit; aliisque ludentibus ipsa orationi vacabat. A qua consuetudine cùm magistra illius retrahere illam vellet, ne corpusculum suum grauaret; tamdiu permansit in fletu, donec magistra lacrymis eius victa, liberam ei faceret in precibus perseuerandi potestatem. Erat sanè summa humilitate prædita, nec Regis filia dici voluit, sed quoties sic appellata fuisset, cum lacrymis conquerebatur se audiuisse vituperium. Atque hac de causa etiam rarò voluit loqui cum parentibus suis.

Aliis puellis ludentibus ipsa orabat.

QVANDAM crucem paruulam de ligno sanctæ Crucis habens semper secum portabat, & die ac nocte sæpius osculabatur deuotè, vt plurimùm etiam orans ante altare S. Crucis, vel aliàs corã imagine saltem Crucifixi. Humilitatis & paupertatis erat studiosissima. Cùm mittebatur ei pannus pretiosus pro veste, dabat illum pauperculis sororibus, recipiebatque ab illis earum vilia indumenta. Nunquam linteis vtebatur, nec in corpore, nec in lecto. Circa septimum annum asperum ciliciũ ad carnem ferre cœpit, & deinceps per totam vitam in Aduentu Domini & Quadragesima, Ieiuniis Quatuor temporum, Vigiliis Christi, & B. Virginis, Apostolorum, & præcipuorum Sanctorum: aliis verò temporibus à die Iouis vsque ad Completorium Sabbathi sequentis eo vtebatur. Postquam autem decem plus minus annorum fuit, cùm multis aliis translata est ad monasterium Insulæ Danubij ab eius parentibus Christi amore fundatum: A quo tẽpore succedũt etiam magis miranda. A duodecimo anno, in quo professionem expressam fecit, Confessarius ei occultè obtinuit & tradidit cilicium asperrimum è pilis equorum & setis porcorum cum multis intextum nodis, instar retis. Præter hoc habebat sub cilicio circulum ferreũ, quo caro eius nuda fortiter stringebatur Corpus quoque suũ multis ictibus flagellabat; nocte qualibet, post disciplinam, vt vocant, cum aliis communiter acceptam, secedentibus cæteris, rursus ipsa se cædens virgis, & interdum etiam virgultis spinosis.

Singulariter deuota est crucis Christi.

Domat se aspero cilicio.

Item fert circulũ ferreum super nudam carnem.

CARNEM suam abstinentiis & ieiuniis assiduis macerabat. Ab exaltatione S. Crucis vsque ad Pascha quotidie ieiunabat; & si Priorissa eam cogere vellet vti dispensationibus, tamdiu flebat, donec Priorissam vinceret lacrymis. Non solùm

autem in Vigiliis Natiuitatis Christi & beatæ Virginis, verùm etiam Pentecostes & Apostolorum, sed & quorumlibet solennium Sanctorum, & per totam Quadragesimā, ac omni quarta & sexta Feria, vt plurimùm solo pane & aqua contenta fuit, & aliis diebus permissum illi erat priuatùm cibum sumere, ne ab aliis videretur. A carnibus semper abstinuit toto tempore vitæ suæ, nisi graui & euidenti infirmitate teneretur; vnde & celabat suas ægritudines, ne carnes cogeretur comedere. Exhibebat se sororibus ad omnia officia vel ministeria ancillam humillimam. Sæpè seruiebat in refectorio; & vbi cibum sororibus apposuerat, currebat latenter ad Ecclesiam, & orabat donec comedissent, & tunc iterum rediens illis inseruiebat: nec solùm sanis, sed etiam ægrotis, idque etiam libentiùs. Prima sciebat earum ægritudines, moxque se ad seruiendum offerebat.

Omni quarta & sexta Feria ieiunat in pane & aqua.

Humiliter seruit in refectorio sicut vna ex cæteris.

Gaudet seruire ægrotis.

NOLEBAT quoque parci sibi à pœnis quæ cæteris sororibus irrogabantur. Itaque rogauit Priorem Prouincialem, vt ipsi, sicut aliis, mulctam irrogaret pro fractione silentij: sicque factum est, ita vt cum aliis quoque humi discumberet, panem & aquam comedens. Si qua soror per aliquot dies ei locuta nō fuisset, quærebat eam, prostrataque rogabat veniam, timens ne aliquid haberet aduersus eam. Virginitatem cordis & corporis semper seruauit, & præcipuè dilexit. Ea causa matrimonium Ducis Poloniæ, & Regis Bohemiæ, atque etiam Caroli Regis Siciliæ recusauit. Nunquam illi tædio fuit orare. Post Completorium manebat orans in templo, donec ianua clauderetur, clausis verò ianuis orabat in domo Capitulari ante imaginem Crucifixi; postremò clausis omnibus ostiis, orabat ante lectum ferè vsque ad gallicinium; & sic demum ibat cubitū; quanquā vix sciri poterat num in lecto iaceret. Nam expanso corio ante lectum, & lapide capiti supposito dormiebat. Intrabat autē lectum cùm aliæ debebant surgere, vt ita semper in lecto iacuisse crederetur. Similiter & post noctis absolutas preces vsque ad auroram vel circiter manebat in orationibus, & sic ferè tota nocte vigilabat & orabat. Habebat genas adustas profluuiis lachrymarum, quibus detergendis multa deterebat sudariola. Atque hæc quidē est admirabilis huius virginis vita.

O sanè solutam & ardētē charitatē.

Dormit lapide capiti supposito.

QVAE quantopere placuerit omnipotenti Deo, argumēto esse poterunt fideli lectori sequentia pauca ex multis. Cùm frater quidam nollet precibus virginis acquiescere, vt maneret, & die crastino haberet concionem, orationibus eius, nullo

tan-

tangente, fractus est currus fratris, & sic coactus est remanere. Peracta verò concione, rogauit virginem vt currum sibi restitueret. Orauit illa cum lachrymis, & statim currus, nullo tangente, multis videntibus fuit diuinitùs reparatus. Puella etiam quædam missa ab ea nocte Paschæ ad quærendam eius tunicam, cùm esset nox obscura, & ingens pluuia, cecidit in puteum profundum. Diu verò quæsita non inueniebatur, donec, orante sancta virgine, in superficie aquæ apparuit, & cum labore exstracta est. Eius autem omnia corporis membra confracta & conquassata erant, carebatque sensu & motu, & planè mortua videbatur. Improperabant itaque virgini quòd fuisset causa mortis eius. Orabat autem virgo beata cum lachrymis, & statim puella viua & sana, nullam habens læsionem, surrexit & ambulauit. Claruit etiam spiritu prophetiæ. Nam cùm Rex Bela pater eius iuisset pugnatum contra Ducem Austriæ, dixit Reginæ matri suæ, Regem, cæso Duce, victoria potiturum; quod & factum est.

Diuinitus eius precibus currus quassatus fractus, & iterum reparatus.

Item subito sanata puella quæ habebatur mortua.

OBITVM quoque suum anno vno antè præuidit & prædixit, & tandem, cùm sana esset corpore, multis præsentibus dixit, die ab inde decima se morituram. Tertia verò die, postquam ista prædixerat continua fuit: & interim semper orans & de Deo cogitans, receptis deuotissimè Ecclesiasticis sacramentis, vbi ad extremam horam venit, incepit Psalmum illum, In te Domine speraui. Et cùm dixisset, In manus tuas commendo spiritum meum; felicem animam transmisit in cælum, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo, ætatis verò suæ 28. Porrò in Ordine vitam sanctam duxerat annis quatuor & viginti vel circiter. Post transitum autem eius facies nimio decore resplenduit, sub oculis colore existente aureo; ita vt numquam pulchrior visa fuerit dum vixit. Simul etiam ex eius corpore manauit odor suauissimus aromata superans vniuersa, qui sensibiliter à cunctis eò aduenientibus percipiebatur non paucis diebus. Sed & multa quoque alia miracula fecit, & facit continuè in honorem sponsæ suæ Sponsus virginum Iesus Christus; cui cùm Patre & Spiritu sancto sit gloria per infinita secula. Amen.

Prædicit suum obitum.

Obdormit in Christo.

Ab eius sacrum corpus per multos dies perceptus odor suauissimus.

VITA S. THYRSI MARTYRIS,

ex Io. Maldonato Hispano.

XXVIII. IANVARII.

a Quæ est urbs Thraciæ.

DECIO Cæsare Romanam ditionem moderante, Britius præses Apolloniæ * Christianos ad Deorum culturam conabatur adigere. Cui Thyrsus Deorum ipsorum ex cultoribus vnus, sed ex ea se iam parans dementia vindicare, factus obuiam: quid vos, inquit, malos genios adoratis, vero relicto Deo, cui seruiendum soli, sermo diuinus exclamat? Quibus Britius commotus, iubet Thyrsum plumbatis (genus est flagelli) tundi. Ille ridens, quò magis, inquit, exterior homo conficitur, eò magis interior decoratur. Missus tum Thyrsus in cacabum feruentis plumbi, illæsus emersit, & plumbum in circunstantes subsultauit. Ductus in carcerem, cùm constrictus fuisset ibi relictus, nocte media reserato diuinitùs illuminatoque carcere, prodijt, & ad Episcopum venit, baptizatusque carcerem repetiuit. Syluanus præses, qui Britio Nicomediam properanti successerat, factus de Thyrsi gestis certior, constitui iussit ante se: & heus, inquit, sacrifica dijs bene iuuantibus. Cui Thyrsus, libenter quidem. Ingressusque cum Syluano templum, Deum paucis deprecatus est: & mox corruit Apollo, magnumque cunctis timorem incussit. Syluanus perterritus, reduci Thyrsum in carcerem iussit. Dum Thyrsus tenetur in vinculis, Syluanus ac Britius fœda tristique morte consumpti sunt. Quorum in locum Blandus suffectus, cùm Thyrsum animaduertit constantem, in mare proiecit: emersumque cernens, bestijs tradidit: nihil etiam nocentibus feris, in duas secari partes præcepit. Sed cùm à carnificibus Thyrsus nec findi quidem posset, vocem supernè vocantis audiuit, & continuò expirauit.

Thyrsus baptizatur.

VITA S. ALDEGVNDIS ABBATISSÆ,

ex ea quæ est per Hucbaldum Elnonensem.

XXX. IANVARII.

S. Aldegundis ex regia prosapia.

ANNO Dominicæ incarnationis circiter sexcentesimo trigesimo, in Francia regnante Dagoberto filio Clotarij, qui quartus erat à Clodouco, quem S. Remigius baptizauit, orta est in pago Hainoensi virgo Aldegundis, ex regali prosapia, patre Vualberto, matre Bertilia. Eo verò tempore multi religio-

ligiosi viri, Amandus Traiectensis Episcopus, Arnulphus Metensium; Authertus Cameracensium Pontifices, Eligius Nouiomensis, Audoënus Rothomagensis, Gislenus ab Athenis adueniens peregrinus in Galliam, & alij plures tanquam in cœlo luminaria partes orbis occidentales irradiabant; cùm puella Aldegundis, parentum cura diligenter enutrita, diuina gratia procurante sacris literis imbuta est; quarum scientia valde proficiens, amore cælestis Sponsi iam in ipsis puellaribus annis vehementer etiam flagrare cœpit. Quin etiam dum adhuc esset in domo parentum, cælesti frequenter suspensa contemplatione, modò vigilans, modò per somnium, diuina gratia sibi reuelante, cœpit multa visionum genera percipere: quas ipsa describens, Abbati cuidam religioso, nomine Sobino de monasterio Niuialensi, commisit. At verò interea cùm parentes virginis iam eam tradere marito disponerent, aduocat mater filiam, prædulcibus hortatur alloquijs. Sed sanè frustra. Incassum verba fundebat; puellæ mentem in Christo fundatam, quasi turrim non casuram, frustra pulsabat; Dominum Christum, speciosum forma præ filijs hominum, respondit: hunc adamaubat, hunc esuriens sitiebat, hunc sitiens esuriebat.

Etiamnum in ætate tenera mul. as vides visiones.

Frustrà ei suadetur de nuptijs.

AD hæc autem & misericordem in pauperes animum gerebat; diurnis lectionibus mentem assiduè pascebat, in respondendo cautissima, mitis omnibus: inter homines nobiles humilis, inter iuniores autem velut æqualis; in tantum in parcitate cibi & potus abstinentiæ dedita, vt sibi nulla sodalium æquiparari valeret. Et quidem iam soror ipsius beata VValdetrudis ob amorem sanctæ Religionis à viro suo pari consensu seiuncta fuerat; illoque religiosè in monasterio quod dicitur Altus mons conuersante, ipsa monasterium Sanctimonialium, consilio venerabilis Gisleni, in monte qui vocabatur Castrorum locus, ædificauerat: ibique cum ancillis Dei alijs superna contemplatione dulciter animum pascebat; cùm interea defuncta matre, atque in villa Curtis Solra sepulta, audiens Endo iuuenis, cui præfata mater filiam suam in coniugem dare disposuerat; instat vt virginem vxorem accipiat, imperatque fidelibus suis apparatum præparare nuptiarum. Quod cùm audisset virgo, valde timuit: fugiensque noctu in locum nemorosum, qui vocatur Malbodius, aliquot diebus ibi latuit, donec audiuit aduenisse S. Amandum, atque venerabilem Autbertum, Episcopos, in monasterium

Viuit sanctissime.

Nota de eius sorore sancta VValdetrude.

Vt fugiat carnales nuptias, per aliquot dies latet in sylua Malbodiensi.

Altimontis. Quò cùm nudis pedibus, & cum magna cordis humilitate properasset, deducta est deinde à sanctis Episcopis in oratorium quoddam eiusdem cœnobij, dedicatum in honore & memoria S. Vedasti: vbi & sacerdotali benedictione consecrantes eam æterno sponso Saluatoris desponderunt, sacrumque velamen in habitum sanctæ Religionis ei super caput imposuerunt.

Accipit sacrum velamen.

NEC mora, Beata Aldegundis de Altomonte reuersa in locum vbi priùs latuit, quem ipsa Malbodium nominauerat, qui locus adhuc desertus erat, cœpit sagacissimè locum excolere, vepribusque & radicibus exstirpatis habitacula construere, & seruos & ancillas Dei ibidem congregare. Denique post ædificium perfectum, Ecclesiam quoque ibi construxit in honore S. Dei genitricis Mariæ: in qua laudes diuinas & orationum vota quotidie persoluebat. Locum quoque vbi mater & pater eius sepulti fuerant, in melius reparauit, & ibidem duodecim sanctimoniales ad seruiendum Christo Domino constituit. Quin etiam in supradicto loco Malbodio, consilio beati Præsulis Amandi, & auxilio Dagoberti Regis, cum duabus sororis suæ beatæ VValdetrudis filiabus semetipsam contradidit, atque cum multis alijs ibi secum in sanctæ Religionis habitu congregatis, in sancta conuersatione permansit, cunctis se videntibus exemplum bonorum operum dignum imitatione relinquens. Erat enim famula Dei fideliter sponso suo deseruiens, in humilitate, in obedientia, in patientia; corpus ieiunijs attenuans, pernoctans in vigilijs & orationibus; domesticis mansueta, & modesta colloquendo, seu res Ecclesiæ conseruando, & benigna distribuendo.

Exstruit cœnobium Malbodiense.

Tradit ibi seipsam Deo simul & suas duas neptes.

Eius virtutes.

CAETERVM, vt parum superiora memoremus; postquam virgo sapiens Aldegundis secularibus pompis alienata, sanctimonialibus vestimentis est induta, rursus angelicis admonitionibus roborata est, visioneque mirabili, qua Dominum Iesum tanquam splendentem circumstantibus Angelis videre meruit. Memor etiam sermonis Amandi viri Dei, de omnimodo contemptu temporalium, & culmine perfectionis, id quod priùs iam complere cœperat in parte, modò deliberat omnibus quæ possidebat, ex toto renunciare, nihilque in terra possidere, sed magis scilicet in cœlo thesaurizare. Fecit ergo describi thesauri sui summam, & totius pecuniæ quam habebat in auro & argento, gemmisque & ornamentis regalibus, quæ sibi collata fuerant à Rege & Regina,

Meretur videre Dominum Iesum.

Prin

Principibúsque & cognatis & parentibus suis post velationem capitis sui, ac post largas illas donationes, quas pauperibus Christi, consilio beatorum Amandi atque Autberti Episcoporum, distribuerat; & ecce hæc omnia virgo prudentissima, domus Dei decorem diligens, ac decus Ecclesiarum, simul deuota mente donauit. Scilicet prædia possessionésque infinitas, ad vsus inibi Regi Christo famulántium, publica donatione concessit: cætera autem vniuersa in sumptus pauperum delegauit, nihil sibi præter vile reseruans indumentum sanctæ Religioni congruum, atque victum quotidianum, quo cum reliquis ancillis Dei communiter viuebat.

En veram paupertatem monasticam.

Collatis monasterio amplissimis prædiis, tamen contenta est victu communi sororum.

SED & Domini Saluatoris benignitas, vt in fide corroboraret animos famularum suarum, non distulit ostendere, quàm sibi gratus esset pro sui nominis amore iste transeuntium rerum contemptus. Eo namque die, quo famula Dei tam gloriosum opus largitionis suæ compleuerat (ô mira Dei opera!) dum ipsa iubente ministri sibi deferrent ad potandum aquam de fonte, qui nuptiarum celebratoribus in Cana Galilææ vinum ex aqua largitus est, idem & fontis aquam sponsæ suæ refocillandę mutauit in mirabilis vini saporem. Quod factum cùm omnibus ancillis Dei in monasterio innotuisset, tantus amor Domini mentes earum inflammauit, vt intuitu dilectionis illius, nulla deinceps aliquid terrenum possidere curaret. Sed & cùm B. Amandus palea carnis deposita migraret in cœlum, atque in ipsa hora beata Aldegundis vigilijs & hymnis in Ecclesia cœnobij Malbodiensis incumberet suppliciter: sicut ipsa illum in hac vita multùm dilexerat, vtpote cuius doctrina culmina virtutum edocta conscenderat, ita etiam Domini Saluatoris gratia reuelauit ei, & cuius esset meriti, quem exhortantem susceperat; & quòd illa etiam sequeretur in proximo, quò dux ille præcedebat.

Mutatur ipsi diuinitus aqua in vinum.

Prædiscit de suo obitu.

ITAQVE & præsciens dormitionis suæ diem, deprecata est sedulò Dominum, vt, qui flagellat omnem filium quem recipit, dignaretur quoque ancillam suam in præsenti seculo sic flagellando carnem purgare, quatenus anima post hanc vitam in requiem Domini sui sine macula valeret introire. Nec distulit diuina bonitas præstare misericorditer, quod illa petiuit humiliter. Nam in dextra mammilla, non post multum tempus, morbus qui vocatur cancer, subortus est, qui mox in corpus illius exæstuans, adeò etiam vsque ad vltimum

Petit à Domino vt ad plenum hic possit purgari, & impetrat quod petit.

diem illud depastus est. Virgo verò prudens, exemplo beati Iob aliorumque Sanctorum, patienter sustinebat; & tanquam accepto diuinitus dono congaudens, supernæ dignationi sapienter semper gratias agebat. Ac denique tertia iam nocte egressionis eius à corpore, gratia visitationis multis conuenientibus religiosis, atque sorore etiam eiusdem virginis beata VValdetrude præsente, fulgor ingens nimia claritate refulgens apparuit supra domum in qua virgo sponsa Domini Christi operiebatur intrepida eius aduentum; cùm ecce non multo post sancta illa anima carne soluta, cum ipsa luce de hoc seculo migrauit. Sepulta est autem in villa suæ quondam ditionis * Salra, vbi suus vterque parens ac soror postea VValdetrudis sepulti sunt: vbi iacuit multo tempore, quoad, Christo donante, corpus eius translatum est in municipium Malbodium, quod à fundamentis construxerat: vbi nunc eius memoria fulget, ac meritis suffragantibus plurima poscentibus beneficia, diuina clementia largiri dignatur.

Cernitur super eam ingens quidam fulgor.

Migrat ad Christum.

* Solra.

Transfertur eius sacrum corpus Malbodium.

FEBRVARIVS.

VITA S. IGNATII EPISCOPI & Martyris, ex D. Hieronymo.

I. FEBRVARII.

Ignatius damnatur ad bestias.



GNATIVS Antiochenæ præsul ecclesiæ, Ioannis Euãgelistę discipulus, cuius extat epistola ad deiparã virginẽ, & virginis ad eum: Traianũ Imperatorẽ, Christi nomẽ insectantem non veritus effugere, seque Christianum fateri, damnatus ad bestias, Romam scelestissimis decem militibus perducendus, traditus est. Cumque nauigans Smyrnam venisset, vbi Polycarpus Ioannis etiam auditor erat Episcopus, quatuor scripsit epistolas: ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallenses, ad Romanos. Sed eius, quæ ad Romanos scripta est pauca ex Hieronymo referamus. De Syria vsque ad Romam pugno ad bestias, in mari & in terra nocte dieque ligatus cum decem Leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt. Quibus & cùm benefeceris, peiores fiunt: iniquitas eorum mea doctrina est, sed non idcirco iustificatus sum. Vtinam

Eius ad Romanos epistola.

nam fruar bestijs, quæ mihi sunt paratæ: quas oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia: & allici ad comedendum me, ne sicut aliorum Martyrum, non audeant corpus contingere. Quòd si venire noluerint, ego vim faciam, vt deuorer. Ignoscite mihi filioli: quid mihi prosit, ego scio. Nũc incipio Christi esse discipulus: nihil de his, quæ vidẽtur, desiderans: vt Iesum Christum inueniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorũ diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormẽta diaboli in me veniant: tantũ vt Christo fruar. Hucúsque Hieronymus. Igitur cùm Romæ constitutus ante Traianum Ignatius, horrẽdos sustinuisset cruciatus, tandem ad bestias damnatus est. Qui rugientes audiens Leones, frumentum, inquit, Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. In hunc modum loquutus, à duobus strangulatus Leonibus, obiit. Eius reliquiæ Antiochiã deportatæ, extra portam Daphniticam in cœmiterio cõditæ sunt.

Huius ab bestijs damnati præclara vox.

Lege plura apud Euseb. Hist. ecclesia. lib. 3. c. 37.

VITA S. BRIGIDÆ VIRGINIS

Scotica, ex ea quæ est apud R. P. Laur. Surium,

I. FEBRVARII.

FVIT apud Hybernos vir quidam Duptacus nomine, genere Lagiensis. Is ancillã Brotsech (ita enim voabatur) bonis præditã moribus emit: sed eius impudico captus amore, ad suam explendam libidinem ea abusus est. Quod vbi eius coniunx animaduertit, eã scilicet gestare vterum, magno animi dolore cõsternata dixit marito: Eiice, & accepto precio vende ancillam hanc; ne meæ proles ab illius futura sobole profligentur, aut indignum aliquid patiantur. Accepit autem hoc grauiter maritus, & moras nectens, coniugis distulit votum. Accidit verò interea, vt duo Episcopi sanctitate venerabiles ad Duptaci venirent ædes, è quibus alter dixit eius vxori: Non te male habeat, quòd ancillam vides tuis in ædibus, neque hoc tantopere te torqueat: illius enim proles tuæ stirpi magno erit ornamẽto. Sed nihilominus, cùm illa nihil de suo animi feruore remitteret, compulsus tandem maritus cuidam mago ancillam vendidit: in cuius domo quidam vir sanctus noctè orans, vidit puellæ Brigidæ imminentem globum igneum, idque manè illi mago indicauit.

S. Brigida nata ex thoro illegitimo.

Prædicitur eius sanctitas.

FASTIDIVIT autem sancta puella cibos magi & quotidie per vomitum sumptam escam reijciebat. Quod animad

Vendita mago respuit eius.

bos, atque ideo accipit ab eo vaccā vnam cuius lacte alatur.

animaduertens magus, vaccam vnam dedit sanctæ Brigidæ: cuius lacte à teneris annis victitans, bonarum rerum studiis sese dedidit, pudicitiæ & sobrietati semper intenta, atque in dies capessens virtutum incrementa, adeò vt etiam signis & miraculis edendis admirabilis haberetur. Pascebat autem magi vaccas, & quicquid ex lacte colligere potuit, liberaliter in pauperes & inopes contulit: vnde cùm magus aliquando in magno vase parum butyri vidisset, animo valde commotus est. Quod cernens sancta Brigida, totam se conuertit ad rogandum Dominum, qui sua virtute vas illud totum butyro compleuit. Quo miraculo obstupefactus magus in Christum credidit, vaccásque duodecim puellæ donans, liberam illam cum matre ad Duptacum remisit. Sed reuersa ad patris domum, non valde tamen ei grata fuit, eo quòd auferret quicquid posset, & pauperibus clam elargiretur.

Pro butyro pauperibus dato, aliud crescit dum mittit.

EA itaque re permotus Duptacus obtulit eam Regi emendam. Qui cùm dixisset ei, cur tulisset gladium patris sui, & eum pauperi dedisset, respondit Brigida, Quin verò ego cum Christo dedi: & certè, si & te dominum meum Regem, & parentem meum Deus à me peteret, modò possem, ambos vos cum omnibus facultatib. vestris illi darē. Quibus auditis, Rex ait Duptaco: Filia tua, vt video, lōgè maior est, quàm quæ abs te vendi, vel à me emi debeat. Accidit autē deinde vt ab amicis ad iucundum cōiugium multis modis vrgeretur. Sed cùm illi sorderent amplexus hominis mortalis præ desiderio Iesu Christi Sponsi immortalis, rogauit Dominum, vt turpem potius & deformem ipsam efficeret, vt sic ab eius appetēdo coniugio omnes absterrerentur. Nec mora: mox exaudita est, & oculus eius crepuit, & instar aquæ liquefactus est: sicq; ei permissum est nuncium remittere procis omnibus, & Christo se virginem consecrare. Vnde & tribus assumptis puellis abiit ad Machillam Episcopum, S. Patritij discipulum: qui vt eā conspicatus est, vidit columnam ignis supra caput illius. Sed & perlectis precibus, dum Brigida virgo submittēs caput, pedem altaris ligneum sua manu contigit, mox lignum illud viruit, simul & oculus eius sanitati est restitutus.

Nota mirabile respōsum.

Rogat fieri se deformem ne ametur a procis carnalibus.

Consecratæ Christo redit pristinus decor.

LONGVM est autem enarrare omnia, quæ per illam Dominus efficere dignatus est in testimonium eximiæ sanctitatis eius mira & stupenda. Inter cætera, femina quædam filium ex se natum, ex Episcopo Broone, qui S. Patritij discipulus fuit, concepisse se sceleratissimè mentiebatur. Vnde cùm

illc

ille se ab hac culpa alienum affirmaret, sancta Brigida mulierem accersiri iubet, eique dicit, Ex quo infantem hunc sustulisti? Respondit illa, Ex Episcopo Broone. Mox autem sancta virgo ori eius signum salutaris crucis impressit, & ecce procacis caput cum lingua intumuit. Porro S. Brigida infantis consignans linguam, ait: Dic nobis tu infantule, quis est tuus pater? Stupenda res: Aperit os infantis, qui quondam asinæ Balaam loquendi præstitit facultatem, aitque paruulus: Episcopus Broon non est parens meus, sed deformis ille homuncio, qui in populo extremo sedet loco. Itaque omnes Deum laudant, & mulier agit pœnitentiam. Quin etiam multos sancta virgo claudos, leprosos, dæmoniacos, variisque affectos morbis curauit: sed, vt diximus, singulatim omnia referre, nimij fuerit operis. Tandem autem post multos pro Christo susceptos & exantlatos labores, beata virgo puellam alumnam suam ad se vocans, eique sui obitus indicans diem, non multò pòst, illo adueniente, felicem Christo spiritum reddidit, anno salutis quingentesimo decimo octauo.

Loquitur infans.

Sanantur varia affecti miseriis.

Migrat sancta virgo in cælum.

VITA S. SEVERI EPISCOPI RAVENnatis, *ex ea quæ est apud R. P. Surium ex M.S.*

I. FEBRVARII.

SEVERVS insigni Italiæ oppido Rauennæ ortus est: potéstque de illo dici, quod & de beatissimo Pontifice Gregorio: Vnde genus duxit, summum conscendit honorem. Moribus valdè inculpatus vixit, plenus columbina simplicitate. Et quidem cum Tobia pauperem gessit vitam, sed erat diues in Christo, illius diuino timori semper inhærens. Vxorem siquidem duxit, & cum ea castum coluit matrimonium; victum quotidianum suo sibi labore parans: Textorem enim fuisse veraci relatione constat. At verò accidit interea, vt Rauennæ Episcopus ex hac vita migraret, & Ecclesia illa pastore orbaretur. Conueniunt igitur frequentes Episcopi, & ex propinquis & remotis locis, vt tantæ ciuitati Pontificem solito more præficerent atque consecrarent. Aderat cum cætero populo & Seuerus, vili opertus habitu; cùm ecce, precibus pro more absolutis, columba niue candidior è cælo descendens, eius capiti insidet: quin & ab eo repulsa, tertiò redit. Quæ res stuporem attulit omnibus qui ibi tum aderant

S. Seueri patria.

Exercet textoriam.

Inuolante in eum ter columba

Columba, eligitur Episcopus. qui ibi tum aderant è clero & populo, & in commune laudes egerunt Deo bonorum omnium largitori. Mox igitur productus est è suo latibulo vir sanctus, & vel inuitus raptus ad sedem pontificiam est, vnctus deinde oleo exultationis & vnguento sacri chrismatis, vt fieri solet ad eam dignitatem vocatis. Poterat sanè tum dici illud ex Apostolo: Ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus. *1. Cor. 1.*

AT verò beatus Seuerus, vbi illud tantum munus accepit, in illo exequendo se planè irreprehensibilem exhibuit, locúmque prorsus in eo non habuit quod vulgò iactari solet, Honores mutare mores. Quotidiana enim virtutum illi accedebant incrementa, & Spiritus sanctus, quo auctore id erat officij adeptus, Apostolicis etiam simul eum fecit operibus conspicuum. Nam & quodam die cùm sacra Missarum solennia eo more, quo solent Pontifices, celebraret, ea hora qua lectio ex Apostoli Epistolis erat recitanda, extra se vir sanctus raptus, & altari assistens, somno suaui correptus videbatur. *Rapitur in spiritu assistens altari.* Sed cùm iam longior mora intercederet, ministri altaris eum existimantes de improuiso obdormiuisse, celeriter accurrunt, sacrásque concutientes vestes, eum excitant. At ille subitò ad se reuersus, Ego, inquit, etsi vobiscum hîc corpore fui, at spiritu alibi versabar. Tum verò illi multa instantia ab eo percontati sunt, vbinam interea fuisset. Quibus ille respondit: Ignoscat vobis Deus, filioli, quòd me adeò attonitum reddidistis; Ego eram in sancta Mutinensi Ecclesia, & animam Coëpiscopi mei Geminiani Domino commendabam, mansique illic donec humatum esset corpus illius. *Dicit se interea interfuisse exequiis Episcopi Mutinensis.* Quod ita factum fuisse, etiam Mutinenses paulo pòst sunt testati.

FILIA quoque huius beatissimi viri in ætate iuuenili mortua est: iam antè autem è viuis eius mater excesserat. Itaque volebant eam in eius monumento reponere, erat autem angustior loculus. Tum verò sanctus Pontifex ad vxoris quondam suæ exstinctum corpusculum, Da, inquit, filiæ tuæ locum. Et ecce, ad hanc beati viri vocem, tanta celeritate corpusculum illud in partem aliam secessit, vt vitali præditum spiritu citius mouere se non potuerit. *Obedit eius iussioni corpus mortuũ.* Sed nunc veniendum est ad sancti viri obitum. Erat iam prouectæ ætatis, & multa canitie venerabilis, diémque obitus sui ex diuina reuelatione longè antè cognouerat. Itaque die quodam sanctissimum Missæ sacrificium offerens, transitum suum

uum ex hoc mundo ad patriam cælestem, saluberrima Sacramentorum cælestium perceptione communiuit, conuocatóque ad se totius vrbis Clero, & vtriusque sexus populo, iuxta Ecclesiæ morem, de integritate Catholicæ fidei, de fraterna charitate, & dulcissima animorum consensione seruanda & colenda, pro data ipsi diuinitus sapientia, prolixum habuit ad eos sermonem. Quo absoluto, impertitáque illis pace & benedictione, stola pontificali indutus, sicque viuus in suum sepulchrum ingrediens, non multò pòst sanctam animam suo reddidit Creatori, plenus dierum & meritorum. Incidit verò eius obitus in ipsas Calendas Februarij. In signum autem eximiæ sanctitatis, ad tumulum eius innumera, humanúmque modum excedentia, diuinitus eduntur miracula.

Moriturus omnes hortatur ad unitatem fidei & fraternæ charitatis.

Obdormit in Domino.

VITA B. SIGEBERTI REGIS FRANcorum, ex ea quæ est per Sigebertum Gemblacensem.

I. FEBRVARII.

VENERABILIS Rex Sigebertus filius fuit Dagoberti & Ragnetrudis oriundæ ex Austrasia, atque hic scribitur esse ille qui quadraginta tantùm dies ab ortu habens, baptizantis se eidémque suscepturi beatissimo Amando, post solennem benedictionem catechumenorum, eo quòd nullus responderet, ipse clara voce respondit, Amen, Deo os eius miraculosè aperiente. Eo sanè adhuc puero, b. Samingus quidam Francus genere negotiator arte, cùm ad gentem Vuinidorum se contulisset, & per fortitudinem & industriam suam ab eis in Regem promotus fuisset, idem se & Dagobertum Regem orta simultate, sæpe regni sui transgresso limite, Thuringiam, & reliquos sibi vicinos Francorum pagos vastabat acerrimè. Quæ causa fuit, vt Rex Dagobertus anno regni sui vndecimo Metis adierit, ibique, Procerum & Pontificum consilio adhibito, filium suum Sigebertum in regnum Austrasiorum sublimârit, sedem regni Metis eum habere permittens. Et quidem tutelam Regis, cuius pueritiæ timebat, commisit Cuniberto Archiepiscopo Coloniensi, & Aldegiso Duci, curam verò ipsius regni Austrasiorum, & prouidentiam omnium Pipino Principi. Ex illo autem die repressa est insolentia Vuinidorum, obstante eis fortiter

Baptizanti se infans hic sanctus ipse respõdet Amẽ.
b. Samon.

Causa cur Metis ciuitas facta sit regalis.

Hic est V. Pipinus cuius.

cum habemus [illegible] fortiter & feliciter fortitudine Austrasiorum, & frequentibus prœliis eorum reprimente excursus.

Sed & post annum etiam nascitur eidem Regi Dagoberto filius, qui Clodoueus est nominatus. Quo promoto in regnum Neustriæ, hoc est, in eam Franciæ partem quæ vergit ad Aquilonem & Occidentem, non multo post ipse Rex Dagobertus, regno vtroque iustè & prudenter ordinato, moritur anno regni sui decimoseptimo, sepultus Parisiis in basilica S. Dionysii. Post cuius obitum duo Reges & fratres Sigebertus & Clodoueus se quisque in regno suo agebat prudenter, subiectis se exhibendo placabiles, aduersantibus terribiles. Sed interim, cùm in omnibus inter se Deo placita vigeret concordia, pro vno tamen ferè negotio voluit introrepere discordia, Sigeberto enim Rege repetente sibi debitam partem paterni thesauri, nitebantur ei contraire Proceres, qui erant ex parte Clodouei. Sed Pipino Principe, & Cuniberto Archiepiscopo, fortiter & rationabiliter instantibus, ex condicto ad villam Compendium venitur, ibique Regis thesaurus æqua lance diuiditur. Interea verò moritur & Pipinus: quo ex hac luce subtracto, constitutus est Maior domus pro patre suo Grimoaldus frater Gertrudis & Begghæ; qui & ipse quoque potenter in aula Sigeberti Regis principabatur, & domi militiæque viriliter tutabatur. Vnde & pax alta erat in cunctis Austrasiorum terminis, virtute Dei promouente virtutem Regis Sigeberti, quem sibi placiturum, vt diximus, à primo monstrauit rudimento ætatis. Et quidem solet fieri non rarò in pacatis regnis, vt per ocium & desidiam, moribus corruptis, aliantur Reges securitate pacis: sed nequaquam ita egit Sigebertus. Quin verò contrà, gaudens diuturnitate temporalis pacis, laborabat obuiam ire aëreis cateruis, atque adeò colluctaturus contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, conducere sibi spirituales, qui secum bellarent, exercitus.

Moritur Rex Dagobertus.

Diuiditur regius thesaurus inter S. Sigebertum & eius fratrem Clodoueum.

[illegible]

Dvodecim siquidem monasteria in diuersis regni sui partibus ædificauit, eisque ex suis redditibus regia liberalitate necessaria suppeditauit, vt illic sub Apostolicæ vitæ viuentes Regula, illum sua meterent carnalia, ipsi vicissim sua ei seminarent spiritualia. Inter quæ eminent in nostra vicinia Stabulaus & Malmundarium cœnobia infra syluam Arduennam sita: quæ idem Rex, cooperante sibi maiore domus Grimoaldo, constructa, sancto Remaclo Tungrensi Episcopo tradidit ordinanda. Illius enim & Cuniberti Coloniensis Episcopi præci-

Construit S. Sigebertus duodecim monasteria.

[illegible]

puè

innitebatur consilio, & ad talia facienda, sanctorum virorum animabatur exemplo. Et, vt ab vno plura discamus, quanta pij Regis liberalitas fuerit in Sanctorum locis ditandis, ex hoc vel vno vt id colligamus licet. Audiens in locis S. Remaclo delegatis feruere cultum sanctæ Religionis, præsertim quòd idem Præsul, abiecta Episcopali sarcina, se ibi mancipauerat arctiori vitæ, tradidit ei ex ipsa foresta duodecim leucas in latitudine, & totidem in longitudine; in quo spatio nullus ei, vel sibi succedentibus contradiceret; quod etiam affirmatum est testamento cum adstipulatione Imperiali. Atque talis scilicet erat Sigeberti Regis vita. Qui cùm filium tandem genuisset, quem nomine patris sui vocauit Dagobertum, in flore iuuenilis ætatis, ne malitia mutaret eius intellectum, à Rege Regum rapitur de præsenti seculo nequam, Calendis Februarij, ætatis suæ anno tricesimo primo, regni vicesimo octauo, ab incarnatione Domini sexcentesimo sexagesimo secundo.

Eius vitam vide 3. Sept.

Rapitur sanctus Rex de hoc seculo in flore ætatis.

SEPELIRI autem elegit in vrbe Metis, quæ regni sui sedes fuerat, in basilica, quam inter alia sui monumenta, ad laudem & gloriam Dei, in honore S. Martini gloriosi Confessoris, regia liberalitate construxerat. Nimis verò prolixum esset, omnia quæ de hoc beato Rege miracula habentur, hîc attexere; quare vnum tantùm referam insigne. Erat in eo monasterio quidam iuuenis monachus, valde leuis, & lubricus moribus, & verbis futilis. Ex quo cùm quandoque sciscitarentur quidam seculares, quídnam beatus Sigebertus apud ipsos per miracula efficeret; respondit ille ridiculè, Sigebertum, vt solent vita defuncti, iacere in tumulo aperto ore, & nudis dentibus; nec se compertum habere, numquid vnquam miraculi perpetrasset. Sed eadem hora, ecce, miser tanquam mentis inops cœpit per humum & saxa se volutare, & cum magnis vocibus exilire, rursumque humi se abiicere atque volutare. Quod cùm diu fieret, fratres eius miserti, tandem ægrè eum à terra sublatum ad beati Sigeberti sepulchrum adduxerunt: vbi ille sancto Regi, & fratribus culpam suam confessus, mox sanatus est. Corpus verò beati viri, post quadraginta annos, & tandem etiam post annos quingentos & septuaginta duos, vtraque vice repertum est planè integrum, & omnis maculæ expers, & non tanquam mortui, sed vt dormientis; ad laudem Regis immortalis.

Sepelitur in Ecclesia sancti Martini à se cōstructa.

Ridens miracula S. Sigeberti, apertè à Deo punitur.

Corpus eius integrum repertum post annos quingentos.

DE PVRIFICATIONE B. MARIÆ,

ex D. Cyrillo Hierosolymitano, insertis nonnullis ex D. Ambrosio.

II. FEBRVARII.

Cyrill. de occursu Domini.

LÆTARE valde filia Sion, prædica lætitiam filia Hierusalem; duc choros popule ciuitatis Dei. Exultate portæ & muri Sion, & vniuersæ terræ, clamate montes & colles, & valde exultate. Fluuij plaudite, & rupes Sion comprehendite Dei aduentum, in eum intuentes. Hodie enim qui mirabiliter olim respondit Moysi in monte Sina, diuinè nunc implet legem, factus sub lege. Hodie Deus à Theman venit Sion. Hodie cælestis sponsus cum thalamo Dei matris venit in templũ. Filiæ Hierusalem egredimini in occursum eius. Lampades nunc alacriter accendamus vero lumini. Tunicas animarum paremus sponso Christo cum Sion. Gentium populi lucem ferentes occurramus cum templo. In templo ad Deum Christum conueniamus. Cum Angelis hymnum canamus, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus sabaoth. Plenum est cælum & terra gloria eius. Pleni sunt fines mũdi bonitate eius. Plena est eius laude omnis humanitas. Eius indulgentia plena sunt cælestia, terrestria, & inferna; plena misericordia, plena donis eius & beneficiis. Omnes ergo gentes plaudite manibus. Omnes gentes terræ, venite & videte opera Dei. Omnis spiritus laudet Dominum. Omnis terra adoret. Omnis lingua canat & psallat, & glorificet puerum Deum, qui est quadraginta dierum, & est ante secula; puerum paruum, & antiquum dierum; puerum lactentem, & seculorum effectorem.

En vsum luminarium: & clarius etiam post. a.

Nota insignes antitheses, vt quis obstupescat, & veneretur infantiam Christi.

INFANTEM adspicio, & Deum meum agnosco; Infantem qui lactet, & mundũ nutrit; Infantem qui flet, & mundo largitur vitam & lætitiam; Infantem qui inuoluitur fasciis, & me liberat à fasciis peccati; Infantem in vlnis matris verè cum carne; & sine defectu, in terra; eundem verè in sinu Patris, & sine defectu, in cælis. Infantem video in Bethlehem Hierusalem ingredientem, & qui nequaquam separetur à superna Hierusalem. Infantem video, qui ex lege in templo offert sacrificium in terra; sed idem pia omnium sacrificia excipit in cælis: Ipsum in vlnis senis per dispensationem; eundem in maiestate diuina in thronis Cherubicis. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Qui

O verè magnus Dominus (vt ille dicit) & laudabilis nimis.

conti

continet vniuersam terram pugillo, senis vlnis capitur: & portatur, qui fert omnia verbo virtutis suæ. Exultet Adam per Simeonem Christo dicens: Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: nunc me soluis ab æternis vinculis: nunc me soluis ab interitu: nunc me soluis à morte, nunc me soluis à mœrore: meum Dominum & Deum Simeon in templo vlnis amplectens, altum œconomiç mysterium significauit omnibus gentibus.

ECCE, inquit scriptura, homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israël. Obserua: non solùm ab Angelis & Prophetis, à parentibus & pastoribus, sed etiam à senioribus & iustis generatio Domini accepit testimonium. Omnis ætas, & vterque sexus, venturorum miraculorum fidem astruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elizabeth prophetat, Magus adorat, vtero clausus Ioannes exultat, vidua confitetur, iustus exspectat. Et bene iustus, quia non suam, sed populi gratiam requirebat, cupiens ipse corporeæ vinculis fragilitatis exsolui, sed tamē exspectans videre promissum: sciebat enim quia beati oculi qui viderēt Christum Domini. Itaque accepit eum in manibus suis, & benedixit Deum, & dixit: Nunc, Domine, dimitte seruum tuum in pace. Videte iustum velut corporeæ carcere molis inclusum velle dissolui, vt incipiat esse cum Christo. Dissolui enim, & esse cum Christo, multo melius est. Sed qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Hierusalem, exspectet Christū Dominū; accipiat in manibus verbum Domini, complectatur velut quibusdam fidei suæ brachiis: tunc dimittetur, vt non videat mortem, qui viderit vitam.

D. Ambros. Luc. ...

Omne genus ... rationalis creatur ... Christū annūciat.

Quomodo ... que cum Simeone possit velle dimitti.

VIDES ergo vberem, ô Christiane, in omnes gratiam Domini generatione diffusam, & prophetiam incredulis esse negatam, non iustis. Et ecce, Simeon prophetat, in ruinam & in resurrectionem multorum venisse Dominum Iesum Christum; vt iustorum & iniquorum merita discernat, & pro nostrorum qualitate factorum, verus iudex & iustus, aut supplicia decernat aut præmia. * Quamobrem & venite vos omnes Christi & Dei amantes, Domino læti & mundi occurramus, non legaliter, sed spiritualiter: non ventrem delicijs explentes, sed spiritu exultantes: non nos vino inebriantes, sed spiritu feruētes. Læti hodie lampades ornemus: tanquam filij lucis ceras veræ luci Christo offeramus. Quoniam lumen ad reuelationem gentium mundo apparuit, ideo lumina ex

** Rursum Cyrus ...*

lumine supra niuem resplendeamus: supra lac dealbati, supra sapphirum illuminati, supra immaculatas columbas in cælos euolantes, ita in nubibus ad Dei occursum exeamus. Hodie, dilectissimi, festi cursum perpetuò peragamus. Cum Angelis choros ducamus, cum pastoribus illuminemur, cum orthodoxis adoremus, cum Bethlehem festum agamus, cum Sion occurramus, cum templo sanctificemur, cum virgine solennizemus, cum Simeone Christum vlnis amplectamur, vt simus denique intra æterna eius bona.

En cereos feri consuetos etiã tam tum ante annos mille &c. ess. Breuis vero-ra io omnium prædictorum.

DE S. LAVRENTIO ARCHIEPISCOPO *Cantuariensi, ex V. Beda lib. 2. hist. Anglorum.*

II. FEBRVARII.

** Cap. 4. S. Laurẽtius successor sancti Augustini Apostoli Angliæ.*

SVCCESSIT * Augustino in Episcopatum Laurentius,* quem ipse idcirco adhuc viuens ordinauerat, ne, se defuncto, status Ecclesiæ, tam rudis, vel ad horã pastore destitutus, vacillare inciperet. Qui Archiepiscopatus gradu potitus, strenuissimè fundamenta Ecclesiæ, quæ nobiliter iacta vidit, augmentare atque ad perfectum debiti culminis, & crebra voce sanctæ exhortationis, & continuis piæ operationis exemplis prouehere curauit. Denique non solum nouæ, quæ de Anglis erat collecta, Ecclesiæ curam gerebat, sed & veterũ Britanniæ incolarum, necnon & Scotorum, qui Hyberniam insulam Britanniæ proximam incolunt, populis pastoralem impēdere curabat solicitudinem. Siquidem vbi Scotorum in præfata ipsorum patria, quomodo & Britonũ in ipsa Britannia, vitam ac professionẽ minùs ecclesiasticam in multis esse cognouit, maximè quòd Paschæ solennitatẽ non suo tempore celebrarent, sed vti etiam aliàs docuimus, à decimaquarta luna vsque ad vicesimam Dominicæ resurrectionis diem obseruandum esse putarent, scripsit cum coëpiscopis suis exhortatoriam ad eos epistolam, obsecrans eos, & contestans, vnitatem pacis & Catholicæ obseruationis, cum ea quæ toto orbe diffusa est Christi Ecclesia, tenere: cuius epistolæ principium hoc est: Dominis charissimis fratribus Episcopis vel Abbatibus per vniuersam Scotiam, Laurentius, Mellitus, & Iustus, Episcopi. Dum nos sedes Apostolica more suo, &c. Quæ quidem agendo quantum profecerint, adhuc præsentia tempora declarant. Sed audi quiddam metuendum atque terribile.

Gerit etiam curam Hybernorum.

En quãti vir tãtus fecerit, vt in omnibus Christiani essent vniformes.

*CVM

*Cvm Laurentius Mellitum Iuſtúque ſecuturus, Britanniam eſſet relicturus, iuſſit ipſa ſibi nocte in Eccleſia beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, de qua frequenter diximus, ſtratum parari. In quo cùm poſt multas preces ac lacrymas ad Deum pro ſtatu Eccleſiæ fuſas, ad quieſcendum membra poſuiſſet, atque obdormiſſet, apparuit ei beatiſſimus Apoſtolorum Princeps, & multo illum tempore ſecretę noctis flagellis acrioribus afficiēs, ſciſcitabatur Apoſtolica diſtrictione, quare gregem, quem ſibi ipſe crediderat, relinqueret, vel cui paſtorum oues Chriſti in medio luporum poſitas fugiens ipſe dimitteret. An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro paruulis Chriſti, quos mihi in indicium ſuæ dilectionis commendauerat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipſam poſtremò mortem ab infidelibus & inimicis Chriſti pertuli? Quibus beati Petri flagellis ſimul & exhortationibus animatus famulus Chriſti Laurentius, mox mane facto venit ad Regem, & retecto veſtimento, quantis eſſet verberibus laceratus, ei oſtendit. Qui multum miratus, & inquirens quis tanto viro tales auſus eſſet plagas infligere, vt audiuit, quia cauſa ſuæ ſalutis Epiſcopus ab Apoſtolo Chriſti tanta eſſet tormenta plagáſque perpeſſus, extimuit multum: atque anathematizáto omni idololatriæ cultu, abdicatoque connubio non legitimo, ſuſcepit fidem Chriſti, & baptizatus, Eccleſiæ rebus, quantum valuit, in omnibus conſulere ac fauere curauit.

Cap. 6.

Acriter flagellatur a beato Petro Apoſtolo, quia cogitaret Angliam relinquere.

Vide Ioan. 21.

Viſis Rex ſuprad ctis plagis conuertit ſe ad Chriſtū.

Misit etiam in Galliam, & reuocauit Mellitū & Iuſtum, eóſque ad ſuas Eccleſias liberè inſtituendas redire præcepit. Qui poſt annum, ex quo abierant, reuerſi ſunt. Et Iuſtus quidem ad ciuitatem Roffi, cui præfuerat, rediit; Mellitum verò Londinenſes Epiſcopum recipere noluerunt, idololatris Pontificibus magis ſeruire gaudentes: non erat autem tanta ei, quanta patri ipſius, regni poteſtas, vt nolentibus ac contradicentibus paganis Antiſtitem ſuæ poſſet Eccleſiæ reddere. Nihilominus ipſe cum ſua gente, ex quo ad Dominum conuerſus eſt, diuinis ſe ſtuduit mancipare præceptis: denique & in monaſterio beatiſſimi Apoſtolorum Principis Eccleſiam ſanctæ Dei genitricis fecit, quam conſecrauit Archiepiſcopus Mellitus. * Atque hoc ſcilicet regnante Rege, beatus Archiepiſcopus Laurentius quoque regnum cæleſte conſcendit, atque in Eccleſia & monaſterio ſancti Apoſtoli Petri iuxta prædeceſſorem ſuum ſepultus eſt, die quarto Nonarum Februarii.

Redeunt in Angliam Iuſtus & Mellitus B. Laurētij cooperarij.

Cap. 7.

DE S. BLASIO EPISCOPO ET MARtyre, ex Ordinario nouo.

III. FEBRVARII.

Declinat ſanctus Blaſius impetum perſecutionis.

BLASIVS Sebaſte in Cappadocia, cùm virtutum laude floreret, eiuſdem ciuitatis Epiſcopus eligitur. Qui, quo tempore Diocletianus inſatiabilem crudelitatem in Chriſtianos exercebat, ſe in ſpeluncam abdidit montis Argæi: vbi tamdiu latuit, donec ab Agricolæi Præfecti militibus venantibus deprehenſus, & ad Præfectum ductus, eius iuſſu coniectus eſt in vincula. Quo in loco multos ægrotos ſanauit, qui ad Blaſium, eius fama ſanctitatis adducti, deferebantur. In quibus & puer fuit, qui deſperata à medicis ſalute, tranſuerſa ſpina faucibus inhærente, animam agebat. Productus autem ad Præfectum Blaſius ſemel & iterum, cùm nec blanditijs nec minis adduci poſſet vt dijs ſacrificaret, primùm virgis cæſus, deinde in equuleo ferreis pectinibus dilaniatus eſt: poſtremò, dempto capite, illuſtre fidei teſtimonium Chriſto Domino dedit, tertio Nonas Februarij.

Sanat puerum cuius gutturi ſpina inhærebat.

Coronatur martyrio.

VITA S. CELERINI CVM SOcijs ſuis, ex Cæcilio Cypriano.

III. FEBRVARII.

AGNOSCENDA & complectenda ſunt, fratres dilectiſſimi, beneficia diuina, quibus Eccleſiam ſuam Dominus illuſtrare temporibus noſtris & honeſtare dignatus eſt, commeatum dando nobis confeſſoribus ſuis & martyribus glorioſis, vt qui ſublimiter Chriſtum confeſſi eſſent, clerum poſtmodum Chriſti miniſterijs eccleſiaſticis adornarent. Exultate itaque & gaudete nobiſcum lectis literis noſtris, quibus ego & collegæ mei qui præſentes aderant, referimus ad vos Celerinum fratrem noſtrum virtutibus pariter & moribus glorioſum clero noſtro non humana ſuffragatione, ſed diuina dignatione coniunctum, qui cum conſentire dubitaret, Eccleſiæ ipſius admonitu & hortatu in viſione per noctem compulſus eſt, ne negaret nobis ſuadentibus, cui plus licuit, & coëgit, quia nec fas fuerat, nec decebat ſine honore eccleſiaſtico eſſe, quem ſic Dominus honorauerit cœleſtis gloriæ dignitate. Hic ad temporis noſtri prælium primus, hic inter Chriſti milites antesignanus,

S. Celerinus Martyrũ ſui temporis anteſignanus.

gnanus, hic inter persecutionis initia feruentia cum ipso infestationis principe & autore congressus, dum inexpugnabili firmitate certaminis sui aduersarium vincit, vincendi cæteris viam fecit non breui compendio vulnerum victor: sed hærentibus diu & permanentibus pœnis longæ colluctationis miraculo triumphator. Per decem & nouem dies custodia carceris septus, in neruo ac ferro fuit: Sed posito in vinculis corpore, solutus ac liber spiritus mansit. Caro famis ac sitis diuturnitate contabuit, sed animam fide & virtute viuentem, nutrimentis spiritualibus Deus pauit. Iacuit inter pœnas pœnis suis fortior, inclusus includentibus maior, iacens stantibus celsior, vincientibus firmior vinctus, sublimior iudicantibus iudicatus. Et quamuis ligati neruo pedes essent, calcatus Serpens & obtritus & victus est. Lucent in corpore glorioso clara vulnerum signa, eminent & apparent in membris longa tabe consumptis expressa vestigia. Sunt magna, sunt mira quæ de virtutibus eius ac laudibus fraternitas audiat. Et si aliquis Thomæ similis extiterit, qui minus auribus credat, nec oculorum fides deest, vt quisquis quod audit & videat. In seruo Dei victoriam gloria vuulnerum fecit, gloriam cicatricum memoria custodit. Nec rudis iste aut nouus est in Celerino charissimo nostro titulus gloriarum, per vestigia cognationis suę graditur, parentibus, ac propinquis suis honore consimili diuinæ dignationis æquatur. Auia eius Celerina iam pridem martyrio coronata est. Item patruus eius & auunculus Laurentius & Ignatius in castris & ipsi quondam secularibus militantes, sed veri & spirituales Dei milites, dum diabolum Christi professione prosternunt, palmas à domino & coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, vt meministis, offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus. Nec degener ergo esse, nec minor poterat quem sic domesticis exemplis virtutis ac fidei prouocabat familiæ dignitas & generosa nobilitas. Quòd si in familia seculari prædicationis & laudis est, esse patricium, quanto maioris laudis & honoris est fieri in cœlesti prædicatione generosum? Non inuenio quem beatiorem magis dicam, vtrum ne illos de posteritate tam clara, an hunc de origine gloriosa. Ita æqualiter apud eos recurrit & commeat diuina dignatio, vt & illorum coronam dignitas sobolis illustret, & huius gloriam sublimitas generis illuminet. Hunc ad nos fratres dilectissimi, cum tanta Domini digna-

Per parentũ ac propinquorum vestigia graditur.

tione venientem, testimonio & miraculo eius ipsius, qui se persecutus fuerat illustrem, quid aliud quàm super pulpitum, id est, super tribunal Ecclesiæ oportebat imponi, vt loci altioris celsitate subnixus, & plebi vniuersæ pro honoris sui claritate conspicuus legat præcepta Euangelij Domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur, vox Dominum confessa in his quotidie, quæ Dominus locutus est, audiatur? Viderit an sit vlterior gradus, ad quem proficisci in Ecclesia possit. Nihil est in quo magis confessor fratribus prosit, quàm vt dum Euangelica lectio de ore eius auditur, lectoris fidem quisquis audierit, imitetur.

Eius socius Aurelius. Iungendus in oratione Aurelio fuerat, cum quo & diuini honoris societate coniunctus est, cum quo omnibus virtutis & laudis insignibus copulatus est. Pares ambo & vterque consimiles. In quantum gloria sublimes, in tantum verecundia humiles. Quantum diuina dignatione promoti, tantum sua quiete & tranquillitate summissi, & virtutum pariter & morum singulis exempla præbentes, & congressioni & paci congruentes. Illic robore, hic pudore laudabiles. In talibus seruis lętatur dominus. In eiusmodi confessoribus gloriatur, quorum sancta conuersatio sic proficit ad præconium gloriæ, vt magisterium cæteris præbeat disciplinæ. Ad hoc eos Christus esse in Ecclesia diu voluit, ad hoc de media nocte subtractos, quadam dixerim resurrectione circa eos facta, incolumes reseruauit, vt dum nihil in honore sublimius, nihil in humilitate submissius à fratribus cernitur, hos eosdem fraternitas sectata comitetur. Hos tamen lectores interim custoditos sciatis, quia oportebat lucernam super candelabrum poni, vnde omnibus luceat, & gloriosos vultus in loco altiore constitui, vbi ab omni fraternitate circunstante conspecti, incitamentum gloriæ videntibus præbeant. *Ambo facti presbyteri.* Cæterùm presbyterij honorem designasse nos illis iam sciatis, vt & sportulis ijdem cum presbyteris honorentur, & diuisiones mensuræ æquatis quantitatibus partiantur, sessuri nobiscum prouectis & corroboratis annis suis, quamuis in nullo minor possit videri ætatis indoles, qui consummauit ætatem gloriæ dignitate.

VITA S. REMBERTI EPISCOPI Hamburgensis seu Bremensis, ex ea quæ est apud R. P. Laur. Surium.

IIII. FEBRVARII.

CONSTITVTA Ecclesia Hamburgensi in Sclauorum confinio, tradita est ea primùm, iussu Caroli, Presbyteris gubernanda; donec opportuno tempore attributis illi loco sufficientibus Episcopo prouentibus, Archiepiscopum illic curaret ordinari, quo per eum prædicatio verbi Dei in finitimos etiam propagaretur, Suedos puta, Noruegos, Sclauos, Islandos, Gronlãdos. Sed priùs ille ex hac luce subtractus est, quam voti compos fieret. Vnde filius eius Ludouicus Pius, eius voluntatem pertractans, Anscharium, summæ sanctitatis virum, Priuilegij Archiepiscopalis & ordine, & nomine, ibi sublimari curauit. Cuius quidem Anscharij qualis à puero in Dei timore conuersatio, cuiusmodi etiam signis pontificatus, & prædicatio eius sit demonstrata, si quis exactiùs nosse volet, legat libellum de eius vita. Nos in præsens, de sanctitatis eius imitatore, tum quoque dignitatis successore Remberto scripturi aggredimur. Itaque cùm Hamburgensis Ecclesiæ recens institutæ termini angusti essent, officioque tam amplo sumptus inde collecti non sufficerent, ne hac occasione vir Dei Anscharius à prædicationis, seu ad gentes legationis officio retardaretur, memoratus Imperator Ludouicus cellam quandam, vel monasteriolum in Gallijs nomine Turholt eidem legationi attribuit, [ut] perpetuis temporibus illi inseruiret.

Prima institutio Ecclesia Hamburgensis ad conuersionem vicinorum.

Primus ibi Episcopus sanctus Anscharius.

Monasterium Turholtum confertur Ecclesia Hamburgensi.

VBI cùm tempore quodam sanctus Episcopus demoraretur, vidit pueros quosdam inanibus cursibus ad Ecclesiam festinare, ac inter eos quendam omnium ferè minimum grauiter incedentem, orationem peragentem, signo crucis frontem munientem, & per omnia tanquam hominem maturæ ætatis. Animaduertens ergo vir Dei sacram pueri infantiam, accitis ad se parentibus eius, didicit Rembertum illum vocari, iisque consentientibus tonsuram ei, & ecclesiasticum habitum contulit. Interea verò puer Rembertus intra paucos annos omni maturitate & scientia virtutum emicuit: vnde & eum è schola egressum mox sanctus Episcopus indiuiduum suæ legationis Comitem habere voluit, omniumque factorum suorum fecit consc[i]um. Denique cùm in illa ægritudine, qua confectus ex hac vita migrauit, quæreretur ab illo, quid consilij daret de eligendo ipsi successore, & quidam etiam eius de Remberto sententiam nosse cuperent; De Remberti, inquit, meritis nosse vos velim, quia dignior ille est sede Archiepis-

Rembertus fit clericus.

Ads[c]iscitur in socium a suo Episcopo sancto Anschario.

copali, quàm ego Subdiaconi functione. Nec vana fuit tanti viri prædictio: eodem siquidem die, quo S. Anscharius spiritum Domino reddidit, beatum Rembertum concorditer omnes elegerunt. Porrò ita electum ad gloriosum Regem Ludouicum adduxerunt Theodoricus Mindensis Episcopus, & Adelgarius Abbas monasterij nouæ Corbeiæ, per quos susceptus honorificè à Rege, cum Pontificalis baculi commendatione Episcopatus est dignitatem adeptus: quem & deinde Rex, quia propter nouellam eius sedis institutionem suffraganei non habebantur Episcopi, cum Romanæ sedis insinuatione, ordinandum misit ad Lintbertum Archiepiscopum Moguntinum.

Fit eiusdem successor.

Fit monachus iuxta quod vouerat.

CAETERVM tenebatur S. Rembertus iam olim voto eiusmodi obstrictus, vt post S. Anscharij obitum mox & propositum & habitum monasticum amplecteretur. Quapropter communicato cum Pontificibus qui ipsum consecrârant, consilio, statim vt ordinatus fuit, ad nouæ Corbeiæ monasterium properans, illius professionis habitum ex toto suscepit, secundùm Regulam S. Benedicti, quatenus labores suscepti Episcopatus permitterent. Atque sic vt huius promissionis effectui veracius assuesceret, aliquem ex fratribus monasterij sibi permitti orabat, vt, quia ipsi in eo permanere non liceret, posset cum illo vsum sibi parare iuxta Regulæ moderamen, quam amplexus esset, se gerendi. Adiunctus est autem illi insignis conuersationis vir nomine Adelgarius, Abbatis germanus frater, atque eiusdem cum eo nominis. Et sanè hic vir venerabilis, qui & conuersationis eius sedulus imitator, & in dignitate successor fuit,* & adhuc hodie superest, cum multis alijs id affirmat, quòd sanctus Episcopus, cuius vitam scribimus, ex occasione curæ pastoralis nullam monasticæ perfectionis iacturam fecerit. Quæ ad vsus pauperum beatæ memoriæ decessor eius instituerat, curam omnem adhibuit, vt eius operâ incrementi etiam nonnihil quotidie acciperent. Erat enim in eius diœcesi domus hospitalis constituta, tam abundè instructa, vt nullibi id copiosius curatum videretur.

Nota ætatem scriptoris. Eius Episcopus, simul perfectus est monachus.

QVIN verò etiam extra diœcesim suam, vbicunque esset, semper habebat qui erogandos pauperibus nummos in sacculis circumferrent; & ipse etiam in hunc vsum ad zonam suam appensum habebat marsupium, vt si absente interim suo eleemosynæ dispensatore inops aliquis occurreret, ad ma-

Liberalissimus est in egenos.

num

num haberet pecuniam quam illi largiretur. Ad quod studium perpetua quoque adhortatione suos inuitabat, ita dicẽs, Non debere omnino cunctanter opitulari egenis omnibus, quando, quis eorum sit Christus, vel quando ille veniat ad nos, ignoramus. Simul autem iuxta beati Gregorij admonitionem etiam eleemosynam verbi incessanter faciens, doctrinæ salutaris studio iugiter instabat. Sed & libellum quendam ex dictis eiusdem sanctissimi Pontificis lectori vtilem confecit, & sua manu descripsit, atque etiam epistolas aliquot plenas ædificationis, ad diuersos cõposuit, vt possit facile videre Lector, quantum studium illi fuerit eius, quæ secundum pietatem est doctrinæ. Præterea autem legationis quoque suæ officium, quod successionis iure quasi hæreditarium illi obuenit, impigrè executus est; ipse sanè per se, quoties per alias occupationes licuit, semper autem quosdam illi operi destinatos habẽs Presbyteros, per quos & verbum Dei Gentiles audirent, & solatium Christiani captiui acciperent, quique Ecclesias longè remotas, quódque grauissimum erat, non sine magnis pelagi discriminibus adeundas, inuiserent. Quæ tamen discrimina ipse frequentius subibat, ita vt non raro in id periculi coniectus sit, vt propemodum dicere potuerit cum Apostolo: Nocte & die in profundo maris fui. Sed aderat ei Spiritus sanctus.

Homil. 6. in Euangel.

Grauiter incumbit conuertendis infidelibus.

2. Cor 11.

PORRO ad redemptionem captiuorum penè cunctis quæ habebat expensis etiam sacri altaris vasa impendere non dubitauit, illud Apostoli egregiè exprimens: Seruum Dei oportet mansuetum esse ad omnes. Interim tamen, nonnunquam in discutiendis causis immotus in sua permansit sententia; vt à nemine posset ab ea dimoueri. Sed hoc ita agebat, vt contradicentibus ipsi, nihil vnquam commotionis ostenderit; sed familiaribus colloquiis, potius, & grata morum suauitate cum iis agens, tamen quod animo constituerat, efficeret. Cuius suæ immotæ sententiæ cum causam fuisset rogatus à quodam familiarius, respondit: Quæcunque agere vel omittere debeo, ea ex visionibus domini mei Anscharij prædisco: quicquid verò ex eius reuelatione percipio, non possum vltrà dissimulatione negligere. Fecit verò etiam priscorum more Sanctorum quædam apertè stupenda, nempe cùm in Suediam proficisceretur, non raró maris tempestatem suis orationibus sedans: quin & cæci cuiusdam oculos illuminans, cùm eum Pontificali more, sacro adhibito chrismate, confirmaret: vt

Pro redemptione captiuorum impendit etiam sacra vasa altaris.

2. Timoth. 2.

Eius mira constantia.

Sedat tempestatẽ maris.

En Sacramentum Cõfirmationis.

cætera

cætera prætercam. Qui vir beatus cùm ſenio grauari cœpiſſet, continui quoque pedum dolores ad moleſtiæ augmentum acceſſerunt. Itaque primò apud Ludouicum Regẽ, quo commendante Epiſcopatum ſuſceperat, ac deinde apud eius filios hoc obtinuit, vt vir inſignis Adelgarius illi, vt ſuprà diximus, adiunctus, in adiutorium ipſi confirmaretur, idque aſſentiente Abbate & fratribus monaſterij eius, & ſancta Synodo approbante. Nec diu poſtea in hac vita durauit: cuius quidem obitus ita ſe habuit.

Prædicit ſuũ obitum.

ANNO penè integro ante ſuam è corpore migrationem quibuſdam fidelibus amicis ſecretò indicauit, multa ipſi oſtenſa eſſe ſigna, è quibus prænoſſet, ſe non diu in hac vita manſurum. Itaque duodecimo ante obitum ſuum die, ad Bremenſem Eccleſiam perueniens, eodem die morbo correptus eſt. Quo per ſingulas horas ingraueſcente, ille ſemper pſalmodiis & ſacris lectionibus intentus ſeſe ad futuram ex hac vita emigrationem ſolicitè præparabat. Septimo quoque ante obitum die miniſterium ſacræ Vnctionis cum oleo ſancto exhiberi ſibi præcepit, vnà cum communione corporis & ſanguinis Domini: cuius communionis ſalutare remedium ad ſupremum vſque ſpiritum quotidie percepit. Ac demum cùm iam migraturus eſſet è mundo, conuocatis Presbyteris, & vniuerſis fratribus, veniam ſibi dari petiit eorum, quibus fortaſſis quenquam illorum offendiſſet: atq; inſuper, cùm ipſe quoque viciſſim condonaſſet omnibus, eiſque à Domino veniam precatus eſſet, percepto corpore & ſanguine Domini, ſanctam emiſit animam. Corpus eius, iuxta quod humilitatis ſtudio præceperat, ne ſcilicet in templo ſepeliretur, ſepultũ fuit extra baſilicam propè tumbam S. Vvillehadi, extra orientalem Eccleſiæ murum. Sed ſanctus Adelgarius, qui illi in Epiſcopatu ſucceſſit, exornauit poſtea eius ſepulchrum, deſuper exſtructo dedicatóque in honorem ſancti Michaëlis, ſanctorúmque Martyrum Stephani & Viti, oratoriolo.

Inungitur ſacro oleo.

Præcepit ne ſepeliatur in templo, tãta ſcilicet erat eius humilitas.

VITA S. AVITI EPISCOPI VIENNENſis, ex *Breuiario item Viennenſi.*

V. FEBRVARII.

Patri ſuo ſucceßit in Epiſcopatu S. Auitus.

TEMPORE Zenonis Imperatoris beatus Auitus Epiſcopus, ſapientia & doctrina mirabilis, Deo mortalib. fauente, Viennenſem Eccleſiã poſt patrem Yſiciũ æquè Epiſcopũ

ſuſcepit

suscepit regendam. Hic Ysicius vir primùm fuit Senatoriæ dignitatis, cui fuerũt duo filij clarissima lumina infula sacerdotali præditi, Apollinaris Valẽtiç Episcopus miraculis insignis, & Auitus, qui (sicut iam dictum est) in Viennensi Episcopatu patri successor extitit. Itaque accidit vt quidam ex officio Regis Sigismundi nomine Stephanus, defuncta eius vxore sororem vxoris suæ sibi illicitè coniugij consortio copularet: quã de re sanctissimi viri Auitus & Apollinaris, synodalem institutionem seruantes, ipsum Stephanum sacra communione priuari sanxerunt. Tunc Rex, diro insaniæ furore permotus, beatissimos Pontifices acerrimẽ insidias prætendendo iniuriare non desinebat: tandem vltione diuina contigit vt Rex ipse ita vim febrium incurreret, vt potiùs funebris quàm vitalis esse crederetur. Offugata denique per extensionem cucullæ viri Dei Apollinaris in Regem infestatione febrium, præcurrens Rex ad virum Dei veniam postulabat: hunc Sigismundum Regem beatus Auitus in fide pietatis erudiuit, qui illo agente Monasterium sanctorum Martyrum Agaunensium Mauritij sociorúmque eius construxit. Quantus autem in Ecclesia dum vixerit, fuerit; quisquis scire ad plenum vult, post eius innumera in Diuinis laboribus opera epitaphium ipsius legat, & quantus fuerit videre poterit. Sepultus est autem in Ecclesia Apostolorum ad sinistram partem domus in capite longioris Macheriæ.

De hoc suo loco infrà.

Censura in Stephanum quendam incestuosum.

Sigismundus Rex Christianus factus.

S. Auiti sepultura.

DE S. AGATHA VIRGINE ET MARtyre, *ex Ordinario nouo.*

V. FEBRVARII.

AGATHA virgo, Catanæ in Sicilia nobilibus parẽtibus nata, cùm pari pulchritudinis & castitatis laude commendaretur. Quintianus, Decio Imperatore, Siciliæ Prætor virginis amore captus est. Sed cùm tentata modis omnibus eius pudicitia, Agatham in suam sententiam perducere non posset, Christianæ superstitionis nomine comprehensam, Aphrodisiæ cuidam infami mulieri deprauandam tradit. Quç Aphrodisiæ consuetudine cùm de constantia colendæ Christianæ fidei & seruandæ virginitatis remoueri non posset: nunciat illa Quintiano, se in Agatha operam perdere. Quare ille ad se virginem adduci iubet: &, Nonne, inquit, te pudet, nobili genere natam, humilem & seruilem Christianorum vitam

S. Agatha claris natalibus.

Tẽtatur eius fides, sed frustra.

vitam agere? Cui Agatha, Multò præstantior est Christiana humilitas & seruitus Regum opibus ac superbia. Quamobrem iratus Prætor hanc ei optionem dat, velítne potiùs venerari Deos, an vim tormentorum subire. At illa constans in fide, primùm colaphis cæsa, mittitur in carcerem: vnde postridie educta, cùm in sententia permaneret, admotis cādentibus laminis in equuleo torquetur: tum ei mamilla abscinditur. Quo in vulnere Quintianum appellans virgo, Crudelis, inquit, tyrāne, non te pudet amputare in fœmina quod ipse in matre suxisti?

Abscinditur ei mamilla.

Mox coniecta in vincula, sequenti noctè à sene quodam, qui se Christi Apostolum esse dicebat, sanata est. Rursum autem euocata à Prætore, & in Christi confessione perseuerans, in acutis testulis & candentibus carbonibus ei subiectis volutatur. Quo tempore ingenti terræ motu vrbs tota contremuit, ac duo parietes corruentes Siluinum & Falconium intimos Prætoris familiares oppresserunt. Quare vehementer commota ciuitate, veritus populi tumultum Quintianus, Agatham semimortuam clam reduci imperat in carcerē. Quæ sic Deum precata, Domine, qui me custodisti ab infantia, qui abstulisti à me amorem seculi, qui me carnificum tormentis superiorem præstitisti, accipe animam meam: in ea oratione migrauit in cælum, Nonis Februarij: cuius corpus à Christianis sepelitur.

Terræ motu facto reducitur in carcerem.

Migrat ad Dominum.

VITA S. BERTVLPHI CONFESSORIS

ex eâ quæ scripta est iussu Folcardi Abbatis.

V. FEBRVARII.

CVM sub glorioso Rege Sigeberto Ecclesia Christi pacem simul & gloriam meruit, beatissimus Cōfessor Bertulphus ortum natiuitatis patria Alemannia habuit, parentibus quidem honestè mediocribus, sed gentilibus: neque enim adhuc Alemanniam fides Christi respexerat. Et quidem Bertulphus adolescentiæ ingressus iter, naturali tantùm quodammodo lege edoctus, dextrum iustitiæ iter conabatur arripere. Sed quia non facilè habuit, quod conatus est, in medio prauorum, exiuit, Dei gratia adspirante, tanquam nouus Abraham de terra & cognatione sua, ac tandem in partes Galliarū deuenit eò vbi Taruanensium fines Oceanus terminat. Erat tūc temporis ibi quidam Vuambertus, non infimus Comitū, cum coniuge

S. Bertulphi patria & iuuentus.

Relicta patria venit in Gallias.

coniuge nomine Hombuza, vterque cum ingenuitate sanctæ religionis. Qui in proprij iuris prædio, Rentica nuncupato, exstruxerat egregium cœnobium in honorē B. Dionysij martyris: deinde & alias tres Ecclesias, vnam Principi Apostolorum, aliam beatissimo Martino, tertiam sancto Vedasto. Hic ergo Bertulphus consecutus est baptismatis sacramētum, nec non & clericatus signaculo paulò pòst etiam arctiùs Ecclesiæ est iunctus, ibátque de virtute in virtutem: nec enim erubuit se supradictorum subdere dominio, quos Christi cernebat inhærere seruitio. *Baptizatur.*

Non latuit autem illustrissimum patremfamilias Vuambertum coniugémque eius tanti viri probitas, & assidua circa rem suam familiarem sagacitas: vnde & commissis ei omnibus quæ sui iuris erant, secundo ipsum à se gradu in omni domo sua præfecerunt. Et vide miraculum. Insistebat vir Dei Bertulphus clandestinis eleemosynis, & gnauiter pauperibus dabat, & res data tamen non deficiebat, imò opes dum erogantur, augmentantur, tantóque amplius incrementum sumpsere, quanto eas manus tribuentis in pauperes benigniùs dispersit. Quæ beati viri liberalissima compassio, quantum Deo, supremo Domino placuerit, sequens miraculum ostendit. Accusabatur apud Vuambertum, quasi dissiparet ipsius bona. Accidit itaque quadam vice, Vuamberto non longè inde stante, vt vir Dei panem & caseum, simul & in vase fictili vinum sub veste haberet, clàm inde pauperibus gratificaturus. Tum verò eius æmuli totis viribus Vuambertum impellunt. Quærit itaque ille quid ferret: At Bertulphus, ne fraudis notaretur, In vase, inquit, hoc fictili aquam habeo, quam * assulis veste hac adstrictis, eo, vt calefaciam. Nec mora: natura rerum mirabiliter mutata, & virum Dei ostendit verum dixisse, & de eodem æmulos ipsius perperam eum fuisse calumniatos. *Opes dum erogatur, augmentantur.* *Accusatur apud dominū suū quasi dissiparet eius bona.* ** assulæ hic pro fragmentis lignorum.*

Interea verò memoratus pater familias, coniúnxque eius venerabilis, Apostolicis nobiliem pignoribus Romam visere animo concipiunt; & ecce fit in itinere, Bertulpho quadam noctè obseruante in pascuis equos domini sui, vnà cum alijs commilitonibus, vt vehemens tempestas subitò oriretur, ita vt cataractæ cæli viderentur apertæ. Diffugiunt reliqui commilitones, solus Bertulphus remanet sub dio. O admiranda tua, Christe, opera: Vt famuli tui sanctitas omnibus innotesceret, dum & ipse è pascuis reuocatur, inuentus est in *Proficiscitur cum hero suo Romam.* *P... eius ... signo miraculo.*

libro

libro legens, face ignea de cœlo coram eo lucente, simúlque miræ magnitudinis aquila eius caput obumbrante. Crescebat autem magis ac magis semper viri clarissimi Vuamberti in eum affectus, ita vt etiam prædium iuris sui vulgò Rentica dictum, vnà cum Ecclesiis in illo constructis, cum ijs quæ ad illud pertinebant, illi contraderet, & donatione solenniter facta, hæredem faceret. Atque interim ipse cum coniuge secundò Romam proficiscitur, vnde redeuntes, cùm in villa iuris sui Falcomberga humanis rebus essent exempti, ac deinde à Bertulpho, qui obitum eorum, fama vulgante, cognouerat, ad prædium sui iuris Renticam translati, dominus Confessor Bertulphus suscepta à venerabili Vuamberto, quam diximus, possessione, hoc omni elaborabat studio, vt gloriæ Dei proximorúmque vtilitati impenderet, quicquid ipsi rerum temporalium suppeteret.

Succedit in hæreditatē domini sui Renticam.

ERANT, vt dictum est, in memorato loco, Ecclesiæ quatuor, quarum vna erat reliquis quantitate maior, & opulentia præstantior. In hanc scilicet vir Dei, collectis secum vndecunque viris religiosis, secesserat, arctiorisque vitæ tramitem arripuerat. Et dignum quidem, sed difficile relatu est, quàm piè ibidem adhuc in terra positus cum Angelis Dei coram Deo sit conuersatus, bene orando, bene ieiunando, bene vigilando, & charitatem erga Deum & proximum optimè declarando. Qui cùm complures sui exemplo inuitasset, qui cum illo in eodem loco eandem viam sunt ingressi, post emeritam in hac vita militiam, percepto tandem sacrosancto Dominici corporis & sanguinis viatico, adstantibus non sine mœrore discipulis, vale vltimum fecit, ac ipsos seséque Domino commendans, spiritum in manus Angelorum efflauit, Nonis Februarij. Porrò sacrum viri corpus primò propter incursiones piratarum translatum est de Rentica Bononiam Galliæ, inde aliis occasionibus primò Harlebecam, inde postremò Blandinium, quod est monasterium sancti Petri Gandaui.

Colligit ibi viros religiosos.

Corpus eius sacrū tādem defertur Gādanum.

VITA S. ADELHEIDIS SIVE ALEIDIS, *Abbatissæ Vilecensis, ex ea quæ est per Bertradam sororem sancti VVolphelmi.*

V. FEBRVARII.

S. Adelheidis.

SANCTA mater nostra Adelheidis patrem habuit Megegorem, illustrem Comitem: mater Gerberga dicta est: qui-

quibus vna fuit mascula proles, & quatuor filiæ, quarum duæ iunctæ sunt viris præpotentibus, reliquis duabus apud Coloniam Agrippinam Christi seruitio mancipatis. Et vna quidem earum vixit in monasterio beatissimæ matris Dei, & ita vixit vt tandem etiam eidem sit præfecta: altera verò Adelheidis, de qua nobis hîc sermo est, complexa est monasticum vitæ institutum in cœnobio sanctarum virginum ad præscriptum siue Regulam D. Hieronymi, in tenera ætate ita se comparans, vt futuræ probitatis & sanctitatis haud obscura iam tum specimina præberet. Accidit autem interea, vt, Imperatore aduersus Boëmos cum exercitu proficiscente, frater harũ sororũ Godefridus strenuam ei operam nauans occumberet. Quo casu consternati parentes, & illud voluentes Apostoli, Præterire figuram huius mundi, bonorum omnium quę erant Godefridi filij, Deum hęredem instituerunt, vt anima eius cælestis paradisi hæreditate potiretur: sicque è fundamentis excitarunt in Vilika templum venerabile, prædiisque & mancipiis illud ditarunt. Et alter quidem, puta pater, propter frequentes tum suorum tum exterorum concursus, quos, vt pote Princeps, vitare non potuit, specie tenus mundo inseruiebat, mater verò ab hominum turbis prorsus semota, perpetuò mansit eo loco vbi construebatur monasterium, structuræ accelerandæ prudenti magisterio insistens, simulque Deo fideliter seruiens. Inde autem, consummata monasterij structura, multæ collectæ sunt virgines quæ diuino vacarent cultui: quibus filiam suam Adelheidem, è sanctarum virginum monasterio, cui similiter prædia aliqua contulerunt, accitam, præesse voluerunt.

Complectitur instit. D. Hieronymi.

1. Cor. 7.

Construunt parentes eius monasterium Vilicense.

Congregantur ibi sub S. Adelheide sacræ virgines.

EXVLTABANT itaque pij parentes, tantum filiæ suæ, eiúsque subditarum virginum profectum cernentes: quin & cupiuissent eas excellentiorem arripere viam, vt mutato habitu monasticum institutum consectarentur. Quibus cùm Adelheidis, tunc cultu vestium professioni ipsius congruentium delectata, verecundè sese opposuisset, parentes quoque salua pietate, ab eo proposito animum suum reuocarunt. Sed & omnibus bene compositis & ornatis, locum illum Imperatori Otthoni tertio, regia defensione perpetuò tuendum tradiderunt: qui locum illum immunem esse voluit ab omni seculari seruitio. Quæ libertatis donatio vt rata & firma semper esset, adhibita sunt instrumenta summi Pontificis & duorum Imperatorum Othonis & Henrici, quæ etiamnũ sunt apud nos.

Moritur eius mater. Nec diu post domina Gerberga, in perseuerantia bonorum operum studio vigilans, Domino vocante, humanis rebus exempta est. Et quidem iam Adelheidis matre erat orbata, cùm ad Deum, quem à primis ætatis initijs dilexerat, ardentiori etiam studio se conuertit; & quod priùs vtriq; parentu de habitu mutãdo negauerat, tunc ad animũ reuocans, salubriter compuncta est, & quemadmodum monasticum viuendi institutum *Meditatur sancta virgo priusquam incipiat.* susciperet, anxiè horis omnibus cogitauit. Interim tamen sapienti vsa consilio, noluit subitam vitæ mutationem admittere, sed vires diligenter examinans, apud se se experiri cœpit possetne sancti Benedicti Regulam complecti.

ITAQVE vescendi hora, spretis carnibus & lautioribus epulis, monasticis cibis contenta fuit; neque id tamen sentientibus alijs quæ illic aderant, dempta sorore vna sibi secre-*Vtitur ad carnem vestibus laneis iuxta Regulam sancti Benedicti.* tiori. Vtebatur quoque extrinsecus vestibus lineis, sed ad nudum corpus laneis nobile & delicatum corpusculum edomabat, vt posset Regulæ perferre iugum. Sicque cùm anno vno necessarios virium sumptus computasset, non quidem suis præfidens meritis, sed nitens gratia Dei, id quod animo diu concupierat, tandem re ipsa compleuit. Accita enim venerabili Abbatissa & quibusdam alijs è monasterio beatissimæ matris Dei, humili deuotione illarum se subdidit magisterio, vt per illarum doctrinam disceret monasticæ vitæ instituta, simul etiam exhortans subiectas sibi virgines, vt vnà cum ipsa hæc amplecti minimè dubitarent. Atque inter hæc pater eius dominus Mengegor, post obitum coniugis anno tertio, cunctis bonis ex Dei gratia auctus, in loco *Moritur eius pater.* qui Gellere dicitur, migrauit è vita, ab eo coronandus procul dubio, pro cuius amore legitimè hìc decertauit. Quo defuncto, virgo nobilissima, libera iam rerum suarum potita facultate, summopere in eam incumbebat curam, ne sorores, aliqua rei necessariæ inopia impeditæ, non satis possent exactam tenere viam rectitudinis. Hyberno tempore, *Tenerrimè diligit suas sorores.* post Nocturnas preces, cum sororibus dormitorium repetebat, diligenterque inspiciens puellarum lectulos, singularum pedes, donec incalescerent, curabat. Infirmas quoque sorores quotidie inuisebat, cibum & potum ori comiter admouens, tamque largis simul generosam faciem rigans lachrymis, ac si eas omnes ipsa peperisset.

ATQVE eiusmodi scilicet Abbatissæ vigilantia, sorores à curis secularibus expeditæ in Regularis vitæ obseruãtia valde

exerc

excrescebant. Sed & cùm sic, Domino adiuuante, rectè cōposuisset interiora, ad exteriora quoque se contulit. Ex ipsis enim monasterij possessionibus cortem vnam Domino delegauit, vt ex eius annuis fructibus & prouentibus quindecim pauperes perpetuò vestirentur & alerentur. Alios etiam quindecim pascendos instituit ex interioribus monasterij sumptibus, sæpe admonens sorores, nè hanc constitutionem vllo vnquam tempore aboleri paterentur. Denique cùm aliquando totus penè orbis acerba fame affligeretur, refocillabat illa liberalissimè omnes vndique ad eam venientes. Et hæc quidem fecit illa manifestè: nam in abscondito, nesciente sinistra, tam etiam ad præstandam eleemosynam porrecta erat eius dextera, vt sæpe nummis carens, quos pauperibus petentibus largiretur, clam sibi detraheret caligas, easque miseris donaret. Vnde & factum est, vt sorore eius Bertrada in Christo feliciter obdormiente, beatus Heribertus Archiepiscopus, sciens hanc matrem nostram cunctis ornatam virtutibus, voluerit eam defunctæ sorori succedere in regimine, licet illa modis omnibus recusaret, indignam tanto honore se clamitans. Quod cùm Imperatori apud Aquasgrani tunc commoranti nunciatum fuisset, eam neque petenti, neque iubenti Episcopo consentire velle, accersiuit eam, & sororis honore sublimauit.

Constituit ad pe.. tuò ali-das quindecim pauperibus.

Accitur à B. Heriberto Coloniam.

TVM verò in Metropolitana Coloniensi ciuitate declaratum est, quid priùs illa operata esset in obscuro Iuliacensium tugurio, idque adeò, vt idem sanctus Archiepiscopus testaretur eam cunctis sui Ordinis sapientia, religione, & sanctitate esse incomparabilem, tantoque eam prosequeretur amore, vt in rebus diuinis constituendis libenter eius vteretur consilijs, eamque admodum reuerenter haberet. Etsi autem Coloniensi monasterio præfecta erat, attamen vtrique & Coloniensi & Vilecensi strenuè inuigilabat momentis omnibus. At verò iam Dominus illam pro meritis remunerare voluit cùm periculoso gutturis dolore correpta est. Quo dolore sciens se viuendi finem accepturam, primò corporis & sanguinis Dominici Sacramento se communit, ac deinde cum beato Heriberto agit de suis & suarum rebus, sicque postremò petit gaudia paradisi, ad quæ viuens infatigabili studio suspirauerat. Post quod Vilecenses Archiepiscopum rogarunt licentiā corpus sanctū absportandi, eumq; tandē precibus vicerunt. Quo in naui imposito, necdumq; dispositis remis, contra fluminis impetū mox velociter cursum tendebat, vt etiam

Admodum reuerenter ab eodem habetur.

Obdormit in Domino.

Fertur eius sacr. ū corpus contra ... fluminis.

ſic à Colonienſibus diuina voluntas agnoſceretur. Sed ne longiores ſimus, nouerit Lector, nullo non genere miraculorum, dempta mortuorum excitatione, eam ornatam eſſe à præpotenti Deo.

VITA S. VEDASTI EPISCOPI ATREbatenſium, ex ea quæ eſt per Albinum Flaccum Alcuinum.

VI. FEBRVARII.

Francia quomodo publicè receperit fidem.

CVM Francorum Rex Clodoueus Alemannis bella inferret, ipſique quadam vice ei fortiter reſiſterent; contigit vt ipſe necdum renatus, Reginam tamen habens Chriſtianam, nimio terrore turbatus, ad Chriſti confugeret auxilium. Atque, ô Deus, inquit, quem Regina Clotildis colit, concede mihi hodie de inimicis meis victoriam: namque ex hac die tu ſolus mihi eris Deus. Nec mora. Mox diuina operante pietate, victoria ceſſit Regi & Francis. Atque hoc eſt de ſancto Vedaſto narrationis principium. Etenim ſupradictus Rex, vt fidelis ſponſor appareret, feſtinauit ſeruorum Chriſti ſacra imbui prædicatione: venit autem tunc ad Tullum oppidum. Vbi cùm ſanctum agnouiſſet Vedaſtum laudabili religione dulciſſimos contemplatiuæ vitæ capere fructus, eum ad ſanctum Remigium ad Rhemorum properans ciuitatem, ſibi ſocium aſſumpſit, quatenus per ſingulos itineris ſui greſſus Catholicæ fidei firmis initiaretur fundamentis, vt paratus fide & virtutum ſcientia, à tanto Pontifice ſpirituali ablueretur lauacro. Narrat ſacra hiſtoria, Ieſum Iericho pergentem, cæco cuidam reddidiſſe lumen corporale, vt multi ſcilicet ſpiritualiter illuminarentur. Ita & ſuo more fecit, Chriſto donante, ſanctus Vedaſtus; dum, cum rege proficiſcens, in Vungiſe pago prope Reguliacam villam ad Axonam flumen, quendam cæcum, ad eum clamantem, ſigno crucis & oratione fuſa illuminat. In quo loco tempore ſequenti etiam à religioſis viris ædificata eſt Eccleſia in teſtimonium miraculi iſtius.

S. Vedaſtus agit Catechiſten Regis Clodouei.

Illuminat cæcum.

IAM venerat Rex tanto miraculo egregiè confortatus ad ſanctiſſimum Pontificem Remigium; denique iam baptizatus, cum optimatibus ſuis & populo, qui & ipſi gaudebant ſalutaris lauacri ſuſcipere ſacramentum, reuerſurus erat ad regni ſui gubernacula; cùm ſanctum Vedaſtum beato Pontifici commendauit Remigio. Qui ibi moratus, vitæ meritis & virtutum claruit exemplis. Fuit enim morum dignitate religioſus,

Eius virtutes

gioſus, charitate præcipuus, orationum vigilantia aſſiduus, ieiunio ſobrius, miſerorum conſolator. Omnes autem ad ſe venientes vitæ æternæ paſcebat alimento, nec vllum in ſua deſpiciebat anguſtia, ſed piæ conſolationis verbo reficiebat mœſtos. Vnde & à quamplurimis illuſtribus frequentabatur viris, vt illius ſacratiſſimo alloquio vel in triſtitia cuiuſlibet ſolicitudinis ſuſciperent conſolationem, vel in religione Eccleſiaſticæ exercitationis puram ab eo audirent veritatem. Cuius cùm celeberrima vulgaretur fama, viſum eſt beatiſſimo Pontifici Remigio tam præclaram Chriſti lucernã melius eſſe ponere ſupra candelabrum. Itaque diuina diſpenſatione, & ſalubri ſacerdotum conſilio, ordinauit eum Epiſcopum, ad prædicandum verbum vitæ, Atrebatenſi eum dirigens vrbi, quatenus populus diu in antiquæ malæ conſuetudinis erroribus iacens, Deo auxiliante, per aſſiduam ſacræ prædicationis inſtantiam, per illum in viam veritatis & agnitionem Filij Dei deduceretur. Qui & Pontificatus gradu & prædicationis officio ſuſcepto, concitus ad præfatam ire perrexit vrbem. *Deſtinatur à S. Remigio vrbi Atrebatenſi.*

SED & in bonam ſpem futuræ proſperitatis & ſalutis Deus cuiuſdam miraculi teſtificatione eius patefecit ouibus introitum; nimirum in ipſa ciuitatis porta duos habuit obuiam ſibi egenos & infirmos, cæcum & claudum, miſerabili voce ſtipem poſtulantes. Quibus cùm aliud ſolatium præſtare non poſſet, Apoſtolicus prædicator pecuniam in ſacculis ſe non habuiſſe ſciens, ex intimo cordis affectu pro illorum miſeria fudit lachrymas. Et ecce mox ambo in conſpectu multitudinis optatam receperunt ſanitatem, hic luminis claritatem, ille velocitatem pedum. Cuius miraculi teſtificatione vir Dei fauore populi ſuffultus, ſingula ciuitatis loca peragrans, quæſiuit inter ruinas ædificiorum, ſi quod Eccleſiæ ſignum inueniri valuiſſet. Nam antiquis fermè temporibus ſacræ in illis locis fidei floruiſſe religionem agnouit; ſed propter peccata habitatorum terræ illius, occulto Dei iudicio, ſed iuſtiſſimo, tradita eſt cum cæteris Galliæ vel Germaniæ ciuitatibus, pagano & perfido Hunnorum Regi Attilæ vrbs quoque illa deprædanda. Inuenit verò famulus Chriſti antiquæ ruinas Eccleſiæ, interque murorũ fragmenta vepriũ creſcere denſitates. Quæ cernens, dum intimo cordis dolore ingemuit, ſubitò ex ruinoſis ſpeluncis proſiliuit vrſus. Cui vir Dei cum auctoritate præcepit, vt in deſerta ſecederet loca, nec vltra illius fluminis ripas tranſiret: quod & factum eſt, nec vnquam poſtea illis *Sanat cæcum & claudum.* *Nota cur hic ſanctus [illegible] cum vrſo.*

visus est in partibus. Itaque dum comperisset vir Dei Ecclesias Christi desertas, simul & cor populi idololatriæ erroribus infectum, gemino se pietatis subdidit labori. Nimirum populum sedula intentione ad agnitionem veri lumi- nis perduxit, & Ecclesias ad culmen summi honoris erexit; Presbyteros quoque & Diaconos sibi in adiutorium per diuersa Ecclesiarum dispo- suit loca; & vbi prius speluncæ fuerunt latronum, ibi oratio- num domos construxit, magis tamen diuinis intendens eas ornare laudibus, quàm pompaticis seculi diuitijs.

Insigniter instaurat illis in locis fidem Christianam.

FVIT enim pauperibus largus, diuitibus affabilis, quatenus omnes vel largitate munerum, vel iucunditate verborum in viam deduceret veritatis. Quod eius studium etiam tum patuit, quando Clotario Rege Clodouei filio, eiusque optimatibus in conuiuio præsentibus, viro Dei, more solito, dextera extenta, omnia sanctæ crucis vexillo signante, vascula cereuisia plena, sed malè gentili errore ad decipiendas conuiuarum animas dæmoniacis incantationibus infecta, subitò ad potentiam sanctæ crucis destructa crepuerunt. Nam plurimi occultis diabolicæ fraudis laqueis absoluti, auguriorum vanitate spreta, incantationumque superstitione relicta, ad veræ religionis puritatem conuolarunt. Rexit autem præfatus Dei sacerdos Ecclesiam Christi, diuina auxiliante gratia, annis circiter quadraginta, sub magna Euangelicæ prædicationis deuotione; ac per id temporis strenuè multitudinem populi Catholico dogmate ad fidei conuertit sanctitatem. Ardebat enim in pectoribus singulorum cælestis patriæ amor, populus statis diebus ad Ecclesiam concurrebat, festa cum magno gaudio celebrabantur, eleemosynæ circa domos vbertimè pauperibus dispertiebantur, verbum Dei quotidie per loca singula populis prædicabatur, hymnidicas laudes Deo horis Canonicis chorus cantabat in Ecclesijs. Qui quidem prius prædicator & sanctus Dei Sacerdos postquam meritis maturus & annis, iam præmia sui laboris in proximo accipere meruisset, Deo disponente in eadem Atrebate ciuitate validæ infirmitatis febre correptus est.

En signum crucis.

Status sub eo Atrebatensis Ecclesiæ.

CVIVS obitum vt Deus designaret, visa est quoque nocte clarissimæ columna lucis, à culmine domus, in qua sanctus iacebat, vsque ad summum cœli, horarum fermè spatio duarum stare fastigium. Quod cùm viro Dei diceretur, intellexit statim hoc signum suum demonstrare obitum. Vocauit igitur suos ad se filios, vt eorum precibus suam fideli conditori commen-

Designatur eius mors per columnam celestem.

men

mendaret animam. Nec multum intercessit temporis. Post dulces paternę pietatis admonitiones, sacrosancto corporis & sanguinis Christi confirmatus viatico, inter manus lacrymantium spiritum emisit, sepultus in Ecclesia beatę Dei genitricis, in dextera partę altaris, vbi quondam Pontificalis Cathedræ fungebatur officio. In quo loco per aliquot iacuit tempus, quousque Domino reuelante, ad locum vbi nunc fulget eius memoria, à viris sanctis Autberto Atrebatensi, & Audomaro Taruennensi Episcopis est translatus; quorum ille rubente aurora trans fluuiolum, qui Crichto vocatur, viderat virum præfulgidum virgam manu tenentem basilicæ locum metiri; hîc verò beatus Audomarus in ea translatione & lumen recepit oculorum, & mox quoque iterum precibus eandem, quam vltroneus ferebat, reimpetrauit cæcitatem. Est autem locus ipse non longè ab eadem vrbe, qui pro nobilitate sui Nobiliacus primò est appellatus; sed procedente tempore tam insignis etiam effectus est, vt vrbis nomine, quæ iam ruinis crebrioribus penè obsoluerat, vocitetur. Atque ô sanè felix Atrebatum ciuitas, tam excellenti munita patrono!

Migrat feliciter.

Abbatia sancti vedasti primò dicta Nobiliacum.

VITA S. AMANDI EPISCOPI
Traiectensis partim ex Milone, partim ex D. Io. Molano.
VI. FEBRVARII.

SANCTVS Amandus filius Sereni Aquitanorum Ducis ex Amantia matrona cumprimis nobili, annos vixdum pubertatis ingressus monasticę vitę institutum elegit in Ogia insula, quam etiam à miræ magnitudinis serpente signo crucis liberauit. Sed & cùm pater eum multis verbis à sancto instituto amouere laboraret, hanc illi tandem grauissimam sententiam retulit: Terrena non appeto; tantùm mihi permitte, vt Christo militem. Sicque in eodem permanens desiderio, postea Turonis, post fusas ad sepulchrum sanctissimi Martini attentas preces, comam capitis sui abscidit, adeptus Clericatus honorem, ac deinde Bituricæ cellulam iuxta Ecclesiam à sancto Austregisilo sibi constructam, ingressus, annis ibi quindecim corpusculum mira abstinentia macerauit, cilicio tectus & cinere, ieiunio attritus atque inedia, hordeaceo tantùm contentus pane, atque aqua modica, sicque ibi tribus fermè militans lustris. Tandem etiam religionis amore tactus, Romam se contulit, diuorumque Petri & Pauli Apostolorum

S. Amandus filius Ducis Aquitaniæ.

Venit Turonas, atque inde Bituricā, vbi per quindecim annos vixit austerissimè.

Visit limina Apostolorū.

limina visitauit; vbi à beato Petro nocte admonetur, vt in Galliam prædicandi Euangelij causa remearet. Itaque reuersum Gallia obuijs vlnis accepit, & vt verbum Dei Gentibus euangelizaret, coactus à Rege Lotario & sacerdotibus Episcopus est ordinatus.

PER quod quidem tempus, cùm loca vel diœceses ob animarum solicitudinem vir Domini circumiret, audiuit pagum esse quendam iuxta fluenta Scaldis, cui vocabulum est Gandauum. Cuius loci habitatores antiqua diaboli versutia vsque adeò circunquaque laqueis vehementer irretiuit, vt incolæ terræ illius arbores & ligna pro Deo colerent, atque vana idola adorarent. Propter ferocitatem autem gentis, vel ob terræ infœcunditatem, omnes sacerdotes à prædicatione loci illius se subtraxerant. Quo audito, vir sanctus magis eorum miseratus errorem, percepta à Rege Dagoberto potestate, & benedictione à Pontifice Nouiomensi Aichario, perrexit illuc intrepidè. Vix autem quis dignè enarrare sufficiet, quantas ibidem pro Christi nomine perpessus sit iniurias, & quàm frequenter ab incolis loci illius cæsus sit, necnon & à mulieribus & rusticis non absque iniuria non tantùm repulsus, verùm etiam in flumen sæpe præcipitatus. Quæ omnia vir sanctus pro nihilo deputans, verbum Dei non destitit tamen propterea prædicare. Accidit verò tunc in vrbe Tornaco, vt fur quidam patibulo affigendus decerneretur, ac tandem etiam affigeretur, sub Comite cognomine Dottone. A quo cùm vir Domini Amandus obtinere non potuisset, vt ei vitam illius concederet, reuerso domum Dottone, depositum de ligno accepit iam mortuum. Et vide rem stupendam. Ad cubiculum, in quo familiariter orare consueuerat, deferri eum fecit, fratribusque è cellula egressis, ipse super membra defuncti orationi tam diu incubuit, donec, iubente Deo, anima in corpus redijt.

Gandenses tunc adhuc colunt idola.

Prædicat illis S. Amandus & multa ab ijs patitur.

Excitat defunctum.

PORRO hoc miraculo longè latéque diuulgato, statim incolæ regionis illius cursu celeri ad eum cucurrerunt, & vt eos faceret Christianos humiliter postularunt. Fana etiam, quæ antè adorare consueuerant, proprijs destruentes manibus, ad virum Dei omnes vnanimiter peruenerunt. Nam vbi fana destruebantur, vir Domini Amandus tam ex munificentia Regis quàm ex collatione religiosorum virorum, religiosarumque fœminarum, statim monasteria aut Ecclesias construebat. Qui cùm videret prædicatione sua quosdam ad Deum conuerti

Plures construuntur Ecclesiæ.

ex

ex hoc etiam maiori æstuabat desiderio, quatenus adhuc alij conuerterentur. Audiuit denique quod Sclaui nimio errore decepti à diaboli laqueis tenerentur oppressi: vnde & transfretato Danubio, eadem circumiens loca, libera voce Euangelium Christi gentibus prædicabat. Sed paucis ex eis in Christo regeneratis, videns sibi non satis accrescere fructum; deinde & martyrium, quod semper quærebat, nondum se adepturum; ad proprias iterum reuersus est oues. Prætereo dicere, quomodo Pontifex dum regem Dagobertum pro capitalibus criminibus, omniq́ue spurcitia libidinis, quod nullus ex sacerdotibus facere ausus erat, redargueret, non absque iniuria de regno eius fuerit expulsus: Illud hîc breuiter commemorasse sufficiet, quòd idem Rex, pedibus postea beati viri prostratus, veniam ab eo petijt, atque adeò postulauit, vt ipse filium suum diuinitus sibi datum baptizaret, Sigebertum puta, qui quadraginta dierum infans, Domino os eius aperiente, ipse finita oratione, clara voce, audientibus cunctis, respondit, Amen. Qua etiam occasione, Ioanne Episcopo Tungrorum moriente, beatissimus Amandus coactus est à Rege Dagoberto & sacerdotibus illam Pontificalem cathedram suscipere.

Prædicat sanctus Amandus etiã Sclauis.

Reprehendit pro suis criminibus Regem Dagobertum.

ET quidem per triennium ferè vicos vel castra circumiens, verbum Domini constanter omnibus prædicauit. Sed cùm multi, quod dictu nefas est, sacerdotes etiam atque Leuitæ, prædicationem eius respuerent, puluerem de pedibus in testimonium excutiens, ad alia properabat loca; ac tandem reperiens insulam, cui vocabulum est Chanelaus, iuxta Scaldim fluuium, aliquantis diebus cum fratribus spiritualibus ibidem Christo militare studuit. Atque interim verbi Dei contemptores per biennium ferè ingens attriuit plaga, ita vt euersæ domus, & agri in solitudinem essent redacti, nullusq́ue penè in his regionibus remaneret, qui virum Dei contempserat prædicantem. Nec multo pòst, cùm à fratribus, quos ob animarum curam per diuersa reliquerat loca, rogaretur, vt eos præsentia sua visitaret, tandem prece accepta peruenit ad eos, audiuitq́ue ab eis, gentem quam Vacceiam appellauit antiquitas, quæ nunc vulgò nuncupatur Vasconia, nimio errore deceptam, ita vt idola pro Deo coleret. Nec mora. Vir Domini Amandus etiam ibi enixè elaborare cœpit, vt eos à diaboli reuocaret seruitio, licet paruo successu. Nam & non obstante quòd irrisor quidam viri Dei, à dæmone arreptus, hocq́ue ipsum confitens, proprijs se manibus laniasset, ac tandem in

Creatur Episcopus Traiectensis.

Nota vindictam Dei.

Tentat sanctus Amandus etiam conuertere Vascones.

tormento quoque exhalasset spiritum, illi nihilominus in cæcitate permanebant.

ITAQVE & vir Domini in fines remeauit Francorum: vbi elegit sibi locum prædicationis aptum, in quo cum fratribus, qui cum eo per diuersas prouincias, multas pro nomine Christi perpessi fuerant passiones, ædificauit cœnobium; ex quibus fratribus plures postea fuerunt Abbates seu honorifici viri. *Eius discipuli S. Gertrudis & S. Bauo.* Sanè istius etiã sanctissimi Pontificis admonitione, Iduberga relicta Pipini Ducis Brabantiæ, sibi & filiæ suæ Gertrudi, Christique familiæ cœnobium construxit Niuellanum, in quo vtramque sacro velamine consecrauit. Ipso quoque diuo Bauoni Hasbaniæ Principi Deum sincerè colendi leges dedit: ac tandem post multos pro Christo exantlatos labores, Apostolica virtute apud Pabulenses in Elnonensi monasterio (quod hodie ab auctore S. Amandi propriè dicitur) feliciter obijt, anno incarnati Verbi sexcentesimo sexagesimo primo, octauo Idus Februarij. *Obdormit in Domino.* Cuius sacrum corpus anno Domini octingentesimo nono etiam tunc tam integrum inuentum est, vt cum quidam piè de dentibus eius forcipe educeret, (mirabile ac stupendum) de dentibus eductis stillæ fluxerint cruoris. *Nota insigne miraculum.*

VITA S. DOROTHEÆ VIRGINIS

& Martyris ex Georgio Vincellio.

VI. FEBRVARII.

S. Dorotheæ genus, & prosapia.

FERTVR Senatoria familia prognata Dorothea virgo, atque liberaliter educata, necnon moribus à prima statim ætate tam pudicis quàm ingenuis prædita fuisse. Grassante enim passim per Italiæ ciuitates sæua persecutione, commodum furori cessit pater virginis, relictis omnibus in patria, secundum verbum Domini, & traiecto æquore; vnà cum filiabus suis (quarum duas habuisse superstites dicitur, nempe Chresten & Calistam) in oras Cappadociæ peruenit. Ibi cùm sedem sibi prospexisset, placuit Cæsareæ commorari. Quo loco ex vxore sustulit tertiam filiam; hanc scilicet nostram Dorotheam, vice magni à Deo doni. Quoniam verò in illis quoque mundi partibus odio Christiani nominis omnia flagrarunt, coactus fuit pius genitor, dissimulanter cura-

re, vt filiola sacramento Baptismatis Ecclesiæ initiaretur. Virgo igitur posteaquàm adoleuisset, forma insignis & rogata Fabritio præfecto sui copiam facere nollet, vtpote intactæ virginitatis sedula custos, irritatus Leo ille, in virgunculam sæuire cœpit: sed tot tormentis admotis, nihil efficere valuit. Constitit enim puella Marpesiæ cautis instar fide robusta, in confessione Christianismi, nec se hinc blandis pollicitis, nec minis immanibus, & truculentissimis pœnis à Deo ad Deos abduci patitur. Vox hæc fortissima memoratu digna est: *Deum adoro, non deos.* Præter hanc ista quoque, quam in mediis tormentis edidit: *Nihil non, Fabrici tyranne, pati parata sum pro amore honoréve Christi Iesu domini ac sponsi mei.* Nemo facilè effabitur, quasi laniena corpus istud tenerrimum vexarint carnifices, lædendó lassati, non satiati. Atque hinc elucet virtus Dei magna, qua tot mortibus superuixit ouicula boni pastoris. Verum non sat habuit religiosissima virgo, quod ob confessionem fidei masculo animo pateretur, nisi bonum etiam opus in ipso agone, vi Christianæ dilectionis adducta faceret. Cùm enim animaduerteret vtramque sororem supplicij formidine à cõfesso Christo Iesu turpiter desciuisse, illásque ad cumulum sui sceleris hoc quoque additur as, vt tertiam, Dorotheam hanc, natu minorem, spiritu maximam, secum in æternum interitum pellicerent; euenit versis vicibus, vt eximia virgo magna cum admiratione omnium, relapsas sorores abnegato Christo per efficaciam prædicati verbi tandem restitueret, atque ita suo vtraque sorori Græco nomini respondit. Chresta commodam dulcémque sonat. Talis enim altera Christo sponso facta est. Altera Callista, hoc est optima, à Christo habita est, quòd maluit Christiana, quàm Ethnica mori. Iam verò Dorotheæ toties Serpente deuicto, restabat triumphus. Produci igitur ad supplicium capitis iussa, obuium habuit Theophilum protographea quendam. In ioco seriòve puellam cruentæ morti destinatam rogare cœpit, vt sibi de charissimi sponsi sui, toties iactato paradiso, aliquid odoramentorum aut etiam fructuum, faciendæ fidei gratia dono mitteret, simulátque se contulisset illò. Puella iuueni amata, Christum amans, ab amato Christo prece impetrat, vt Theophilo illi ad vitam prædestinato, quod rogaret, confestim in aulam mitteretur. Nam hoc pacto ipsa suam liberabat fidem, pariter & iuuenem ad fidem illectũ, ad se statim vocabat, in æternæ voluptatis

Fabricio præfecto sui copiam facere noluit.

In tormentis vox eius præclara.

Vtramque sororem lapsam restituit.

Ad supplicium capitis producitur.

Eius obitus. ptatis consortium. Accidit enim vt non solùm Dorothea spiculatoris gladio ceruicem candidissimam præberet, occumberétque, aut potiùs moriendo vinceret, verumetiam Theophilus, posteaquam ille Christum confessus, Baptisma, ac mox corpus & sanguinem Dominicum in communione Ecclesiæ vltrò acceperat. De ipsis quoque sororibus eò quòd calcatis Idolis, Christi Iesu sese veræ religioni contradedissent, à Gentilitatis errore quasi postliminio reuersæ, pœna capitis sumpta est. Acta eiusmodi feruntur esse sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus Rom.

Lib. 7. c. 17.

Alia Dorothea Alexandria. Alia Dorothea fuit olim Alexandriæ, eiusdem nominis virgo, de qua Eusebius sic scribit: Verùm cùm duobus grauissimis dominis libidine & crudelitate præceps ageretur, fuit apud Alexandriam Dorothea quædam satis nobili orta familia, ingentibus diuitiis, & propinquis, nobilibus pollens, sed in ea ingenij atque industriæ bonum, cæteratúmque honestarum artium studia magis, quàm hæc, vigebant. Formà verò & decoris gloria tanta ei fuit, vt mirum ac speciale in ea Dei figmentum crederetur. Sed illa quæ religione animi & honestate vitæ pulchrior, quàm vultu corporis esse studeret, æquissimo mentis iudicio, quod pulchrum & decorum inter homines videbatur, id potiùs Deo consecrare, quam vsui humano statuit indulgere, vt virgo Deo sacrata persisteret. At ille qui diuina atque humana, libidine simul & crudelitate fœdaret, cognito solius formæ, non etiam ingenij ac proposito bono, ad contemerandam virginem, ac polluendam eius castitatem, animum intendit. Comperto verò quod Christiana esset, quæ secundum sua edicta pœnæ magis, quàm libidini subijcienda videretur, in ambiguo positus, æstuare cœpit, & in quam se partem verteret, ignorare. Sed vbi dubios animos libido, quæ ei latiùs dominabatur, obtinuit, & expectantem virginem pro martyrio ad supplicium rapi per occultos nuncios de stupro interpellauit, illa æquè nephas sibi esse respondit, templum

De stupro interpellatur. corporis sui, quod semel Deo consecrauerat, idolorum cultu, ac libidinis contagione polluere, proinde se quidem ad mortem paratam esse: à crudeli verò tyranno non decere blandum aliquid aut molle proferri, nec esse dignum resolui erga se truces animos, qnos quotidie vndatim Christianorum profusus cruor duraret. Ad quæ responsa cùm ille libidine accensus acriùs incalesceret, & nisi verbis acquieuisset,

vi age

vi agere decerneret, omnibus virgo pudicissima facultatibus suis, domóque ac familia derelicta, noctu clàm cum paucis fidissimis famulis, & cum amicissima sibi comite castitate discedit, atque illusum tyrannum vanum amentémque dereliquit. Sed & alias plurimas nobiles mulieres simul ac virgines exemplo illius adortus, sed exemplo nihilominus illius paratiores ad mortem, quàm ad seruitutem libidinis nactus, crudelibus suppliciis affici iubet. Quæ multò promptiùs & lætiùs quàm cæteri omnes mortem subibant, eò quòd duplices sibi coronas à domino præparandas, non solùm proprietate, verùm etiam pro castitate credebant. *Noctu discedit omnibus relictis.*

VITA S. SOTERIS D. AMBROSIO *in exhort. ad Virg.*

VI. FEBRVARII.

AT non sancta Soteris, vt domesticum piæ parentis proferamus exemplum. Habemus enim nos sacerdotes, nostram nobilitatem præfecturis & consulatibus præferendam. Habemus inquam fidei dignitates quæ perire non norunt. At non, vt dixi, Soteris vultus sui curam gerebat, quæ cùm esset decora facie valde, & nobilis virgo maiorum prosapia, consulatus & præfecturas parentum sacra posthabuit fide, & immolare iussa non acquieuit. Quam persecutor immanis palmis cædi præcepit, vt tenera virgo dolori cederet aut pudori. At illa vbi audiuit hanc vocem, vultum aperuit soli inuelata atque intacta martyrio, & volens iniuriæ occurrit, vultum offerens, vt ibi martyrij fieret sacrificium, vbi solet esse tentamentum pudoris. Gaudebat enim dispendio pulchritudinis, periculum integritatis auferri. Sed illi potuerunt quidem vultum eius vulnerum vibicibus exarare, faciem tamen virtutis eius & gratiam decoris interni nequaquam exarare potuerunt. *Facie pulchra, genere nobilis Soteris martyriũ libẽter subit.*

VITA S. GVARINI, EPISCOPI PRÆnestini, & Cardinalis, Canonici Regularis, ex Augustino Ticinensi.

VI. FEBRVARII.

S. Guarini genus & educatio.

BEATVS Guarinus, Christi Confessor, genere præclarus, Bononiæ oriundus, parentum diligentia ab ineunte ætate nutritus & moribus educatus, non lasciuiis, sicut assolet puerorum ætas, sed sacris literiis intentus, sicut assiduè, ita strenuè quoque ieiuniis, orationibus, ac diuinæ contemplationi inhærebat. Factus iuuenis, inuitis consanguineis, qui de ipso posteritatem peroptabant, totis visceribus Christi vestigia complectens, maiori in Ecclesia Bononiēsi clericus honorificè fuit ordinatus. Verùm cùm probatæ virtutis iuuenis socios mollibus vestitos cerneret, ipse pauper spiritu cœpit velle arctiùs diuinis mancipari obsequiis. Quod suum propositum vt omnipotenti Deo per preces ardentes commendaret, etiam solitaria loca frequentabat. Demum sanctissimis instructus studiis ad Canonicam S. Crucis de Mortaria aduolans, ibique secundùm D. Augustini Regulam Canonicorum habitum ingenti desiderio indutus, breui tempore perfectionis culmen attingere meruit. Sed & destinatus ad S. Figdriani Ecclesiam, in ea à Concanonicis perbenignè & reuerenter excipitur. Erat enim inter fratres humilitate vti minister, doctor verbo, magister exemplo.

Fit Canonicus Regularis.

Continuus est in meditatione mortis.

MORTEM verò sibi quasi quotidie imminentem intentus meditabatur, atque ita ad Dei seruitutem se parabat, nec non & contra carnis concupiscentias indesinenter pugnabat. At verò contigit interea, cùm post paucos annos ad Canonicam Mortariensem reuerteretur, ibique aliquandiu moratus, comperta iam diu antè eius fama, in dies corā Deo & hominibus, clarissimis polleret virtutibus, vt nutu diuino Papiensis Ecclesia proprio priuaretur Pontifice: sicque inspirante Deo, communi omnium voto, tam clerus quàm populus vniuersus B. Guarinum Episcopum elegerūt. Sed nulla ratione ille acquiescere voluit, cùm interim, cuiusdā Archidiaconi occasione præstita, qui ad eum anhelabat Episcopatum, deceptis custodibus, vir sanctus, qui antè fuerat in arcto loco detētus, per fenestram dimittitur, sicq; tamdiu latuit, donec alter ibi consecratus fuit Episcopus. Atque ita deniq; beatus Guarinus suo potitus desiderio, ad fratres suos Concanonicos rediit, velut simplex inter eos conuersans. Quin etiam post aliquantum temporis, felicis memoriæ Papa Lucius secundus, natione Bononiensis, fama eius crescente, quanta potuit instantia egit vt beatus Guarinus ad se veniret. At verò vir Dei in humilita

Declinat Episcopatū Papiensem.

militatis custodia persistens, piè renuit Pontificis instantiam, asserens supra meritum suum esse quod ab illo petebat: & qui in monasterio quadraginta annos egerat, reuerti ad temporalem solicitudinem timebat. Victus tamen tandem Pontificis instantia & Prælati sui hortatu, Romam profectus, in Prænestinum Episcopum est consecratus. *Creatur Episcopus Prænestinus.*

QVI, cùm equitatum preciosum aliósque Episcopales apparatus à Pontifice dono recepisset, mox, venditis omnibus, pauperibus precium erogauit. Clerum insuper & populum salubri reficiebat pabulo, pauperibúsque alimenta & indumenta propriis manibus erogabat. Conuersabatur autem in loco apud Ecclesiam Prænestinam ieiuniis & orationibus plenè vacans, & cæteris omnino studiis pietatis insistens. Denique iam senectute grauatus, præuisa depositione sui tabernaculi, cùm noctu totus aër immenso refulsisset lumine, sequenti aurora carnis vinculis expeditus ad vitam, quæ sine claudi non potest, cum gaudio migrauit sexto Februarij die. *Migrat in cælum.* Tunc verò Christi Confessor omnibus charus, in sepulchro & Ecclesia beati martyris Agapiti sacerdotum manibus debita veneratione reconditur. Ecce autem eadem die, mulier quædam dæmonio vexata, Albanensem vrbem circuiuit, loquebatúrque per eam diabolus, sic dicens: Hodie præsul migrauit ad cælum, cuius precibus ego miser expellar. Statímque obsessa muliere beati viri sepulchrum attingente, cœpit per os eius in sanctum virum contumelias dæmon euomere. *Liberatur ad eius sepulchrum dæmoniaca.* Sed meritis eius erepta mulier Confessoris sepulchrum festina amplexa est, & ei, cuius ministerio sic sanata erat, gratiarum vota persoluit. Vnde & factum est, vt viso miraculo, suspensis ante sepulchrum lampadibus, confestim quoque sine ignis appositione, cernentibus omnibus, luminaria accenderentur.

DE S. RICHARDO REGE ANGLIÆ.

Est Epitaphium eius in ciuitate Luca Italiæ.

VII. FEBRVARII.

BEATVS Richardus Rex Angliæ, exul patriæ, spretor mundi, contemptor sui, pater sanctorum fratrum Vvillebaldi & Vuinnibaldi, & B. Vualburgis virginis, terrenum regnum in cæleste mutauit. *S. Richardi tres sancta proles.* Deposuit coronam regiam pro vita perpetua. Exuit purpuram, & vilem induit tunicam. Regio-

nium

num reliquit tribunal,& Sanctorum quæsiuit limina. Dimisit sceptrum,& accepit baculũ. Dimisitque filiam suam in regno beatam Vualburgam, atque simul cum filiis peregrè profectus est; & eis relictis apud sanctum Bonifacium martyrem gloriosum tunc Archiepiscopum Moguntinensem, virum miræ sanctitatis,eo quòd Anglicus esset,& de regno suo natus,idem sanctus Rex exilio se vlteriori *, limina Sanctorũ trans Alpes adiit,& loca deinceps magis deuia petiit solitudinum,Deo soli idem solus liberè vacaturus. Denique post longa exilia, post multa certamina,post famis, sitis, & frigoris multimodas ærumnas,in prouincia Italiæ,ciuitate Luca finitur pugna, dãtur præmia, cælo recipitur anima, & in beati Frigdiani basilica iuxta corpus eius ponuntur pia membra, vbi & miraculis coruscat.Festiuitas eius celebratur septimo Idus Februarij.

Visit limina Apostolorũ.

Transit ex hoc sæculo.

VITA S. PAVLI EPISCOPI VIRDVnensis,ex ea quæ est apud R.P Laur.Surium.

VIII. FEBRVARII.

S. Pauli natales.

BEATVS Paulus Virdunensis Ecclesiæ præsul,in Gallia Belgica parentibus ortus est non infima dignitate. Porrò verò in ipsis annis teneris artium liberalium studiis adhibitus est, in quibus breui tempore eos habuit processus, vt Grammatica,Dialectica,Rhetorica,cęterísque humanioribus disciplinis sic satis instructus videretur:in templis quidem & monasteriis,iis, quæ ad diuinum cultum pertinent, intentus sedulò,benignè verò opem ferens miseris & pressis inopia,adeò vt nihil sibi præter ea,quæ sunt ad victum, cultumque corporis necessaria,retinens,facultates suas omnes in egenos, morbidos,nudos,alijsque calamitatibus obnoxios conferret,nihil de crastino solicitus,vacansque interim ieiunijs ipse & precibus.Quibus omnibus velut calcaria eius feruenti voluntati se adhibentibus, inusitatæ peregrinationis sibiipsi laborem indixit,oblitusque generis antiqua stemmata,relictisque charissimis parentibus,tandem ad eremum Vosagi peruenit, eamque ingreditur.Habitabant in ea solitudine multi anachoretæ distinctis cellulis in arctissimo silentio. Atque horum quidem viuendi consuetudinem Paulus modis omnibus amplecti voluit.Sed,quoniam non est in hominis potestate,vita eius,longe aliter euenit atque ille putârat; hoc est, vt potiùs futurus quandoque Pontifex & pastor, diuina id agente prouidentia, ad

Profusissimus est in pauperes.

Venit ad eremum Vosagi.

ad cœnobium perueniret.

ERAT namque in illa eremo monasterium, quod hodie quoque perseuerat, monasticis institutis valde insigne, Tabuleiũ antiquitus dictum, nunc verò Theolegiũ. Ad id cœnobiũ hospitij causa diuertit Paulus. Nec mora (nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia) Cum Abbatis benedictione monasticum induit habitum, & vt verus Christi seruus adiungitur illi congregationi Sanctorum. Vbi qualem deinde sese præstiterit, quam moribus & vita sanctum & inculpatum, non facilè quisquam explicauerit. Ab ipso mutati habitus die, propè fidem excedere videbimur, si dicere velimus, quas cruces, quæ tormenta sibiipsi intulerit, dum vult corpus castigare suum, & in seruitutem redigere. Quæ eius fama cùm longè lateque increbuisset, cœperunt multi ad eum confluere, etiam ex longinquis regionibus, & se in eius tradere disciplinam, non solùm mediocris fortunæ, sed etiam præpotentum ac nobilium hominum filij. In ijs autem quoque fuit Grimo, qui etiam Adalgisus dictus est, Dagoberti Regis nepos, cuius hoc monasterium Tabuleium siue Theolegium erat iure hæreditario; cuius occasione etiam postea promotus est hic noster Paulus in sedem Virdunensem, cum diu, sed frustra, eam dignitatem detrectasset. Sed iam deinceps audiamus loquentem Berchariũm, qui superiorum Antistitum res gestas conscripsit, qui ita habet.

Accipit habitum monasticum.

Plures ad eũ confluunt, & in ijs etiam nepos Dagoberti.

Floruit hic Bercharius, iuxta Molanum, circiter annum Domini 880.

POST Ermenfredum, inquit, tractus est de monasterio Tabuleio S. Paulus, qui fuit frater Germani Parisiacensis Ecclesiæ Episcopi, & in Ecclesia ista Episcopus consecratur, cuius memoria æterna est. Nam nepos Dagoberti Regis Grimo Diaconus, qui & Adalgisus dicitur, cùm fuisset à beato Paulo ab infantia reuerenter educatus, pro amore ipsius Antistitis suam proprietatem, id est, Tabuleium monasterium beatæ Mariç in Virduno, suo scripto & multorũ fidelium scriptis, vt in sempiternum nostra Ecclesia ipsum monasteriũ habuisset, tradidit, roborauit, & omni auctoritate firmauit. Frasinidum etiam villam pro sua pietate victui fratrum nostrorum delegauit. Sed & sanctus Paulus Balonis villam de suis reditibus comparauit. Priuilegium etiam nostris Canonicis de antiquioribus villis fecit, & suis manibus, & aliorum Episcoporum, ipsum sub diuina attestatione roborauit. Quin & de virtutibus istius sancti Patris nostri mirabile audiuimus, minimum quod adhuc monasticam vitam ducens, cùm in pistrino fratrum obe-

Fit Episcopus Virdunensis.

Tabuleium monasterium trãscribitur Ecclesiæ iam dictæ.

dientiam habuisset, & timeret, ne hora statuta fratres panem habere potuissent, eiecto igne de clibano, ipse introgressus cũ cuculla sua clibanum purgauit, & panem illic ad coquendum ordinauit; & sanus foras egressus, panem factum fratribus in refectorio tempore statuto distribuit. Cæcos quoque illuminauit, claudis gressum præbuit, ægrotos à variis infirmitatibus curauit: denique istam Ecclesiam dilatauit. Et Deus omnipotens animam illius cum omnibus Sanctis in æterna gloria sine fine gaudere fecit. Atque hæc Bercharius. Reddidit autem felicem Christo spiritum sexto Idus Februarij.

Ingreditur S. Paulus clibanum illæsus.

VITA S. COINTHÆ, EX EVSEBII
historia Ecclesiastica.

VIII. FEBRVARII.

EVSEBIVS de Cointha (quam quidam falsò Coniutam vocant) sic scribit: Post hæc, mulierem quãdam nobilem, Cointham nomine, ad idola perducentes adorare cogebant, recusantem, imo potius execrantem, vincula pedibus innectentes, & per plateas totius ciuitatis trahentes, fœdo horrendoque supplicij genere discerpunt. Dehinc omnes simul irruerunt per domos seruorum Dei, diripientes & euertentes, atque hostili crudelitate cuncta fœdantes, ita vt pretiosioribus quibusque direptis, si qua alia viliora repererant, in vnum congregata igni in plateis cremarent. Nostri tamen direptionem hanc bonorum suorum (sicut Apostolus de illis dixit antiquis) cum gaudio susceperunt.

DE S. APOLLONIA VIRGINE
& Martyre, ex Ordinario Rom.

IX. FEBRVARII.

APOLLONIA virgo Alexãdrina, Decio Imperatore, cum ingrauescente iam ætate ad idola sisteretur, vt eis veneratione adhiberet; illis contemptis, Iesum Christum verum Deum colendũ esse prædicabat. Quamobrẽ omnes ei contusi sunt & euulsi dẽtes; ac, nisi Christum detestata Deos coleret, accenso rogo cõbusturos viuam minati sunt impij carnifices; quibus illa, se quamuis mortem pro Iesu Christi fide subituram, respõdit. Itaque cõprehensa vt combureretur, cùm paulisper

Pro cõcessione fidei omnes ei contũduntur dentes.

lisper quasi deliberans quid agédum esset, stetisset; ex illorum manibus elapsa, alacris se in ignem paratū iniecit. Vnde, breui consumpto corpore, purissimus spiritus in cælum ad sempiternam martyrij coronam euolauit, quinto Idus Februarij. *Cōsummatur martyriū.*

VITA S. ANSBERTI EPISCOPI

Rothomagensis, ex ea quæ est per Angradum ad Hilbertum Abbatem Fontanellensem.

IX. FEBRVARII.

EO tempore quo sceptra regni Francorū gubernabat Clotarius, filius Clodouei Regis & Bathildis Reginæ, vnà cū germanis suis Childerico & Theodorico, sanctę recordationis Ecclesiæ Rothomagensis Antistes Ansbertus à patre Siuuino, & pago Veliocassino, patrimonioque vocabulo Calcegio, nobili erat ortus genere. Sed repudiato stęmmate patrum, mox, vt valuit, sola Conditoris paternitate elegit censeri. Et traditur quidem à parentibus magistris strenuis, literis erudiendus. Qui cùm adultus pubertatis excederet annos, secularis eius pater, vt vnicum eum diligens; venationibus eum occupari, & dulcedine seculi armari cupiebat. Sed quo oblectabatur pater, adolescens filius per omnia fastidiebat. His etiam diebus quidam illustris Rotbertus nomine, gerulus fuerat anuli Regis Clotarij. Atque huius quidem filiam Angadrisinam prædictus Siuuinus expetiit, volens eam suo iuueni filio Ansberto sociari. Nec mora. Constituto die, casto iuueni casta despondetur puella. Denique ambo integritatem mentis & corporis casti seruare cupientes, omnipotentem deprecabantur Dominum, vt voluptatum venena à cordibus eorum dignaretur repellere. Sed & orante beata Angadrisina virgine, vt speciositas illius in deformitatem verteretur, ilico Dominus preces eius exaudiuit, ita vt facies illius immundissima lepra cooperta mox aparuerit. Et quidem concurrit medicorum frequentia, sed nihil proficit; donec fatente illa continentiæ suæ votum, ad Rothomagum vrbem, sancto Antistiti dirigitur Audoëno sacro velamine consecranda; Quo facto (ô rem stupendam!) pristinæ pulchritudini est reddita: quæ & postea sancta gubernatrix effecta est cœnobij, quod est situm propè muros vrbis Bellouaci.

S. Ansberti nobile genus.

Abhorret à venat onibus & similibus.

Proponit vnà cum desponsa sibi Angadrisina seruare castitatem.

Accipit eius sponsa sacrū velamen.

POST hæc autem vir Domini Ansbertus in aulam Regis, licet nolens, à genitore perductus, sicut erat acumine ingenij clarus, *Versatur ipse in aula, sed admodū piè.*

 clarus,

clarus, ita cœpit esse Scriba doctus, conditorque regalium priuilegiorum, & gerulus annuli regalis, quo eadem signabantur priuilegia. Sed tamen positus ibi, piæ doctrinæ atque humilitatis exemplis ad Dominum se conuertens, sæculum relinquere, & ad monasteria declinare seriò cogitabat. Itaque in laico adhuc habitu constitutus, plures exhortando inuitabat ad præmia felicitatis æternæ. Denique igne diuini amoris accensus, à palatio egressus, nulli que sodalium, ac sibi famulantium confiteri volens suam voluntatem, arripuit iter quod ad prouinciam ducit Rothomagensem, peruenitque ad Fontanellam cœnobium super fluuium Sequanæ, vbi sacerdos Domini clarus Vuandregisilus monasterium construxerat, atque cum magna monachorum cohorte laudabiliter viuebat; vbi & ipse Ansbertus comam capitis deposuit. Qui ita Christi iugo colla submittens, factus est mox in cœtu monachorum cunctis humilior, omnibusque obediens, vigiliis frequens, orationibus assiduus: cui etiam data erat ex compunctione cordis per infusionem Spiritus sancti haud exigua effusio lachrymarum. Atque interim inclytus Domini sacerdos Vuandregisilus, cùm per viginti ferè annorum spatia hoc cœnobium à primo ædificationis die in regimine tenuisset, ad extrema peruenit, cùm subrogatus ei fuit famulus Domini Lantbertus, religione præclarus, & genere nobilis.

Fit monachus

Huius vitam sanctissimam vide infra 22. Iuly.

SVB quo quænam præclara huic monasterio obtigerint, longum est hìc ex ordine narrare. Sed illud dicam. Lantberto in Lugduno, celeberrima vrbe Galliæ, defuncto sancto Genesio, Pontifice subrogato, vnanimes in cœnobio Fontanella monachi beatum Ansbertum sibi elegerunt præesse Rectorem. Qui sanè post susceptam regiminis curam assiduè meditabatur quale suscepisset onus, videlicet commissi à Domino gregis regere animas, & multorum seruire moribus. Atque ita erat sicut cæteris prælatus, ita cunctis humilior: in vestitu vilis, in cibo mediocris, abstinentiæ iugi deditus, patientiæ virtute, ac charitatis obsequio, eleemosynarumque largitionibus abundantissimè cumulatus. Vnde & in præfato venerabili Fontanellensi monasterio inter felicia bonitatis suæ gesta, etiam xenodochium imbecillium ac decrepitorum pauperum, instar duodeni Apostolici numeri constituit, deputatis eisdem rebus quæ sufficienter præberent alimoniam. Alias quoque duas constituit in eodem monasterio pauperum Christi debilium mansiones, quos in octonario ex multis sacrato numero

Creatur sanctus Ansbertus Abbas.

Nota, nimirũ omnis dignitas verè seruitus.

Multa piè instituit pro sustentatione pauperum.

mero

meto singulatim octonos habitare fecit; quibus sine indigentia quotidianum largiri victum perenniter censuit; quorum vocatio nulla erat alia, nisi horis constitutis diurnis nocturnisue in domo Domini residere, orationique ac vacationi diuinæ deuotè insistere. Sed nunc narrare aggredior, qualiter idem vir venerandus Pontificatus conscenderit gradum.

His diebus contigit, vt beatus Audoenus Rothomagensis vrbis Pontifex, plenus virtutibus & sanctis actibus, à Domino vocatus, migraret feliciter è mundo. Post cuius sacrum transitum, cuncti Rothomagensis vrbis ciues, missa petitione ad Theodoricum gloriosum Regem, cum eius permissu & auctoritate vnanimiter beatũ Ansbertum sibi elegerunt consecrari Antistitem. Quorum electioni congaudens Rex, ex templo legatos dirigit, qui eundem Christi famulum regias perducerent ad ædes. Nec multo pòst: Legati ad beatum Patrem Ansbertum peruenientes, mandata Regis pandunt, ad aulam regiam ire compellunt. Morabatur enim præfatus Rex in villa Clypiaco, quæ sita est in Parisiaco territorio; vbi conuentum magnum populorum habens, de vtilitate ac tutela regni tractabat, vt ad eius consultũ (veluti agere consueuerat; nã Cõfessor illius erat) de regni negociis tractaret. Et ecce, cũ vnanimi voto sanctorum sacerdotum, Regis & Principum, eligitur, trahitur, atque in eodẽ palatio à S. Lantberto Archiepiscopo sedis Lugdunensis, aliisque sanctis Præsulibus, qui ad hoc generale placitũ conuenerant, in Pontificem consecratur Ecclesiæ Rothomagensis. Iam erat in Pontificatus honore & onere sublimatus, cùm cœpit opere sanctitatis etiam amplius clarescere. Floruit enim sub ipso Christi Ecclesia, sicut monasterium antè floruerat. Creuit gratiis, decreuit metallis.

Moritur feliciter S. Audoenus Episcopus Rothomagensis.

Succedit ei sanctus Ansbertus.

ALIQVANDO enim ingrediens locum vbi Ecclesiæ thesauri reconditi erant, ipsos sibi iussit præsentari, & aliqua distribui, plurima reseruans, vt eleemosynæ pia largitio è sinu sanctæ matris Ecclesiæ cum pietatis fructu benignè procederet. Nam quæ ociosè diu congesta fuerant, ad reprimendam famis validæ penuriam, quæ tunc populos vndique grauiter premebat, dignis tandem indigentium vsibus deputauit, & dudum defunctis thesauros suos transmisit. Sed & cùm pro salute animarum attentissimè vigilaret, etiam Archidiaconos conuocans, de prædicatione populorum, & Ecclesiarũ restauratione & honore, maximam gerere curam sedulò commonebat. Census quoque qui de vicis publicis canonico ordine

En nihil nouũ esse quòd sint thesauri Ecclesiæ.

Curat vt Archidiaconi diligentes prædicationi, & instaurationi Ecclesiarum.

Transfert reuerenter corpus S. Audoeni.

ad partem Pontificis persolui consueuerant, gratuita benignitate in restaurationibus Ecclesiarum benignissimè Presbyteris indulsit earundem Dei ædium. Transtulit autem etiam inter reliqua bonitatis suæ opera, quæ in Episcopatu gessit, venerabile corpus sancti Antistitis Audoëni in eminentiorem locum Ecclesiæ S. Petri, quę sita est in suburbano vrbis Rothomagensis, cum reuerentia magna, & hymnorũ laudibus Clero personante, qui dies etiam factus est deinceps solenniter celebris. Semper autem reminiscens plebis sibi à Domino commissæ, frequenter iuxta ministerium sibi traditum parochias circumibat proprias, prædicationis sanctæ rorem, & piæ conuersationis dulcedinem indesinenter eorum instillando mentibus. Quin etiam, ad hoc diuini ministerij opus, probatę conuersationis viros semper secum retinebat, eorum iuuamine fultus.

Diligẽter visitat suas parochias.

IN quibus dum gnauiter versatur sanctus Antistes, egit callidissima arte humani generis hostis, vt vir splendidus mundo, splendidior in Christo, propria priuaretur Pontificali sede, essetque detrimentum plebis ablatio tanti pastoris. Nam cùm inter Principes Francorum sęua esset exorta discordia ob multiformem regni diuisionem, callidus humani generis hostis malignorum contra Dei famulum sæuire fecit inuidiam, qui Pipino Principi fraudulenter suggererent, virum sanctum aduersus eum contraria tractasse consilia: vnde & iussu eiusdem exilio deportatur in Altum-montem monasterium, quod est situm in territorio Hannoniensi super Sambre fluuio. Vbi, nullo exstante crimine, humiliter exilij subiens ærumnam, ieiuniorum etiam ac vigiliarum instantia cunctis eiusdem loci habitatoribus lucis monstrans exempla, cùm post aliquantum temporis per eundem Principem ad sedem propriæ vrbis reuertendi licentiam iterum accepisset; diuina vocatione præuentus, post perceptionem corporis & sanguinis Domini, sanctæque crucis signationem, transiit feliciter è mundo, die quinto Iduum Februariarum. Cuius sacrum corpus, vti petierat, mox cum magna solennitate translatum est ad cœnobium Fontanellense, multis ad illud editis miraculis: quod factum est anno sexcentesimo nonagesimo quinto.

Falsò delatus apud Pipinũ Principem cogitur exulare.

Moritur in Altomonte monasterio Hannoniæ.

VITA S. SCHOLASTICÆ ABBAtissæ, ex Ioanne Maldonato. Hispano.

X. FEBRVARII.

SCHOLASTICA diui Benedicti soror, ab ineunte iam ætate deo dicata, diem ad vltimum nunquam destitit, in summa morum vitæque sanctitate ac integritate persistere. Præsidebat monasterio sacrarum virginum, non procul à cœnobio fratris Benedicti; consueueratque frater quotannis sororem inuisere. Cumque die quodam de more ad eam venisset, & in sacris colloquijs totum diem iam ambo peregissent, incumbentibus noctis tenebris, fratrem virgo rogauit, vt ea nocte ibi maneret, diuinis sororem alloquijs refoturus. Abnegat Benedictus, extra cellam posse noctu manere. Erat in cœlo tanta tunc serenitas, vt nec parua quidem nubecula appareret. Auditis tamen Scholastica verbis fratris, mansionem extra cellam constantissimè negantis, manus, inserratis digitis, super mensam posuit, & caput manibus Deum precatura defixit. Vixdum finierat, cùm ecce fulgura micant, tonitrua, concussiones horrendosque sonitus ingeminant, tantáque vis imbrium subsequuta est, vt ruere domus videretur. Ita vir pius fecit inuitus, quod sponte facere recusauerat. Post triduum Benedictus orationi solus intra cellam insistens, animam defunctæ sororis Scholasticæ cœlos penetrantem vidit, & sodalibus ostendit; quos etiam, vt corpus deferrent, statim misit, & in sepulchro, quod sibi parauerat, tumulauit.

VITA S. EVLALIÆ BARCINONENSIS, ex Io. Maldonato Hispano.

XII. FEBRVARII.

EVLALIA Barcinone Hispaniæ ciuitate Diocletiano & Maximiano res Romanas agentibus, à præside Daciano tenta, & ad sacrificandum inuitata est. Illa quamuis adolescentula nondum annum transgressa tredecimum, soli se Deo cœli & terræ conditori sacrificaturam dixit, cui se iam dudum sponsam addixerat. Nudata tunc est, fustibusque durissimis cæsa, oleo deinde feruenti perfusa, insuper & in massam calcis viuæ demersa. Sed cùm constantissimè omnia superasset, nuda super lectum ferreum extenditur, plumboque fuso perfunditur. Non exhorruit virgo hoc etiam subire tormentum. Precibus tamen intentæ plumbum minus nocuit, cùm manus interim carnificum concremarentur. Cæditur iterum crudelissimè virgis, testarumque minutijs eius plagæ confricantur *Martyrium S. Eulaliæ.*

nihilominus tamen persistens immobilis, felicitatem suam, quòd talia pro Christo pateretur, commendabat. Euidentissimis etiam & apertis rationibus, dum cruciabatur, demonstrabat, mortem Christi humano fuisse generi sicuti conducibilem, ita & necessariam; Gentiliumque deos insinuabat, refellendos ac confutandos. Quod ferre non valens Præses, candelis accensis genas exuri, sinapique ex aceto naribus infundi præcepit, atque calce oleoque perfusam in caminum flagrantem mitti. Verum quòd hymnos, illæsa diuinos inter flammas personabat, educitur: & per ciuitatem, quo pudefieret nudatã ac decaluata deducitur. Postremò extra ciuitatem deportata, cùm nulla reliqua esset spes, eam tormentis aliquando cessuram, decollatur.

Iterantur tormenta.

VITA S. AVSTREBERTHÆ PRIMÆ

Abbatissæ Pauliacensis, ex ea quæ est per eius ferè contemperaneum.

X. FEBRVARII.

BEATA ac venerabilis Austrebertha exorta est Taruanensi territorio, patre officio Comite Palatino, nomine Badefrido, matre nomine Framehilde. Sub quibus puerilibus annis simpliciter domi transactis, talis tantusque tamen in ea feruor excreuit sanctitatis, vt nulli foret dubium, quin ante ortum natiuitatis eam sibi Dominus in ancillam elegerit. Nam cùm esset infra decennium, ita eam Spiritus sanctus repleuerat, vt mens eius aut circa Ecclesias, aut monasteria iugiter anhelaret. Quadam etiam die cùm vultum speciei suæ more infantium in aquis contemplaretur, ecce repentè apparuit ei quoddam velamen capiti eius impositum. Quod signum apud eam intantum valuit, vt ex illo iam die hoc æstuaret desiderio. Interea procedente tempore, parentes eius, arrhabone pro amore seculi recepto, tempus præfinitum & diem ipsi statuerant nuptiarum; cùm illa in angustijs posita, cogitare cœpit quid ageret. Erat his tẽporibus vir sanctus magni apud Deum meriti Audomarus nomine, Taruanensis vrbis Pontifex, in cuius diœcesi puella nobilis originem traxerat. Ad hunc ergo ipsa tunc furtim properauit. Iam venerat ad flumẽ quod dicitur Quantia, vbi aquarum abundantia totum repleuerat, vt superiorem pontem illic absconditum sub se vnda teneret. Et vide miraculum. Oratione facta, commutata est aqua sub pedi

S. Austrebertha genus.

Vix decennis semper est aut in Ecclesiis, aut in monasteriis.

Inuita parãtur nuptiæ.

pedibus instar ligni solida, ita vt Dei famula transiret illæsa.

Amne transmisso, quantocyus properans peruenit ad hominem Dei, prouoluta puella ad pedes eius, quod desiderabat, obtinuit; consecrata est Christo, accepto velamine. Vir autem Dei cùm cognouisset parentes eius hac re esse perturbatos, assumpta secum Dei famula, consolandi gratia eos visitare studuit, eorumque commotos animos verbis pacificis deliniuit. Deinde verò cùm aliquandiu in domo parentum commorata fuisset, cœpit quoque implorare matrem & fratres vt monasterium possit ingredi; cùm non multo pòst illi assentientes, etiam ad monasterium vsque eam perducunt. Est autem ipsum monasterium super fluuium, qui dicitur Somma, constructum; nominatur autem Porcus; ibique præerat spiritualis mater nomine Burgofledis. Vbi hæc beata Dei famula, omnibus sanctis adiuncta, primam virtutum humilitatem ita in suo corde pro fundamento inseruit, vt non solùm spirituali matri, sed etiam cunctis sororibus quasi ancilla seruiret: vnde & post aliquantum temporis, eligentibus cunctis, consentiente matre, licet inuita, Præposita constituitur. Quo ex facto cœpit etiam magis humiliari, magisque de virtute in virtutem proficere, patientiam opponens contra immites, pusillanimis autem ostendens longanimitatem. Quæ etiam circa obedientiæ virtutem qualis fuerit, monstrabitur sequenti exemplo.

Fugiens ad sanctum, Amdomarum calcat aquā star ligni solidi.

Accipit sacrum velamen.

Ingreditur monasteriū.

Eligitur Præposita monasterij.

In eodem monasterio erat consuetudo, vt vicissim à sororibus coquerentur panes. Sed dum hęc Christi famula die quadam in ordine vicis suæ in hoc opere laboraret, habebat secum vnam tantùm adolescentulam, quæ apud eam fuerat educata, & hoc miraculum narrare consueuit, quæ hucusque viuit in corpore. Cumque clibanus fuisset incensus, & panes in promptu ad coquendum parati, igneque extracto, deinde à fauillis vel prunis, quæ remanserant, debuisset mundari, fasciculus, qui erat in sūmitate ligni colligatus, casu igne adustus est totus. Quod vbi Dei famula aduertit, collidens inter se manus, altiusque ingemiscens, ait: Væ nobis, quid acturæ sumus? Panes peribunt: opus enim hoc modò reparari non potest. Et currens festina, obserauit ostium domus. Deinde signo crucis munita, medium inter ignium vapores clibanum ingreditur, arreptisque manicis, quibus in brachijs vtebatur, clibanum omnem mundauit. Egressa denique officium diligenter compleuit, & nec vnum quidem capillum capitis, nec vel fimbriam vestimenti eius est ausus ignis attingere. Tunc verò præcepit

Nota ætatem auctoris.

Ingreditur clibanum accensum illæsa.

puellæ, vt patefaceret ostium domus, multisque contestata est eam sermonibus, ne cuiquam, quod viderat, indicaret.

VOLVNTATIS autem Dei minimè fuit, vt cursum vitæ suæ in hoc monasterio ipsa Dei famula consummaret. Nam cùm per annos quatuordecim ibi degens, plures suo saluasset exemplo, monasterio deinde Pauliaco, ab Amelberto filiæ suę alijsque Christi ancillis constructo, per virum valde venerabilem Philibertum præficitur. Et quidem illa etiam ibi rigorem propositi tenens, egregiè, quod ore cæteris prædicabat, prius videntibus illis opere faciebat. At illæ, velut equus indomitus, si quid causa salutis Dei famula faciebat, primùm omnino vitabant contingere, magno eam odio habentes; deinde etiam (proh nefas!) superueniente prædicto magno seculi, non Dei, viro Amelberto, structo mendacio grauissimè eam accusauerunt. Sed hoc factum est, vt appareret quanta esset hæc Dei famula. Nam ecce, cùm ille repletus furore, arrepto gladio quo erat accinctus, impetum fecisset in eam, illa mox manus tendens, ceruicem præbuit percussori, existimans congruum esse tempus martyrij. Vnde & ipse attonitus stetit immobilis; pauensque multum, recondidit gladium in locum suum. Et talia quidem erant ibi initia.

Transfertur ad regendum monasterium Pauliacense.

Multas ibi patitur molestias.

REXIT autem beata Austrebertha idem cœnobium per plura curricula annorum, quod quidem tunc temporis fuit paucum & modicum, sed post paululum factum est magnum. Non enim minor numerus quàm viginti quinque ancillarum Dei erat cum ea; quæ ei ita mente & corpore adhæserunt, vt vsque in diem vocationis earum, nec vna quidem ex eis ab ea quiuerit separari. Erat sanè beatissima hæc frequens in lectione, pernox in vigilijs & oratione, & in ieiunijs promptissima. Omnibus Quadragesimis, præter dies Dominicos, non nisi ter intra hebdomadam comedebat, amabilis omnibus. Ad quam etiam si quis se casu iunxisset, nunquam nisi compunctus corde ab ea recedebat. Nam omnes per circuitum habitantes, eius exemplum & doctrinam sequentes, non solùm filios aut filias offerre Deo statuerunt, verùm etiam multi ex eis cõiuges proprias mutuò relinquentes, monasteria expetierũt, sponsi sponsas abiecerunt, sponsæque eos, à quibus causa sanctitatis contemptæ sunt, contempserunt. Obdormiuit autem in Domino gloriosa virgo, nec non & venerabilis mater Austrebertha quarto Iduum Februariarum in assueto suo nobili cilicij strato, circumstãte eam caterua Sacerdotum, & Abbatum,

Tãdem vincit patientia & constantia animi.

Plurimi per eam conuertuntur ad Dominum.

Obdormit feliciter.

rum, & sanctarum filiarum, nec non & vtriusque sexus magna populi multitudine. Sepulta est verò in basilica B. Petri. Quo in loco quanta miraculorum prodigia Deus ostendere dignatus sit, nostris reor non posse expleri sermonibus.

VITA S. GVILIELMI DVCIS AQVItaniæ, & postea Eremitæ, ex Theobaldo Episcopo.

X. FEBRVARII.

SCRIPTVRVS vitā serui tui Guilielmi, Domine Deus, primò proponam eum ex propriis auertentem, deindè verò se per te, ô Christe, ex Basan conuertentem. Natus illustris ex illustribus susceptus est iuuenis ad Pictauiæ Comitatum, Aquitaniæque Ducatum, quorum vterque sibi debebatur iure hæreditario. Genus clarum, corpus aptum. Proceritas corporis tanta erat, quòd magis videbatur gigātea quàm humana. Vix enim ei in vno prandio sufficiebant cibaria, quanta aliis octo iuuenibus fortissimis erant alimenta. Affectu pugnæ armigerorum destitutus subsidio, cùm nollent dimicare, trahebat vel inuitos ad certamen. Quin & proprij germani vxorem etiam adinstar Herodis incestu impudētissimo fertur per triēnium & amplius tenuisse violenter. Denique in schismate contra Innocentiū, quicunque in tota Aquitania susceptioni Petri Leonis, Anacleti dicti, non subscribebat, mox persecutionibus huius Guilielmi exponebatur, ita vt exulare cogeretur. Et ecce Saulus. Venerat ad hoc schisma sedandum in Frāciam D. Bernardus. Conuenit ille modo illo suo ignito super hac re iam dictum Comitem, & quidem semel ac secundò. Sed nihil omnino: obsurduerat enim, donec tertio cōuentu inter Missarum solennia venerabilis Abbas, corpus Dominicum patenæ superponens, Comitem aggreditur, nomine Domini omnium, ac Iudicis, terribilem Principem terribiliter obtestatur. Atque ô mutatio dexteræ Excelsi! Diriguit & expauit Comes metu, ac velut extra mentem positus in terram vsque prosternitur, & mox Episcopum Pictauiēsem eadem manu, qua priùs eum expulit, humiliter ad sedem propriam reduxit.

S. Guilielmi clarissimi natales.

Vixit impiè ante conuersionem.

En veritatē corporis Domini in sacrificio altaris: atque ideo eius maiestate etiam subitò hic Guilielmus conuertitur.

INTEREA verò recedit vir Dei Bernardus, cùm etiam mirabiliùs Comes cōpungitur. Vadit ad solitarium quēdam, petens sibi imponi condignam pœnitētiam: inde mittitur ad alium quendam æquè solitarium, sed singularis sanctitatis & discretionis virū, cuius iussu lorica propria primò ad carnem

super

Pro pœnitentia vestitur lorica ferrea super nudū. super nudum superuestitur, firmitérque per totum corpus decem catenis seu vinculis artificis magisterio subtiliter constringitur, ne processu tēporis facilè dissoluatur, deinde, asperrimo cilicio desuper contegitur, ferrúmq; galeatum subtiliter, vt solui non valeat, capiti imponitur, ac postremò, quia plurimos offenderat tempore schismatis, nudis sic pedibus Apostolico conspectui se præsentare iubetur. *Item mittitur Romam.* His verò diebus pręsidebat sanctæ sedi Apostolicæ beatæ memorię Eugenius Papa tertius: ad quem cùm ita venisset Guilielmus, considerans dominus Apostolicus & peccatorum ipsius enormitatem, & infinitam tamen Christi misericordiam, sic eum tandem est allocutus: *Pontifex mittit eum Hierosolymum.* Patriarcha, inquit, Hierosolymitanus, scio quòd vir magni consilij sit, ad ipsum te mitto, & potestatem super animam tuam loco mei sibi committo. Nec mora. Sicut tūc terra Hierosolymitana erat in manibus Christianorum, Guilielmus celeriter Hierosolymam profectus, postquam sepulchrū Christi visitasset, venit ad Patriarcham, ac deinde alligatur ab eo salutaribus vinculis salutaris satisfactionis. Erat autem Patriarcha filius cuiusdam de seruientibus olim Guilielmo, vnde etiam valde congaudebat eius conuersioni.

QVI cùm niteretur eum cohabitantem retinere secum, vir Dei iam fugiens publicū, nullatenus acquieuit, sed magis solitariam vitam ducere prælegit. Quod & factum est. Nam infra breue tempus intra ambitum atrij domus suæ arctissimam specum desuper coopertam fecit fabricari, instar tugurij leprosorum. *Agit pœnitentiā in arctissima specu per nouē annos.* In quam, ædificatione sic constructa, præsente Primate, Guilielmus lętissimè & glorianter, quasi in carcere se retrusit, & nouem annis continuis cum nimia ciborum parsimonia ibi se reclusit. *Dormit humi, lapide supposito.* Domus erat cella, potus, aqua, cibus, panis nigerrimus, habitus, ferreus & asperrimus, lectus, antrum, culcitra, solum, capitale, saxum, coopertorium, tectum: & taliter se habuit per nouennium continuum. Sed neque sic tamen (ô humanam miseriam!) omnimoda adhuc fuit securitas. Ecce enim solicitantibus eum ad reditum in patriam importunissimè cognatis & amicis suis, qui tandem eum inuenerant, primò quasi infestationem eorum declinaturus, clanculum inde recedit, mox ambulans solitarius quocunque eum spiritus ducebat, factus est tepidior, ac minùs diligens: postremò in partes Tusciæ veniens, circa confinia Lucensium, vidénsque ibi imperitè Castrum quoddam impugnari, pœnitentiæ oblitus, demandauit sibi castri terreni expugnationem. Quin

etiam

etiam iam promiserat in crastinum expugnationis triumphum, cùm (ô diuinam rursum bonitatem!) summo mane reperit se lumine priuatum oculorum.

Obliuiscitur sua pœnitentiæ, vnde & à Domino filiariter castigatur.

ET quidem hanc Dei visitationem cùm sensisset Guilielmus, petit citò veniam quòd respexisset retrò, & sic iterum à Domino illuminatur: deinde reuisit Hierosolymam & Patriarchæ domum: recipit se iterum in prius tugurium, districtiori etiam solito se vita affligens. Sed non mãsit ibi ampliùs quàm biennium. Videns enim vir Dei, iam in omnibus pauidus, partim nimiam suorum ibi rursum infestationem, partim quod scriptum est, Væ soli, voluit se magis in laboribus corporis exercere; quatenus diabolus eum semper inueniret occupatum. Vnde & inuento nauigio transfretauit, & venit in Hispaniam: & ingressus Compostellanam ciuitatẽ cum omni deuotione beati Iacobi Apostoli visitauit Ecclesiam. Vbi cùm aliquandiu apud quasdam personas religiosas, eum charitatiue detinentes, fuisset demoratus, in Tusciam reuertitur, Pisanorum partes ingreditur, & in sylua, quæ Liualia nuncupatur, speluncam horribilem reperit. In hanc igitur descendens Domino famulaturus recipitur, & in breui sociorum sibi religiosorum numerus copulatur, cum quibus illo in loco aliquanto tempore religiosè viuentibus conuersabatur, hospitaléque construitur, ad Dei venerationem & pauperũ Christi refectionem. Sed post non multum temporis feruor eorum cœpit paulatim tepescere. Vnde & facti fastidiosi qui ad eius regulam & exemplar debebant vitam moderari, cœperunt etiam conuiciis eum vnanimiter aggredi.

Redit Hierosolymam.

Visit S. Iacobum in Hispania.

Colligit in Italia quosdã religiosos socios.

ITAQVE inter dyscolos Deicola cùm non proficeret, hospitale cuidam viro religioso, Petro nomine, qui actibus malorum non consenserat, commendauit, & sic de illo loco discessit. Recessit igitur prudens de concilio malignantium, excusso puluere pedum illis in testimonium, veniénsq; ad montem qui de Pruno nuncupatur, in sylua opacissima, sub quodam modico tugurio solitarius Domino famulatur. Ibi arcta vita voluntariè assumitur, contemplationi simul & actioni insistitur. Ibi cellula construitur, hortulus concluditur, areola diuiditur, humus oleribus seritur, & arborum diuersa species inseritur. Sed & à viro Dei terror quoque & horror serpentum venenosorum cellam inquietantium procul repellitur, omnísque infestatio immundorum spirituum potenter abigitur; non minùs etiam in expugnatione prauiorum hominum

Sociis in eum insurgentibus, mutat locum.

vltima mansio & statio viri Dei. Ibi enim corpus terræ, spiritum verò tradidit æternæ requiei. Precabatur verò beatus Guilielmus (vt Albertus eius discipulus in libello de eius vita scribit) pro commissis criminibus assiduè, & pro ipsis diluẽdis plerumque lacrymabatur. Quin & quotidie, etiam diebus festiuis ieiunabat, & post protracta ieiunia, modico & simplici cibo debilia membra refocillabat.

Migrat ad Christum.

Magna in ipso gratia lacrymarum.

TERNIS siquidem diebus in hebdomada exiguo pulmento & vino modico se reficiebat, sed adeò diluto, vt sapore penitus ablato, colorem vini tantummodo retineret, cæteris diebus aqua & pane viuebat, iis ad condimentum crudas herbas superaddens. Pro mensura autem cibi quandam paropsidem, & pro quãtitate potus ligneum scyphum habebat. Quo discretionis moderamine vir Dei vsus est assiduè vsque ad finem vitæ. Ciliciis verò super loricam vestibus diebus & noctibus vtebatur, in quibus, præter asperitatem & frigus, tanto insuper laniatu afficiebatur, vt horoeis abominatio quibuslibet cernentibus incuteretur. Sed & nuda humo cubabat, ligno capiti supposito, verus christicola: cùm tamen mira illi esset erga vniuersos lenitas, mira charitas, patientia simul atq; humilitas. Cuius defuncti corpus à discipulo & Presbytero, more Christiano terræ commendatum est in ipso illo loco, dicto Stabulo Rodis, in homulo quẽ ipse, dum viueret, propriis manibus coluerat. In quo loco postea cõstructum est oratorium: vbi morbidis & variis depressis languoribus multiplex à Domino præstatur beneficium, & propè est Dominus petitionibus omnium piè Beatum Guilielmum inuocantium. Obiit autem vir Dei quarto Idus Februarij, anno Verbi incarnati millesimo centesimo quinquagesimo sexto.

Aquam & panem sumit etiã in certa quantitate.

Ad eius sepulchrũ multa præstãtur indigentibus beneficia.

VITA S. SEVERINI ABBATIS AGAVnensis, ex eã quæ est per Faustum Presbyterum.

XI. FEBRVARII.

BEATVS Seuerinus, religiosus Dei cultor, parẽtes habuit generis nobilitate conspicuos, qui eum à prima ætate in literis & pietate instituendum curàrunt. Tandem etiam eousque in scientia & vitæ integritate progressus est, vt dignus existimatus sit qui insigni Agaunensium monasterio, vbi fortissimus Christi martyr quiescit, Abbas præficeretur. Virtutum enim eius bonus odor iam longè latéque se diffuderat,

S. Seuerini genus.

Intelligitur S. Mauritius.

& cum

& cunctis eum celebrem reddiderat, atque venerabilem. Carnis vel generis splendorem longè superebat mentis generositate, & virtutum gloria. Feruebat namque in illo Dei amor, animi inuicta cernebatur patientia, edomandæ carnis ingens studium, & multa cibi potúsque parsimonia. Insistebat autem acriter & strenuè sanctis precibus. Magnáque illi aderat animi compunctio, qua fiebat vt esset semper ad cælestia suspensus, vbertímque lacrymans vota sua Domino ardenter offerret. Sed & inter hæc, omnibus se præbebat affabilem, qui consilij aut solatij captandi causa ad ipsum accessissent, infirmis fratribus adhibens paternæ adhortationis fomenta.

Singulares S. Seuerini virtutes.

Ea porrò tempestate Clodoueus Rex Fräcorum in acrem febrem incidit, quæ multò tempore eum vehementer afflixit, quousque scilicet ad eum perlatus est rumor sanctitatis beati Seuerini; quo tempore misit homines, qui virum Dei cum omni humilitate obsecrarent, vt ad ipsum accedere, & suis precibus sanitatem à Domino ipsi impetrare dignaretur, quandoquidem medicorum opera omnis frustrà in ipsum collata, nihil diuturno morbo remedij attulisset. Prolixum est autem narrare per singula, quomodo vir Dei in ipso itinere ad oppidum Niuernense veniens, Eulalium Pontificem surdum & mutum, totoque iam anno lecto decumbentem, subitò ab omnibus illis malis sua oratione reddiderit sanum, & rursum quàm diuinè sanârit quemdam leprosum, Lutetiam ingressus, in ipsa vrbis porta, ipsum scilicet peramanter exosculatus. Breuiter ad Regem cùm venisset, eo salutato, procubit in preces. Quibus absolutis, casulam, qua indutus erat, super Regem posuit & ecce confestim febre profligata surrexit Rex incolumis, gratias agens Deo, & flexis genibus eius seruum Seuerinum venerans, cuius precibus salutem repentè esset consecutus.

Sanat Eulalium Episcopum surdum & mutum.

Item Regem Clodoueum à vehementissimis febribus.

MANSIT autem aliquandiu apud eum B. Seuerinus, multosque tum aulicos, tum ciues Parisienses, depulsis morbis & malis quibus premebantur, fusa ad Deum prece, saluti reformauit. Vnde & eiusmodi mirificis operibus vir Dei creuit apud omnes præclara sui æstimatione, & laudabatur Christus in fideli seruo suo. Rex quoque Clodoueus potestatem ei fecit, quantam vellet pecuniam accipiendi ex thesauris ipsius, & pauperibus elargiendi. Tum præterea è carceribus quoque abeundi copiam fecit omnibus, quos vir Dei censuisset dimittendos, quorum sanè ingens fuit numerus. At verò iam senserat homo Dei adventare tempus, quo esset ab hoc exilio migran-

Dimittūtur per eum multi ex carceribus.

migrandum ad veram vitam, & ad patriam æternam; cùm Regi & Parisiensibus valedicens, ad castrum Nantoniense properauit, vbi oratorium erat ex lignis constructum, in quo Presbyteri duo Paschasius & Vrsicinus Deo ministrabant, de quibus etiam illi Dominus significârat, quòd illorum operâ esset mandandus sepulturæ. *Venit ad castrum Nantoniense.*

AD illos igitur accessit; & comiter eos alloquens, indicauit se propterea eò aduenisse. Deinde commendauit illis Faustum Presbyterum, qui triginta annis assiduis in eius ministerio fuerat; itemque Vitalem monachum, discipulum suum. Porrò Presbyteri illi Paschasius & Vrsicinus honorificè virum sanctum exceperunt; qui iam ad imminentem huius vitæ supremũ diem sese cum multis lacrymis assiduisque precibus religiosè præparabat, vt posset venienti Iudici lætus & expeditus occurrere. Nec longum intercessit tempus. Vbi ventum est ad vndecimum mensis Februarij diem, felicem spiritum in manus sui efflauit creatoris. Vt autem testati sunt qui morienti aderant, totus ille locus, in quo decubuit, multo lumine circũdatus fuit ea hora qua decessit. Sed & postquam obdormiuit, Paschasius & Vrsicinus corpus exanime, ita vt moris erat, abluerunt, indutumque vestibus summo cum honore in supradicto oratorio terra condiderunt; vbi hodieque ad eius sepulchrum multa præclara fiunt miracula, glorificante Christo seruum suum. Super quod eius sepulchrum postea Childebertus, Clodouei filius, construxit ædem augustiorem & sublimiorem, regiis etiam muneribus eam augens, cupiens scilicet apud Deum sancti viri precibus adiuuari. *Prædiscit diuinitus de sua morte.* *Feliciter emisit spiritum.* *En quare honoramus Sãctos.*

DE S. MELETIO EPISCOPO ANtiocheno, ex D. Ioanne Chrysostomo.

XII. FEBRVARII.

PER venerandum & sacrum hunc gregem oculos vbique circumferens, & vniuersam ciuitatem adspiciens hîc præsentem; nescio quem prius beatum pronunciem, sanctúmne Meletium, quòd vel post mortem tanto honore fruitur; an vestram charitatem, quòd tantam in vestros pastores beneuolentiam etiam post discessum ostenditis. Quintus enim annus iam præteriit, ex quo ille migrauit ad Iesum, quem desiderabat, & perinde ac si heri & nudiustertius eum vidissetis, tam feruenti amore ad eum accessistis. Etenim quomodo radix *Et pastor felix sancto populo, & populus felix quoque sancto pastore.*

Nota insignem similitudinem.

quæpiam admirabilis, quæ latet in sinu terræ, ipsa quidē non apparet, per fructus autē ostendit vires suæ virtutis; ita etiam beatus Meletius in hac capsa conditus, ipse quidem non cernitur à nobis oculis corporis; per vos verò, qui estis fructus, ostendit vires suæ gratiæ. Et nos quidem sileamus. Sufficit enim dies festus, & feruor vestri studij, ad tuba clarius proclamandum. S. Meletij in vos amorem tāquam in filios. Sic enim vestras mentes accendit ad sui amorem, vt vel ad solum nomen inualescatis: propter quod & ego illud nunc in meis verbis innecto à fiduciâ. Nam & cùm eum à principio in ciuitatem ingressum excepissetis, vnusquisque filium suum appellabat ab illius appellatione, per appellationem existimans vnusquisque in domum suam sanctum illum introducere, patresque, auos, & proauos, matres prætereuntes beati Meletij nomen imponebant liberis quos pepererant.

Etiam ipsum nomen S. Meletij omnibus est veneratui.

SED neque ad nomen solum adeò fuistis affecti, sed ad ipsā etiam figuram corporis. Quomodo enim fecistis in nominibus, hoc etiam fecistis in illius imagine. Etenim in palis anulorum, & in simulachris, & in phialis, & in thalamorum parietibus, & vbique, sacram illā multi expresserūt imaginem, vt non solùm audirent sanctam illam appellationem, sed etiam vbique viderent figuram corporis, & eius excessus duplicem haberent consolationem. Etenim cùm primùm fuit ingressus, fuit expulsus è ciuitate, inimicis veritatis eum expellentibus. Deus verò id concessit, simul & illius virtutem & vestram volens ostendere: illius quidem, quòd triginta diebus, nec ijs quidem integris, tantum potuit, vt postea irruentibus spiritibus innumerabilibus, illabefactata & inconcussa manserit illa doctrina; vestram verò, quòd tā illis diebus tam accuratè suscepistis quæ deiecta fuerant ab illo semina, vt nulli deinceps illatæ de cætero cesseritis tentationi. Operæpretium est autem, ne illud quidem prætermittere, quod accidit in eius persecutione. Nam cùm Præses ciuitatis curru vectus exiret per mediū forum, & propè fecisset sedere illum sanctum, lapides niue, vt ita dicam, crebriores vndique in caput Præsidis ferebantur, ciuitate nequaquam ferente separationē, sed potiùs volente priuari vita præsenti, quàm videre sanctum illum auelli. Quid ergo tunc fecit ille beatus? Cùm vidisset iactus lapidum, complexus suis vestibus; contexit caput Præsidis: simul & inimicos pudore afficiens ob insignem mansuetudinem, & suos docens discipulos, quantam ostendere

Item omnes eius venerantur imaginem.

Validissimè docet paucos breuissimo tempore.

Insigniter reprendit bonū pro malo.

dere oporteat patientiam in eos qui iniuria afficiunt.

Et quis tunc non fuit obstupefactus? erant enim admirabilia, quæ tunc acciderunt. Pastor abigebatur, & greges non dispergebantur. Gubernator expellebatur, & scapha non mergebatur. Sed expellebatur quidem vt esset procul à filijs; contigit autem contrarium: magis enim vobis constringebatur vinculis charitatis: & cùm secum vniuersam accepisset ciuitatem, iuit in Armeniam. Quod ipsum quoque vobis vsu veniebat. Nam cùm hîc sederetis, & vrbe circumscriberemini, spiritu charitatis in Armeniam quotidie euolantes, & sanctum vultum intuentes, & beatam vocem audientes, sic reuertebamini. Illud autem hinc est apertum. Nam post primam reuersus persecutionem, non triginta solùm dies, sed etiam menses, & annum vnum, & duos & plures hîc est versatus. Nam cùm satis magnum dedissetis argumentum vestræ circa fidem firmitatis, dedit vobis Deus potestatem iucundè & securè fruendi Patre. Sed & cùm visum esset communi Deo vniuersorum eum vocare ex vita præsenti, & eum referre in chorum Angelorum, ne hoc quidem factum est temere. Sed ipsum quidem vocant literæ Imperatoris, cùm Deus mouisset Imperatorem. Vocant verò ipsum non in propinquum locum, sed in Thraciam. Quamobrem? vt & Galatæ, & Bithyni & Cilices, & Cappadoces, & omnes qui Thraciam habitant, nostra bona cognoscerent.

Exulat in Armenia.

Redit ab exilio.

Episcopi autem Ecclesiarum, propterea quòd Ecclesię, à longo bello & tempestate respirãtes, acciperent principium pacis & tranquillitatis, literis Imperatoris omnes illuc vocabantur. Tunc ergo hic quoque sanctus illuc accedit, & ecce tunc eum ad se vocauit Dominus. Factum est verò id quoque, vt leuiùs nimirum ferret nostra ciuitas, Quis enim sustinuisset videre beatum illum extremum ducentem spiritum? Ne hoc ergo accideret, prouidit Deus; vt tempore quod intercessit, hanc maximam præmeditari calamitatem, cùm videremus ingredi corpus, ne animo consternaremur, cùm mens iam esset assuefacta luctui. Quod etiam factum est. Cùm enim venerandum illud corpus excepit ciuitas; luxit quidem, sed luctum citò repressit, tam propter causam quam diximus, quàm propter eam quæ est dicenda. Benignus enim & clemens Deus, misertus nostri doloris, alium citò nobis dedit pastorem, qui pulchrè exprimebat & conseruabat formam omnem illius virtutis. Qui cùm sedem ascendisset; humili &

Euocatus vna cum alijs Episcopis literis Imperatoris venit in Thraciam.

Ibidem moritur.

Summa veneratione excipitur eius corpus ab Antiochenis.

lugubri veste nos statim exuit, & dolorem exstinxit, beati autem Meletij magis renouabat memoriam. Et dolor quidem flaccescebat, amor verò accendebatur vehementiùs. Sed magis testes estis vos ipsi, qui post tantum tempus non secus ac apes fauum, circumuolatis corpus beati Meletij. Vnde & oremus omnes, hunc beatum Meletium harum precum socium accipientes (est enim ei nunc maior fiducia, & amor in vos feruentior) vt hæc nobis augeatur charitas, & nos omnes dignemur, quomodò hîc sumus prope arcam, ita illic quoque posse esse prope beatum & æternum eius tabernaculum, cum Domino nostro Iesu Christo.

En inuocationem Sanctorum.

VITA V. IORDANIS SAXONIS,

secundi Generalis Prædicatorum, ex Leandro.

XIII. FEBRVARII.

IORDANES vir sanctissimus oppido Boternæ, prouinciæ Saxoniæ, originem duxit; quibus parentibus, non produnt scriptores. Constat autem vitam, antequam religionis togam indueret, mitem, sanctissimam, atque iustissimam eum egisse, & huiusmodi consuetudinis fuisse, vt egeno qui primus occurrisset, cùm illucesceret, largissimè donaret etiam non petenti. Consueuerat quoque etiam longè ante Solis exortum, cùm Parisiis literis sacris operam daret, conuenire in Ecclesiam, atque ibidem sacra audire. Qui dum pro more aliquando falsò ratus iam signum ad sacra peragenda datum, iter arriperet, egenum offendit munera petentem. Venerat Iordanes fortè, visus celeritate, absque pecunia, vnica veste indutus, & balteo cinctus argenteo. Quid autem? balteo illum donauit. Tandem autem reserato templo (aliquantulum enim pro foribus exspectauerat) ingreditur, & vidit Christi optimi maximi imaginem cruci affixam balteo, donato paulo antè egeno, præcinctam. Cuius spectaculo plurimum motus, togam religionis extunc assumere deliberauit. Differebat tamen, tempus oportunum exspectans, quo liberè, quod animo conceperat, expediret, ac tandem valedicens amicis, Prædicatorum Ordinem ingredi cupiens, vestem sanctæ conuersationis ab Reginaldo viro optimo impetrauit & accepit.

V. Iordanis patria.

Liberalißimus est in pauperes.

Balteo suo dato pauperi inuenit præcinctam imaginem crucifixi.

Ingreditur ordinem Prædicatorum.

DE quo Reginaldo illud hîc breuiter tetigisse haud inutile erit, quòd in eius exitu cuidam sacris initiato visus est in templo Parisino, Iacobo Apostolo dicato, fons oriri, & rursum subitò

bitò exsiccari, & in eo loco alter deinde maior suboriri, cuius riuulis triuia & quadriuia, & plateæ, & exinde tota prouincia irrigabatur ad mare vsque. Hoc enim præsagium fuit, quod euentu postmodum comprobatum est, videlicet Iordanem loco Reginaldi insurrecturum, cuius & doctrina, & moribus, atque sanctitate cùm docendo, tum disputando, tota Dei Ecclesia irrigaretur. Siquidem mox post biennium & sex menses, ex quo togam Prædicatorum acceperat, communi Patrum suffragio, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo secundo, in Conuentu Generali tertiò Parisiis acto, quod Capitulum Generale vocant, tunc Præfecturam agens prouinciæ Lombardiæ, quam dicunt Prouincialem, post diuum Dominicum toti Ordini Prædicatorum primus præficitur: quam præfecturam æquè sancteque moderatus est circa annos quindecim. Lucæ Euangelium Parisiis in frequenti auditorum numero mirificè declarauit. Omnibus etiam erat gratus, tam vulgaribus quàm famigeratis; formæ scilicet præstantis, faciei iucundæ, mitis ac lenis, cibi somniique parcissimi, & in cultu corporis abiectus. Tyrunculos verò religionis sæpe consueuerat secum ad sumendum cibum habere inuitatos, vt ad sanctum cohortaretur tyrocinium, nec sinerent se ab hoste humani generis seduci, priscorum exempla commemorans. Ac denique sic vehemens in verbis fuit, vt vltra mille viros ad tyrocinium religionis Prædicatorum verbis suis euexerit.

Visio cuiusdã de eius sanctitate.

Fit Generalis Ordinis post S. Dominicum.

Vltra mille personas traduxit ad Ordinem.

TANTAM autem promeruerat Iordanes à Deo orandi gratiam, vt nunquam flecti à quacunque posset occupatione, quin assuetas perageret Deo gratias. Nec lacrymarum quoque in his dulcedinis expers fuit. Pro his enim creditur & in oculorum ægritudinem aliquando incidisse. In itineribus quoque varius fuit: in quibus quanta valebat voce hymnos in laudem Dei Saluatoris, ac Mariæ cæli Reginæ præcinebat, cum tanto mentis iubilo, lacrymis id exprimentibus, vt res mira esset. Aliquando etiam transiens per alpes ex vi ignis fabrum ferrarium oculis captũ signo crucis saluberrimo, donauit oculorum solatio. Et quidem nonnunquam successiuè dies, quos Quadragesimales vocant, Parisiis agebat, alios Bononiæ. Vbi, quamprimum aduenisse nunciabatur, tantus erat ad illum concursus virorũ, vt vix illi sumendi cibi daretur spatium. Iubebat autẽ mox, dum ad has vrbes applicuerat, plurimas vestes præparari pro nouis tyronibus induendis ad sanctã religionem, minimè addubitans, quin plures ad religionis

Sanat cæcũ.

tyrocinium adiungeret. Id quod etiã eueniebat, vt vix tot vestes præpararentur, quot necessariæ forent. Nonnunquam etiam pater Iordanes Biblia dedit, vt reciperet pecuniam pro togis conficiendis eorum qui ad sanctam conuersationem euolare cupiebant.

Admodum solicitus est vt tyrones exerceatur Christo.

Rescindit ter ipsi dormienti guttur per quendam mente captum.

At verò interea inuentus est pater Iordanes Romæ ferè semianimis, per quendam Conuersum mente captum, simulantem autem iam sanitatem, dormiens gutture recisus, ac digitis insuper, quos gutturi obiecerat, penè truncatus. De cuius salute desperantibus chirurgis, ipse nihilominus tertia die, à grabato, prout valuit, surgens, induit se sacerdotalia vestimenta; ac sacra fecit. Et vide insigne miraculum. Prælibato sanctissimo Christi corpore & sanguine, ex ablutione vltima calicis, vultum, manus, & guttur recisum reuerenter perunxit; & factum est, vt vulnera statim curata fuerint, plene ac consolidata, omnibus admirantibus, ità vt ea ipsa die egregiè validéque concionans verba faceret coràm Honorio Pontifice ac Cardinalibus totaque curia. Quamobrem & Pontifex cum tota curia nimio etiam posthac Prædicatoriam familiam dilexit amore. Pompas verò mundi & eius gloriam omnino aspernatus est vir Dei, honores sibi oblatos discretè & sapienter euitans. Vnde aliquando veniens Bononiam, intelligensque totam ciuitatem agminatim sibi occurrere, velut ei quem sanctum virum esse autumabant, concito gradu diuertens ab cœpto itinere, gyrans per semitas, alia via, ignorante populo, vrbem ingressus est. Sed & tolerantissimus fuit in aduersis: quin & aliquando à dæmoniaco fratre in cœnobio Bononiensi vola in faciem percussus, alteram illi maxillam exemplo Saluatoris præbuit. Quam eius tantam humilitatem diabolus non ferens, mox inclinato capite velut cæsus ipse verecunde abscessit.

Miraculosè iterum curatur.

Studiosè vitat sibi oblatos honores.

Miro autem cordis affectu beatissimam Mariam cœli Reginam velut optimam Ordinis Prædicatorum patronam colebat: quod sanè ostendunt sequentia. Siquidem nobilis quædam & elegantis formæ puella à patre sub patrui custodia relicta, dum ab eo tutelam speraret, in corruptelam incidit. Porrò vir improbus bis ipsam grauidam fecit, &, eo suadente, misella abortum procurauit. Sed & tertiò, dum non audet patruo resistere, prægnans facta est. Igitur misella tandem in se reuersa, opus nefandum detestans, cùm nulli facinus manifestare auderet, se ferro occidere annixa est: simulque gladium

Singulariter deuotus est Deiparæ.

de

defixit in ventrem tam validè, vt ipsum proſcinderet; non tamen mox vita, vt volebat, exceſſit. Diro igitur vulnere ſauciata, à Dei miſericordia viſitatur. Cœpit enim tam enorme nimio cordis dolore deteſtari, & ad pietatis matrem conuerſa, lacrymis ſupplicique voce orabat, vt ſolita benignitate ſibi occurreret, ne ſaltem anima cum corpore periret. Mox autem benigniſſima miſericordiæ parens ei adſtans, & corporis conferens ſanitatem, iuſſit vt ſe totam Iordanis conſilijs, qui paulo poſt venturus erat, ſubijceret. Id quod ipſa deuotiſſimè expleuit; quippe ſancto viro ſuadente, ordinem Ciſtercienſem ingreſſa eſt, atque vſque in finem in ſancto propoſito perſeuerauit. Cui etiam ſimile contigit aliàs circa mulierem aliam ſæpius ſe proſtituentem, & aliquando in ſe reuerſam, multotieſque tamen rurſum propoſitum perfringentem, quæ etiam diabolico tàdem ſuaſu deliberans ſe veneno interimere, araneam ingentem deglutiuerat. Sed & nunc percenſeamus etiam aliquot eius inſignia dicta.

Inſigne miraculum circa quandam inceſtuoſam.

Mittitur ipſa ad B. Iordanem.

INTERROGATVS aliquando Iordanes à fratre Laico ſeu Conuerſo, eſſéntne ea virtute deprecationes præditæ prolatæ per eos qui vigoris earum ſint expertes, vti per eos qui eas nõ intelligunt; reſpondit: Tãta virtute tantoque precio dignus eſt pretioſus lapillus in manu precioſitatem ipſius ignorantis, quàm in manu non ignorantis. Item, vt ab ocioſis ſermonibus cauerent, ſemel admonens fratres, Videtis, ait, fratres, quod imperceptibiliter, quantumcunque in pſalmodia altè incipiatur, paulatim vox cantantium defluit & cadit. Sic quantumcunque bona verba dicere incipiamus, vel ad alterutrum conferre, paulatim ex humana corruptione ad vana prolabimur. Sed qui bonus eſt, & hoc percipit, debet facere ſicut in choro cantor, qui locis aptis eleuat vocem. Item dicebat: Sicut cementarius, qui murum obtortum reparare ſatagit, quoſdam lapides retrahit abſconditos, & prominentes repercutit: ſic in emiſſione clauſtralium Præfectum facere oportere, vt videlicet illos qui nimis latitare cupiũt, ad actionem dirigat; & illos qui nimis exponi volunt, intus contineat. Aliquando etiam in conuentu fratrum, quod Capitulum appellamus, quidam frater delatus eſt, quod dediſſet mulieri dexteram. Vbi cùm delatus diceret, mulierem illam ſanctam eſſe, tunc Præſidens ait: Pluuia bona eſt, & bona terra: tamen ex eorum commixtione fit lutum, quo fœdatur homo. Plura quidem & alia verba, digna quæ ſcriptis mandentur, & opera

Eius inſignes ſententiæ; & primo de orã(tione) eius quod nõ intelligit.

Item de verbis otioſis, & de officio Prælati.

Inſigni ſimilitudine docet vitandã familiaritatẽ mulierum.

præclara edidit, ex quibus ingens conficeretur volumen; sed nos ea, ne lectori tædio simus, missa facimus.

TANDEM verò anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo sexto, conuentu decimo septimo edito Parisijs, quem Generalissimum secundum dicunt, in mentem ei subijt Hierosolymam petere, visendi gratia sanctæ Redemptionis nostræ loca, ac fratrum cœnobia. Ad hoc autem peragendum etiam antè nutrierat barbam. Itaque valedicens Patribus, pelago se credidit. Sed; ô occulta Dei iudicia! cùm prope Acon peruenisset, ingenti oborta tempestate, cum duobus socijs & nouem & * triginta hominibus, naui fracta, in fluctibus perijt, Idibus Februarij. Cuius & fratrum dum iacerent corpora inhumata (vt testantur qui de illo naufragio euaserunt, qui eos tradiderunt proprijs manibus sepulturæ) luminaria de cœlo super eos singulis noctibus effulserunt; sed & cruces multæ super eos visæ sunt à multis. Ad quod miraculum loci incolæ confluentes, tanti odoris fragrantiam quoque hauserunt, quòd iuxta testimonium eorum qui post visa miracula eos tres sepeliêre, vsque post decem dies odor nimius ab eorum manibus non recessit. Sed & per circuitum sepulturæ eiusdem odoris suauitas latiùs emanauit, vsquequo fratres de Acon venerunt cum nauigio, & eos in suam Ecclesiam transtulerunt: vbi dictus Pater quiescit, & multa multis præstat per eum super omnia benedictus Deus. Scripsit verò super Apocalypsim cōmentaria, super Priscanum minorem; item quędam Grammaticalia; ac præterea libellum de Ordinis nostri initio.

** nonaginta.*

Tendens Hierosolymam perit naufragio.

Miracula ad eius venerandum corpus.

DE S. VALENTINO PRESBYTERO

& Martyre, ex Natalibus D. Petri Episcopi Equilini.

XIIII. FEBRVARII.

BEATVS Valentinus presbyter & Martyr Romæ passus est sub Claudio Imperatore. Quem cùm Imperator de Christiana religione accusatum in vinculis teneri fecisset, pręsentatum sibi deinde in Amphitheatro interrogauit, cur Deos non coleret. Ad quod sanctus Dei intrepidè respondit: & multis rationibus fidem Christi veram esse comprobauit, & è contra Deos gentilium velut vana idola confutauit, intantum vt Imperator ipsum de sapientia commēdaret. Verùm dum Calphurnius præfectus assistens Claudio carperet ipsum velut ex parte seductum, timens Imperator populi adstantis confusionem

B. Valentinus captus à Claudio Imperatore.

nem,animo immutatus beatum Valentinum tradidit Asterio principi, vt is eum in domum suam adductum moderatè tractaret,& sic ad Deorum sacrificia adduceret. At verò longè aliter accidit.Nam cùm sanctus vir domum principis introisset,& Christum lumen verum inuocasset, vt domum Asterij illuminaret,dixit ei Asterius,quòd,quia Christum lumen appellasset,si filiam ipsius adoptiuam cæcitate laborantem illuminare in Christi nomine posset, ipse cum omni familia Christo crederet. Quare sanctus Valentinus oratione facta puellam illuminauit; & sic simul Asterium cum omni domo sua & filia conuertit & baptizauit.Quę cùm audisset Claudius Imperator,iussit Asterium & puellam atque omnem familiã teneri, ipsosque cunctos ad ciuitatem Ostiam missos per diuersa tormenta vita præsente priuari;sanctum verò Valentinũ iussit fustibus cædi,atque ita confitentem Christum via Flaminia adductum capite truncari.Cuius corpus à pia matrona Sauinella collectum,in eodem loco sepultum est,decimo sexto Calendas Martij.

Illuminat cæcam.

Subit martyrium.

DE IEIVNIO QVADRAGESIMALI,

ex diuis Leone, Ambrosio, & Basilio.

PRAEDICATVRVS vobis,dilectissimi,sacratissimum maximumq́ue ieiunium,nullo aptiùs vtar exordio, quàm vt verbis Apostoli,in quo Christus loquebatur, incipiam, dicamq́ue quod lectum est:Ecce nunc tempus acceptabile,ecce nunc dies salutis.Quamuis enim nulla sint tempora quæ diuinis non sint plena muneribus,& semper nobis ad misericordiam Dei per ipsius gratiam præstetur accessus; nunc tamen omnium mentes maiori studio ad spirituales prouectus moueri,& ampliori fiducia oportet animari, quando ad vniuersa pietatis officia illius nos diei, in quo redempti sumus,cursus inuitat;vt excellens super omnia passionis Dominicæ sacramentum purificatis & corporibus & animis celebremus. Et quidem debebatur tantis mysterijs ita incessabilis deuotio & continuata reuerentia,vt semper tales permaneremus in conspectu Dei,quales nos in ipso Paschali festo dignum est inueniri.Sed quia hæc fortitudo paucorum est; & dum carnis fragilitate austerior obseruantia relaxatur,dumq́ue per varias actiones vitæ huius solicitudo distenditur, necesse est de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere:magna diuinæ institutionis salubritate prouisum est,vt ad reparandam men-

D. Leo ser.

Omne tempus aptum pietati, sed aptissimum tamen tempus Quadragesimale.

Nota de solennitate Paschali.

tium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio moderetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & ieiunia casta decoquerent.

Ieiunium Quadragesima veluti quadam spiritualis purgatio & dieta

INGRESSVRI igitur, dilectissimi, dies mysticos, & purificandis animis atque corporibus sacratiùs institutos, præceptis Apostolicis obedire curemus, emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus: vt castigatis colluctationibus; quæ sunt inter vtramque substantiam, animus, quem sub Dei gubernaculis constitutum, corporis decet esse rectorem, dominationis suæ obtineat dignitatem: vt nemini dantes vllam offensionem, vituperationibus obloquentium non simus obnoxij. Digna enim ab infidelibus reprehensione, carpemur, & nostro vitio linguæ impiæ in iniuriam se religionis armabũt, si ieiunantium mores à puritate perfectæ continentiæ discrepatint. Non enim in sola abstinentia cibi stat nostri summa ieiunij, aut fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi & mens ab iniquitate reuocetur. * Potentes quoque vinum prohibentur bibere, scilicet ne, cùm biberint, obliuiscantur sapientiam. Vnde bibebāt vinum in ebrietate potentes; qui Holoferni Principi militiæ Regis Assyriorum se tradere gestiebant: sed non bibebat femina Iudith, ieiunans omnibus diebus viduitatis suæ, præter festorum dierum solennitates. Hisque armis munita processit, & omnem Assyriorum circumuenit exercitum: sobrij vigore consilij abstulit Holofernis caput, seruauit pudicitiam, victoriam reportauit. Hæc enim succincta ieiunio in castris se prætendebat alienis; ille vino sepultus iacebat, vt ictũ vulneris sentire non posset. Itaque vnius mulieris ieiunium innumeros strauit exercitus ebriorum.

*Ieiunandum ... * D. Ambros. de Elia & ieiunio.*

Iudith per ieiunium vicit Holofernem.

ESTHER quoque pulchrior facta est ieiunio: Dominus enim gratiam sobriæ mentis augebat: & omne genus suum, id est, totum populum Iudæorum à persecutionis acerbitate liberauit; ita vt Regem sibi faceret esse subiectum. Itaque illa quæ triduo ieiunauit, continuo, & corpus suum aqua lauit, plus placuit, & vindictam retulit: Aman autem, dum se regali iactat conuiuio, inter ipsa vina pœnam suæ ebrietatis exsoluit. Est denique ieiunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam feminas fortiores augmento gratiæ. Ieiunium nescit fœneratorem, non sortem fœnoris nouit, non redolet vsuras: etiam ipsis ieiunium conuiuijs dat gratiam. Dulciores post famem epulæ fiunt, quæ assiduitate fastidio sunt, & diurna continuatione vilescunt. Condimentum

Ieiunio Esther liberauit totum populum Iudæorum.

Etiam ipsa per se epulæ dulciores fiũt post ieiuniũ.

tum cibi ieiunium est: & quanto auidior appetentia, tanto est esca iucundior. Sed & Moysen per ieiunium nouimus in montem ascendisse: neque enim aliter ausus esset verticem fumantem adire, atque in caliginem ingredi, nisi ieiunio munitus. Per ieiunium mandata digito Dei in tabulis conscripta suscepit. Item supra montem ieiunium legis latę cõciliator fuit, inferiùs verò gula ad idololatriam populum deduxit, ac contaminauit. Sedit, inquit scriptura, populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.

*D. Basilius.

Ieiuniũ meruit lege Dei, gula e contra duxit ad idololatriam.

NIMIRVM quadraginta dierum laborem ac perseuerantiam, Dei seruo continuò ieiunante ac orante, vna tantùm populi ebrietas cassam irritámque reddidit. Quas enim tabulas Dei digito conscriptas, vt dictum est, ieiunium accepit, has ebrietas contriuit, Propheta sanctissimo indignum existimante vinolentũ populum ex Deo legem accipere. Vno enim temporis momento ob gulam populus ille per maxima prodigia Dei cultum edoctus, in Ægyptiacam idololatriam turpissimè deuolutus est. Ex quo, si vtrumque simul conferas, videre licet ieiunium ad Deum ducere, delitias verò salutẽ perdere. Quid enim Esau inquinauit, seruúmque fratris reddidit? nónne esca vna propter quam primogenita vendidit? Samuelem verò nónne per ieiunium oratio largita est matri? Quid fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit; nónne ieiunium, per quod in matris ventre conceptus est? Ieiunium concepit, ieiunium nutriuit, ieiunium fortem effecit. Quod sanè Angelus matri præcepit, monens quęcunque ex vite procederent, ne attingeret, non vinum, non siceram biberet. Ieiunium Prophetas genuit, potentes confirmat atque roborat. Ieiunium legislatores sapientes facit. Animæ optima custodia, corporis habitatio secura, fortibus viris munimentum, & arma athletis, & certantibus exercitatio.

Gula reddidit Esau fratri suo seruum, ieiunium contra Samson inexpugnabilem.

Ieiunium valet ad omnem vitæ rationẽ.

HOC præterea tentationes propulsat, ad pietatem armat, cum sobrietate habitat, temperantiæ opifex est, in bellis fortitudinem affert, in pace quietem docet, Nazaræum sanctificat, sacerdotẽ perficit, neq; enim fas est sine ieiunio Sacrificiũ attingere, non solùm in mystica nunc & vera Dei adoratione, sed neque in illa quæ in figura erat secundum legem introducta. Ieiunium Eliam magnæ visionis spectatorem fecit: quadraginta namque dierum ieiunio cùm animam purgasset, in spelunca meruit, quantum fas est homini, Deum videre. Moyses iterum legem accipiens, iterum ieiunia secutus est.

En antiquissimũ morem quòd S. crificium alt ieiunatur à tenens.

Ieiuniũ Niniuitarum.

Nini

Niniuitæ, nisi cum illis & bruta ieiunassent, ruinæ minas nequaquam euasissent. In deserto autem, quorúmnam membra ceciderunt, nónne illorum qui carnes appetiuêre? * Igitur in omnibus, dilectissimi, solennitatibus Christianis, nõ ignorantes Paschale sacramentum esse præcipuum, ei condignè & congruè suscipiendo deuotionem nostram vel præsentibus saltem diebus exhibeamus, quos illi in sublimissimo diuinæ misericordiæ sacramento scimus esse contiguos. In quibus meritò à sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus sancti maiora sunt ordinata ieiunia, vt per commune consortium crucis Christi, etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, ageremus, sicut Apostolus ait: Si compatimur, & conglorificabimur. Certa atque secura est exspectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio Dominicæ passionis.

D. Leo ser. 9.

Nota ieiunia Quadragesimalia ordinata sunt ab Apostolis.

VITA S. VALENTINI PRESBYTERI, *ex Geor Vicelio.*

XIIII. FEBRVARII.

ET pietate & doctrina valens Valentinus, multos homines Christo Iesu lucrifecit, præsertim in Italia. Qua tempestate Ethnicismus adhuc arcem obtinebat, latitantibus Christianis. Imperator Claudius anno 270. huius presbyteri Romani homicida factus est, cùm tamen nullam mortis causam inuenisset, nisi fortè capitale est, viam Dei docere. Mirum verò, quàm probabiliter refutarit Valentinus idololatriæ per se alioqui damnatæ vanitatem, quo minùs ipse nostro sæculo idoli vice, aut Dei loco potius à superstitiosis, hoc est, omnium miserrimis hominibus colendus atque inuocandus in die tribulationis erat. Taceo, nullas historias quantumuis graues, de Epilepsia per Valentinum depellenda, quicquam dicere. Omnes sancti contra Deos gladio Spiritus depugnarunt, & tu egregie Christiane scilicet, è Sanctis deos facis, non nomine, sed re. Animus abhorret à commemoratione ter abominandæ superstitionis. Ad Valentinum redeo, in quo exosculor fortissimum pectus, & libertatem in docendo Christo. Christolatriam docuit, idololatriam dedocuit. Et à dijs ad Deum propè Claudium Imperatorem reuocasset sermone viuifico, ni satrapa Calphurnius quidam, os suum tartareum interposuisset. Nam hæc illa Cerberi spuma est. Quomodo deseremus, quod ab infantia tenuimus? Non, nisi filij diaboli

S. Valentini opera sancta & egregia.

Calphurnij Satrapa impietas.

ita loquuntur. Illa nimirum pestilentissima voce effecit satrapa, satelles satanæ, vt Cæsar rursum à veritate (quam in Valentino admiratus fuerat) & cor & aures auerteret. Hac item execranda voce nostrates Calphurnij efficiunt hodie, ne Christianus populus ab impijs ac varijs superstitionibus quibus à pueritia plerique assueuimus, piè resipiscat. Porrò ad submouendam suspicionem, iubet Cæsar Valentinum protinus ab Amphitheatro vinctum duci, & in ædibus Asterij cuiusdam aulici custodiri. Ibi arrepta occasione è verbis precatoriis presbyteri bene ominantis, petit Asterius, vt si quid per Christum suum posset vinctus ille, redderet cæcæ filiæ lumen. Quo signo viso, posita incredulitate, fidem Christi cum tota domo amplexus est, operante id Spiritu per verbum Dei à presbytero prædicatum. Sed crux non tardè insequitur acceptum Baptisma. Mandante enim impio Cæsare, Asterius in ciuitatem Ostiensem adductus, cruenta morte Deo animam reddidit. Post hunc Valentinus presbyter Euangelicus, vt quo authore à deorum cultu Asterius desciuerat, primùm fustibus, mox gladio percussus, obiit. Actum Romæ, sub Imperatore Claudio, qui tyrannus post Decium innumeros Christianos passim per prouincias neci tradidit.

S. Valentini miraculum.

Eius martyrium.

VITA S. VALENTINI EPISCOPI,

ex eodem Auctore. Eadem die.

ALIVS item Valentinus olim extitit, videlicet episcopus Interamnensis in Vmbria, seu si quis mauult, Ithyranensis ex Parthia. Sed quantum ego diuinare potui, prior sententia verisimilior est. Vir bonus & sapiens spiritaliter, regnum Dei non minuit, sed auxit. Hic cum aliquando Romam venisset, reperit Athenis oriundum Cratonem Græcum oratorem, in vrbe clarissimum, vnà cum discipulis Apollonio, Phœbo & Proculo. Cratonis verò filiũ toto triennio decumbentem, cum virtute altissimi curasset, curuũmque hunc erexisset, non sine multa precatione, persuasi euidenti miraculo tam Crato, quam discipuli, cumque his tota domus, Euangelium receperunt, & post catechismum sacro baptismate loti, prætereà ex oratoribus prædicatores facti, verbo gratiæ plurimas animas Christo adduxerunt in Italia. Tandem iubente Romano senatu Valentinus, quod homines è tenebris ad lucem vocaret, præside Placido, primum virgis cæsus, dehinc ense

S. Valentini miracula Romæ facta.

Eius obitus.

ense peremptus est, atque hoc in carcere. Dignum Ecclesiæ præsulem, vt qui gratis benefecit, recusans nimirum à Cratone accipere pecuniam: hortans verò, hanc quam sibi daturus erat, vt pauperibus erogaret.

* Est monasterium S. Trinitatis.

Ex Tomo 7. Sury.

VITA V. CONSTABILIS ABBATIS

Cauensis prope Neapolim, ex ea qua est apud R.P. Laur. Surium.

XVII. FEBRVARII.

QVIA viri valde venerabilis Abbatis Constabilis mentio non rarò incidit, ea debemus scripturæ tradere, quæ de eiusdem vita, atque miraculis venerabiles monasterij sui senes soliti sunt cum magna deuotione narrare. Hic itaque Lucania prouincia exortus, ab ipso pueritiæ suæ tempore viro Dei Leoni Abbati erudiendus à parentibus traditus fuerat: qui licet sub venerabilis senis huius institutione proficeret, tamen à viro æquè laudabili Petro Abbate monasterij, Ordinis disciplina pleniùs instructus, ea perfectione claruit, vt conuersationis fulgorem non simplicem gereret, sed honestæ suæ vitæ gloriam spiritualis doctrinæ radiis illustraret. Sed, vt & quędam iam specialia eiusdem edisseram, ita omnibus ambitionibus seculi atque deliciis vsque ad mortem exstitit inimicus, vt illas oblatas, istas appositas non parum doleret, atque à se magna cum indignatione repelleret. In instantia verò vigiliarum & orationis, fratribus suis omnibus incomparabilis fuit. Et tamen cùm tantus esset, ac summus, illa tamen virtutum eiusdem celsitudo, humilitatis atque mansuetudinis excellentia vincebatur. Quem nimirum, cùm non solùm magnis pollere virtutibus, verumetiam in earum affectu solidum animæ habitum vixisse, vir venerabilis Petrus Abbas cognosceret, senio iam defectus, æuo maturus, consensu communi omnium fratrum, labores suos ei credidit, atque eum eisdem fratribus loco sui præposuit.

V Constabilis patria.

Horret honores & delicias

Consensu omnium fratrũ eligitur vt præsit.

IN quo quidem prælationis suæ culmine, tantæ virtutis splendore claruit, vt cùm superior esset ordine, gestu tamen & officio minor omnibus appareret. Sed & misericordiæ viscera illa habuit, quibus pro voto aliquem nũquam læsit, nullum contristauit. Tanta siquidem negligentibus fratribus beneuolentia iungebatur, vt ferè nullus ei conscientiæ suæ reatus, nullus suas negligentias occultaret. Vnde & tunc venerabilem

Erga delinquentes est mitißimus.

bilem Patrem pro mirabili illo suæ charitatis affectu, quo tegere culpas delinquentium solebat, operimentum fratrū vocare consueuerant. Reuera enim occultans noxios erat, & celans reos, vt eos quos pœnitendo purgaret, sine alicuius famæ obscuritate semper venerabiles aliis monstrare potuisset. Quin & aliam quoque, quæ ei ex ordine monasterij reuerentia debebatur, ita renuit, vt magis sibi indignaretur exhibitā, quàm superbi & arrogantes dolere solent sibi abnegatam. Quam profectò virtutem tanto dilectionis sapore condiuerat, vt nunquam se prælatum recoleret, nisi obstinatorū valde nimia improbitas compulisset. Et ne videamur virum verbis maiorem facere, multi adhuc in monasterio supersunt, qui, dum eiusdem conuersationem recolunt, in eiusdem descriptione pauca omnino atque indigna me dixisse iudicabunt. Sed tantus ac talis vir, post venerandi viri Petri Abbatis obitum, vix anno integro monasterium rexit, & consummato laboriosæ huius vitæ cursu, ad gaudia æterna migrauit. Sed & audi quædam de eo mira.

Indignatur sibi exhiberi honorem.

Nota ætatem authoris.

Migrat ad Dominū vix anno in regimine expleto

DEFVNCTVS, à quibusdam perfidæ mentis asserebatur, quia monasterij non paruas opes repositas habuisset, quas vi mortis præuentus indicare nequaquam potuisset. Locū quoque se posse ostendere mentientes, non solùm locum, sed loca plurima cellulæ eiusdem fodere cœperunt. Sed ecce nocte venerando Abbati Simeoni apparuit, vehementer redarguens quòd stultis hominibus perperam credidisset. Sed & quidam frater, cùm quartanas febres pateretur, nec vllo modo aliquo consilio liberari posset, ad beati viri tumulum deuotissimis precibus accessit, & paucis diebus interpositis beati viri meritis liberatus est. Candela quoque quæ ante crucem, & venerabile beati viri corpus quotidie ardet, de summo cecidit, nec vitrum fractum est, nec oleum effusum. Ioannes quoque cognomento Cirusinus, gutta de capite ad oculum descendente, cùm grauissimo cruciaretur dolore, ad sepulchrum eiusdem venit, rogans & suppliciter obsecrans, vt consueta misericordia à tanto cruciatus dolore ipsum eriperet. Qui statim exauditus est, & gutta simul & dolor recessit. Quidam quoque faber, Petrus de Mari nomine, cùm simili dolore grauissimè torqueretur, ad sepulchrum eius venit, & de quodam foramine sepulchri eius puluere accepto, oculum fricuit, & statim liberatus est. Sed hæc de tanto viro ad præsens sufficiant. Exoremus autem beatum virum Constabi

Quidā ægrotus fusis ad eum precibus sanatur.

Item alij duo.

stabilem, vt iuxta sui nominis etymologiam impetret à Domino huius monasterij, fratribus in quotidiano certamine constantiam, & per hanc postea gloriam æternam.

En inuocationem Sanctorum.

VITA S. ELEVTHERII EPISCOPI TORnacensis, ex D. Ioan. Molano, insertis nonnullis ex vita S. Medardi per Fortunatum.

XX. FEBRVARII.

S. Eleutherij genus.

SANCTVS Eleutherius, Episcopus & Confessor, natus est Tornaci ex Christianis parentibus Sereno & Blanda: qui propter nomen Domini inde exulare iussi, ad vicinum Blandinium commigrarunt, vbi & ædificauerunt Ecclesiam in honorem D. Petri. In literarum studiis consodalem habuit sanctum Medardum postea Nouiomensem Episcopum, qui ipsum, tanquam similis similem, puer videlicet puerum, socius consociũ, quàm multa diligebat familiaritate: atque adeò is, cùm aliquando inuicem colloquerentur, propheticæ gratiæ afflatus spiritu, Episcopum eum esse futurum puer prædixit: quod sanè verum fuisse postea declarauit rei euentus. Ceterùm fuit primùm Tornaci eximius prædicator: deinde Christiani videntes eius eximiam sanctitatem, mortuo Theodorico Episcopo, Romam eum miserunt, & cum auctoritate regredientem Episcopum consecrari fecerunt: qui omnibus patuit verus Christi Antistes, & Christianæ religionis defensor. A paganis & hæreticis Arrianis multis pressuris & afflictionibus est conquadratus, sed in carcere ab Angelo visitatus. Ter fuit flagellatus, & à paganis Tornaco expulsus. Blandinij resedit annis nouem, Tornaci verò annis triginta sex; nimirum cùm Tribuno Scardiensi per ipsum multo labore conuerso, cessauit persecutio, ac sic ipse Tornaci multùm fidem propagauit, virtutibus, miraculis, atque fidei prædicatione clarus. Vnde & de eo Tornacensis Ecclesia canit: Miro modo sunt conuersi per hunc ciues vniuersi.

S. Medardus prædicit eum futurum Episcopum.

Episcopus factus multa patitur à paganis & Arrianis.

PROPTER fidei negotia bis memoratur Romam profectus esse, annis sui Põtificatus decimo quarto, & vigesimò sexto: in qua posteriori profectione secum contulit reliquias protomartyris Stephani & Mariæ Aegyptiacæ. Synodum habuit Tornaci contra Acephalos hæreticos quinquennio ante mortem, quos etiam, quoad potuit, ciuitate eiecit. Accepit autem septuagenarius ab eis, dũ Ecclesia B. Mariæ Tornacensi egrederetur

Propter fidei negotia proficiscitur Romam.

Iuxta Sigebertum anno Domini.

deretur, remunerationis loco grauiſſimum vulnus in capite: vnde per quinque ſeptimanas decubuit, fidem cōfitens, & pro inimicis orans. Tandem autem debitum mortalitatis exſoluit, præmunitus religionis Chriſtianæ Sacramentis, ac poſt felicem Pontificij ſui adminiſtrationem de terrenis ad cęleſtia coronandus tranſmigrauit. Porrò ſepultus eſt à ſupradicto ſancto Medardo tunc Epiſcopo Nouiomenſi, paulo pòſt autem etiam eius ſucceſſore, Blandinij: vbi eleuatus eſt anno octingenteſimo octuageſimo primo, ac inde poſtea anno ſupra milleſimum ſexageſimo quarto tranſlatus ad cathedralem Eccleſiam Tornacenſem: quæ natalem eius celebrat decimo Calendas Martij, tranſlationem verò octauo Calendas Septembris, & eleuationem ſeptimo Idus Iulij.

Obdormit in Chriſto.

Ex Blādinio pago vicino transfertur in ipſam ciuitatem Tornacenſem.

VITA S. EVCHERII EPISCOPI *Aurelianenſis, ex ea quæ eſt apud R.P. Surium ex M.S.*

XX. FEBRVARII.

FVIT vir vitæ venerabilis ac Deo dignus, Eucherius nomine, parentibus ortus iuxta ſeculi dignitatem nobilibus. Cuius ortum benedictum (ſicut à veraciſſimis viris, vel ab germanis ſororibus eius, quæ vitæ ſanctitate præcellunt in cœnobio ſanctarum Monacharum ſito iuxta vrbem Aurelianenſem, referentibus didicimus) nocte illius genitrix per virum miri candoris ei in ſomnis adſtantem (erat autem Angelus Dei) cognoſcere meruit. Quem iam natum pater propter honorem diuinæ reuelationis Asberto Auguſtodunēſi Epiſcopo regenerandum obtulit. Hic, cùm anni ſeptem completi fuiſſet, Domino prouidente, literarum ſtudiis traditus, omnes etiam anteriores facilè antecelluit: & quemadmodum fons largiter ſcaturiens, breui implet amnem; ita & hunc glorioſiſſimum virum omnis ſcientia Scripturarum, & quicquid legendo vel audiendo didiciſſet, affatim inundauit. Qui cùm vniuerſam ſacrorum Canonum doctrinam perſcrutatus eſſet, incidiſſetque in illum locum Paulinum vbi ait, Præterit figura huius mundi; relinquens militiæ ſecularis cingulum, ad cæli & cæleſtium rerum cultores ſe contulit, & in monaſterio Gemetico regularis vitæ inſtitutum complexus eſt.

Nota fidem ſcriptorū.

S. Eucherij mira natiuitas.

Traditur ſtudiis literarū.

1. Cor. 7.

Ingreditur monaſterium Gemeticenſe.

Eo tempore Suauaricus eius patruus, qui Aurelianenſis Eccleſiæ populum Pontificali honore fultus regebat, ex hac luce migrauit. Tum verò omnis eius loci plebs pariter con-

Fuit in Marsillus. Quia sanctus vir, consilio Caroli Principis.

gregata, Domino annuente, ad Carolum Francorum Principem legatos cum muneribus & humili prece mittit, obsecrantes vt nepotem eius Eucherium plebi Aurelianorum Pontificem iubeat constitui; cùm ille mox ratum habuit quod poscebant, atque ex aula sua virum fidelem misit, qui beatum Eucherium è cœnobio euocaret, atque si non spontaneum, vel inuitum ad vrbem Aureliam perduceret, vt ibi Episcopus ordinaretur. Quo comperto, vir sanctus mœstus & afflictus flere cœpit. Attamen benedicente Abbate, omnibusque fratribus prosperitatem illi à Domino precantibus, egressus è cœnobio Aureliam peruenit. Vbi mox accersiti vicinarum ciuitatum Episcopi, omnisque clerus & populus in Pontificali cathedra eum per omnia dignum Præsulem collocant, gaudentes quòd talem tantumque virum sibi à Domino pastorem concessum viderent. Ille autem accepta ea prouincia, non honoris sed oneris loco eam habuit. Atque deinde cœpit Ecclesias excolere, clerum dirigere, plebem suam prædicatione corrigere, cœnobia circumquaque constructa frequenter circumire, atque in eis commorantes omni charitate & humanitate prosequi.

Inuitus creatur Episcopus Aurelianensis.

Egregiè incumbit muneribus pastoralibus.

CRESCEBAT interim fama eius longè latéque per orbem: cuius cùm opinio passim vulgaretur, inimicus humani generis, inuidens eius sanctitati, corrupit quosdam malignitatis suæ veneno, permouitque eos, vt inuidia excæcati suggererent Carolo Principi, vt virum beatum cum omnibus illi sanguinis propinquitate coniunctis in exilium relegaret, illorumque honores partim suis vsibus adiiceret, partim in suos satellites conferret. Atque interea gens nefanda Ismaëlitarum ad depopulandam prouinciam Aquitaniam ingressa, cunctam vastans supellectilem, oppida & castella nititur expugnare. Quod audiens Carolus Princeps, collectis Burgundionum Francorumque populis, obuiam illis cum copioso pergit exercitu: cæsisque illis, cùm ingenti præda domum reuersus est. Vbi cùm Aureliam peruenisset, Ligerisque alueum transiens, prandiaque parata relinquens, Parisios proficisceretur, iussu beatum Eucherium se sequi. Qui etiamsi sciret insidias sibi præparatas, nequaquam tamen renuit, subiiciens se humanæ creaturæ propter Deum. Anno itaque decimo sexto Pontificatus sui Aurelia egressus, & Lutetiam quoque ex Principis voluntate prætergressus, Vernum fiscum publicæ ditionis aduolauit; moxque celebri sermone vulga-

Suggeritur contra eum Carolo Principi.

Cæduntur Saraceni.

Subdolè vocatur vir sanctus a iussu Caroli.

1. Petri 2.

tum est auribus Principis, adesse sanctum sacerdotem: quem ille à suis militibus mox iussit comprehendi, & cum propinquis reliquis Coloniam in exilium deportari. *Deportatur i. exilium.*

ILLE verò, vt virtutum sibi augmenta cumularet, reddebat gratias sacrosanctæ subditus Trinitati. Quin & cùm Coloniam peruenit, tanta ibi & sacerdotum & cleri & populi benignitate fruebatur, vt cunctis illorum opibus, quicquid inde illi facere libuisset, haud aliter atque proprijs vti liceret. Quod cum ita fieret, Carolum Principem latere non potuit. Itaque metu perterritus, ne forte illorum subsidiis & auxiliis adiutus, munitiora regni loca seu castella occuparet, clàm tutiori loco in Hasbania Roberto Duci tradidit custodiendum. Qui sanè illum cum maxima gratulatione suscipiens, permisit manibus illius omnem supellectilem suam, vt, sicut ei placeret, facultas illi suppeteret tam egenis quàm in cœnobiis commorantibus inde tribuendi. Petiit autem vir sanctus à prædicto Duce, vt sibi in Ecclesia beati Trudonis Confessoris pro ipso, & fidelibus eius copiam deprecandi tribueret: quo impetrato, sacerdos Dei inclytus die noctuque Dominum precabatur, vt cum electis eius in aula gloriæ ipsius coronari mereretur. Verùm sicut Scriptura dicit; Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius; id quod Princeps Carolus contra hunc virum Dei fecit, Episcopatum crudeli violentia ei adimendo, tum etiam aliarum Ecclesiarum res similiter vsurpando, iusto prorsus iudicio Deus reddidit in caput eius. *Traditur etiā arctius custodiendus Roberto Duci.* *Prouerb. 17.* *Carolus Martellus impius in res Ecclesia.*

NAMQVE hic vir Dei in oratione positus, & ad alterum seculum raptus, inter cætera quæ, Domino ipsi ostendente, conspexit, vidit hunc Carolum in inferno inferiori torqueri. Vnde & sanctum Bonifacium, & Fulradum monasterij S. Dionysii Abbatē, summumq; Regis Pipini Capellanum ad se vocauit, eisque hæc reuelans, hoc signi dedit, vt ad sepulchrum Caroli Principis irent; & si corpus eius illic non inuenirent, ea quæ dicebat, vera esse crederent. Illi verò pergentes ad monasterium, vbi Caroli cadauer humatum fuerat, tumulumque illius aperientes, subitò Draconem exire inde viderunt, totumque sepulchrum eius inuentum est velut incendio atrum. Sanctus autem Eucherius sexto exilij sui anno, ipso glorioso transitus sui tempore, diuini luminis perfusus claritate, carnis vinculis absolutus, emigrans ex hoc mundo victor intrauit in cælum, sepultus in Ecclesia beati Trudonis, *Exiit tumulo eius draco.* *S. Eucherius moritur exul ad S. Trudonem in Hasbania.*

 & cum

& cum magno decore, vt dignū erat, tumulatus. Lingua verò nostra non sufficit exprimere, quæ post eius obitum miracula ab eo gesta sunt. Nam cæci multi receperunt visum; claudi plurimi, gressu restituto, adepti sunt sanitatem; dæmones quoque sine numero sunt fugati. Augentur dona plurima, prętantur vndique donante Domino, petentibus vota congrua.

Claret multis miraculis.

VITA B. PIPINI DVCIS BRABANTIÆ,

patris S. Gertrudis, ex ea quæ est apud R. P. Laur. Surium.

XXI. FEBRVARII.

B. Pipinus, maior domus sub duobus Regibus.

VENERABILIS Pipinus Dux Brabantiæ, ex patre Carolomanno Principe, & matre Aemegarde, fuit maior domus Franciæ sub Clotario Rege Francorum, & Dagoberto eius filio. Qua dignitate, parum à dominatione ac sublimitate regia differente prædit9, omnia prudenti dispositione ordinabat; præstabatque tam in bello fortitudine, quàm iustitia in pace. Erat enim erga Regem fidei seruantissimus, erga populum verò veritatis tenacissimus; atque in discernenda vtrorumque causa firmissimo animi iudicio persistens: sed neque munera populi ad subuertendum ius regium respiciebat; nec gratiam Regis ad obruendam populi iustitiam attendebat. Siquidem Regem Deum regi homini præferebat, cuius mandato prohibitum nouerat, vultum potentis honorare, vel personam pauperis in iudicio attendere. Tam ergo quæ plebis erant, plebi deferebat; quàm quæ Regis, Regi. Studebat autem ad normam diuinæ iustitiæ, omnes iudiciorum suorum sententias dirigere. Quæ res vel maximè hinc arguitur, quoniam beatum Arnulphum Pontificem Metensium, quem in timore ac dilectione Dei nouerat excellentem, omnium consiliorum vel negociorum suorum socium assumebat. Quo adiutore fretus, æquitatis freno cohibebat, si quando, neglecto iure, potestate regia abuti voluisset.

Iuris est tenacissimus.

Iuris est obseruantissimus Leuitici 19.

Adhibet sibi consiliarios S. Arnulphum & S. Cunibertum.

DEFVNCTO quoque prædicto viro Dei, sanctum Cunibertum Antistitem Coloniensium pari sanctitatis fama illustrem curabat in hac negociorum administratione participem. Perpendere scilicet ex hoc possumus, quo æquitatis ardore succensus fuerit; qui tam circumspectos consiliarios, tamque incorruptos arbitros elegit. Beatus autem Pipinus primò Regum Austrasiæ, postmodum ipsius Austrasiæ inferioris Præpositus & Dux gloriosus, erat lingua & natione

Teutoni

Teutonicus, decus & gloria Teutonicorum, speculum & norma Brabantinorum, via & exemplar morum, beatus Pater patrum, egregius Dux. Qui postquam domum regiam & inferiorem Austrasiam suæ fidei commissam strenuissimè gubernasset; tandem vocatus est ad patriam sine fine duraturam, recepturus suæ fidelitatis mercedem condignam. Cuius mors tanto dolore totam Austrasiam perculit, vt planctui eius planctus Regum nequaquam conferri possit. Fuerat namque probatissimæ vitæ ac purissimę famæ, sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controuersiarum finis, munimentum patriæ, curiæ decus, via Ducum, & disciplina Regum.

Migrat in cœlum.

Insignia aliquot eius epitheta.

PORRO beati viri corpus eo honore quo decuit, in ciuitate sua Landis conditum est, ibique diu iacuit, donec diuino instinctu viri fideles illud ad locum eminentiorem & celebriorem transtulerunt, non patientes thesaurum tam preciosum humillimi viculi loculo occultari. De quo vt ostenderetur quanti meriti esset apud Deum, tale contigit in die translationis eius miraculum. Nam cùm ueneranda eius ossa de tumulo, vbi dudum reposita erant, leuarentur, vt ad ciuitatem Niuellensem, locum videlicet eius reuerentiæ competentiorem, transferrentur, cum copiosis id actum est cereis, sicut decuit, ardentibus. Vbi cùm de Lādis vsque Niuellam populus fidelis per tantū terræ spatium venerandas reliquias cum luminaribus prosequeretur, & aura esset multum ventosa, ne vnus tamen cęreorum vi ventorum exstinctus est, quousque peruentum est ad locum optatum: vbi ipsius sacræ reliquiæ collocatæ sunt in capsa decenti iuxta feretrum filiæ suę sanctę Gertrudis, atque singulis annis in diebus Rogationum circumferuntur à Clero.

Transfertur eius sacrum corpus Niuellam.

Nota insigne miraculum.

DE CATHEDRA SANCTI PETRI, *ex iis quæ sunt in Ordinario nouo, adiunctis nonnullis ex D. Hieronymo.*

XXII. FEBRVARII.

INSTITVTIO solennitatis hodiernæ à senioribus nostris Cathedræ nomen accepit, ideo quòd primus Apostolorum Petrus hodie Episcopatum Cathedram suscepisse referatur. Et rectè Ecclesiæ * natalem sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit, dicente Domino:

D. August.

* *anniuersarium.*

Tu es Petrus,& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã. Petrum siquidem fundamentum Ecclesiæ Dominus nominauit:& ideo dignè fundamentum hoc Ecclesia colit,supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit. Vnde conuenienter Psalmus qui lectus est,dicit:Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum. Et benedictus quoque Deus qui exaltari in Ecclesia hoc præcepit, quia dignum est vt fundamentum hoc in Ecclesia honoretur, per quod in cœlum ascenditur. Itaque quod natalis Cathedræ hodie colitur, sacerdotale honoratur officium; atque hoc Ecclesiæ sibi inuicem præstant,quia scilicet tanto plus habet Ecclesia dignitatis,quanto sacerdotale officium plus honoris. * Etenim cum duodecim Apostoli,accepta per Spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent; beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur Imperij, vt nimirum lux veritatis, quæ in omnium reuelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Etenim & cuius nationis homines in hac vrbe non essent,aut quæ vsquam gentes ignorarent quod Roma didicisset?

Petrus iuxta D. Augustinum fundamentum Ecclesiæ.

D. Leo ser. 1. de SS. Petro & Paulo.

S. Petrus cur sedem Episcopalem elegerit Romã.

Hîc conculcandæ Philosophiæ opiniones, hic dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hîc confutandi dæmonum cultus, hîc omnium sacrilegiorum impietas destruenda, vbi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum. Ad hanc ergo vrbem tu,beatissime Apostole Petre,venire non metuis; & consorte gloriæ tuæ Paulo Apostolo aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, syluam istam frementium bestiarũ, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum constãtior, quam cùm supra mare gradereris, ingrederis. Iam populos, qui ex circumcisione crediderant,erudieras:iam Antiochenam Ecclesiam, vbi primùm Christiani nominis dignitas est orta,fundaueras:iam Pontum,Galatiam,Cappadociam,Asiam atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras: nec vt dubius de prouectu operis,aut de spatio tuæ ignarus ętatis, trophæum crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quò te diuinis præordinationibus anteibant & honor potestatis, & gloria passionis. De hoc porrò ita D. Hieronymus *, Simon Petrus, inquit, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum qui de circumcisione crediderant

En resedit in Antiochia.

De scriptoribus Ecclesiasticis.

diderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia, secundo Claudij anno Romam pergit, ibíque vigintiquinque annis Cathedram sacerdotalem tenuit vsque ad vltimum annum Neronis.

Residet Romæ viginti quinque annis.

VITA B. PETRI DAMIANI CARDInalis, & Episcopi Ostiensis, ex Hieronymo Rubeo.

Lib. 5. hist. Rauennatũ.

XXII. FEBRVARII.

PETRVS Damianus Rauennæ satis obscuro loco, sed ingenuo, natus est. Sunt qui ex nobili honestorum familia ortũ putant, sed falluntur, cùm id Petro peccatori conueniat. Eius postquã mater diem suum obijt, frater natu maior duxit vxorẽ. Qui coniuges cùm gerere curã pueri velle simularent, tam dura illum acríque premebant seruitute, vt is non modò pane, cibisque ac vino vitiosis & corruptis aleretur, sed perpetuò nudatis pedibus pãnosus incederet, & multis verberibus vapularet; paulóque grandior factus, alendis suibus præficeretur: Redijt verò interea alius eius frater, cui erat nomen Damiano, Rauennáque aliquot annos abfuerat. Qui fratris ærũnas miseratus, cùm eum in fidem & clientelam accepisset, amanter ac paternè fouit, literísque instruendũ curauit. Quod cùm Rauennæ aliquandiu fecisset, optima pueri cognita indole, Fauentiam primò misit; mox Parmam, vt ibi doctos viros audiret: quod & Petrus suis literis testatur. Vbi breui liberales artes omnes edoctus, tantũ mox nominis ac famæ apud omnes adeptus est, vt summa vtilitate, atque auditorum frequentia, eas cæteris deinde explicaret, & facilè primus in omni Italia haberetur. Verùm cùm indies fauoribus, gratia Principum, diuitijs & auctoritate cresceret, seipsum increpans, Nunquid, dicebat, his perpetuò caducis atque interituris bonis inhæserim? An non potius his valedicens, cælestia consecter? Quæ cùm repeteret sępius, tandem paulatim cœpit diuinis studijs & obsequijs nauare operam.

B. Petri genus.

Puer adhibetur alendis porcis.

Adhibitus tandem literis, mirificè in eis profecit.

ITAQVE sub preciosa veste induit cilicium, inediæq; & vigilijs ac diuinis hymnis frequens studium exhibebat; & cùm libidinis æstu pro ætatis natura iactaretur, medijs quoq; noctibus è cubili surgens, aquis se immergebat, dum totus frigesceret: indéque egressus, in lectum minimè regredi, sed Psalmis atque Hymnis Deum venerari consuescebat. Sed & mirum etiam fuerit dictu, quam præstiterit egentibus libera-

Paulatim mittat valedicere mundo.

Eius insignis liberalitas in egenos.

litatem & munificentiam, quamq́ue benignè & piè prandio illos acceperit. Sed in dies magis etiam accensus, cùm omnino his rebus abduci, monachusq́ue fieri decreuisset, nec tamen in patrijs finibus ob affines, aliquotq́ue alia impedimenta id facere vellet; fortè conueniunt à solitudine S. Crucis fontis Auellanæ, quæ est in Eugubina diœcesi, monachi duo; quorum colloquijs etiam maius adhuc caducarum rerum fastidium incurrit. Et quidem post monachorum discessum, vt vsu tractando cognosceret, vtrum eius vitæ laborem esset laturus, coniecit se in cellulam satis arctam: vbi per quadraginta dies vitam iuxta leges eremitarũ S. Crucis traduxit. Nec mora: eo genere viuendi plurimum roboratus, nihilq́ue iam difficultates & durum vitæ illius modum timens, suis omnibus inscijs, clàm ad eam montis Catriæ solitudinem profectus est. Excipit autem eum libenter Abbas; cucullóque indutum, mox vni ex monachis in custodiam ac disciplinam, tyronũ more, tradidit. Qui quantum profecerit, haud facilè dici potest. Maiori nimirum in dies abstinentia, ac vigilijs, ad sanctitatem & ad summum bonum adipiscendum, totus incumbebat.

Ex colloquio duorum monachorum etiam magis fastidit seculum.

Fit monachus.

SANE per id temporis monachi illi quatuor diebus hebdomadæ pane & aqua traductis, tertia & quinta Ferijs parum leguminis, singuli suis seorsum cubiculis, cocti, sumebãt. Adhæc diebus sacræ inediæ panis, non quantum quisque vellet, sed certa quantitate ac mensura præbebatur. Vinum rei tantùm diuinæ faciendæ & ægrotis notum; nulli præterea. Vbi cùm is esset in vigilijs mos, vt signo dato, matutinis precibus expletis, omnes hymnos Dauidis recitarent, præueniens hoc commune signum Petrus, quidquid erat noctis reliquum, continentibus excubijs, ducebat: vnde & in eum incidit morbum, vt dies noctesq́ue insomnes ageret: à quo morbo tamen mox temperatior factus, conualuit. Qui cùm breui in summam sanctitatis famam creuisset, summis precibus Guidone Strambiato Rauennate, Abbate Pomposiano, id ab S. Cruci Præfecto tandem impetrante, Pompasiam mittitur, vt monachos illos pręceptis diuinis, sacrisq́ue literis instrueret. Ibi verò transegit biennium: quo elapso, ab S. Crucis præfecto, qui eum illuc miserat, à suisq́ue monachis reuocatur: ibiq́ue eius Præfecto paulo pòst demortuo, renuens ac diligẽter recusans, cœnobio pręficitur. Quod cùm instituisset, in Camertibus primùm, mox quoque ad montem Regium, quod est in Perusino, vbi cellam reperit, quam Diuum Romoaldum incoluisse fere

Nota austerissimam rationem victus.

Mittitur ad monasterium Pomposianũ.

ferebant;deinde & in Fauentino, tum ad Aceretum, tum ad Gauiunium (nunc Cauinam appellant) postea & in Ariminẽsi quoque ad Murcianum cœnobia excitauit. *Variis in locis excitat monasteria.*

IN quorum Gauiuniano sanè cùm esset, iubet die quadam monachum, qui sibi ministrare consueuerat, potum sibi afferri ex fonte. Et quidem fecit imperata minister: sed aqua in vinũ mutata, alius denuo ab assidentibus monachis mittitur, qui aquã adferat: qua itidem in vinũ conuersa, mandauit Petrus, id ne cuiquã patefacerent. *Aqua illi conuertitur in vinum.* Sed nimis longum esset in eiuscemodi narrandis hærere. Adeò verò in dies doctrinæ ac sanctitatis eius fama increbuit, vt à Stephano nono Põtifice maximo ad Galerum non tam vocaretur quàm traheretur. Neque hoc tamẽ Stephanus adhuc pro hominis probitate ac doctrina satis esse putauit, quin etiã Episcopatum Hostiensem addidit, atque insuper sacri quoque Cardinalium collegij Principem (Decanũ appellant) eum fecit. Plurimas autem legationes summa fide & diligentia obiuit. *Creatur Cardinalis.* Quo tẽpore quia sacrati viri publicè scortis & omni libidinum generi indulgebant, dici vix potest quàm acriter, quamque intrepidè semper illos reprehenderit, atque ad rectè sanctéque viuendum omni studio fuerit adhortatus. Verùm, vt magis se Deo totum traderet, & in rerum diuinarum meditatione dies noctesque consumeret, tandẽ sacro galero & Episcopatu se abdicauit. Qua occasione, cùm ab Nicolao Pontifice ad eas iterum dignitates, & honorum insignia assumenda cogeretur, ipseque constanter, & aliquanto fortasse quàm res ipsa & Pontificis maiestas ferret, pertinaciùs renueret, Pontifex quidem assensit eius perseuerantiæ, sed tamen pœnam in eum centenariam constituit; qua pœna tenebatur ad recitandum per centum annos quotidie centies, verberibus adiunctis, Psalmum quinquagesimum. *Abdicat se Cardinalatu.*

SVBIVIT autem hanc pœnam libenter Petrus; tantusq; fuit in eo ardor pœnitẽdi, vt eã annuo spatio exhauserit. *Nota mirum quoddam.* Itaq; pœna persoluta elegantes Nicolaum Pontificem, & officij ac pietatis religionisq; plenas literas dedit, quibus & purgauit se diligenter, & non minùs rationibus quàm virorum sanctorum exemplo id fecisse testatus est. Quæ literæ quoniam extant, non est cur à nobis explicentur. Abdidit autem se in Catrianam solitudinem optatissimã, vbi nec semper tamen ociosus vixit: nam in primis Mediolanensem Ecclesiam malè sentientem, & à Romana abductam ac discrepantem, Simoniacãque labe & Nicolaitarum hæresi infectam, Nicolao iubente, *Pugnat contra Simoniã.*

XXIIII. FEBRVARII.

MATTHIAS vnus fuit de duodecim Apostolis: is nimirum qui in locum Iudæ proditoris fuit Apostolorum collegio sociatus, de quo ita in Actis legimus: In diebus illis, inquit Scriptura, exurgens Petrus in medio fratrum, dixit (erat autem turba hominum simul ferè cētum viginti) Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum: qui cōnumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem: ita vt appellaretur ager ille lingua eorum Haceldema, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea: & Episcopatum eius accipiat alter. Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus incipiens à baptismate Ioannis vsque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et statuerūt duos, Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam. Et orantes dixerunt. Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis: & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cū vndecim Apostolis. Hactenus Scriptura. *Huic data prædicatio Euangelij in Iudæa fuit.

Est D. Isidorus Hispalensis lib. de Patrib. vtriusq. Testamenti.
Act 1.
Psalm. 40.
Psalm. 68. & 108.
S. Matthias eligitur in locum Iudæ.
Isidorus.

VITA S. THARASII ARCHIEPISCOPI

Constantinopolitani propugnatoris SS. Imaginum, ex Ignatio monacho.

XXV. FEBRVARII.

SACROSANCTI & magni Tharasij, omni auctoritate & maxima excellentia apud eos qui per id tēpus imperabant, Georgius pater fuit, mater Encratia. Quæ clara pietate, & id quod ipsa appellabatur, cernens proficere in filio, venerādum eum reddidit, & verè templum continentiæ. Et quidem cum æqualibus suis & improbis docens eum nullam habere consuetudinē, inire amicitiam cū iis qui amāt decus virtutis, suade

S. Tharasij clari parentes.

suadebat, & eis coniungi iure charitatis spiritalis. Quãobrem & ingressus per vniuersam virtutem, erat apud omnes reuerendus, ita vt etiam consulari dignitate fuerit honestatus. Quin etiam electus primus Scriba arcanorum Imperatoris, luciferi instar in aula resplenduit, vt qui diuinas quidem disciplinas abundè esset complexus, & ex externa quoque eruditione collegisset, quæ sunt præstantissima, totum interim se Deo dedicans per pietatem & puram conscientiam. Sed nefaria tum adhuc vigebat hæresis eorum qui abolent imagines, vbi cùm Paulus Episcopus incidisset in morbum qui ei mortem erat allaturus, se clàm quidem subducit è sede: & cùm venisset ad Flori monasterium, in numerum monachorum se retulit, mutato amictu. Quod postquam notum fuit, quò scilicet se dimisisset Antistes, qui per id tempus rerum potiebantur (Irene autem erat, & Constantinus eius filius) animo non parum sunt perturbati.

Eligitur primus Scriba arcanorũ Imperatoris.

Paulus Episcopus Constantinopolitanus.

SED quid agant? Consilio & suasu eiusdem Pauli in Tharasium defigunt oculos: & eũ, vt viduato gregi præesset, communi consensu sapienter eligunt: quibus etiam assentiebatur quidquid erat optimum & præstantissimum è sacro senatu. Nam id quod erat promiscuum & circumforaneum, & lucernam redolebat hæreticam, non assentiebatur, sanctitatem Patris etiam ante sacram vestem, velut ad arguendum acutissimam suspectam habens securim. Sed vicit id quod erat iustũ: quare & mutata dignitate, & tonsa coma ritu Clerici, suscipit Tharasius vnctionem honoris sacerdotalis, & ascendit ad altitudinem Cathedræ Pastoralis. Vbi cùm ipse mox luci lucem egregiè adiungeret, & virtutem augeret virtutibus, modum quoque superantibus profectibus sacratissimum talentũ multiplicabat: Nempe ad diuinarum scripturarum meditationem adsciuerat quoque sibi domesticam vigiliam: precationem habens, quæ mentem sublimè ad cælos euehebat, & soli Deo reddebat familiarem; nec vllum erat tempus, quo non habebat solum eum genu flectentem & surgentem. Sed & humilitatem, vt quæ ei à puero fuerat familiaris, ita complectebatur, vt nihil suprà: castitatem, &, quæ cum ea simul degit, temperantiam, iugiter suas vocans sorores.

Succedit in Episcopatum S. Tharasius.

Frequentissimus est in genuflexionib.

Atque adeò de commiseratione eius & ditissima in pauperes misericordia superfluum est dicere. Nam tam hilariter, vt ille dixit, impartiit, vt superaret omnes, suæque mensæ obsonia in frusta comminuens, ad accipiendos eos qui esuriebant,

bant, in dies eis parabat conuiuium. Cuius rei abundè testes sunt vsque in hodiernum diem definita receptacula eorum causa qui hospitio accipiebantur, & pauperum nostrorum fratrum. Quin etiam mansuram pecuniæ dationem aliis piè attribuit, in pugillaribus nomen vniuscuiusque significans. Nam, quæso, quotidianam distributionem, quam manu sua propria in manus pauperum immittebat, quis ratiocinator dimensus fuerit? Ex hæreditate quoque eorum, quæ ad ipsum lege dotis ex bonis paternis redibant, ædificatum monasterium est in sinistra parte Bosphori Thracij: ex quo multi ab ipso sunt vocati ad dignitatem pastoralem, fuerúntque columnæ immobiles fidei Catholicę. Siquidem hic ille est Tharasius, qui nihil turbatus quòd Episcopi, qui conuenerant in ciuitate regia, armis fuissent disturbati ab inimicis sacrarum imaginum, constans tamen auctor fuit & instigator Imperatoribus, vt demum conuocarent Synodum: quod & præclarè fuit confectum, in præclara nempe Nicæna: vbi & aduersus Arrium gladius fuerat fabricatus.

Quotidie multos alit pauperes.

Construit quondam monasterium.

Celebratur per eum Synodus Nicæna secunda contra Iconoclastas.

DENIQVE & iste est diuinus ille, à quo, quòd idē postea Constantinus Imperator coniugem reiiciens legitimam, subinducens autem fornicatricem, reprehendebatur, vt par erat, nec non excludebatur extra cancellos incruentæ mensæ, multis eum oppressit tentationibus: ei adhibens custodes, qui nomine quidem vsi sunt Syncellorum, moribus verò longè aberant à pietate. Quos nisi assumpsisset, & nisi per eorum oculos transijsset, non licebat cuiquam ad diuinum & sapientem Pastorem accedere, & ea quæ videbantur eloqui. Quare & magnam Imperator ostendebat crudelitatem in eos qui illi appropinquabant, & eum obseruabant germana seruitute plagis afficiens, & condemnans exiliis, nulla iusta de causa, studens eum deijcere à cura rerum diuinarum, & tentans eum afficere tristitia. Sed ad finem properat oratio. Diuinus Tharasius post plurima certamina, & profundum doctrinæ infinitum, & vitæ honestæ puritatem, & veræ fidei confessionem, & ratione præditi gregis ad ea quæ sunt præstantiora eius monitis deductionem, & in alendis pauperibus copiosam suppeditationem, & assiduam sanctis rebus datam operam, & in pastorali munere diuturnam moram (viginti enim & duos annos Pontificalem decorauit cathedram) relictis vinculis carneis, venit ad luminosa atria cælestium, sepultus in monasterio ab eo ædificato in Bosphoro Byzantino, cùm mensis

Multa patitur ab Imperatore, quem pro suis sceleribus reprehenderat.

Obdormit in Domino anno Episcopatus sui vigesimo secundo.

mensis Februarij quintum teneret diem cum quintuplo quaternione. Vbi multi ad eum accedunt, & liberantur ab iis, quæ ipsos vexant, affectionibus.

VITA S. LEANDRI EPISCOPI HISPAlensis, ex Ioanne Maldonato Hispano.

XXVI. FEBRVARII.

S. Leandri præstantia in genio & Vita.

LEANDER Seuerino patre apud Carthaginem Hispaniæ ciuitatem natus, cum esset monachus, Hispalensis episcopus creatus est. Vir quidem & ingenio & vita præstantissimus. Eius siquidem industria factum est, vt Gothi repudiata Arianorum secta, fidem orthodoxam inconcussam tenuerint. Nam, vt Gregorius testatur, Hemeregildum Lenogildum Lenogildi Regis filium Leander ab Arianis ad catholicam veritatem traxit. Cui pater, vt ad deuiam hæresim rediret, & præmiis persuadere, & minis terrere, conatus est. Sed cùm constantissimè profiteretur Hemeregildus fidem, quam à Leandro acceperat, abdicatus, & in carcerem coniectus, vltimo supplicio affectus est. Admonitum tamen postea patrem à Leandro, perfidiæ parricidiique pœnituit, sed animæ salutē non obtinuit: quòd suæ ditionis homines plus æquo timebat. Atqui filium Recaredum, quem hæredem reliquit, Leandro commendauit; & mox naturæ concessit. Leander postquam regem Recaredum in fide satis instruxit, ac stabiliuit, & Arianum dogma penitus extinxit, diem suū obiit, & in numerum Sanctorum relatus est.

MARTIVS.

VITA S. ALBINI EPISCOPI ANDEgauensis, ex ea quæ est per Fortunatum.

I. MARTII.

S. Albini patria & parentes.

BEATISSIMVS Albinus, Veneticæ regionis, quæ Oceani Britannici confinis est, indigena, non exiguis parentibus oriundus, decus quod sumpsit ex genere, fœlicis etiā vitæ meritis amplauit. Etenim inter ipsa iuuentutis exordia, tanto fidei feruore flagrauit, vt parentes pro charitate

tate Christi relinquens, mox in Cincillacensi monasterio sese subderet. Vbi cùm proficeret in eo exercitationis quotidianæ processus, in tantùm sanè vltra se semper ascendebat, vt meritis non solùm reliquos vinceret, sed edomito quoque corpore de seipso triumpharet. Sed neque quisquam facilè expediet quàm fuerit in ieiuniorum parcitate præcipuus, in vigiliarum delectatione propensus, in orationis assiduitate laudabilis, in miserationis quoque opere singularis. Denique talem se intra monasterij septa tractauit, vt, si quando processit in publicum, esset tamen infra carcerem cordis sui semper inclusus, nihilque aliud extra se adspiciendum prætulerit quàm Christum, quem in pectore fidelis portator baiulauit. Quibus studiis occupatus in tantum vitæ claritatem peruenit, vt eius deuotum seruitium mox quoque Dominus per miracula testaretur. Etenim & cùm adhuc puerulus per pagum in Abbatis sui proficisceretur obsequium, applicante eo apud quendam locum, tanta eum ibi detinuit violentia tempestatis, vt ipsam domum, nec sua tecta defenderent: vbi tamen madefactis omnibus qui eodem tenebantur hospitio, solum beatum Albinum tunc imber tangere expauit. Quo comperto, conscientia sanè sanctitatis, quæ celebratur annis, innotuit meritis, eo quòd in flore adolescentiæ virtutis odor flagraret.

Fit monachus.

Æmulator vir.

Ab imbre pluuiali madefactis ille solus manet intactus.

DEHINC autem & cælestibus donis cũ ætate crescentibus, annorum circiter triginta & quinque monasterij quoque Rector & pius pastor eligitur, quippe qui suo splendore ad se traxerat dignitatem. Atque interea quidem sub magistri censura congregationis disciplina vernabat, feruebat pietatis intuitus, exultabat psallendi concentus, coruscabat inter fratres obedientiæ radius, præcellebatque sanctæ charitatis ornatus, atque adeò Abbatis officio per viginti & quinque annos congregationem sibi commissam per omnia feliciter gubernauit. Sed & quia tanti meriti fama repulsa non latuit, sed felicibus potius pennis ei sola peruolans semper magis ac magis occupauit, cùm contigisset Andegauũ ciuitatẽ Pastoris gubernatione nudari, mox ab vniuersitate populi, ipso tantũ humilitatis studio resistente, ad Pontificalem gradum, duce Christo, concorditer eligitur. Quem honorem consecutus, ita se in alimoniis pauperum, in defensione ciuium, in visitatione languentium, in redemptione præcipuè captiuorum, vt beata vitæ actio generale omnibus fieret saluamentum. Certè quadam

Fit Abbas.

Rapitur ad Episcopatum Andegauensem.

dam vice cùm ad vicum Seginam præteriens accessisset, adolescentémque Malabandum nomine, amisso vitæ munere reperisset defunctum, audiens à parentibus filij mortem deplorari, occurrit, & vt mortuum viuũ erigeret, se in oratione prostrauit. Quò incumbẽs cùm diutius orasset, tandem dum pallesceret iacens sacerdos in puluere, animæ viuacitas rubescebat in corpore, donec pulsato cælo, & iuuenis reuocaretur à funere, & sacerdos à prece.

Excitat mortuum.

Item illuminat quendam cæcum.

Sic & Andegauis, cùm quidam Maurilio clausis oculis lumen sibi restitui postularet, mox vt Pontifex se ad nota arma conuertens, signum venerabile super palpebras eius extendisset, velut balista fortissima, penetratis tenebris, crux post se cæco lumen inuexit. Sed & occurrente eo Regi Childeberto Parisiis nunciatur Pontifici Regem venationis causa de ciuitate in crastino esse discessurum, mandatque, se dignum duceret exspectandum; sed quia beatum Albinum corporalis infirmitas præpediuit, ad eius præsentiam magis prædictus Rex occurrere maturauit. Qui donec per illam viam, quæ ad sacerdotem ducebat, incessit, feliciter properauit. At verò cùm in quoddam triuium peruenisset; velletque alibi deuiare: ecce mox equus eius, ac si metallum fusile fuisset, gressum mutare non valuit. Fecit & alterum sibi sterni, sed frustra, donec deflectens iterum in viam quæ ad sacerdotem ducebat, magna cœpit alacritate discurrere. Sed quia eius singula facta non valemus retexere, sufficiat de plurimis vel pauca dixisse. Illud tamen quoque beatissimi testimonium viuentis post obitum necessarium credimus præ cæteris explicandum.

Honoratur à Rege Childeberto.

Viuit adhuc post mortem.

Etenim & cùm sanctus Germanus Episcopus Parisiorum, vel cõprouinciales ac Pontifex successor eius, & populus vellent membra sancti Albini in nouam basilicam deuotè transponere, & propter cellulæ angustiam, in qua conditus fuerat, non daretur sacri corporis extrahendi licentia; cũctis hæsitantibus, ecce repentè nutu diuino discisso pariete cellulæ à parte Oriẽtali lapides decidunt, scilicet dato signo per qualem locũ se iuberet educi posse. Interea quoque, facto aditu, dum concentus psallentium ad sanctum sepulchrum progreditur, in loco per quem est eductus, palàm tres paralytici iam diu desperati redditi sunt sanitati, duoque cæci pariter illuminati. Quibus & consequentibus aliis infinitis miraculis etsi summi Pontificis mẽbra recubant in sepulchris, attamen per creatoris gratiam in æterna secula viuunt merita Confessoris. Denique

Sanantur ad eius translationem tres paralitici, & duo cæc.

cælesti

cælesti dono venerādisque floribus adornatus,* viginti annis & sex mensibus Pontificalem apicem ecclesiastica censura regulariter gubernās, vitæ octogesimo anno, illud propheticum in potentatibus, beatitudinis culmine feliciter explens, animam Deo charissimam reddidit ereptam de seculo, mansuram cum Christo, Angelis plaudentibus, Calendis Martij. * *viginti quinque.* *Psalm. 89.*

VITA S. SVVIBERTI APOSTOLI *VVestphaliæ, socij S. VVillebrordi, ex ea quæ est per Marcellinum.*

I. MARTII.

ANNO à natiuitate Domini sexcentesimo quadragesimo septimo in Anglia in regno Nord Humbrorū ex Comite de Nortingran Sigeberto nomine, & Berta pia Comitissa, præuia diuina visione fulgoreque nimio partus tēpore, natus est benedictus puer Svvibertus. Qui cùm attigisset decimum quintum ætatis suæ annum, mox monasticam vitam seculari prætulit, in monasterio Beardanensi gratiosè receptus. In quo cùm per nouem annos in magna continentiæ & abstinentiæ castigatione vixisset, gratia compunctionis semper ad cęlestia suspensus, non modicā curam sacris lectionibus simul & monasticis disciplinis sedulus impendebat, insistens ieiuniis, orationibus & indefessis vigiliis, sicque tandem Presbyteralis ordinis dignitatem est adeptus. Porrò crescente fama eius, sanctus Egbertus Archiepiscopus Eboracensis in Eboraco ipsum Canonicum ordinauit, & secum manere præcepit. In quo Conuentu tam strictè per biennium ieiuniis, orationibus, vigiliis, & monasticis disciplinis se mancipauit, vt magis Angelicam quàm terrenam videretur ducere vitam. Vnde & electus fuit in Abbatem monasterij dicti Dacorę. Quod monasterium cùm vnum circiter annum rexisset, inter duodecim illos Apostolicos viros, quos S. Egbertus ex Anglia in Frisiam misit, & ipse missus est. Fuerunt enim missi hi: VVillebrordus, Svvibertus, Acca, Vuigbertus, VVilibaldus, VVinnibaldus, Lebuinus, duo Euualdi, Vuerenfridus, & ego minimus omnium Marcellinus, omnes Presbyteri, ac sanctissimus Adelbertus Leuita, filius Regis Deirorum.

S. Suuiberti genus. *Viuit sanctissime in monasterio Beardanensi.* *Eligitur Abbas.* *Mittitur cū aliis ad conuertendam Frisiam.*

ET quidem hi Dominici gregis arietes prospero vento in Vuiltenburg siue Traiectum aducti, intrantes Traiectum & citeriorem Frisiam, vbique constanter Christum euangelizabant. Sed parum proficientes, propter tyrannidem Regis

Fulti fauore Principis Pipini, constãter prædicant Christum.

Radbodi, qui & sanctum Vuigbertum diro tormento iussit iugulari, diuerterũt ad Principem Pipinum de Herstallo, Maiorem domus Franciæ. Qui quia nuper citeriorem Frisiam, expulso Radbodo Rege, cœperat, illò eos denuo ad prædicandum mitit, præcipiẽs paganis sibi subditis auctoritate regia, ne quis prædicãtibus quicquam molestiæ inferret. Vnde factum est, opitulante diuina gratia, vt multos quotidie in breui ad fidem Christi conuerterent, conuenientes ad castrum Traiectense ad suscipiendũ baptisma prope ruinã Ecclesiæ S. Thomæ à Dagobe to Rege constructæ, iamque à Frisonibus solotenus destructæ; superædificato scilicet in honore S. Crucis ibi oratorio. Lõgum est autem singulatim narrare, quomodo S. Svvibertus in grandem vicum Duerstat veniens duobus distantem milliaribus à Traiecto ad Orientẽ, ibique Christum prædicans, à paganis & idolorum sacerdotibus primò grauiter verberatus & in carcerem missus sit, deinde ab Angelo videntibus & stupentibus custodibus ereptus: quomodo etiam secesserit in diuersos vicos & villas per Frisiam & Hollandiam, ac Teisterbandiam, cunctis palàm constanterque Christum euangelizans, multaque simul contraria inter gentiles in diuersis locis æquanimiter tolerans. Denique crescente quotidie numero fidelium, communi decreto confratrum & neophytorum electi sunt duo in Episcopos consecrandi, sanctus VVillebrordus & sanctus Svvibertus; quorum iste ad hoc in Angliam profectus est, VVillebrordus verò Romam.

Multa patitur S. Svvibertus ab idololatris.

Ordinatur Episcopus.

SED & iam sanctissimus Svvibertus Pontificali fultus auctoritate & honore redierat per annum & amplius antequam S. VVillebrordus rediret; cùm cœptũ opus cõstanter explens, non equitando, sed Apostolorum more pedibus incedendo, longè lateque Frisiam, Hollandiam, & præcipuè comitatum Teisterbandiæ peruagatus, multum populum ad Christum deduxit. Conuertebat enim sua dulciflua prædicatione ferè totum Comitatum Teisterbandiæ, in quo construebantur Ecclesiæ multis in locis, aut templa idolorum consecrabantur in Ecclesias Dei & Sanctorum, vt pote Ecclesiam S. Vincentij martyris in Zandvvijck prope Tielam, in Arkel in honorem sanctæ Dei genitricis virginis Mariæ, in Hornaer in honorem S. Dionysij Areopagitæ, in Stoenrefort, in Anthuesden, in Aelborch, in Vuoudrichen, in Ghiesen, in Rijsvvijck, in Almkerch, in Malsem; in Eikũ, in Anesaet, & in pluribus aliis locis. Sed & excitatus quoque fuit à morte per S. Svvibertum

Nomina Ecclesiarum per eum constructarum.

Excitat quẽdam mortuũ in magno vico Duerstat.

Splin-

Splinterus quidam submersus, filius primicerij de Duerstat, pro quo eius pater Guntherus miles frustrà antea Marti funestum libauerat sacrificium: quæ causa fuit, vt pars magna ciuitatis in Christum crederet. Atque interea quidem, hoc est, anno Domini sexcentesimo nonagesimo septimo, rediit & sanctus VVillebrordus cõsecratus Archiepiscopus à S. Sergio Papa. Qui audiens S. Svvibertum Episcopum consecratum, & Comitatum Teisterbandiæ cum tota ferè Batua, ac magnam partem inferioris Frisiæ prædicatione ipsius conuersam, Ecclesiamque Traiectensem numero fidelium valdo multiplicatam, immensas inde Deo retulit laudes.

Exstruitur Vltraiecti Ecclesia canonicorũ cœnobitarum.

DEINDE verò pariter, Traiectum pergentes, statim in fundo Basilicæ S. Thomæ Apostoli prope castrum Traiectẽse Canonicorum cœnobitarum Ecclesiam construxerunt in honorem S. Martini Episcopi Turonensis. Ac denique mortuo Radbodo Rege, quia Christiani liberè vbiq; tunc per Frisiam sunt permissi, sancti Episcopi Hollandiam & Frisiam vbique peruagantes, per loca singula Presbyteros ac Diaconos ordinauerunt, qui eos in verbo fidei & ministerio baptizandi adiuuarent, maximè in magno vico Duerstat: in quo per biennium prædicantes totũ populũ ad fidem perduxerunt Christi, ac fana idolorum commutantes in Ecclesias Christi, quinquaginta duas dedicauerunt Ecclesias parochiales in eo, adiutorio Guntheri militis, & aliorum amicorum. Et non solùm per Frisiam prædicauerunt & Lotharingiam, sed & vsque in Daciam prædicando populum multum purgatum à barbarica gentilitatis idololatria, orthodoxæ iunxerunt fidei. In quibus sacerrimus Pontifex Svvibertus in osculo pacis valedicto S. VVillebrordo specialiter tanquam fidei vexillifer de loco ad locum per VVestphaliam, & inferiorem Saxoniam, quotidie fideliter laborabat, vt in Mimmigardo, id est, Monasterio, vbi & mulierem contractam signo crucis sanauit; in Biluelldia quoque, vbi diues quidam nomine Adelbertus doloro squinantiæ tortus, ità vt penitus nihil deglutire posset, iamque in extremis adeò agonizans, repentè ab eo diuina virtute sanitati est redditus; quinetiam & in Brunsvvijc, vbi paralyticum restituit, Christum nimirum vbique prædicans, donec veniret ad Boructuarios.

Dedicantur in Duerstat 52. Ecclesiæ parochiales.

Confert se sanctus Suuibertus ad cõuertendos VVestphalos & vicinos.

Qui quidem Boructuarij licet essent gens barbara, sæua, & inculta, tamen S. Svvibertus sedula prædicatione etiam eos ad agnitionem veri luminis perduxit, perque biennium inter eos

moratus, omnibus quoque amabilis & venerabilis est factus. Sed interea propter occisum in prouincia Boructuariorum in vico Ratingem magnum Satrapam Saxonum cùm irati Saxones diu committerent magnæ depopulationis excidium, Boructuarij & præcipuè Christiani coacti migrauerunt in exteras prouincias. Vnde & S. Svvibertus cùm nullas inducias inter vtrasque partes facere posset, tandem Angelica reuelatione admonitus præcipitur ire Coloniam Agrippinam ad Pipinum ducem, & Plectrudem eius coniugem, qui ei aptum locum permanendi cum suis condonaret. Erat eo tempore Pipinus habitans in Iopilia cum Alpaide pellice sua, Plectrudis verò Dux eximia & deuota Princeps Coloniæ in palatio Ducum Agrippinensium & Lotharingorum; quod & per eam mutatum & consecratum est in claustrum Sanctimonialium, intitulaturque Ecclesia gloriosæ virginis Mariæ ad Capitolium. Iam receperat beatum virum deuotè deuota Princeps, cùm paulo pòst direxit eum cum Geraldo quodam nobili Palatino de Ardenna, sanato à peste anginæ per eundem sanctum Svvibertum, cum commendatitiis literis ad Pipinum Principem, petens & postulans obnixè, vt viro Dei Svviberto donaret vicum Vuerdam in insula siue littore Rheni; vt gentili Saxonico populo illic cum suis prodesse & præesse posset. Et quidem Pipinus senex prouectæque ætatis honorificè sanctum suscipiens Svvibertum cum suis, aliquanto tempore secum detinuit.

Videntur (inquit Molanus) B ructuarij hodie esse Brockensses, aut vicini.

Diuinitus admonetur vt eat Coloniam.

Sanat quendam a peste angina.

QVIN etiam tandem vt hilaris dator, sitiēs æstuanter cōuersionem gentilium, ex regali munificētia benignè eundem vicum ei propter profectum & firmamentum suorum principatuum donauit, addens & offerens ex copioso thesauro suo aurum & argentum multum nimis, quibus Ecclesiam siue monasterium ibidem ad honorem Dei ædificaret, & populum barbaricum fidei Christi ignarum verbo vitæ reficeret. Itaque, valedicto Principe, sanctus Svvibertus rediit Coloniā ad sanctam Plectrudem; cuius potentia & industria cum multis laboratoribus & cæmentariis Vuerdam veniens, mox cœpit prope Rhenum fundare monasterium in honore gloriosæ virginis Mariæ, eo lecto agmine famulorum Christi. Vbi cum quanta humilitate, deuotione, & reuerentia rudi gentili populo euangelizauerit fidem Christi, & præcipuè cum quanta puritate mentis & corporis, & timore, Missas celebrauerit, ac diuina peregerit, difficulter possit explicari. Defunctus est autem

Datur ei à Pipino vicus Vuerda.

Construit ibi insigne monasterium.

Obdormit in Domino.

autem vir ſanctiſſimus Vuerdenſis Epiſcopus ipſis Calendis Martij, anno ſeptingenteſimo decimo ſeptimo, poſt multorum populorum conuerſionem; ſepultuſque eſt in monaſterio ſuo in Vuerda, multis miraculis coruſcans. Vnde & Pipinus Caroli Martelli filius, vicum Vuerdam in Caſtrum conuertit, ſicut & eius meritis victoriam contra Paganos obtinuit. Denique relatus eſt in Sanctos per Leonem tertium, hoc eſt, anno octingenteſimo-tertio.

VITA S. VVINVVALOCI ABBATIS, *ex ea quæ eſt apud R.P. Laur. Surium ex M.S.*

Quieſcit Gandaui.

III. MARTII.

FVIT in Britanniis vir illuſtris Fracanus nomine, conſobrinus Cotonij Regis Britannici, idéque vir bonus & integer, Chriſtianaque religione initiatus. Qui cùm ex coniuge ſua filium ſuſcepiſſet Vvinvvalocum, ille in ipſis mox primæ ætatis initiis cœpit ardere deſiderio rerũ cæleſtium, mũdique reſpuere illecebras, & ſoli Deo velle viuere. Orabat itaq; opportunè, importunè parentes ſuos, vt literarum ſtudiis imbuendus cuidam viro Dei traderetur. Quod cùm tandem impetraſſet, ſanctus puer pro carnali parente iam amplectens ſpiritalem, ſub illo non modò literarum, ſed etiam virtutum ſcholam ingreſſus eſt, breuique tẽpore pro ingenij felicitate & viuacitate magnos in literis progreſſus habuit, ita vt in ipſis adoleſcentiæ annis etiam in diuinarum intelligentia ſcripturarum non mediocriter excellere videretur. Sed & tum quoque clarebat miraculorum gratia. Nam & crus fractum vnius ex condiſcipulis in monaſterio ſigno crucis reſtituit; & mendicanti cæco impetrauit piis precibus viſum; quin & adoleſcentem quoque nobilem ex rapidiſſimo equi curſu interemptum, reuocauit, diuina cooperante gratia, ad vitam. Porrò per id tẽpus clarui ſanctiſſimus Patritius, Eccleſiæ Chriſti eximiũ decus, totiuſque Hyberniæ ſplendidum ſidus. Cuius eximiæ virtutis opinio adeò ſanctum VVinvvalocum affecit, vt modis omnibus ad eum proficiſci peroptaret, vt viuendi normam ex eius ſanctiſſima inſtitutione capeſſeret.

S. VVinuualoci ſancta pueritia.

Iam tũ adoleſcens claret miraculis.

VERVM enimuerò cũ in ea verſaretur cogitatione, per viſũ ei S. Patritius ſeſe exhibuit vultu Angelico; & caput aureo diademate coronatus, aitque ad eum: En ego ſum Patricius, quem tantopere cupis adire. Sed ne meæ cauſæ tam longũ iter

Apparet ei per viſum S. Patritius.

terra marique susciperes, misit me Dominus, vt voti tui compos & adspectu & colloquio meo perfruaris. Prædixit etiam illi, futurum eum alijs militiæ spiritalis Ducem, salubrique eum consilio instruxit. Sed & hortabatur eum, vt à magistro suo socios expeteret, & cum eis ad alium sese locum transferret. Quæ visio vbi disparuit, VVinVValocus quamprimũ cellam petijt, in qua monasterij Pater diuinæ meditationi & contemplationi vacabat. Cui cùm visionem exposuisset, ille hilariter perfusus, Diuina, inquit, visitatione & reuelatione clarificatus es fili. Nec quicquã moratus, at si cælitus mandatum accepisset, vndecim ei attribuit discipulos in diuini operis exercitio promptissimos. Quos cùm osculatus, eisque benè precatus esset, inter lachrymas valedicens, ait: Valete filij charissimi, & sit Deus dux itineris vestri; cumque ad Christum perueneritis, sitis, quæso, memores mei. Iam cum illis capessebat iter VVinvvalocus, & tamen, quò iret, ignorabat; sed multa in Deum erectus fiducia, tandem Christo duce ad insulam quandam appulit. In qua postquam cum socijs triennio mansisset, vitam ducens eremiticam, quandoquidem nimiæ eum locum infestarent tempestates, essetque ob suam sterilitatem hominum habitationi valde incommodus, Deum rogauit, vt aptiorem illi locum ostendere dignaretur.

Explicat visionem suo Abbati.

Cum vndecim socijs Christo duce venit ad insulam quandam desertã.

AVDIVIT autẽ Dominus preces fidelis serui sui & vltra mare locum ei indicauit. Et tum quidẽ ille, quia nauis deerat qua veherentur, magna cũ fiducia orauit Dominũ, ac deinde ait ad fratres: Cõfortamini charissimi, & in fidei firmitate fundati, sicut me videritis sequẽtis me fratris tenere manum, ita vos quoque singuli præcedẽtis fratris apprehendite manum, & eius vestigijs insistite. sicque inuocans nomen Domini, pastorali virga mare percussit: & ecce renouante Deo pristinum maris rubri miraculum, illud se peruium præbuit ingredientibus: sicq; consertis, vt vir Dei iusserat, manibus, ipso in fronte gradiente, per siccum transiere mare, aquis hinc inde velut in murum coalescentibus, cantabantque Domino hymnum iucunditatis & lætitiæ. Deinde verò vbi ad locũ cælitus monstratum peruenissent, multũ vir Dei eius grata amœnitate, & fructuũ vbertate gauisus est, atque adeò sic eum locum voluit Christo Domino illic famulantibus esse attributum, vt nulli vnquam feminæ ad eum pateret accessus. Quin etiam cùm locus ille aquarum penuria laboraret, vir sanctus, sublatis in cœlum oculis & manibus, Domino precem obtulit, ac deinde mox

Transit mare cum socijs sicut olim filij Isr. in mare rubrum.

Impetrat diuinitus fontem.

mox virga, qua mare diuiserat, terræ puluerem designãs, fontem vberrimum produxit. Erat nimirum Pater hic venerabilis in Dei & proximi charitate perfectus, orationi diu noctuque intentus. A vicesimo ætatis suæ anno ad supremum vsque diẽ nunquam visus est in templo sedere; nunquam etiam aut inepta lætitia solutus, aut inani dolore contractus est.

OMNIBVS autẽ semper se affabilem & beneuolum præbuit, scilicet in terra degebat corpore, & animo interim in cælestibus versabatur. Quare & cũ psalmodiæ esset intentus, aut extensis in cœlum manibus, aut flexis in terram genibus, aut vno aliquo in loco fixus & immotus psallebat. Quotidie autẽ psalterium dicere solebat, simulque etiam centies interdiu, & centies noctu flectebat genua. Sed & vestis ei non lanea aut linea, sed ex caprinis erat pellibus: lectus quoque non ex plumis aut pannis mollibus, seu etiam ex paleis, sed ex durissimis arborum corticibus: nec non & sedes eius mollis arena lapillis permixta. Quin & panis, quem quotidie eodem sumebat pondere, hordeaceus erat cineribus permixtus; pulmentum quoque ex farinula hordeacea & modico olere, nisi quòd Sabbathis & Dominicis diebus pisce quoque & caseo vesceretur. Ac denique Quadragesimæ temporibus bis quoque tantum in hebdomada sumebat cibum, vinum semper, & omnem potionem quæ ebrietatem adferre posset, haud aliter atque venenum repudians. Confluebant autem sanè ad eum vndique cæci, surdi, claudi, leprosi, paralytici, diuersisque affecti morbis, & omnes ab illo se incolumes redire lætabantur; ita nomen eius in tota Britãnia celebrabatur. Sed hæc de eo pauca è pluribus cõmemorasse sufficiat. Obijt vir Dei V. Nonas Martij, hebdomada prima Quadragesimalis Ieiunij.

Summa eius grauitas simul & comitas.

Viuit austerissime.

Migrat ad Christum.

VITA SS. EMETHERII ET CELEDONII militum, ex Ioanne Maldonato Hispano.

III. MARTII.

NOSTRORVM nonnulla incuria, sed Ethnicorũ summo scelere factum est, vt martyrum præstantissimorum Emetherij & Celedonij ortus nataléque solum, tum etiam tempus martyrij, & genera tormentorum, quæ memoria à patribus in filios deriuata, tenet fuisse atrocissima, penitus obliterata, incompertáque sint. Quippe consulem illum, à quo martyrio sunt affecti, constantiam miraculáque admiratum,

Notetur hic temporis iniuria factum est vt multa multi siluerint.

constat, ad consilium retulisse: pertinere ad deorum maiestatem, martyrum tam insignium præconia, stupendáque prodigia silentio obrui: ne contemptis gentilium dijs, Christus vbique prędicaretur, Christus vbique suspiceretur adoraretúrque. Quare paucula nobis vestigia supersunt, quæ pij postea scriptores memoriæ prodiderunt. Legionarios scilicet fuisse milites Emetherium & Celedonium, atque in Hispania sub consule Romano stupenda fecisse. Coniectura quin etiam percipitur, Legionē Hispaniæ ciuitatem à Legione,* in qua hi martyres meruerunt, nomen traxisse, vt quæ longa ibi statiua habuerit, & principium ac veluti seminarium vrbi dederit, quamuis à Leonegildo rege nomen ductum, somniarint quidam. Illud etiam pij scriptores commemorant, mutuis se cohortationibus sanctos hos martyres animasse (nam vtriusque extat oratio) ad deserendam Romanam militiam, Christíque victoris signa sequenda. Cæterùm postquam se Christianos professi sunt, & Calagurium vrbem deportati, cum multis sint diebus in vinculis tenti, quibus fuerint tormentis excruciati, quibus Consulem, ac ipsos tortores reddiderint miraculis attonitos, maxima Consulis solertia curatum est, ne in vulgus prodiret. Malitia tamen improborum non valuit occultare, quod in horum sanctorum martyrio maximè dignissimum præconio celebratur. Nam cùm ad supplicium traherentur Emetherius & Celedonius, capite mox plectendi, signa non vtique vulgaria dedêre, quò illis esset, truncatis capitibus, demigrandum: alter enim anulum proiecit, alter orarium; quæ manibus elapsa, tanta sunt violentia siue à vento, siue à nube correpta, sursumque delata, vt videntibus cunctis, cœlos momento penetrauerint.

SS. Emetherij & Celedonij patria & qualitas.

** Legio Romana sex millibus peditū & sexcentis equitibus, constabat.*

Rerum miraculum in supplicio.

VITA S. CHVNEGVNDIS, IMPERAtricis & virginis, ex ea quæ est apud R. P. Surium.

III. MARTII.

EX nobilissimo parētum Augustorum magnorumque sanguine duo immarcescibilis gloriæ flores emicuerunt; secundus videlicet Henricus Romani Imperij gloriosissimum decus, eiusque dignissima coniunx piæ memoriæ Chunegundis Imperatrix. Et quidem eadem beata & Deo dilecta Chunegundis terreno Imperatori corporaliter non carnaliter coniuncta, cælesti Regi virginitatem suam consecrauit, quam & vsque

S. Chunegundis nobilissimi natales.

vsque in finem casti coniugis consensu, Deo teste, conseruauit. Quin etiam hoc ipsum postmodum, diuinitatis testimonium, ne lumen in tenebris lateret, ostendit; dum scilicet eam ad confundendum virginitatis hostem, & obstruendum os mendacium contra virginem Christi loquentium, super ignitos vomeres incedere; & illæsam procedere dedit. At vero ipsa in fascibus Imperij constituta magis continentiæ suę gloriam sub terreni chlamyde Imperij satagebat abscondere, desiderãs feruenter, vt tanto propensiùs, quanto efficaciùs poterat, promoueret, quæ Deo instigante illo quoque adiuuante, ad laudẽ ipsius cogitabat perficere. Ac denique post nouellã fœcundissimæ plantationis suæ Ecclesiam, quam cum illo suo studiosissimo cooperatore Henrico in loco Bambergẽsi, venustissime, sicut hactenus cernitur, sub patrocinio Principis Apostolorum beati Petri, & S. Georgij martyris, fabricauit: monasterium quoque sub Regula B. Benedicti ad Aquilonarem plagam in honore S. Michaëlis Archangeli exstruxit, non minori simul studio prædiorum ac diuersi generis ornamentorum.

Seruatur ab ipsa in coniugio virginitas, idque diuino miraculo comprobatur.

Construit cũ suo marito tres insignes Ecclesias.

SED & tertiam quoque versus meridiem sub ordine Canonicorum, sub titulo beati protomartyris Stephani, paruo quidem schemate, sed maiori operâ, de suo matrimonio Ecclesiam dedicauit: ad quam etiam dedicandam Benedictum Papã, quem præfatus Deo dignus Imperator Henricus ad confirmandum Bambergensem Pontificatum aduocauerat, venire rogauit. Quin etiam illud Psalmographi secum decantans; Domine dilexi decorem domus tuæ; diuersa eidem Ecclesiæ iuxta Imperialem magnificentiam munera contulit in diuersis Ecclesiæ ornamentis: quæ omnia idem Romanus Pontifex, vt semper memoria fundatricis ipsius illic floreat, ne quando per fraudem aut violentiam vel furto subtraherentur inde, dira anathematis sui innodatione, septuaginta quoque duorum Episcoporum, qui illic aderant, auctoritate, ipso die confirmauit. Sic & monasterium ad honorem S. Saluatoris nostri Iesu Christi, & eius victoriosissimæ Crucis, in loco qui Confugia dicitur, magnificè cõstruxit, & ancillarum ibidem Deo secundum Regulam beati Benedicti seruientium congregationem decentissimè * declinauit, nec non & cooperante ei in omnibus Imperiali maiestate, idem monasterium omni ornatu decorauit; ante principale altare imaginem ex auro & lapidibus preciosissimis statuens, calices quoque aureos & argenteos, catinos aureos aureos, vrceos, pallas & ca-

Legationes suas factas Ecclesiæ, curat muniri auctoritate Papali.

Item cõstruit monasterium in Confugia.

* destinauit.

ſulas, vela & cortinas, cappas auro & gemmis pretioſis intextas, cæteraque vtenſilia ad ſimilem magnificentiam.

Effundit ſuã liberalitatem papim in omnes Eccleſias.

SED & præter has principales ſuæ operationis primarias Eccleſias, nulla, vt ita dicam, conuentualis Eccleſia eſt, quæ illorum donatiuo ſe aut in prædijs dilatatam, aut decoratam ſaltem ornamentis non glorietur. Alias enim antiquitate collapſas reædificauerunt; quaſdam etiã deſtructas, & ad nihilum redactas, in priſtinum vel etiam in meliorem ſtatum inſtaurarunt; oleum ſuæ miſericordiæ vbiqe effundentes. Atque ô coniugiũ non voluptate, ſed bona volũtate copulatũ! Verùm quoniam de vita & miraculis pij Henrici Imperatoris ſatis ac dignè ſcripta, ſancta recepit Eccleſia, nunc animũ tantùm pupugit memorandæ virginis noſtræ vitam breuiter explicare: indignum enim nobis, ſi illi officium ſubtrahamus oris, cuius prouidentia quotidie alimenta percipimus corporis.

Mortuo ſancto Henrico marito ſuo, admodum ſolicita eſt pro eius anima.

Itaque Hẽrico ſuo ad cæleſtia trãſlato, beata Regina ad Deũ, vt ſemper, ſe cõtulit totã; atque in primis magna eleemoſynarum largitate, magnaque orationis inſtãtia pro beati cõiugis ſui anima deſiderauit, ſicut hoc in pagina, quam ipſa per ſe (nam literarũ & artium aliarũ, diſtinguere auro gemmisq; ſacras veſtes paratiſſima fuit) ad congregationẽ in Cõfugia cõpoſuit & ſcripſit, quicunque voluerit, plenè agnoſcere poterit.

DENIQVE Conrado ſibi ſuccedente in regno, ipſa curis ſecularibus, ſicut iam diu deſiderauerat, exonerata, iam in ipſo anniuerſario die trãſitus S. Henrici Archiepiſcopos ad dedicationem Confugienſis Eccleſiæ conuocauit. Vbi cũ inter Miſſarũ ſolennia Imperiali decentiſſimè omni ornatu culta, ante principale altare virgo Deo deuota proceſſiſſet, ibiq; theſaurũ incõparabilem, ligni videlicet Dominici crucem, paruam quidem in materia, ſed maximam in virtute obtuliſſet; ecce non multò pòſt, vbi lectio Euangelij, in qua ſuper arborem crucis aſcendẽs, conſpicientẽ ſe Ieſum ſuſcipere, & ab eo benedictionem puſillus meruit accipere, lecta fuit, regalem purpuram exuens, tunicam fuſciorem, quam ipſa ſibi manibus ſuis operata fuerat, ſacerdotali benedictione data, veſtem religionis induit; & multis quidem pro ſe fletibus, pro illa autẽ gaudentibus, quæ iam ſeculũ damnaſſet in veſtibus, capillis, qui hucvſque in eodem monaſterio pro veneratione ſeruantur, præciſis, impoſito ſibi ab Epiſcopo velo, annulo fidei ſubarrata eſt.

Suſcipit ſs. Imperatrix habitum monaſticum.

Summa eius in monaſterio humilitas.

SED & ita Sponſo Chriſto conſecrata, dum filiarum ſuarum ſe ſanctiſſimo contubernio applicuiſſet, non vt mater

filia

filiabus se præferebat: sed omnibus inseruiens, seruilem personam se ostendebat. Multa illi circa contubernales deuotio, frequens decubantium visitatio, sollicita pauperum cōsolatio. Nihil seueritate illius iucundius, nihil iucunditate seuerius. Idem semper habitus, incultum corpus, dum sciret reiiciendas delicias corporis, quod paulò pòst vermibus exarandum esset. Semper autem eam legere, aut legentem audire vidisses. Demum ipsa sua membra in lecto non plumis exstructo, sed cilicio strato, iam sopore grauata remittebat, sicque quindecim in sancto proposito superuixit annos, tam humilitatis gratia quàm pro religionis reuerentia omnibus admiranda: cùm ecce pro nimia ciborum abstinentia, orationis & vigiliarum incredibili perseuerantia, corpore languida, sed spiritu alacris, tandem ad suum reuolauit auctorem. Cuius sanctitatis merita iam per orbem manifesta declaratione apparent.

Cubat in cilicio.

Transit feliciter.

VERUM enimuero, vt ad omnia testes cautissimi sumus veritatis amatoribus ætati nostræ succedētibus, quo tempore opera curationum præfatæ Imperatricis initium habuerint; anno incarnationis Domini millesimo centesimo octuagesimo nono, Tremone tertiodecimo Episcopo Bambergensi, ne de sanctitate virginis ambigeremus, signorum experientia certificati sumus. Nam dum solito more populus ad locum, orationum & Vigiliarum causa, cōuenisset, adfuit etiam quidam dæmoniacus, qui nec pietatem agnoscens, nec scelus abhorrens, filium suum igne cremauerat. Qui duris funibus adstrictus, & ad sepulchrū S. Chunegundis adductus, ita mox mansuescere cœpit, vt furiali morbo absolutus, Deum omnipotentem laudaret, eique, cuius patrocinantis meritis hoc accidisse cognouit, cum caterua quæ præsens exstiterat, debitas laudes declamaret. Quin & dum hæc cum solennitate chori, & populi deuotione agerentur, quidam contractus in suburbio de hospitali S. Ægidij adductus, sanitatem postulabat, & statim similiter misericorditer exauditus, quod precabatur obtinuit, similiter & contractus de domo Conradi Præpositi maioris Ecclesiæ: & item alius de domo Ottonis in eadem Ecclesia Canonici, quibus omnibus sine mora subuentum esse in Christo testamur.

Liberatur a dæmone ... quidam ...

Item sanantur ... contracti.

DE S. ADRIANO MARTYRE,

Ex Ordinario nono.

ADRIA

IIII. MARTII.

S. Adrianus primò persecutor Christianorum.

ADRIANVS martyr primo iussu Maximiani Imperatoris apud Nicomediam ipse persequebatur Christianos. Verùm cùm eorum constantiam in fidei confessione & tormentorum perpessione sæpius demiratus esset, vehemẽter ea re commotus ad Christum sese conuertit. Quamobrem cum aliis viginti tribus Christianis est coniectus in carcerem, vbi eum visitans Natalia vxor, quę & ipsa antea in Christum crediderat, ad martyrium eum vehementer incendit. Denique è custodia eductus tã diu flagellis cæsus est, donec intestina defluerẽt, ac postremò fractis cruribus, & manib. pedibúsq; præcisis, vnà cum multis aliis martyrij certamẽ feliciter absoluit.

Cõsummatur nobilissimo martyrio.

Ex Tomo 7. Surij.

VITA V. COLETÆ VIRGINIS, REformatricis ordinis S. Claræ, ex Stephano Iuliaco.

VI. MARTII.

MIRABILEM sanè gratiam contulit Spiritus sanctus fideli ancillæ suæ Coletæ apud Corbeiam in Picardia, patre Roberto, & matre Margareta femina valde religiosa editæ. Nam etiam in ætate tenerrima in paternis ædibus quẽdam sibi paruum delegerat locum ab aliis separatum, in quo continuè macerabat & mortificabat tenerrimũ corpusculum suum, sobriè & parcè ac duriter illud habendo, in duris cubando asseribus, vnico cõtenta eoque vili operimento, & carnem nudam nodosis stringens cordulis. Nec non & afficiebatur quoque pater eius valdè erga pauperes, & feminas à vitæ honestate in turpitudinẽ prolapsas: atque adeò etiam cùm quædam ex illis essent conuersæ meritis & exhortationibus filiæ suæ Coletæ, vnã è suis domibus vltro eis, itémq; pauperibus alendis & fouendis attribuit. Sed & mater etiam eius insigni fuit deuotione in Deum, vt minimum semel hebdomatim aut sæpius confitens peccata sua, accedénsque ad sumendum corpus Christi. Quorum parẽtum tam sancta proles Coleta cùm assumpsisset tertium Ordinem beati Frãcisci, inclusit quoque deinde seipsam in quodam angusto habitaculo, quod Inclusorium vocant, coniunctų ædi sacræ, ita vt posset audire Missas, & percipere sacratissimum Eucharistiæ sacramentum, vbi & mansit annis quatuor, horrido vtens cilicio, tribúsque catenis ferreis stringens corpus tenerum, nec nõ & humi cubans, & capiti supponens pro puluinari truncũm ligneum.

V. Coleta parentia, & parentes, & sanctissima pueritia.

Nota: nihil nouum est frequenter laicos cõfiteri & cõmunicare.

V. Coleta manet inclusa in maxima austeritate.

ET

ETENIM interea vidit in visu, beatissimum Franciscum ipsam exhibere Christo, rogaréque vt ipsam donaret sibi Reformatricem Ordinis sui, simul & quòd eius operâ conuerterentur quoque miseri peccatores. Et quidem obijciebat ipsa ruditatem suam. Sed omni loquendi facultate triduo priuata est, & rursus triduo oculorũ etiam lumine orbata, donec diuinæ consentiret voluntati. Quare & adiunxerunt se illi paulò pòst strenui auditores, in quibus fuit etiã Henricus de Balma Franciscanus, qui fuit eius Confessarius, vir magnę perfectionis. Cum quo cùm decreuisset Coleta conferre se ad Benedictum, qui tum in Galliis pro summo Pontifice se gerebat: vt id fieret expeditiùs, quædã etiam illustris matrona diuinitus permota venit ad Coletam Corbeiæ in suo inclusorio degentem, eiúsque sermonibus adeò incensa est, vt promptissimam offerret operam suam ad impetranda ea quæ Coleta petebat. Itaq; breui in primis id effecit, vt liceret ei ex inclusorio egredi, quod tam multis modis aliàs diabolus conatus erat impedire, deinde venit etiã eiusdem operâ Coleta Niceam, vbi tũc Pontifex morabatur. Quam vt vidit Pontifex, clementer eam
15 intuitus, accessit propiùs, & crumenulam quoq; ab eius zona pendentem sua manu abstulit, in qua erat chartula, cui inscripserat Pontifici proponẽda. Itaque chartam ille legit, cognouitque totum eius negocium. At nihilominus illa quoque ore suo exposuit ei causam itineris sui, & quid expeteret.

Mittitur à Christo ad reformandum Ordinem S. Claræ.

Venit ad Benedi. Pontificem, expositura ei propositũ suum.

DVO autem potissimùm ab illo petebat, scilicet vt liceret ei S. Claræ amplecti Institutum, & vt reformaretur Ordo S. Francisci. Et quidem visa sunt ea Pontifici rationi consentanea: sed, quòd non deessent qui contradicerent, distulit assensum in aliud tempus. Et ecce pestis sæuissima inuadit eam vrbem, moriuntúrq; subitò inter alios & ij qui vel maximè negocium illud differendum censuerant. Quę res apud homines non stupidos id effecit, vt existimarent id quoque accidisse propter iniectas ancillæ Dei moras. Et Pontifex sanè iis, quæ quotidie fiebant, permotus, noluit eam protrahere diutius: sed ad se accitam coram multis & ecclesiasticis & laicis, eam recepit ad professionem Instituti S. Claræ, eiúsque capiti suis manibus velum imposuit. Deinde & Abbatissam constituit earum omnium Sanctimonialium quas ipsa reformatura esset, vel quæ sub ea se darent vitæ monasticæ Clarissarum. Et quidem Coleta, postquam à Pontifice recessit, cœpit diligenter in eam curam & cogitationem incumbere, vt, quod ab eo iussa

Puniuntur diuinitus illi qui B. Virgini cõtrariantur.

Constituitur mater omniũ quas posset reformare.

iussa erat, executioni mandaret; sed teterrimus dæmon tantas ei persecutiones passim intulit, vt omnis generis mortales, etiam illi qui prius ei fauerant, eam totis viribus oppugnarent, vocarentque eam veneficam, eóque etiam rem perducerent teterrimis obtrectationibus suis, vt nemo eam auderet hospitio recipere: atque ita cogeretur illa, relicto natali solo, alió commigrare.

Ab omnibus exploditur velut venefica.

Excipitur humaniter à Blancha Comitissa Gebennensi.

SED non deerat ancillæ suæ Christus: quin verò humanissimè excepta est à Blancha Comitissa Gebennensi. Quæ vt eam posset sibi coniunctionem habere, permisit ei etiã & comitibus eius dimidiam castri sui Balmensis partem, in quo ipsa morabatur. Atque ibi tum primũ humilis ancilla Christi cœpit exercere munus suum: diligenter obseruans, & ab aliis obseruandum curans S. Claræ Institutum. Mansit autem ibi donec monasterium Bisontinum collatum est ei à Pontifice. Ad quod quidem monasteriũ honorificè deduxit eam Blancha Comitissa cum nepte sua, quæ postea nupsit Comiti Palatino & Bauariæ Duci. Erant autem tum adhuc paucæ sorores cum ea, sed, agente Spiritu Dei, breui permultæ nobiles, perfectæ & Deo deuotæ feminæ vndique ad eam confluxerunt, sanctæ religionis habitum ab ea petentes. Quas illa examinans, admisit eas quas putauit idoneas, atq; ita paruo spatio multæ se illi adiunxerunt: atq; adeò coacta est propter ingentem multitudinẽ tam virorum quàm feminarum, S. Francisci Canonem sectari cupientium, augere cœnobia tum fratrum, tum sororum: quemadmodum satis testantur monasteria in diuersis regionibus, Germania, Francia, Burgundia, Sabaudia, & aliis, ea agente, exstructa vel reformata.

[illegible]

Paulatim plures feminæ nobiles se illi trahunt.

Itẽ omnis Ordinis monasteria per ipsam reformantur.

QVIN etiam multi sexus vtriusque ex omnibus monasticis Ordinibus, puta, Benedictini, Bernardini, Carthusiẽses, Cœlestini, Canonici regulares, permissu Superiorum suorum ad Coletana monasteria sub perfectioris vitæ prætextu se transtulerunt. Estque sanè notatu dignum, eos omnes qui in illo statu, ex hac vita migrarunt, quoad vixit Coleta, siue in propinquis siue in longinquis degerent regionibus, illi in obitu suo apparuisse, non pauca nec mediocria ab ea, si indigerent, salutis subsidia accipientes. Neq; minùs quoque illud memorabile est, si in cõstruendis monasteriis necessarij sumptus deessent, qui ab hominibus sperari vix possent, diuinitus mirabiliter eam fuisse non semel adiutam, ita vt crebrò ad quingentos aureos ei mitteret sponsus suus Christus, quos iuxta se reperire

[illegible]

Nota miro quadã tũ in spiritualibus, tum in temporalibus.

perire solebat reuertens ab oratione. Calceis autem neque sana neque ęgra, neque vel domi vel foris vnquam vsa est, semper & vbique nudis ingrediens pedibus, imò nec igni eos admouit, vnquam, quãtumuis sæuiret hiemis asperitas, nec ignẽ præterquam candelam ferre potuit vel adspicere. Modico etiam stramine pro lecto vtebatur, simplici quodam tecto operimento, & ad caput posito sacculo paleis pleno: & tamen in his ipsis aut parum aut nihil quiescere videbatur.

Sẽper nudis pedibus.

PRAETER preces Canonicas quotidie legebat omnes orationes Dominicas, quibus laicæ sorores diuinũ persoluunt Officium, tum quoque preces horarias S. Crucis, & duplices Defunctorum, vt vocant, Vigilias, vt plurimũ nouem Lectionum, interdum trium: signa illa Dominicæ orationis habens charissima, eaque nocte ac die circumferens, precésq; absque numero ad illa recitans. Porrò mentalibus orationibus ita vtebatur, vt tota raperetur in Deum, nihil corpore sentiens, perinde vt mortua. Et sic nonnunquam permansit sex horis, interdum decem vel duodecim. Somnus autem eius incredibilis parcitatis fuit: sic vt aliquoties octo diebus vix vna dormierit hora. Et quidem multa per eam Deus dignatus est facere miracula: sed nobis illud sufficiet, quòd inter multas reuelationes, quas diuinitus habuit Pater celebertimus, professione Dominicanus, Magister Vincentius, etiam illa fuit, qua Coletam vidit in spiritu genua flectentẽ, humiliter & feruenter rogantem Deum pro peccatis miserrimæ plebis: quin & quòd propter hanc visionem idem egregius Doctor ex Hispaniis venit in Gallias, vt ipsam Coletam inuiseret. Quæ quanta animi deuotione Eucharistiam sumpserit, neminem arbitror vel satis admirari posse, cũ oculi eius instar fontium essent riuulos lacrymarum iugiter fundentes, deinde etiam crebro sanctam Quadragesimam solo pane & aqua exegit.

Sæpè rapitur tota in Deũ.

Vide in originali.

Ostenditur ✝ ...: sanctitas diuinitus S. Vincentio Dominicano.

PORRO, quoad vixit, perpetuis affecta fuit doloribus & cruciamentis, aliis post alia succedentibus, quæ tamen omnia tulit patientissimè. Et, quod est supra modum mirũ, si quis superueniret cui non posset suã negare præsentiã, mox vt statuit ei loqui, cessabant dolores illi, nec sentiebat quicquam quantisper illic hærebat, cum paulo antè præ doloris vehementia omnino incuruata fuisset, & lingua penitus perforata. Sed simulátque ille recessit, mirabiliter etiam dolores eius intendebantur & augebantur pro ratione temporis, quo cessarant illo præsente. Quin & vbi ad mediocrem peruenit ætatem, & iam

Exercetur à Deo mirisque busdam doloribus.

Sæpe etiam verberant eã dæmones.

monasticam sectabatur vitam, sæpè in eam incurrerunt dæmones, fustibus eum diu & atrociter cædentes, ita vt membra eius tenerrima prorsus fracta viderētur, & atri liuores in eius corpore remanerent non breui tempore. Sed & obitum Martini eius nominis quinti Pontificis Maximi exactè prædixit, etiam mortis horam exprimens, & schisma quoq; in Ecclesia futurũ, finémq; Concilij Basiliensis longè antè pronunciauit. Ac deinde cum iam annis quadraginta longè lateq; non sine magnis periculis discurrendo, cōstruenda curasset multa monasteria ordinis sui, vt peccatores è dæmonũ potestate eriperentur, ecce sexta Martij, cunctis Gandauensis monasterij sororibus præsentibus, itémque eius confessario & socio fratre, clausit extremũ vitæ tempus, animâ sanctissima à corpore suàuiter recedente, & recta ad Deũ creatorem suũ proficiscente.

Moritur feliciter Gandaui.

VITA S. THOMÆ AQVINATIS, *Doctoris Angelici, Ordinis Prædicatorum. partim ex R.P. Surio partim ex Ordinario nouo.*

VII. MARTII.

S. Thomæ clarissimi natales.

PRAESTANTISSIMVS vir, diuus Thomas Aquinas, Landulpho Comite Aquinate, & Theodora Neapolitana, nobilibus parentibus natus (prædicta priùs prophetico spiritu per quendam eremiticæ vitæ, re & nomine Bonum, eius sanctitate, complectendoque per ipsum S. Dominici Instituto) Aquino à Cōrado Imperatore vastato, quintum annum agens monachis S. Benedicti Cassinatibus custodiendus traditur. Inde annos natus plus minus decem, studiorum causa Neapolim missus, iam adolescens, annos natus tredecim, contempta tam illustri generis dignitate, fratrum Prædicatorum Ordinem suscepit. Quod matre ac fratribus indignè ferentibus, Patres Dominicani dederunt operam, vt primùm Romam, inde in Tusciam, mox Parisios Thomas perduceretur. Sed fratres eius Landulphus & Arnoldus in itinere per vim raptum in arcem Castri sancti Ioannis perducunt: vbi variè excogitatus, vt sanctum propositum mutaret, mulierem etiam, quæ ad labefactandam verbis lasciuis & tactibus eius constantiam introducta fuerat, à foco arrepto titione fugauit. Ibi quoque beatus iuuenis, flexis genibus ante signum crucis titione à se in pariete depictum, orans, somno correptus per quietem sentire visus est sibi ab Angelis constringi lumbos: quo

Tredecim annos natus suscipit habitum S. Dominici.

Obsistũt eius sancto proposito eius amici.

Fugat a se mulierem meretricem arrepto titione.

quo ex tempore omni postea libidinis sensu caruit. Sorores etiam eius, quæ ad hoc venerant vt eum à sententia deducerent, ita ab illo iam diuinis illustrato institutæ sunt, vt altera earum, posthabitis mundi pompis, sacris virginibus in monasterio se coniunxerit; ac demum iis præfecta, in sancta professione sanctè obierit.

QVAE res magis etiam fratrum iracũdiam concitauit, ita vt ad carcerem, quo Thomas continebatur, accederent, & iniuriis atque conuiciis eum exagitarent, denique & habitum monasticum discerperent. Sed sanctus adolescens cedens furori, & fragmenta vestium colligens, iis se, vt potuit, rursus induit, pulchras sibi contexens patientiæ coronas. Vnde & tandem mater eius Theodora, cùm iam biennio ferè in custodia illum detinuisset, verita, ne Dei in se iram concitaret, fratribus Dominicanis copiam fecit eum ad se reuocandi. Itaque matre cõniuente, per fenestram è castro Thomas deponitur, & à fratribus Dominicanis, qui eò aduenerãt, excipitur, & cum multo gaudio Neapolim reducitur. Inde verò Romam missus est. Porrò id temporis Ioannes Teutonicus Ordinis S. Dominici Magister, vt vocant, doctrina & pietate clarus habebatur. Is itaque Thomam secum Parisios abduxit; vbi cùm aliquot menses fecisset, missus est Coloniam Agrippinam, vt Alberti Magni prælectionibus interesset. Et sanè multam sibi eruditionis materiam sub illo collegit, qui etiam quasi Pythagoricum quoddam sibi silentium indixisse videbatur, vt posset ad studia maiorem animi attentionem adferre. Atque adeò etiam taciturnitate vtebatur, vt condiscipulis eo nomine propemodum in contemptum veniret, qui eum bouem mutum appellabant, sed nimirum qui suo mugitu postea vniuersum orbem impleret, vt etiam sequens declarat narratio. Aliquando Albertus in publica disputatione quæstionem difficilem tractandam susceperat. Aderat Thomas, & dicta Alberti tenaci memoria asseruans, deinde etiam scripto comprehendit. Sed cùm è cubiculo festinus exiret, chartula, in qua ea descripserat, ei excidit nescienti, inuentaque ab alio quodam ad Albertum allata est. Qui cùm legisset, diuinam in eo gratiam, eamque singularem, animaduertit.

Discerpunt eius fratres præ insania ipsius habitum.

Matre metuente Deum, post bienniũ redditur Prædicatoribus.

Indicit sibi velut silentium Pythagoricum.

Patescit diuina in eo gratia Alberto Magno, eius præceptori.

ITAQVE iussit vt in proxima disputatione Thomas respõderet. Ille principiò recusauit præ verecũdia & humilitate; sed cùm Albertus instaret, cessit humiliter, simulq; quia non tam suo ingenio quàm diuina gratia nitebatur, ad obsecrandum

quoque Dominum Iesum se contulit. Vbi ad disputationem ventum est, tanta in respondendo dexteritate vsus est, vt Albertus ei diceret Thoma, tu mihi non tam respondentis quàm Doctoris locum obtinere videris, conuersusque ad alios, Vos, inquit, hunc bouem mutum vocatis; sed ille certè tales quandoque docendo mugitus dabit, vt totus possit orbis audire. Nihil verò sancti iuuenis animũ hæc efferebant. At verò cùm aliquandiu Coloniæ hæsisset, & sub Alberto non mediocriter profecisset; idem Albertus persuasit magistro Ordinis, vt eum Lutetiam reuocaret, in S. Theologiæ Baccalaureum illic promouendum. Datis igitur ad eũ literis, iussit Ordinis magister vt Parisios rediret, & se ad Sententiarum libros prælegendos cõpararet. Itaque Lutetiã profectus, Baccalaurei titulo, licet inuitus, quòd se ex multa humilitate indignum putaret, ornatus est, atque inde se contulit ad Sententias Petri Lombardi prælegendas. In qua prælectione cum tãta mox gratia & dexteritate versatus est, vt omnes eius doctrinam & sapientiam susciperent ac stuperent. Vtebatur enim peculiari quadam methodo, & singulares quasdã suis dictis rationes adhibebat.

Commendatus nihil propterea insolescit.

Fit Baccalaureus iussu suorum Superiorum.

SED & postquam sententias cum omniũ admiratione absoluisset, & iam tempus aduentaret vt Doctoris quoque nomine & titulo insigneretur, Parisiensis Academiæ Cancellarius, vt vocant, eius rei admonuit Priorem fratrum Dominicanorum qui Lutetiæ morabantur. Prior itaque mandat Thomæ, vt ad eam capessendam dignitatẽ se præparet. Sed vir sanctus & humilis ad solita modestiæ præsidia confugiens, cœpit multa prætexere, & se nec scientia nec ætate tanto honori esse parem. Neque enim id temporis annum ætatis trigesimum cõpleuerat. Attamen vicit tandẽ obedientia. Et sanè nunquam ille se lectioni aut scriptioni dedit, nisi post orationem. Sed & in difficultatibus quoque locorũ sacræ scripturę ad orationem ieiunium adhibebat. Quin etiam sodali suo fratri Reginaldo dicere solebat; quicquid sciret, non tam studio aut labore suo peperisse, quàm diuinitus traditum accepisse. Deniq; Neapoli cùm ad imaginem Crucifixi vehementiùs oraret, hanc vocem audiuit: Bene de me scripsisti Thoma; quam ergo mercedem accipies? Cui ille, Non aliam, Domine, nisi te ipsum. Nullum autem fuit scriptorum genus, in quibus non esset diligentissimè versatus, simulque admiranda fuit sancti viri inter orandum animi pietas & deuotio: atque adeò cùm se daret rerum diuinarum contemplationi, persæpe visus est ita mente in

Item Doctor vix existens triginta annorum.

Notent diligenter omnes studiosi sacrarum literarum.

Persæpe mẽte simul & corpore rapitur in Deũ.

Deum

Deum sublimiter excessisse, vt corpus etiam pariter in aere suspensum videretur.

PRAECIPVA autē deuotione afficiebatur erga illud pręstantissimum Eucharistię Sacramentum; solebatque quotidie Missæ offerre sacrificium, nisi aduersa valetudine esset impeditus: nec hoc cōtentus, etiā alterius fratris Missam auscultabat, cui etiā vt plurimum ipse inseruiebat. Sub ipso autē sacrificio tanti sacramenti amore ebrius non rarò in Deum rapiebatur totus lacrymis infusus. Collationes autem Patrum assiduè peruolutabat, in hoc sanctū Dominicum sectatus; nec non & in habendis ad populum concionibus, ad illorum, quibus loquebatur, captum se accommodabat, acutas subtilesque quæstiones ad scholas amandans; atque in his etiam quadam vice mulierem, quæ fimbriā cuculli eius cum fide tetigerat, Romæ in basilica S. Petri, à fluxu sanguinis liberauit. Scripta eius & multitudine & varietate & facilitate explicandi res difficiles adeò excellunt, vt iure ob eam causam nomen Doctoris Angelici sit adeptus. Sed mirum simul de eius profundissima humilitate. Etenim cùm semel Bononiæ in cœnobio ambularet contemplationi intentus, frater quidam alterius cœnobij, qui sanctum virum non nouerat, à Priore petiit, vt liceret ipsi cum fratre, qui primus ei venisset obuiam, ad quædam expedienda negocia egredi in vrbem. Priore annuente, ante omnes incidit in S. Thomam, dixitque ei: Frater, Prior iussit te mecum ire. Mox præeuntem fratrem vir sanctus sequitur.

Assiduè legit Collationes Patrum.

Liberat quandam Romæ à fluxu sanguinis.

Præponit obedientiam contemplationi.

SED cùm ille iret festinantiùs, nō potuit eū assequi. Itaque non rarò ab illo arguebatur, sed vir sanctus humiliter se excusabat. Vt autem ciues viderunt tantum virum parui momenti fratrem sequi, existimabant id errore fieri. Accedunt igitur ad illum fratrem, indicant, quē virum post se ducat. Tum ille ad S. Thomam conuersus, obnixè rogauit, vt veniam daret suæ ignorantiæ. Ciues autem cum multa reuerentia virum Dei compellantes, sciscitabantur, cur adeò se abiicere voluisset. At ille, Monastica, inquit, religio sanctæ obedientiæ studio perficitur, qua homo homini se subiicit propter Deum, quemadmodum Deus ipse se hominibus causa salutis humanæ submisit. Sic & ab Vrbano quarto Romam vocatus, adduci non potuit vt honores acciperet, & Archiepiscopatum Neapolitanum, etiam deferente Clemente quarto Pontifice, recusauit, ac denique missus à Gregorio decimo ad Concilium Lugdunense, in monasterio Fossæ nouæ Cistertiensis Ordinis in

Insigne ipsius dictum de obedientia.

morbũ incidit: vbi ægrotus Cantica Canticorũ explanauit, ac non multo pòst feliciter obiit quinquagenarius, anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, Nonis Martij. Miraculis & viuus & mortuus floruit, vnde à Ioanne vigesimo secundo in Sanctorum numerum relatus est anno millesimo trecentesimo vigesimo tertio: cuius corpus postea Vrbano quinto summo Pontifice Tolosam translatum est.

VITA SS. PERPETVÆ ET FELICITATIS

Martyrum, ex S. Augustino, de tempore barbarico, cap. 5.

VII. MARTII.

SS. Perpetua & felicitas virorũ fortitudinem superarunt.

VICERVNT martyres mundum, inter quos martyres mares, etiam fœminæ repertæ sunt fortiores. Ante paucos dies Natalitia celebrauimus martyrum Perpetuæ & Felicitatis, comitum. Et cum tot sint ibi viri, quare istæ duæ præ omnibus nominantur, nisi quia infirmior sexus aut æquauit, aut superauit virorum fortitudinem? Vna earum erat prægnãs, alia lactans: Felicitas parturiebat, Perpetua lactabat. Sed tamdiu Perpetua lactauit, quamdiu acciperet ab illo pastore simul & patre buccellam lactis, qua accepta, dulcedo Felicitatis Perpetuæ eam fecit contemnere filium, spernere patrem, non inhærere mundo, perdere animam pro Christo. Felicitas verò, quæ sociam habebat Perpetuã, & parturiebat, & dolebat: obiecta bestiis, gaudebat potius, quàm timebat. Quæ virtus in fœminis qualis est gratia, quę cùm se infundit, nullum indignum iudicat sexum. Gratias gratiæ Dei. Reparauit enim sexum muliebrem. In opprobrium magnum mulier remanserat, quæ ab initio per mulierem vnam Euam deiecit, sed Christus natus ex virgine, multas fœminas exaltauit. Perpetua & Felicitas caput calcauerunt serpentis, quod Eua ad cor suum intus admisit. Istam deduxit falsa promittendo, illas non valuit superare sæuiendo. Illam decepit in Paradisi felicitate, has non potuit adire, nec substantiarum deposita potestate. Illius inter paradisi delicias ruinam, harum inter pœnas fortitudinis constantiam, ipse quodammodo diabolus expauit. Meritò sic sunt exaltatæ, meritò viris vel coęquatæ, vel prælatæ. Quis enim in Christo Iesu non sit seruus, neque liber, non sit masculus, neq; fœmina, sed omnes sint vnum occurrentes in virum perfectũ: descendit tamen hoc donum ex magna gratia. Perpetua enim

S. Felicitas obiecta bestiis.

Perpetua & Felicitatis cũ Eua relatio perpulchra, differenti tamen modo.

& Feli

Felicitas, nomina istarum sanctarum fœminarum; merces est sanctorum omnium martyrum.

VITA B. FREDERICI, ORDINIS
Pramonstratensium, ex ea quæ est per Sibrandum Abbatem.

VII. MARTII.

RECOLENDAE memoriæ Fredericus primus Abbas & fundator Horti beatæ Mariæ in villa Hallum, ex parẽtibus nobilibus sed tenuibus natus, à teneris annis pietatẽ amauit. Puer ouiculis pascendis destinatus, aut Dominicam orationem ruminabat, aut de argillosa terra basilicas vel altaria construebat. Postea cõsilio optimatum parochiæ in Hallum, liberalibus studiis appositus est. Vbi cùm mater ob inopiam rei familiaris de sumptu diffideret, reperit in collo reptilis animalis annulum; quem & omnibus sui pagi die Dominica exhibuit, ne fortè alicui excidisset. Sed cùm à nullo agnosceretur, intellexit plena fide, in sumptus filij destinatum esse. A quo tempore nunquam ei necessaria defuerunt, aut in Hallum aut postea in monasterio liberalibus vel diuinis studiis incumbenti. Propter castimoniæ puritatem præcipuè honorabat B. Mariam, Ioannem Euangelistam, & Cæciliam. Cum ad legitimam peruenisset ætatem, multorum rogatu ad Sacerdotij Ordinem promouetur, deinde & Pastori Hallumensi, cui cooperarius fuerat, successit, diligens in diuino officio, ob quod etiam sæpius diabolicas pertulit incursiones. Quin & singulariter deuotus fuit in beatam Virginem; vnde & mos ibi inoleuit, etiã per Sabbatha Quadragesimæ Missam de ea cantare. Sed & non solùm multa abstinentia, aliisque virtutibus claruit, sed etiam miraculis & spiritu prophetico.

Habetur in Natalibus Molani.

B. Frederici genus.

Propter castitatẽ præcipuè honorat B. Mariam, & Ioannem Euang. listam, & S. Cæciliã.

Fit Pastor Hallumensis.

MEMORABILE est miraculum. Moris erat tũc paruulos infra Quadragesimam nouis fontibus baptizando seruare. Cõtigit puerum talem catechumenum in villa proxima sine gratia baptismatis mori. Quod pius Pastor intelligens, & negligentiam suis peccatis imputans, in Ecclesiam cucurrit, & à B. Virgine vitam eius, donec baptizatus esset, exorauit; sicque puer vitæ restitutus, baptismi gratiam est consecutus, & postridie vitam hanc feliciter commutauit. Sed & aliud quoque addam, quod ex Spiritus Dei instinctu cognouit. Sciuit mulierem quandam maritum suum suffocasse operâ cuiusdam

Impètrat vitam paruulis vt possit baptizari.

iuuenis, qui, quòd filiolæ nondũ nubili desponsatus esset, cùm ea habitabat, &, quod horrendum est, eadem quoque turpiter abutebatur. Quæ res cùm in funere alijs quoq; detecta fuisset; vir sanctus tamen vtrique vitam saluauit. Vnde mulier irremediabili exilio damnata est, adolescẽs verò truncato naso & sectis genitalibus in cœnobium Ordinis Cisterciẽsis retrusus est. Quin etiã Fredericus matre sua mortua, pro eius religione, seipsum Christo & B. Mariæ obtulit, cõtestans se deinceps secundũ Regulam S. Augustini viuere velle. Et primũ quidem Traiectũ vadit, & ab Episcopo habitu induitur Canonico, & licentiam accipit monasterium Clericorum construẽdi. Inde verò ad insulam B. Mariæ domum Ordinis Præmonstratensis diuertit: vbi & sanctos mores sitibundo pectore hausit.

Auctor in originali dicit se hunc iuuenem vidisse.

Pro anima matris sua vouet ingredi religionem.

DOMVM reuersus, in loco campestri & mari vicino monasterium cõstruxit, quod hortũ B. Mariæ nuncupauit, in quo præcipuè pauperes recepit. Inter clericos autem Tadeconem secum habuit virum eloquio clarum, & gratia prædicationis insignem; qui & tantam multitudinem attraxit, vt nouella plantatio eos non caperet. Vnde & per se congregationem instituit, quæ in duas est distincta: vna scilicet trans Lemcam in Merne, & altera in Dockingem ad S. Bonifacium. Sed & cõfluxerunt etiam ad sanctũ Fredericũ mulieres & virgines, quibus & propterea monasteriũ construxit Bethlehem dictũ. Quibus omnibus iam dictis in locis tanta fuit concordia, charitas, paupertas, humilitas, & deuotionis puritas, vt primitiuæ Ecclesiæ rudimenta viderentur. Denique reddidit vir sanctus Creatori animam, anno gratiæ millesimo centesimo septuagesimo quinto, à fundatione domus decimotertio. Cuius corpusculum (quod cùm ablueretur, miri odoris fragrantiam perfundebat) primò sepultũ est in Capella B. Mariæ: vnde postea tamen ob loci humilitatem translatũ est ad medium Ecclesiæ, Atque adeò claruit vir sanctus tantis miraculis, post mortem potissimũ, circa paralyticos, aridos, lunaticos, & similes, vt per totã Frisiam etiã mortuus magis ceperit honorari quã viuus.

Construit monasterium virorum.

Item alterum fœminarum.

Claret post mortem multis miraculis.

VITA S. VINDICIANI EPISCOPI
Atrebatensis, ex ea quæ est per VValterum Abbatem.
XI. MARTII.

Habetur M. S. in Mõte S. Eligij, vbi hic sanctus recubat... fuit.

CAMERACENSIS Ecclesia, multis honoribus insignita, Præsules magnarum virtutum sæpissimè consueuit habe

habere: inter quos dum beatus Vindicianus iuxta successionis ordinem quæritur, à S. Vedasto inuenitur octauus. Sicut enim Pontificũ gesta depromunt, quæ nobis quoque hæc eadẽ, quæ dicimus, ex parte promulgauerunt, per beatũ Remigium Ecclesiæ Rhemẽsis Archiepiscopũ S. Vedastus ad regendã Atrebatensem & Cameracensem Ecclesiam est prouectus. Cui ad superos trãseunti successit Dominicus, Dominico autem Vedulfus, Vedulfo quoq; gaudiosissimus Pater Gaugericus. Cui etiã ad perenne gaudium transeunti succedit Bertoaldus, Bertoaldo verò Ablebertus. Post quẽ gẽma sacerdotũ Autbertus effulsit. Cui bono præcessori ecce bonus adfuit successor Pater Vindicianus, qui & quasi quidam lucidissimus Solis radius in parochia Cameracẽsi a Christo destinatus apparuit, eo scilicet tẽpore, quo regni Frãcorũ gubernacula Theodoricus Rex regenda suscepit. Atque huius quidẽ carnalẽ prosapiam, quia nec ad nos peruenit, nequaquam exponimus; sed certè, quia decorem domus Dei dilexit, testatur adhuc Atrebatensis Ecclesiæ sedes olim nobilissima, quam & in Christo fundatam * Θεοτόκου Mariæ antiquissima illustrant monumenta. Hanc enim venerabilis Pater Vindicianus vnà cũ Rege Theodorico ex proprijs rebus valde augmentauit, nec non & villis, Ecclesijs, terris, molendinis, alijsque subsidijs liberaliter ampliauit, atque etiã cũ ipso Rege, in generali placito residẽte, seculares potestates ab infestatione ipsius Ecclesiæ penitus omnes exclusit, multis ibidem coadunatis & adstipulãtibus Episcopis. Quin & ipsum priuilegium delegauit etiam confirmandum contemporali suo Ioanni Romano Papæ. Et hactenus quidem de eo quod huic beato viro debet Ecclesia Atrebatensis.

S. Vindicianus octauus à S. Vedasto.

S. Vindicianus quasi quidam lucidissimus Solis radius.

** id est, Deipara.*

Egregiè auget possessiones Ecclesiæ Atrebatẽsis.

At verò fecit etiam & aliud quiddã, in quo similiter magnũ dedit argumentum quod verè dilexerit locum habitationis diuinæ gloriæ. Est quidam vicus à sede Cameracensi millibus ferè septem dispartitus, cui nomen Hunolcurth antiquitus inhæsit, ipsumque ad nostra vsque tempora eodem modo seruauit. Hunc ergo locum vigilantissimus pastor Vindicianus, pro eo quòd suæ subiacebat pastoralitati, dignum ducens inuisere, quia cõpetentem religioni Ecclesiasticæ vidit, supernæ quoque maiestati mancipare disposuit. Ac denique cõuocato coëpiscoporum non pauco collegio, ad cumulandam superni Regis gloriam Petro cælestis aulæ clauigero solenni more contradidit, eiusque venerationi post Christum specialiter dedicauit; atque adeò vt perpetualiter ratum esset in Domino

Constituit in Hunolcurth

Spirituales personas vtriusque sexus.

quod fecerat, sexus vtriusq; personas Clericos videlicet & Sãctimoniales, constituit inibi seruituras: Cuius fabricæ dispositio, quam cũ præsidio diuinitatis iam erexerat, vt longè etiam latéque cõtra inimicos Ecclesiæ, propugnatores inuictissimos semper haberet, inter concurrentes cælestis militiæ proceres, Lantbertum quoque Leodiensis aulæ ducem bellicosissimum asciuit, tantum virum laboris sui participem valde gratum ducens. Vir etenim iste, gloriosissimus, dico, Lantbertus, multis magnísq; virtutum præconijs per Dominica bella sese iam tunc extulerat, nec non & postmodum sanguine etiam proprio firmauit quicquid antè patrauit.

Vtitur familiariter sancto Lamberto.

CAETERVM contigit etiã illo tempore beatissimũ Leodegarium, inter Martyres Christi valde pretiosum, Cameracensem intra parochiam metas huius vitæ sortiri. Cuius gloriosissimum corpus, sicut non potuit B. Vindicianus secum retinere, licet id valde optaret (Ansoaldo scilicet Pictauiensi per diuinam sortem illo donato) ita dignus postea fuit qui beatam Maxellendem, à sponso suo Harduino iampridem ob amorem castitatis interemptam, diuinitus referre iuberetur è villa Pomeriolas ad locum interfectionis, qui & nunc vsque passionis ipsius titulo insignitur. Quin etiam gesta Pontificalia de spirituali quoque ac corporali conuersatione Patris huius nobis demonstant. Vir, scilicet, inquiunt, Domini Vindicianus, postquam Ecclesias Cameracensem intra parochiam repertas, & spiritualibus studijs mancipauit intrinsecus, & tẽporalibus subsidijs nobilitauit extrinsecus; postquam quoque in operibus cæteris, quæ sunt vel veræ virtutis indicia, vel veræ strenuitatis instrumenta, semetipsum ouibus sibi commissis dedit exemplum, in villa quæ dicitur * Squauia, suo videlicet prædio, aliquandiu conuersari decreuit. Habebat verò Squauia tunc, sicut & nunc, S. Martini oratorium. Atque in hoc scilicet preciosissimus Martini consacerdos Vindicianus sibi iucundum constituit suæ philosophiæ gymnasium.

Eius tempore & in eius diœcesi martyrio afficitur sanctus Leodegarius.

Transfertur per eum S. Maxellendis.

Gallicè Esquauere.

Philosophatur aliquando in villa Squauia.

VERVM enimuero iam summus Paterfamilias desudanti ipsi in vinea Ecclesiæ decreuerat denarium reddere diurnum; cùm contigit eũ in quoddã diœcesis suæ territoriũ, quod Brosella dicitur, deuenire. Vbi cùm carnis molestia fuisset tactus, atque aliquandiu decubuisset; tandẽ ad extrema perueniens, spiritum veris virtutum spolijs onustum cælesti paradiso feliciter reddidit. Interim tamen, antequã omnimodis defungeretur, discretissimus Pater mandauerat, vbi terræ commendari debe

deberet. Videlicet dum huius vitæ cõsortium sospes durerat, cum B. Eligio Viromandorum Episcopo sanctæ familiaritatis vsum aliquandiu habuerat, ideoque ad locũ qui dicitur Mons S. Eligij, in territorio scilicet Atrebatẽsi, sui corporis reliquias portari humatum imperauerat; nam inibi quoque S. Eligius olim quoddam suæ habitationis diuersoriũ exstruxerat. Hoc autem teneto, quicunque Vindicianum tibi aduocatum elegeris, quòd quinto Idus mensis primi, qui apud nos Martius dicitur, inthronizatus est æthereis. Eleuatus est autem per decimum quintum eius in Episcopio successorem Fulbertum, post insignem illam vastationem Atrebatum & Cameracensium & omnium vicinorum, quæ facta est per Nortmannos, hoc est, anno octingentesimo octuagesimo quinto; cùm scholaris quidam tumbam sacram inter ruinas basilicæ ferrato baculo pungens, primò cęcus factus est, deinde etiam rursum sanus; veniam scilicet à Deo & à sancto petens.

Sepelitur in monte S. Eligii iuxta Atrebatum.

Religio è eleuatur.

VITA S. GREGORII PAPÆ, DOCTOris Ecclesiæ ex ea quæ est per Ioannem Diaconum.

XII. MARTII.

GREGORIVS genere Romanus, arte Philosophus, Gordiani viri clarissimi & beatæ Siluiæ filius, præfuit Romanæ sedi annis tredecim, mensibus sex, Senatoria stirpe progenitus: qui dum ad biuium Pythagoricæ literæ peruenisset, ad dextrum mox cœpit totis viribus anhelare. Vbi dum conuersionis suæ gratiam protrahẽs, tutiùs se Christo famulaturum putaret, si sub Prætoris Vrbani habitu mundo specietenus deseruiret, cœperunt multa contra eum ex eiusdem seculi cura succrescere; ita vt non iam, sicut proposuerat, specie, sed in eo retineretur & mente. Quare tandem patre orbatus, sicut liberam tunc disponendarum rerũ suarum nactus est facultatem; ita etiam sex monasteria in Sicilia fabricans, sufficientibus ea fratribus cumulauit, tantum prædiorum ijs conferens, quantum posset sine indigentia suffragari. Sed & septimum intra Romanæ vrbis mœnia sub honore S. Andreæ ad cliuũ Scauri monasterium in proprio domate fabrificauit; in quo etiã ipse, relictis sericis, auro gemmísque radiantibus togis, simulque supellectilibus reliquis in vsum pauperum erogatis, diu desideratum monachicum capiens indumentum, primò sub Hilarionis, deinde sub Maximiani venerabilium Patrum regimine,

S. Gregorij genus nobilissimum.

Fundat ex bonis propriis septem monasteria.

Accipit & ipse habitum monasticum.

mine, multis sibi sociatis fratribus, regulari tramite militauit; ac deinde, licet subesse mallet, fratrum votiua concordia imminente, etiam præesse non renuit.

ERAT sanè ei abstinentia tanta ciborum, tanta sedulitas orationum & ieiuniorū, studiositas tam desiderata sacrorum librorum, vt infirmato stomacho lassescens vix subsistere videretur, crebrisque angustijs per horarū momenta deficeret. Sed & accedens ad Benedictū Pontificem, cœpit vehementer expetere, vt in Britanniam aliquos verbi ministros emitteret. Quò cùm neminē ire velle cognosceret, semetipsum quoque nō dubitauit ingerere. De cuius absentia Romani plurimum perturbati, Pontificem turmatim ita alloquuntur: Petrum offendisti, Romam destruxisti, quia Gregorium dimisisti. Quib. sententijs Papa perterritus, misit cōtinuò nuncios, qui virum Domini reuocarent iam trium dierū itinere profligato. Denique cernens Benedictus Pontifex virtutum gradibus Gregorium ad alta conscendere, violenter eum à quiete sui monasterij abstrahens, Leuitam septimum ad suum adiutorium consecrauit. Nec multo pòst, etiam pro responsis Ecclesiasticis ad vrbem Constantinopolim à Pelagio Præsule destinatur. Vbi quamuis in terreno conuersaretur palatio, vitæ tamen cælestis non intermisit propositum, secutis eum multis ex suo monasterio fratribus: ac præterea in eadem vrbe constitutus, nascentem quoque nouam hæresim de statu nostræ Resurrectionis, cum ipso quo orta est initio attriuit.

Missus, vt peteret, in Angliam, importunè a Romanis repetitur.

Cardinalis creatus mittitur Constantinopolim.

QVI in vniuersum quanta auctoritate ministerij sui apocrisariatus impleuerit, quantæq; reuerētię apud Augustos extiterit, vel quāta solicitudine afflictæ per Longobardos Italiæ succurri sæpius fecerit, si quis pleniùs nosse desiderat, epistolas antecessoris sui Papæ Pelagij ad eum, quæ hactenus in scrinio sanctæ sedis Apostolicæ cōseruantur, percurrat: At verò postquam Romam reuersus fuit, aliquanto interiecto tempore, tāta inundatione Tiberis fluuius excreuit, vt eius vndæ super muros vrbis influerēt, & ædiū plurima munimēta deijcerent, ecclesiastica quoque horrea violenter subuerterent, in quibus etiā nonnulla modiorum tritici millia periēre. Tunc etiā innumerabilis multitudo serpētium cū magno dracone in modum trabis validæ per Tiberim in mare descendit; nec non & suffocatæ bestiæ inter salsos maris fluctus sine mora in littore desederunt, suáque putredine totū aërem corruperūt, vnde & secuta est euestigio clades inguinaria. Quæ cùm Romanam vrbem

Multum laborat pro Italia cōtra Longobardos.

Maxima inundatio Romæ.

Itē grauissima pestilētia.

vrbem adeò vehementi pestilentia laniaret, vt etiam corporali visu sagittæ cælitus venire, & singulos quosq; percutere viderentur, adeò etiam primùm Pelagium Papã perculit, atque inde in reliquum vulgus desæuit. Itaque pestilentia supra modum sæuiente, Gregorium, licet totis viribus renitentem, omnes concorditer Pontificem delegerunt. Et quidem Gregorius consensurum se simulauit, atque interea grassante lue, Litanias supplicationésque indixit. In quibus cùm intra vnius horæ spatium octoginta homines ad terram corruẽtes spiritum exhalarent, nequaquam tamen destitit facundissimus Rhetor populo prædicare, ne ab oratione cessarent, idque donec miseratione diuina pestis ipsa quiesceret.

S. Gregorius electus Pontifex indicit Litanias.

INTEREA verò ipse, quia palam egredi portas ciuitatis non poterat, exponendum se dissimulato habitu callidus impetrauit, siluarum saltus expetiit, cauernarum latibula requisiuit. In quibus dum ab omnibus summa solicitudine quæreretur, tandem indicio columnæ fulgidæ super se à cælo dependentis agnoscitur, capitur, trahitur, & summus Pontifex consecratur. Qui mox vt summum Pontificium sortitus est, superstitiosum Vniuersalis vocabulum, quod Ioannes Constantinopolitanus Episcopus insolenter sibi tunc vsurpabat, more antecessorum suorum Pontificum sub districtissimæ interminationis sententia refutauit, & primus omniũ se in principio suarum epistolarum Seruum Seruorum Dei scribi humiliter definiuit. Deinde & scholam Cantorum instituit, eiq; cum nonnullis prædiis duo habitacula fabricauit. Quin etiam prudentissimus rector Gregorium, remotis à suo cubiculo secularibus, clericos sibi prudentissimos consiliarios familiaréisque delegit, cum quibus etiam die noctuque versatus, nixil monasticæ perfectionis in palatio dereliquit. Sed & Stationes per basilicas vel beatorum Martyrum cœmeteria, secundum quod hactenus plebs Romana certatim discurrit, solicitè ordinauit. Per quos & ipse simul discurrens, dum adhuc eloqui præualeret, viginti Homilias Euangelij coram Ecclesia diuerso tempore declamauit. Reliquas verò eiusdem numeri dictauit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo, aliis pronunciandas commisit.

Fugit Pontificatum, sed frustra.

Ordinat Romanas stationes, per quas & ipse simul [illegible]

SED & tantæ hospitalitatis fuit, vt exceptis his, quos tam per diuersas regiones, quàm Romæ quoque, Longobardorũ perfidiæ gladios fugientes Ecclesiæ stipe misericorditer nutriẽbat, quotidie quoq; ad mẽsam suam peregrinos quoslibet inuita

Quotidie [illegible] peregrinos.

inuitaret. Inter quos etiam die quadam vnus accessit, in cuius manibus dum ipse ex humilitatis ministerio aquam fundere vellet, conuersus vrceum accepit, sed repentè eũ in cuius manibus aquam fundere voluerat, inuenire non potuit. Quod factum cùm ipse secum miraretur, eadem nocte Dominus ei per visionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti. Quin & aliàs, inter pauperes ab eo conuiuio receptos quidam, Ego sum, inquiebat, naufragus ille, cui primò bis terna, inde sena numismata, postremò etiam argenteam scutellam, quæ sola remanserat, dari præcepisti, sum autem Angelus Dei. Sed & tribus quoque millibus ancillis Dei, quas Græci Monastrias vocant, quindecim libras auri pro lectisterniis dedit, pro quotidianis autem stipendiis annualiter libras octoginta. Atque etiam exstat præterea vsque hodie in Palatij scrinio prægrande volumen, huius confectum temporibus, in quo communis sexus, cunctarúmque professionum tam Romæ quàm per ciuitates vicinas, nec non longinquas etiam maritimæ vrbes, degentium nomina, cum suis temporibus & remunerationibus expresßiùs continentur.

Accipitur ab eo hospitio ipse Christus.

Item alia vice Angelus.

VERVM enimuero cùm vir sanctus pro cõuertendis Anglis Saxonibus, quemadmodum in monachatu suo proposuerat, aßiduis cogitationum fluctibus vrgeretur, mox vbi, Ecclesiæ statu composito, quartum sui Pontificatus annum intrasset, Augustinum cum aliis domus suæ monasterij monachis in Britanniam euangelizandi gratia destinauit. Sed & iam Ligures, Venetos, Hiberos, aliósque à schismate sub libello confessos, Chalcedonẽsem Synodum venerari compellens, ad vnitatem sanctæ Ecclesiæ reuocârat. Ad hæc & Barbaricinos, Sardos, & Campaniæ rusticos, tam prædicationibus quàm de operis eorum remittendo, à paganizandi vanitate remouerat. Iam Donatistarum hæresim penes Africam, Manichæorum penes Siciliam, Arrianorum penes Hispaniam, Agnoitarum penes Alexandriam, scriptorum suorum validißmis auctoritatibus, importunísque legationibus, Domino suffragante, à corpore Ecclesiæ sequestrârat. Sola penes Galliam Neophytorum hæresis, quot Simoniacis muneribus, quasi tot radicibus pullulans, longè latéque manabat. Contra quam venerabilis Pater ita apud Brunichildem Reginam, Theodoricum quoque & Theodebertum Francorum Reges fortiter expugnauit, vt tandem collecta generali Synodo eam sub anathemate

Destinat sanctum Augustinũ & alios ad conuertendam Angliã

Reformat Ecclesiã per omnes ferè prouincias.

Damnat Simoniam.

themate damnandam penitus impetraret. Quin etiam, quas vocant consuetudines dationum vel xeniorum à suis Episcopis accipere Gregorius quasi pondus quoddam pestiferum toto mentis conamine detrectabat. *Nota.*

ISTE nimirum est vir sanctus, qui Mauritium quoq; Principem, suggestionibus inimicorũ suorum, ac maximè supradicti Ioannis Episcopi Constantinopolitani, funestissimam legem ferentem, vt nulli militũ, qui videlicet in manu signatus fuisset, conuerti in monasterio liceret, à sententia deterruit, inter cætera sic ei scribens: Ecce, inquit, per me seruum vltimum suum & vestrum respondet Christus, dicens: Ego te de Notario Comitem excubitorum, de Comite Cæsarem, de Cæsare Imperatorem feci. Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Responde, inquit, rogo, piissime Domine, seruo tuo, quid venienti & hæc dicenti responsurus es in iudicio Domino tuo? Et alibi de supradicto Ioanne, qui volebat vocari Episcopus vniuersalis, atque insaniam Imperatoris fouebat, Ego enim, inquit, cunctorum sacerdotium seruus sum, in quantum ipsi sacerdotaliter viuunt. Nam qui contra omnipotentem Deum per inanis gloriæ tumorem, atque cõtra Statuta Patrum suam ceruicem erigit, in omnipotente Domino confido, quia meam *sibi nec cum gladiis flectet. Hæc ille. Qui postquam sedem Apostolicæ Ecclesiæ annis tredecim, mensibus sex, & diebus decem, doctrinis pariter ac operibus felicissimis illustrasset, anno Imperij Phocæ secundo, quarto Iduum Martiarum, à carnis corruptione subtractus est, incorruptionis perpetuæ gloria sublimandus. Ac denique hic vir tantus fuit, vt Petrus Diaconus, cum quo quatuor Dialogorum libros disputauit, super eius caput Spiritum sanctum in similitudine columbæ frequentissimè perspexerit.

Lib. 1. epi. 61. *Fortiter resistit impiæ legi Imperatoris Mauritij.*

Lib. 4. epist. 6. *En verum Pontificem.*

** Supple ceruicem.*

Transit feliciter.

VITA S. EVPHRASIÆ VIRGINIS,

ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium.

XIII. MARTII.

EVPHRASIA virgo, filia Antigoni & Euphrasiæ nobilissimæ, de ciuitate Cõstantinopolitana, tempore Theodosii Imperatoris, originem duxit; cuius pater etiam Augusto amicissimus & propinquus fuit. Porrò post eius ortum parentes eius celibem vitam duxerunt. Et Antigonus quidem

S. Euphrasia propinqua Imperatorum Theodosii.

anno

anno integro eleemosynis & sanctis operibus intentus, post annum diem clausit extremum. Mater verò adhuc iuuenis (quippe quæ per triennium tantùm & tres menses in vniuersum cum viro vixerat) in sancta viduitate Deo seruire studebat, Imperatori interim filia sua commendata. Et quidem interea Imperator præclaram hanc virginem Euphrasiam annorum quinque cuidam Senatori ditissimo despondet, donec perfectæ ætatis existens eidem matrimonio iungeretur. Sed ecce aliquanto pòst Senator ille animum adiicit ad nuptias ipsius Euphrasiæ senioris. Quam rem ipsa ita molestè tulit, eo quòd res abhorreret ab eius instituto, vt cum filia sua Euphrasia ex vrbe latenter discederet ad possessiones suas in Ægyptum: vbi deinde consistens, Ecclesias & monasteria seruorum Dei sępius visitabat, & multas eleemosynas faciebat. Erat autem ibi etiam monasterium feminarum, in quo plus minus centum & triginta degebant, in summa vitæ sanctitate Domino seruientes, vbi continuè ieiunium arduum seruabatur, & vnaquæque manibus operabatur.

Despondetur cuidam Senatori.

Q V E M locum dum Euphrasia cum filia frequētius visitaret, cœpit filia in vita Virginum delectari, & audiens quæ ab eis de Christo dicebantur, ad ingressum monasterij etiā quotidie ardentiùs inflammabatur. Vnde & quadam die cum matre ad cœnobium accedens, omnino ibi remanere cum Abbatissa voluit, nec vllis precibus, aut impositis pauoribus inde abstrahi potuit. Vbi cùm diebus pluribus fuisset, & in sancto proposito omninò perseueraret, dicens se Christum in sponsum elegisse consentiente matre, ab Abbatissa cilicino habitu monasterij induitur, monialis effecta annorum septem. Iam mater eam Domino commendauerat: cùm mox summa humilitate & sancta conuersatione pollere cœpit, datáque sibi Iulia, quę eam exercebat ad certamina, Psalterium breui tempore didicit, & mira obediētia in cunctis ministeriis præ omnibus profecit. Nō multò autem pòst Euphrasia mater virginis moritur, & ipsa omnes facultates paternas pauperibus erogat. At verò cùm iam ad perfectam venisset ætatem, sponsus suus per literas Imperatoris ad coniugium eam requisiuit. Sed ipsa Imperatori rescribens, vtpote Christo iam nupta, temporale cōnubium denegauit. Vnde & in monasterio summa abstinentia Deo feruentiùs famulari cœpit. Multas diaboli tētationes pertulit, propter quas superandas pœnitentia mirabili se afflixit. Nā & lapidem capiti supposuit, & cinerē super stratum

Paulatim accenditur ad vitam monasticam.

Tandem accipit habitum monasticum.

Mortuis parentibus elargitur omnia sua pauperibus.

Rigidissime se castigat.

tum conſperſit. Aliquãdo etiam per tres vel quatuor dies, aliquando quoque hebdomada integra, ſe inedia macerauit.

QVAM probare volens quadam die Abbatiſſa, & ad obedientiæ lucra maiora prouehere, dixit ei: Tolle hinc ſaxa, & apud furnum depone. Et ipſa quidem fecit hoc hilariter: arreptáque in humeros, ſola, quò iuſſa erat, ea deportauit, cùm in eis quædam tamen eſſent tanti ponderis, vt iis ferendis duæ ſorores aliàs vix ſufficerent. Sed altera die rurſum ait illi Abbatiſſa: Non par eſt, filia, hîc iacere ſaxa: reporta ea in locum priſtinum. Quod & ipſum Euphraſia cum multa alacritate fecit: hácque ratione ad dies plures eam Abbatiſſa occupauit. Quam cùm diabolus frequentiſſimè grauiſſiméque tentaret, quòd Senatoris filia ad aliarum miniſterium eſſet ſubmiſſa, cœpit etiam adhuc vilioribus officiis ſe occupare, in coquina ollas abluens, & immunditias exportans. Nec tamen propter hæc ab abſtinentia ſe ſolita ſubtrahebat, non nocturnis neque diurnis aberat precibus, non Tertiæ, non Sextæ, non Nonæ, non Veſperarum. Sed & cùm ei quædam ſoror, Germana nomine, improperaret quòd talia opera ex hypocriſi oſtenderet, & ob hoc Germanam Abbatiſſa punire iure vellet, imò iam extra communionem abieciſſet, ecce Euphraſia, quæ priùs ad pedes ſororis ſibi conuitiantis veniam petens prociderat, etiam Abbatiſſam rogare non deſtitit, donec tandem trigeſimo die Domina Abbatiſſa eandem in gratiam recepit. Verùm enimuero cùm diabolus beatam hanc Euphraſiam animo ſuperare non poſſet, cœpit ſaltem eam perſequi prœlio corporali.

Per plures dies fert & refert eoſdem lapides ex obedientia.

NAM & cùm ex puteo aquam hauriret, capite deorſum deiicitur, ſed à ſororibus illæſa educitur: ipſa quoque vbi quotidie portabat ſingulas, cœpit exinde deferre hydrias aquæ binas. Sic & alia vice, dum ligna præcideret, ſecuri calcaneum ſibi vſque ad tibiam ſcidit: quin & colligata à ſororibus, propter hoc non deſtitit, quin ligna inciſa deferre voluerit: vbi cùm ſcalam aſcenderet, ſummitatem tunicæ calcans ſuper ligna cecidit, quorum vnum, ferè effoſſum eius oculum grauiter vulnerauit. Sed Dei miſericordia diebus modicis ex vtraque plaga conualuit. Poſt hæc quoque eam diabolus de tertio ſolario præcipitauit, quæ tamẽ ſine vlla læſione ad terram deſcendit. Atque item alias etiam ollam cum aqua feruenti portans cecidit, à qua facie perfuſa omnino tamen intacta permanſit, Abbatiſſa cum ſororibus ad omnia mirantibus & ſtupen

Præcipitata à diabolo in puteum, nihil læditur.

Item eludit & alias multas diaboli machinas.

XIII. MARTII.

POSTQVAM Nicephorus Imperator vnà cum filio huius vitæ finem sortitus est, & ad Michaëlem eius generum Imperij gubernatio peruenit, sub Leontij nomine crudeliter frendens inuasit hunc valde sæuus immanisque Leo, ex Armenia genus ducens, qui & defectionem à Deo, & aduersus Imperatorem, apud quem in honore erat, minimè obscuram tyrannidem machinabatur. Quod quidem illi è sententia successit: nam per vim sibi Imperiũ vindicauit. Cæterum haud aliter duxit potentiam suam fore diuturnam, nisi contra nos etiam audacter bellum susciperet, & venerabilium Imaginum interitum omni studio atque arte moliretur. Ad hunc enim furorem atque dementiam à dæmonibus, à quibus instruebatur, & falsis vatum mendacium somniis compulsus erat: quod quidem impium facinus ad optatos exitus se perducturum non sperauit, nisi præclarum Ecclesiæ Ducem Nicephorum è sacra sede exturbaret. Primùm igitur tempus obseruabat, vt eum artibus ac dolis in sententiam suam adduceret, fingens se in recta dogmatũ exercitatione versari. Verùm cùm vir ille rerum diuinarum peritissimus, tum multis sermonibus, tum scripturarum testimoniis, tum longissimi temporis cõsuetudine comprobatum Imaginum vsum demonstraret, nec tamen insolẽtem hominem à proposito posset dimouere, tunc dolus; qui antea latuerat, in apertum erupit. Mores enim ferinos nomini congruentes gerebat. Itaque, tanquã perniciosus quidam aper, aut sæuissimus leo, immanisque fera; salutaribus magistri documenti, mox aures occludebat, & vt aspis incantationibus, nihil mouebatur; sed obstinatiùs etiam insaniebat.

Leo Armenius inuadit Imperium.

Mouet bellũ contra sacras Imagines.

Certat pro Imaginibus S. Nicephorus.

Quare etiam & ipse pietatis zelo, & præstantiori auxilio confirmatus vir, cui à victoria nomen erat, & proptèrea Nicephorus vocabatur, strenuè aduersus impietatẽ & tyrannum, impietatis defensorem instruitur: coactisque adeo primariis sacerdotibus, viris tum vita tum doctrina probatis qui simul pro pietate pugnare parati erant, de communi sententia iniquè se gerentem imperatorem, licet frustra, coarguerunt; ac denique tanquam contumeliosum Dei rerumque diuinarum hostem iudicarunt. Quamobrem quóque arrogans & superbus ille confestim simulationem, quam occultabat, aperuit, & reconditam malitiæ rationem euomuit coactus. Et primùm quidem tyrannica audacia celeberrimum Patriarcham, è sede sua depulsum, in exilio viuere compulit. Deinde verò etiam

Iudicat coacto Concilio Imperatorẽ hæreticum, vnde & ab eodem è sede sua expellitur.

XIII. MARTII.

MORTVO Theodoro Rauennatum Archiepiſcopo, ab Sergio primo Romanorum Pontifice, qui Cononi ſucceſſerat, in Rauennatum Archiepiſcopatum Damianus Dalmata ſufficitur, & Romæ ſacra infula decoratur. Huius parentes, qui è Dalmatia venerant, Eccleſiæ Rauennati illum adhuc puerum obtulerunt: quo etiam loco ad ſummum ſacrarum literarum apicem peruenerat. Archiepiſcopus factus, ſanctiſſimo inſtituto, ſummaque Sacerdotũ & populi tranquillitate & concordia præfuit. Bellicos mores, furoreſque truces, qui diebus feſtis in ea regione vrbis, cui Latronum olim erat nomen, nunc D. Seuerini titulo appellatur, à perditis hominibus & minimùm religioſis celebrari conſueuerant, indictis priùs triduanis ieiuniis aboleuit, ſumpto de hominibus impiis iuſto ſupplicio: tametſi etiam eadem pars vrbis, adhuc poſtea Regio Latronum dicta ſit. Tanta autem fuit ſanctitate, vt Rauennas quidam ciuis religione præſtans, in Vrſiana æde dum ſacra haberentur, iuxta altiorem columnam cùm eſſet poſt Damiani terga ſplendidiſſimum virum conſpexerit, qui faciem illius admirabili luce illuſtraret. Quod cùm ipſe, fixo in Damianum intuitu, immotiſque oculis admiraretur, & Archiepiſcopus rurſum aſſiduè hærentes in ſe viri oculos itidem miratus, quid eſſet cauſæ, ſciſcitaretur, rem omnem ordine expoſuit.

S. Damianus Dalmata.

Indictis triduanis ieiuniis, tollit impiam quandã conſuetudinem.

Conſpicitur adſtare ipſi vir quidam ſplendidiſſimus.

AD hæc etiam ipſum de ſe fateri ſolitum narratur, dum nocte in templo (quo maximè tempore viri ſancti in rerum diuinarum meditatione, atque in Dei laudibus verſantur) ſacrum illud carmen caneret; Montes & omnes colles cantabant coram Deo laudes; viſos ſibi ipſos etiam lapides templi, columnaſque & parietes in Dei laudes exilire. Quin etiam, cùm quidam Iudæus ex eo loco, vbi ſe occultauerat, hunc Archiepiſcopum tanta veneratione totque obortis lacrymis, quanta & quot ſemper conſueuerat, hoſtiam ſacram effringentem vidiſſet, diuino Spiritu commotus, accurrens obnixè petiit, illius partem ſibi exhiberi; nec deſtitit, donec ſacra tandem expiatus vnda baptiſmatis, ſacratiſſimæ Euchariſtiæ hoſtiam ſumpſit. Huius Archiepiſcopatu, bibliotheca Rauennatis Eccleſiæ igni abſumpta eſt. Ac denique Damianus, cùm ſexdecim annis, menſibus duobus, dies verò ſexdecim Rauennati Eccleſiæ præfuiſſet, vitam cum morte feliciter

Iudæus quidã viſis ipſius lacrymis ſub Miſſa cõuertitur ad Chriſtum.

Transit S. Episcopus feliciter ex hoc mundo.

commutauit, tertio Idus Martias, sepultus in D. Apollinaris Classensis, ab ara sanctæ Feliculæ haud procul.

VITA S. HEREBERTI ARCHIEPISCOPI
Coloniensis, ex ea quæ est per Rupertum Abbatem Tuitiensem.

XVI. MARTII.

ANNO ab incarnatione Domini nongẽtesimo nonagesimo nono, Romanorum regente imperiũ Ottone tertio, insigni Coloniæ Agrippinæ Pontifex à Deo datus est sanctus Herebertus, vixitque in eadem sede laudabiliter annos viginti tres, menses duos. Hic, iuxta prænunciam lucem quæ in eius natiuitate apparuit, beatæ prædestinationis filius, in Vuormatia Galliarum vrbe ortus est, auiam habens maternam nomine Emmam, Regimboldi nobilissimi Alemannorum Comitis filiam. Porrò in eadem Ecclesia Vuormatiensi studiis liberalibus traditus est, in quibus etiam magna facilitate diuinæ pariter & humanæ philosophiæ fluenta potauit. Quod perpendens vir venerabilis Hildebaldus, qui tempore illo Pontifex erat eiusdem Ecclesiæ, benè agentem etiam condigna laude confortare studebat. Denique defuncto tunc temporis eiusdẽ Ecclesiæ Præposito, protinus hunc subrogauit. Quin etiam Otto Romanorum Imperator tertius, de viro illustri, quis vel qualis esset, audiens, inclinante cor eius Deo, adeò viri probitatem honorauit, vt eum suo lateri sociaret, primumque Cancellarium sibi constitueret. A quo etiam persuasus hic beatus iugum Domini, scilicet Presbyterij honorem, suscepit. Interea verò defuncto Ecclesiæ Vuirtzeburgensis Episcopo, optabat Imperator, vt illi subrogaretur Herebertus. Sed recusauit, indignum se profitens, atque ita scilicet in fratrem suum nomine Henricum, tanquam se longè digniorem, eam transferri obtinuit electionem.

S. Hereberti patria & parentes.

Fit præpositus Vuormatiensis, atque inde etiã mox Cancellarius Imperatoris.

SED & non multo pòst, etiam Colonia metropolis vidua facta est, defuncto Euergero Archiepiscopo, vbi etiam dum eligere conantur successorem, sciderũt vnitatem. Nam alium clerus, aliumque sua electione poscebat populus: & intantum processit partium diuersarum conflictus, vt propè ad arma concurrerent. Tunc verò is, quẽ non probante populo clerus elegerat Vuezelinus, In causa, inquit, ista patres & domini, non sua singuli, sed pariter ea quærentes quæ Domini sunt, melius, quoad possumus, ineamus cõsilium. Nam præesse nec

Vacans sedes Coloniensis scinditur cõtrarijs sententijs.

ipse

ipse cupio, nec alteri inuideo; sed tamen alium vobis notum designo, videlicet illustrem Herebertum Christo deuotum, & Imperatori charum. Soluamus ergo litem in huius dignissimi concedendo electionem. Vix ille hæc dixerat; cùm raptim ex ore eius Herebertum vniuersa turba conclamabat. Commanebat tunc Imperator in territorio Beneuentano, Herebertus autem Rauennæ cum ciuitatis eiusdem Antistite iussa ab Imperatore negotia peragebat. Itaque Beneuenti Pontificalis ei honor datus est: vnde Romam profectus, cùm pallium ab Apostolicæ sedis Præsule accepisset, Coloniam deinde tendebat. Sed dignum hîc memoria est, qualiter Apostolicæ doctrinæ recordatus est. Nam cùm in vicinio adesset (ô profunda viri virtus!) verè humilis & mansuetus, pallio missionis Apostolicæ præmisso, ipse indutus linea, discalceatusque lento pede secutus est, cùm tempus hiemale calceatis quoque esset permolestum. Atque tuum est hoc opus, ô Christe.

Subitò ab omnibus conclamatur in sanctum Herebertum.

Ingreditur Coloniam indutus linea & discalceatus.

SED, quæso, quæ vnquam ciuitas supra montem posita nō oppugnata est à ciuitate Cain, cuius Princeps est Satan? Sic oportebat & hunc beatum virum pati aduersa. Obiit post ordinationem beati viri anno tertio Imperator, & quidem Romæ. Ierat autem tunc quoque sanctus cum illo, vt pote ad disponenda pernecessarius maxima regni negotia. Sed & Imperator quoque id supremū ab eo postulauerat, quatenus corpus eius Aquisgrani sepeliendū transferret. Cui rei insistens vir fidelis, regalia penes se habens, electioni non interfuit noui Principis Henrici tunc Baioariorum Ducis. Atque hæc scilicet fuit occasio, quam aduersus illum rapere potuerunt aduersarij. Et hæc quidem regalia repetita, citò reddidit; sed quia noui, vt iam dictum est, Principis electioni non interfuit, extunc illi suspectus erat. Vnde & idem Rex obtrectatoribus Sancti pronius aures præbebat: ac denique impacato quasi odio semper eum deinde prosecutus est, donec à Domino redargui meruit, paulo ante obitum Sancti, quod in suo loco præsens narratio non præteribit. Sed nunc ad narrationis seriem redeamus.

En ex quàm parua re quā magnū postea natum sit incendium.

Patitur sibi infestissimum nouum Imperatorem.

ERAT sub hoc beato præsule magna siccitas, & cū siccitate quoque sæuiebat pestilentia. Indicto ieiunio triduano erat publicus Cleri & populi processus, inter omnes autē mœstus & supplex etiam procedebat Archiepiscopus. Conspicitur columba tertiò caput beati viri circumuolitans; quæ & protinus in sublime eleuata, non vltrà cōparuit, nec tamē adhuc vllum indicium pluuiæ. O alta Dei iudicia! Venitur ad prandium;

cum, mirātibus quibuſdam necdum propitiatum eſſe Dominum, dignum æternitate verbum reſpōdit hic beatus; Veſtri, dicens, ô chariſſimi, paſtoris eſt culpa. Niſi enim Dominus meis irritatus eſſet ſceleribus, qui inter ipſum & vos debebam ſtare medius, iam dirupiſſet cœlum, & beneficium eius diſtillaſſet. Nec plura. Lacrymis victum caput ſuper menſam declinauit in manibus, & cum fortiſſimo ſpirituum Deo, forti humilitate atque ardenti, ratione luctabatur. Erat autem hora eadem tanta cœli ſerenitas, vt nulla in aëre nubes appareret; cùm ecce, ſubito fragore irruente, magna pluuiæ vis inundādo erupit, quæ & vberrimè terram irrigauit.

Profunda ſua humilitate meretur tempore ſiccitatis à Domino pluuiam.

S E D & iam cogitabat vir beatus conſtruere cœnobiũ monachorum in honorem ſanctæ Dei Genitricis omniumque Sanctorum, ad quod delegauerat in manu eius neceſſaria defunctus Imperator, nec tamen electo in loco reperiebat locũ ſatis idoneum, cùm ecce nocte quadam per viſum beata illa Angelorum & Regina Sanctorum, aſſiſtens, Scias, inquit, ô Hereberte; ego ſum Maria mater Domini. Surge ergo, & Diuitenſe caſtrum petens, locum in eodem mundari præcipe, ibíque monaſteriũ Deo, mihi, & omnibus Sanctis conſtitue, vt, vbi quondam abundauit peccatum & cultus dæmonum, ibi iuſtitia regnet in multitudine Sanctorum. Nec mora. Iactis fundamentis, alacriter atque celeriter ſtructura ſpecioſa ſurrexit. Sed (ô iudicia Dei admirabilia!) cũ opus ferè peractũ eſſet, iamque etiam ſicut propoſitum fuerat, ſeruientium Deo monachorum cœtus adunatus exiſteret, quadam nocte, dum finitis Matutinorum ſolennijs, omnes fuiſſent egreſſi, repentè ſic tota ſtructura concidit, vt lapis ſuper lapidem vix remaneret. Et quidem quoniam altitudinem diuini conſilij perſpicere non valemus, vir Dei quidem triſte tulit id quod accidit; ſed tamen & citò reſumptis viribus ſancti deſiderij, totum ipſum ſpatium ædificandi monaſterij in altitudinem mali naualis effodiens, ruſus fundamenta iecit, nec non & poſtea etiam, conſummatum, vti optarat, monaſterium quinto Nonas Maij cum iubilo dedicauit.

Cogitat conſtruere monaſterium, iuxta quod delegauerat neceſſaria Otto Imperator.

Apparet ei B. Maria.

Inſigniter exercetur eius patientia ſiue conſtantia.

S A N E & operandi quoque virtutes hic beatus à Spiritu ſancto, diuidente ſingulis prout vult, gratiam habuit, licet gloriam ſemper fugit. Vnde & primus cœnobij iam memorati Abbas, nomine Volbertus, capitis oculorumque duro diutino vexatus incommodo, cùm per viſum vna noctium didiciſſet, vt ex aqua, qua ſanctus Dei Pontifex poſt Miſſarum celebrationem

Meretur ad eam per vi-

tionem manus de more lauisset, ipse caput sibi oculosque perfunderet, atque propterea hoc beato viro indicasset, quasi repulsus est ab eo velut amens & delirus: sed nihilo tamen minor fuit vis diuina. Nam vt repulsus ille, perstitit tamen non incredulus visioni, & à ministris Pontificis clàm sibi quod petebat reseruari obtinuit: mox vt caput & oculos ex aqua illa perfudit, integram sanitatem recepit. Quo etiam modo, diuinitus admonitæ, sanatæ sunt per eum duæ mulieres, altera cęca, altera paralytica. Atque ita scilicet miro modo, qui apud se latere volebat, magis etiam ac magis ex Deo clarescebat. Et tamen inter tanta opera seruus Christi persecutionibus non carebat, vti prælibatum est, cui maiores etiam fluctus excitabat in Imperatoris animo ventus contrarius, dum suspicionẽ quam contra sanctum virum in initio regni sui, sicut iam suprà dictum est, mente conceperat, illi idi semper augere laborabant detractorijs susurrationibus.

sum Abbas vt sanctus.

Sanantur per eum & duæ mulieres.

DENIQVE res eousque processit, vt iam dictus Imperator, nimio contra illum furore succensus, Coloniam peteret, hoc propositũ habens, vt eum Pōtificatu amoueret, aut certè, si hoc rationabiliter fieri non posset, quolibet modo iniuriosè illũ ac indignè tractaret. Sed ipsa nocte qua Coloniã ingressus est, videt in somnis quendam quasi virum venerabilem Pontificali veste ornatum, qui illum sic allocutus est: Caue, inquiens, ô Imperator, ne posthac amplius pecces in conseruum meum Herebertum: nimirum gratia miserentis Dei, taliter præmonendo Imperatorem, ignorantiæ eius pepercit. Vnde & non multo pòst idem Imperator abiecta chlamyde, solo stratus, ante pedes Sancti, in spiritu humilitatis veniam petijt, nec difficulter impetrauit. Porrò iam beatus Herebertus longa in hoc seculo peregrinatione fatigatus suspirabat ad cælestia, cùm tandem febre corripitur. Erat tunc temporis in quadam suæ diœcesis villa quæ Nussia dicitur. Ingrauescente molestia, secundùm præceptum Apostoli sacro est vnctus oleo; pariterque corporis & sanguinis Dominici munitus est Sacramentis, ac sic deinde carrinę illatus, Coloniam deducitur. Denique non multo pòst carne solutus, de vitæ præsentis angustia ad æternæ patriæ sempiternam consolationẽ ascendit. Migrauit autem septimo decimo Calendas Aprilis: sepultusque est in Diuitensium castro, in Oratorio S. Dei Genitricis, quod ipse condidit, multis deinceps ibidem coruscans miraculis.

Venit contra eum Imperator Henricus.

Præmonetur diuinitus ne quidquam contra virum sanctum attentet.

Vnctus sacro oleo migrat vir sanctus ad Christum.

VITA S. PATRICII APOSTOLI *Hibernorum, ex recens edita per D. Richardũ Stanihurstum.*

XVII. MARTII.

ANNO humani generis trecentesimo sexagesimo primo Calphurnius vel Calphurinus vir cum primis honestus & honoratus ex Conchessa fœmina probatissima suscepit filium; qui & cùm salutari aqua tingeretur, primò Suchar vel Socher, pòst à S. Germano Magonius, postremò à Celestino primo, summo Pontifice, Patricius est nominatus, estque natus in maritimo Britãniæ territorio, quod antiquitas Triburniam vel Eiburniam appellauit. Hic adhuc pusio, literarum magistro operam dedit in ijs studijs, quibus puerilis ætatula informari solet; cùm interim Hiberni in maritimas Britanniç oras impetũ facientes, multos ingenuos pueros & adolescentulos ex Britannia abripiunt, in quorum numerum etiam Patricius iam tum ephœbus peruenit: atque adeò post prædæ partitionem à piratis Hibernico Dynastæ est venditus, qui eum porcorum gregi præfecit. Et quidem adolescens in hoc aduersitatis fluxu erat constitutus, & tamen tulit temperatè has molestiarum moles, omnemque libertatis suæ spem in Christi bonitate collocabat, sexennium interim hanc seruitutem seruiens. Post quod temporis spatium, cùm diuinitus sibi oblatum thesaurum, pascens porcos, in agro inuenisset; depactus cum hero, tandemque aurum persoluens, in patriam sic demum redire est permissus. At verò interea capitalis quędam hæresis in illis locis multorum animos tabifica peste infecit, cuius erroris antesignanus fuit Pelagius, diuinæ gratiæ aduersarius.

S. Patricius primo vocatus Suchar.

Abducitur à piratis.

Redit in patriam.

AD quod malum restinguendũ cùm S. Germanus Episcopus Antisiodorensis, & S. Lupus Trecassæ Episcopus in Britanniam venissent, Patricius in S. Germani familiaritatem se insinuans, per multos deinde annos in disciplinam eius se tradidit: vbi & Magonius vocatus se totum in literas interiores abdidit, & animum à mundi illecebris ad pietatis studium inexhausta auiditate transtulit: ac deinde omnes etiam cogitationes ac labores suos ad Hibernorum salutem, quorum miseriam cæcitatemque iam olim præsens viderat, direxit. Quare & Celestino Põtifici Maximo pro Hibernorum salute tandẽ etiam se supplicem abiecit. Qui eius petitionem pergratam habens, eũ non multo pòst Patritium vocatum tanquã futurum

Fit familiaris S. Germano Antisiodorensi.

Pro Hibernorũ salute adit Celestinũ papam.

rum multorũ patrẽ, Pontificia dignitate ornauit, ac sic deinde ad Hiberniam direxit. Transuectus est autẽ mare vir sanctus anno salutis humanæ quadringẽtesimo vigesimo quinto. De cuius aduentu cùm ad incolas allatum esset, magnus ex omni parte ad illũ concursus fiebat. Etsi enim reperti sunt nonnulli qui Præsulem ab Hibernicis finibus arcere sunt conati, tamen maior plebeculæ pars ad eũ alacris & læta tanquã ad domesticũ confluxit. Inerãt enim in Patricio permulta inuitamenta, quibus Hibernorum beneuolentiam facillimè colligebat. Egregia erat oris dignitas, verborum comitas mira, summa absque morositate grauitas: ad hæc Hibernicè loquendo cuiuis Hiberno par erat: incolarum itẽ ingenia iam inde ab adolescentia optimè tenebat: &, quod primum fuit, summa conciliandæ beneuolentiæ causa fuit ipse Deus, cuius singulari beneficio, prædicationi ipsius, Christianæque doctrinæ, breui ingens hominum multitudo assensum præbuit.

Veniens in Hiberniam a multis alacriter excipitur.

Eius insignes artes.

ITAQVE Patricius gregi suo tanquam bonus pastor acri inspectione inuigilabat; frequenti & assidua admonitione Christianos nouitios ad omnem pietatem informabat; infidelium errores conuincebat; reclamantes magos peruellebat; nec non & ægrotorum quoque grabatos concursabat, eorum mentes Euangelij pabulo nutriens, tum etiã corpora, quando expediebat, oratione sanans. Quem vitæ cursum dũ Patricius tenet, ecce tamen adhuc sunt qui illius doctrinæ effrenata & præcipiti mẽte obnituntur: alij etiam quasi in biuio vacillantes, in quam se viam dent, animis solicitis & anxijs anquirunt. Quorũ miserijs vt pius Pater quoquo modo occurreret, cùm illi instanter cælestium præmiorum, tormentorumque infernalium, quæ Patricius prædicabat, sensibus obiectum documentum aliquod peterent, ille ad tẽpus ab eis discedens, atq; ad Deum totus conuersus, humiliter eum rogabat vti eorum desiderio pro sua diuina prouidentia satisfacere dignaretur. Nec defuit eius præcibus Deus. Etenim eius instinctu ad Aquilonarem Hiberniæ plagam progressus, offendit caueam in quodam recessu, in quam qui intrabant, terribilia spectra, solatijs quandoque interpuncta, videbantur sibi videre. De quo sic apertè scribit Giraldus Cambrensis, qui floruit circa annum salutis millesimum centesimum octogesimum, in Topographia Hiberniæ, dist. 2.

Curat suorum & animas & corpora.

Impetrat à Deo sensibile documentum futurorum præmiorum & tormentorum.

Girald. Topograp. dist. 2.

EST, inquit, locus in partibus Vltoniæ, continens insulam bipartitam, cuius pars altera probatæ religionis Ecclesiam

habẽs spectabilis est, & amœna Angelorum visitatione. Pars altera, hispida nimis & horribilis, solis dæmonijs dicitur assignata; quæ & visibilibus cacodęmonum turbis & pompis ferè semper manet exposita. Et paulo pòst, Hîc, inquit, vt asserunt, tormenta si quis semel ex iniuncta pœnitentia sustinuerit, infernales ampliùs pœnas, nisi grauiora commiserit, non subibit. Hic autem locus Purgatorium Patricij ab incolis vocatur. Et causam eius rei subdens, De infernalibus namque, inquit, reproborum pœnis, de vera post mortem perpetuaque electorum vita vir sanctus cum gente incredula dum disputasset; vt tanta, tam inusitata, tam inopinabilis rerum nouitas rudibus infidelium animis oculata etiam fide certiùs imprimeretur, efficaci orationum instantia magnam & admirabilem vtriusque rei notitiam, duræque ceruicis populo perutilem, meruit in terris obtinere. Hæc ille ad verbum Scriptor tam vetustus. Migrauit autem ad cælestem lucem sanctus Patricius anno salutis humanæ quadringentesimo quinquagesimo octauo. Cuius corpus vnà cum corporibus S. Columbæ, & S. Brigidæ, inuenta sunt diuina reuelatione apud Vltoniam, in ciuitate Dunensi, circiter annum salutis millesimum centesimum septuagesimum sextum, attestante Scriptore eius temporis eodem Giraldo; qui etiam satis apertè commonstrat, huius Patroni beneficio perfectum fuisse vt nullius venenati animalis Hibernica terra vel procreatrix vel altrix esse possit. Ita enim ea de re scribit.

En purgatorium S. Patricij confirmatũ à Scriptore antiquiss.mo.

Transit vir sanctus ſi'i. iter.

INTER vniuersos, inquit, Hiberniæ baculos, ligneæq; naturæ Sanctorum reliquias, virtuosus ille & famosus, quem baculum Iesu vocant, non immeritò primus & præcipuus esse videtur: per quem vulgari opinione S. Patricius venenosos ab insula vermes eiecit. Cuius siquidem tam incertus est ortus, quàm tamen certissima virtus. Nostris autem temporibus & nostrorum operâ, nobilis hic thesaurus ab Armachia Dublinium est translatus. Sed & statim pòst, etiam aliud insigne miraculum de S. Patricio referens, cuius ipse fuit oculatus testis; Vidimus, inquit, etiam in VVallia, nec non & vehementiùs admiramur, baiulum quendam cornu quoddam æneum, quod S. Patricij fuisse dicebat, pro reliquijs in collo gestantem. Dicebat etiam ob reuerentiam Sancti neminem ausum hoc sonare. Quin etiam cùm Hibernico more circumstanti populo cornu porrigeret osculandum; atque interim Sacerdos quidam Bernardus nomine de manibus eius illud arripuisset,

Giraldus eiusdem topographia dist. 3.

Nota, venerandum etiã aliquando, cuius non potest inueniri origo.

Punitur Sacerdos quidã

puisset, & oris apponens angulo, aërémque impellens sonare cœpisset, mox ille, multis adstantibus, ore auretenus paralyticè retorto, in hac parte sic læsus est, vt semper hactenus linguæ fuerit impeditæ, ac præterea lethargum pariens, sic statim obliuioni cuncta tradidit, vt vix etiam se nomen habuisse meminisset, quem etiam literas, quarum notitiam copiosè satis habuerat, denuo mendicantem tanquam elementarium senem mirati sumus. Cui & tandem in Hiberniam ad S. Patricium excessus huius causa peregrè profecto, etsi plenior nonnihil valetudo rediit, sed non tamen plena. Atque hæc ille, atque hic simul sit historiæ de S. Patricio finis. *in S. Patricium irreligiosus.* *A eod. iterum v cunque sanatur.*

VITA S. GERTRVDIS VIRGINIS, EX *Natalibus D. Ioan. Molani, conformiter ijs quæ sunt apud R. P. Surium*

XVII. MARTII.

GERTRVDIS virgo clarissimis & per totam Europam promulgatis natalibus, hoc est, venerabili illo Pipino Magno, patre, Maiore domus Franciæ, exorta, ab ipsis pueritiæ annis viam mandatorum Dei ingressa, omnem lubricæ ætatis leuitatem fugiebat, assiduè beatæ memoriæ matri suæ Ittæ adhærens, & ab eius ore trahens verba vitæ & disciplinæ. Ancillis suis ipsa se ancillam præstabat, nec vsquã natalem suorum sublimitatem attendebat. Quæ dum altiori proposito virgineæ pudicitiæ sigillum consecrare vellet auctori castitatis Domino Iesu, superuenit ad ædes patris eius Pipini Rex Dagobertus: in cuius comitatu erat Ducis cuiusdam Austrasiorum filius, qui & in matrimonium eam postulauit, Sed virgo Deo dilecta, Regi, parentibus, & reliquis Principibus respondit: Ego neque hunc, neque quemuis alium, volo mortalem hominem: sed mihi sponsum delegi Christum, in cuius diuitiis cælum & terra sunt, & omnis ornatus eorũ. Et quidem eo responso confusus procus, aliquantum destitit. *S. Gertrudis nata. est.* *Iuuencula assiduè adhæret piæ matri.* *Recusat honoratissimas nuptias.*

VERVM enim verò, postea tamen iterum contra eã bellum resumpsit, arguens eam apud Pipinum patrem de puerili proposito. Quocirca & virgo beata piæ matris auxilio in Orientalem vsque Franciam fugit ad locum qui de nomine Karoli Karleburg nominatur: vbi & ob votum tutandæ castitatis insignem basilicam ædificauit, fugæ eius comitibus Atalongo Presbytero, & Bernardo Diacono, diuina ibi mysteria *Causa tutandæ castitatis, fugit in Franconiam.*

steria celebrantibus: ex quibus illi, hoc est, Atalongo, S. Kiliani quoque & sociorum corpora sunt reuelata. Remeauit autem beata Gertrudis ad propria, postquam indignus ille petitor thalami iudicio Dei percussus interiit, nec multò pòst obiit etiam pater eius Pipinus, foris veneranda canitie candidus, & intus bonorum operum splendore perornatus: atque interim ipsa matri Ittæ sedula & officiosa adhærebat: cùm ea terebat limina Ecclesiæ, vacabat ieiuniis, orationibus, necnon & Sanctorum necessitatibus.

Post mortem patris eius cõsecrat pia mater domum suam in monasterium.

QVIBVS diebus cùm superuenisset ad eam Amandus Episcopus, mox veneranda matrona, mater eius, castæ professionis velamen ab eo accepit, domúmque suam in Sanctimonialium monasterium eiusdem Antistitis consecratione commutauit. Ob quod factum multas calumnias & iniurias cum dilecta filia sua sustinuit. Sed mater vsque adeò non est his mota, vt etiam filiæ suæ ob hoc gaudenti, & ne fortè eam animorum corruptores vi è se aliquando abstraherent, licet nondum consecratæ, arrepta tamen forfice capillos absciderit. Vnde & ipsa etiam aliquanto pòst inter virgines suscepto velamine consecrata est, ac deinde, succedente tempore, vnanimi consensu ad regimen quoque expetita. Erat iuuencula ætate, sed in doctrina discreta, in patientia longanimis, mansuetissima pietate, infirmitati proxima per compassionem, virtutibus congaudens per charitatẽ: in eleemosynis & hospitalitate maternæ traditionis cooperatrix sedula, omnia prædia amplissimi patrimonij conferens Ecclesiæ in vsum Sanctimonialium, pauperum, ac peregrinorum. Foillanum sanè, Vltanum, aliósque transmarinos viros, lucra animarum quærentes, lætissimè suscepit, quosdam etiam apud se retinuit. Sed & pretiosos codices, & de vrbe quoque Roma pignora diligenter acquisiuit Sanctorum: atque inter hæc scilicet Dominicæ seruitutis augmenta beata Itta ad Dominum migrauit.

Expetitur sancta Gertrudis ad cœnobij eius regimen.

Liberalissimè fouet prædicatores sanctos.

Exod. 18.

Partitur onus suũ exemplo Moysi.

POST cuius mortem mox sancta Gertrudis onus, quod ei iam soli incumbebat, in plures diuisit, exemplo Moysi. Atque foris quidem agenda fratribus in timore Dei perfectis commisit, intus autem spiritualibus sororibus rei familiaris curam demandauit; idque vel maximè, vt posset ipsa liberiùs die ac nocte in sancto agone persistere, & vigilando, orando, sacris incumbendo lectionibus & ieiuniis, aduersus spirituales nequitias dimicare. Et hac quidem ratione eóusq; progressa est, vt penè omnem scripturam diuinam memoriç commendârit,

obscura

obscura quoque allegoriæ mysteria, sancto reuelante spiritu, luculenter explanâtit. Sed & exstruebat quoque diuorũ templa, aliáque egregia ædificia, simul orphanis, viduis, captiuis, peregrinis, & clericis victum quotidianum liberaliter subministrans, in his in ascensu spiritalium ita proficiens, vt cernentibus sororibus lux etiam sphæræ igneæ super eam aliquando irradiare sit visa. Deinde & nuncios quoque suos in mari periclitantes, inuocata licet absens corpore, ipsa liberauit, ac denique etiam beati Foillani martyris corpus indicio supernæ reuelationis ipsa meruit inuenire. Iam extenuata erat beata virgo abstinentia, vigiliis, aliisque cælestibus disciplinis, cùm omne onus suum cognatæ suæ Vuolfetrudi, etsi nolenti, imposuit, vt ipsa reliquum trium mensium tempus in sanctitatis augmento expenderet, tanto instantiùs, quanto se breuiùs hîc futuram ex diuina reuelatione didicerat.

Eius studium in loca sacra & pauperes.

Nota duo insignia miracula.

* Vuilfetrudi.

ET iam quidem post obitum pompam sibi nullam adhiberi decreuerat, sed corpus tegi tantùm cilicio, quo vti cõsueuerat, & caput velo penè nullius pretii, quod peregrina Sanctimonialis illi pro benedictione miserat, iam etiam, vt certum diem suæ vocationis agnosceret, miserat ad beatum Vltanum monachum degentem in monasterio quod * Vossuinse appellant: denique iam responderat ipse dicens: Crastino die intra Missarum solennia corpore abscedet, sed non trepidet in exitu suo: Patriciũm enim Episcopũ cum Angelis sanctis obuium habebit: cùm ecce illo ipso die, anno ætatis trigesimo tertio, sumpto sacratissimi corporis & sanguinis viatico, animam suam creatori reddidit, mox post obitum apparens Modestæ Abbatissæ Treuirensi. Sepulta est autem in basilica Principis Apostolorum quo loco, sicut & ad lectulum eius in quo post longas vigilias membra nonnihil refouere solita erat, permulta signa edita sunt. Quibus commota germana soror Beggha, post obitum viri sui simile monasterium * Andeanæ construxit, ad quod ex Niuella sorores euocauit, inde etiam inter reliquias partẽ lecti accipiens, ad quem certè innumera facta sunt miracula, Christo glorificãte sponsam suam.

Moritura petit corpusculum tantũ tegi suo consueto cilicio.

* Fossuense, *vel potius* Fossense.

Migrat ad Dominum.

Miracula ad eius sacrum lectulum.

* Andanæ.

VITA S. CYRILLI EPISCOPI HIE-
rosolymitani, Scriptoris Ecclesiæ, ex ea que est apud R. P. Laur. Surium.

CYRIL

XVIII. MARTII.

Est collecta ex auctoribus historia tripertita.

S. Cyrillus quo tempore floruerit.

CYRILLVS Hierosolymitanus, qui inter sanctos illos Catholicæ doctrinæ propugnatores non immeritò & ipse à Scriptoribus Ecclesiasticæ historiæ recensetur, claruit temporibus Constantij Imperatoris, & aliquot eius successorum. Hic sanè (vt Socrates refert libro tertio) cùm Iulianus Imperator apostata Iudæis templum Hierosolymis instaurare iussisset, & ad hoc de publico quoq; sumptus subministrasset, memor vaticinij Danielis, quod & Christus in Euangeliis confirmauit, palam & constanter ædificatoribus prædixit, quod in eo templo lapis super lapidem nó remaneret. Nec fuit vana eius prædictio. Etenim cùm hoc dixisset, noctu terræmotus magnus factus, lapides fundamentales veteris tépli structuræ totos euulsit, ac cunctos vnà cum contiguis ædificiis dispersit. Quin etiam ad miraculum cõuenientibus Iudæis, ignis quoque cælitus delapsus cuncta artificũ instrumenta consumpsit, nec non & sequẽti nocte signa crucis instar radij solaris splendentia vestibus illorũ impressa comparuerunt, quæ extergere nullo pacto potuerũt. Successit autẽ Cyrillus in Hierosolymitana sede Episcopo Maximo, de quo ita Theodoretus lib. 2.

Templũ Hierosolymorum instaurari cœptũ, ipso prædicante, subito terræ motu concidit.

Nota de crucis diuinitus impressis vestibus Iudæorum.

PRIMATVM, inquit, Hierosolymorum post Macarium illum, cuius sæpè à me facta est mentio, obtinuit Maximus, vir ob certamina pro pietate suscepta egregiè nobilitatus: quo ad vitam immortalem trãslato, Cyrillus item alacris & promptus doctrinæ Apostolicæ propugnator in Episcopatus gradu locatur. Hæc ille. Certè quia tam strenuus fuit eius doctrinæ assertor, multas etiam passus est propterea persecutiones ab Arrianis. Nam & cùm animaduertissent illum vehemẽter hæresibus obstare, congestis quibusdam calumniis, in quodam conciliabulo suo accusare illum, & deinceps, ita vt aliàs alios nonnullos Catholicos Episcopos, more suo deponere non dubitarunt, idque ex negocio pietatis illius erga egenos quæsito prætextu, vt auctor est Sozomenus libro quarto. Cæterùm Episcopi Catholici centum quinquaginta, qui non ita multò post Seleuciam ad Synodum conuenerant, depositionem illam nullo modo ratam habuerunt, imò etiam potiùs aduersarium illius, & auctorem depositionis Acacium, quàm ipsum, ab illa Synodo excludere maluerunt, de quo etiam Theodoretus vbi suprà.

Multas patitur vir sanctus persecutiones ab Arrianis.

Reponitur in suam sedem per Synodum Seleuciẽsem

QVIN & Nicephorus de actis Seleucianæ Synodi, & de Acacianis ibi scribens, Neque eandem, inquit, cum aliis fidem

 profi

profiteri,neq; ad obiecta crimina respondere sustinuere. Quin etiam ad Cyrilli Hierosolymitani causam audiendam inuitati,quę ipsi Episcopatu abire iusserant,non adfuêre. Ex quibus patet,quanta fuerit Cyrilli integritas, quem ne accusare quidem coram legitimis Iudicibus aduersarij audebant, sed tantùm apud suos sectarios:quorum adeò tum creuerat potẽtia & audacia,cùm intelligerent Imperatorem suarũ esse partium,vt ipsi nihilominus,quos semel iniquè deposuissent, iniquiùs vi & armis de suis sedibus exturbarent, & alios pro suo arbitrio substituerent,Ac denique vt cõcludam verbis D.Hieronymi in Catalogo:Cyrillus Hierosolymæ Episcopus sæpe pulsus Ecclesia,& receptus,ad extremũ sub Theodosio Principe octo annis inconcussum Episcopatum tenuit. Qui quàm præclaram & sanctam sui memoriam apud posteros reliquerit,tum scripta illius quæ exstant, tum etiam Orientalis Ecclesiæ Calendaria testantur,in quibus die XVIII.Martij solenniter sancta eius memoria celebratur.

Nihilominus exturbatur ab Arrianis vi.

Eius insignes lucubrationes.

VITA S. EDVARDI REGIS ANGLIÆ *& martyris,ex ea qua est apud R P. Surium ex M.S.*

XVIII. MARTII.

INCLYTVS Rex Eduardus multa fuit generis claritudine insignitus. Hic ab antiquis Britanniæ Regibus originẽ ducens,&,quod illustrius est, in teneris annis à Dunstano sanctissimo Pontifice Cantuariensi Christi sacramento regeneratus,cœpit mox virtute & probitate pollere. Patrem habuit Edgarum Regem, rebus & bello & pace gestis valde insignem,matrem verò Elfledam, præpotentis cuiusdam Orientalium Anglorum Ducis filiam. Et quidem Edgarus, postquam non pauca sibi eius terræ loca subdidisset, & iam monarchiam obtinere videretur,solus imperio potitus, vbi priùs multi regnauerant, hortantibus eum SS. Dunstano Cantuariensi, & Atheluuoldo Vuintoniensi Episcopis, multa monasteria illarũ regionum quas subiugarat, ab aliis vastata, suis impendiis iussit instaurari, nonnulla etiã noua à fundamentis exstrui, ad quorum alia misit Abbates cum Monachis disciplinæ monasticę conuenienter victuris,ad alia Christo seruituras Sanctimoniales. Omnibus autem prædia & villas attribuit, vnde affatim eis suppeterent quæ ad victum vestitumque pertinerent. Et quidem habebat etiam Rex Edgarus

S. Edvardi pater Rex Edgarus.

Construuntur & instaurantur per eius patrem multa monasteria.

ex alte-

ex altera coniuge filium Ethelredum.

INTERIM tamen Eduardus maior natu filius, optimæ indolis puer, lasciuiam omnẽ, & illecebrosas vitæ huius voluptates respuens, ita se erga Deum & homines comparare studebat, vt Deo quidem ante omnia, mentis & corporis integritate sectanda placeret, hominibus verò gratum & amabilem se exhiberet, multa industria & prudentia conspicuus. Atque his pater eius Edgarus permotus, voluit illum post se regnare. Itaque & defuncto Edgaro (quod fuit anno à Christo nato nongentesimo septuagesimo septimo, regni verò sui decimo sexto) Eduardus ex patris voluntate à S. Dunstano, & quibusdam regni Proceribus Rex creatur, non obstante, quòd consecrationis eius tempore quidam regni optimates se illi opposuerunt. Qui sanè sicut à Rege Regum Christo dirigebatur, ita paternis quoque vestigijs insistens, tam rebus bellicis quàm Ecclesiasticis negocijs strenuum ac deuotum intendit animum, sancti Pontificis Dunstani, aliorumque religiosorum & spectatæ integritatis virorum consilio omnia agens. Hostibus & flagitiosis hominibus seuerum se præbebat & terribilem; pijs, & illis præcipuè qui essent sacris initiati, quẽadmodum à patre didicerat, benignum; ab omni illos infestatione defendens.

S. Eduardi insignis adolescentia.

Rex factus, omnia sua agit consilio S. Dunstani.

SED & præterea quotidiana erat illi exercitatio, inopes alere, pauperes beneficijs fouere, nudos tegere, in maximis lucris ponere quicquid in miseros contulisset. Et magna profectò tunc apud Anglos erat lætitia, inconcussa pax & tranquillitas; multa rerum opulentia existebat. Videbant enim Regem suum in tenera adhuc ætate talibus studijs deditum; tũ quoque cunctis affabilem, castitate venerabilem, facie iucundum & decorum, consilio & prudentia spectatissimum. Sed torquebatur interim inuidia coluber tortuosus, totius boni æmulus, eiusque felices conatus, & communia regni totius gaudia interturbare modis omnibus annitebatur. Nec multa mora. Toto odio inflammat animum nouercæ eius Elfridæ; quæ ægiè ferebat Eduardum suo filio Ethelredo antelatum: Conuertitur autem ad callida consilia mulier detestabilis, & tandem, quod animo secum diu tractarat, quibusdam suis consiliariis & regni primoribus exponit, & (proh nefas!) in Eduardi necem pariter conspirant.

Quotidianus est in misericordia pauperum.

Consurgit contra eum Satan.

Conspirat in eius necẽ ipsa eius nouerca.

IAM tres annos & menses octo Eduardus regno potitus erat; cùm in siluam, cui villa Vuetham adiacet, venationis causa

causa proficiscens, inde digressus solus ad domum nouercę, in locum quem incolæ Corph vocant, venit. Occurrit illa obuia mox cum satellitibus, tanquam eius aduentu sibi gratulans; blandè & comiter salutat, inuitat ad hospitium. Quid multa? Illo recusante ingredi, tantumque fratrem se Ethelredum videre & alloqui velle affirmante, regina ad alia se transfert machinamenta. Iubet absque mora potum Regi adferri. Adfertur potus. Rex nihil mali suspicans, admouet ori poculum; & ecce, vnus ex Reginæ administris, cæteris ad audendum promptior, cùm priùs teterrima simulatione Regem osculatus esset, quemadmodum Iudas Christum, Rege summis labris potum degustante, in illum cruentissimus latro insiliit, cultroque eius viscera transfixit. Quo ille tam atroci accepto vulnere, paululum inde deflexit, sed mox ex equo, quo sedebat, exanimis corruit: quod tã barbarum facinus incidit in annum Christi 981. &, quod dictu quoque nefas est, in sacrum Quadragesimæ tempus, nempe diem 15. Calend. Aprilis. Cæterum vbi cognouit Regina illum de equo cecidisse mortuum, iubet corpus exanime proijci in vicinum domicilium. In illa autem domuncula mulier erat à primo ortu cæca, quam Regina alebat. Quæ cùm proxima nocte illic sola pernoctasset, ecce intempesta nocte immensa lux domicilium illud compleuit, & cæca illa Dominum deprecans, meritis sancti Regis lumen diu desideratum obtinuit; in cuius rei memoriam etiam in eodem loco postea templum ædificatum est.

Impiissimè Rex pius trucidatur.

Cæca quædam per ipsum recipit lumen.

ILLVCESCENTE autem die, cùm rem gestam ex femina didicisset crudelis Regina, multum anxia timere cœpit, eadem, cuius ipsa auctor fuerat, propalatum iri. Mox igitur præcipit tolli sacrum corpus, & in plaudes deprimi, ne posset ab vllo vnquam reperiri. Sed volens præpotens Deus martyrem suum mundo innotescere, corpus eius venerabile quibusdam fidelibus deuotè illud inquirentibus reuelare dignatus est, in loco, vbi in plaudẽ depressum erat, columna ignea sæpius cælitus demissa: vnde & pij viri in vicina villa in vnum collecti sacrum corpus in villam suam transtulerunt, ad templũ beatissimæ Mariæ, vbi lignea ædicula à viris religiosis ædificata hodieque cernitur; & fons in eo loco, vbi priùs iacuerat, dulces & perspicuas iam inde ab illo tempore emanat aquas, diciturque fons S. Eduardi: vbi sanè multa ægris quotidie præstantur beneficia. Atque ibi sacer ille thesaurus re-

Depressũ sacrũ corpus in paludẽ, proditur de cælo per columnam igneam.

conditus est, quousque iam fama diuulgante, Episcopi & Abbates cum viris alijs feminisque venerabilibus (inter quos & ipsa S. Eduardi soror Sanctimonialis, & comes Alferius è Dorsata) illum cum ingenti gratulatione ad celeberrimum cœnobium Schephthoniã deferunt, quod olim diuæ memoriæ Elfredus Rex S. Eduardi atauus cõdiderat, vbi deinceps multa sunt ægris diuinitus collata beneficia, sicut è contra non cessauit quoque diuina vltio in Reginam, eius cædis auctorem, nimirum dum eò tendens, progredi nullatenus potuit.

Tandem sacer thesaurus solenniter transfertur in Schephthoniam.

DE S. IOSEPH SPONSO B. MARIÆ,

ex D. Bernardo, vt est in Ordinario nouo.

XIX. MARTII.

QVIS & qualis homo fuerit beatus Ioseph conijcere licet ex appellatione, qua, licet dispensatoria, meruit honorari à Deo, vt pater Dei dictus & creditus sit: conijcere licet & ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubites interpretari. Quare & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Aegypto, & scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam quoque fuisse adeptum, necnon & innocentiam assecutum & gratiam. Siquidem ille Ioseph fraterna ex inuidia venditus & ductus in Aegyptum, Christi venditionem præfigurauit; iste Ioseph, Herodianam inuidiam fugiens, Christum in Aegyptum portauit. Ille domino suo fidem seruans, dominæ noluit commisceri: iste Dominam suam, Domini sui matrem, virginem agnoscens, & ipse continens fideliter custodiuit. Illi data est intelligentia in mysterijs somniorum: isti datum est conscium fieri, atque participem cælestium sacramentorum. Ille frumenta seruauit non sibi, sed omni populo: iste panem viuum è cælo seruandum accepit tam sibi quàm toti mundo. Et sanè non est dubium quin bonus & fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui mater desponsata est Saluatoris, Fidelis, inquam, seruus & prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suę carnis nutritium, solum denique in terris magni consilij coadiutorem fidelissimum.

S. Ioseph dictus pater Dei.

Confertur hic sanctus Ioseph cum venerabili Ioseph Patriarcha.

Solus ipse magni illius consilij coadiutor.

VITA S. LANDOALDI CONFESSORIS,

ex ea quæ est per Nodgerum Episcopum Leodiensem.

XIX.

XIX. MARTII.

CVM beatus Amandus officium susceptum strenuè impleret, Vacceiam, id est, Vasconiam & Danubium etiam vltra perreptans, verbumque Domini annuncians; vires tamen suas ad opus tam arduum vidit non sufficere: vnde & Romam deliberauit iteratò redire. Romanum Pontificatum Martinus Papa tum administrabat. Cui cùm Amandus votum, cuius obtẽtu venerat, exposuisset; obnoxiè, vt sibi ad id opus peragendum suppetiæ mitterentur, poposcit. Et quidem destinati sunt ei plures, inter quos & S. Landoaldus Archipresbyter & Amantius Diaconus, quos etiam comitatæ sunt sanctæ feminę Vinciana & Adetrudis cum aliis viris & mulieribus. Atque hic est venerabilis ille Landoaldus. Etenim per id tempus beatus Ioannes Tungrensium vel Traiectensium feliciter regens Põtificatum, mortem occubuit, cùm Dagobertus Rex, qui patre defuncto rerum potitus auspicabiliter successerat, B. Amandũ euocauit, & Traiectensium cathedræ præsidere fecit: qui & per triennium vicos & castra, verbum vitæ annunciando, circuiuit. Sed nihil se proficere cernens, Sacerdotes insuper & Leuitas insultare sibi dolens, ad alia deinceps loca demigrauit. Et quidem incompertum est quãta temporis intercapedine plebs Traiectensium fuerit vsque ad B. Remaclum sine pastorali benedictione, nisi quòd interea B. Landoaldus illic remanserit, & per nouem annos vices Pontificis administrarit.

S. Lãdoaldus primus eorum qui dati sunt S. Amando cooperarij.

Sublimatur S. Amandus in cathedram Traiectẽsem.

Gerit eius vices per nouem annos S. Lãdoaldus.

QVI vir qualis & quantus fuerit, vel inde etiam solùm colligitur, quòd specialem patronum nostrum, sanctum scilicet Lambertum, nobilem atque admirabilem puerum, cui Deus geminam Episcopatus & martyrij palmam parabat, vnus ipse prima pueritia nutrierit. Propter quod & illustris vir Aper, eiusdem pueri pater, prædium vocabulo Vuentershouum super Archa fluuium positum eidem ad inhabitandum & Ecclesiam construendam perpetuo iure concessit, & eundem puerum diuinis dogmatibus imbuendum cum eo manere constituit. Vbi sanè (vt ad miracula veniam) dum artifices operi insistũt, & aquam, vtpote de paludibus turbidam, fastidiunt; in primis B. Landoaldus cum puero Lãberto, inuocato Christi nomine, cum crucis protensione, fontem limpidissimum ibi baculi impressione omnium visibus fecit ebullire, qui & fidem dictis prębet vsque hodie. Sed & aliò quoq; tempore, cum vsui necessario ignis deesse videretur, accitus à viro sancto puer ignẽ inferre iubetur. Tum puer, At vas, inquit, Domine,

Datur S. Lãdoaldo instruendus S. Lambertus.

quo ignis oportunè importetur, deest: cùm ita ad eum rursus pius Pater, An placet, inquiens, fili, paternæ iussioni morã fieri, cùm ea, qua tegeris veste, ignis queat inferri? Qua puer motus increpatione, cùm præterea obedientię exẽplo teneri se cerneret, imperio Patris sanè obtemperat, pauloque progressus ignem requirens properat. Nec moratus, nihil adesse videns quo eum oportuniùs ferret, gremium prunis ardentibus laxat, & ita veste illæsa ad Patrem vsque deportat.

S. Lãbertus eius iussu fert ignem in gremio illæsus.

QVOD miraculum vbi ad populares aures recens peraccessit, tum demũ omniũ ore puer extollitur, tum etiam res diuinitus gesta partim obedientis merito, partim iubentis imperio adscribitur. Quin potiùs ex vtriusque sanctitate virtus eadem acta creditur. Sed & sperabatur etiam alia multa per eorum meritum illic Christus miracula facturus. Quorum rumore Childericus Rex tunc sedem habens apud Traiectum excitatus, tactus cõpassione, sumptus necessarios mittebat ei quotidie: vbi & quadam vice Adrianus, eiusdem beati viri ad Regem internuncius, nimia auri & argenti pondera deportare creditus, à latronibus est interceptus, & in medio viæ loco villari martyrium indeptus. Denique hominem exuit beatus Landoaldus, brauium coronæ perennis accepturus, quarto decimo Calend. Aprilis, sepultus in Ecclesia quam ipse ædificauerat in honore S. Petri. Quo eodẽ in loco socij peregrinationis eius omnes iuxta illum sepulti sunt, imò Amantius Diaconus etiam vna eademque theca cum eo collocatur. Porro corpora è terra eleuauit Calendis Decembris Florbertus secundus à beato Lamberto Leodiensium Antistes, excitatus tum multitudine miraculorum quæ ibi fiebant, tum etiam diuina commonitione. Sed & ea Sanctorum pignora postmodum Gandense S. Bauonis monasterium ex Vvintershouen, sui iuris pago, anno nongentesimo octuagesimo Gandauum transtulit, sub Vuimaro Abbate.

Quotidie mittuntur eis sumptus à Rege Childerico.

Claret post mortem multis miraculis.

VITA S. CVDBERTI EPISCOPI
Lindisfarnensis, ex V. Beda historia lib. 4.

XX. MARTII.

Lib. 4. c. 27.

IPSO anno quo finem vitæ accepit Rex Egfridus, Episcopum fecit ordinari Lindisfarnensium Ecclesiæ virum sanctum & venerabilem Cudbertum, qui in insula permodica, quæ appellatur Farne, & ab eadẽ Ecclesia nouem fermè millibus

libus passuum in Oceano procul abest, vitam solitariam per annos plures in magna corporis & mentis continentia duxerat. Qui quidem à prima ætate pueritiæ, studio religiosæ vitæ semper ardebat: sed & ab ineunte adolescentia monachicum & nomen assumpsit & habitum. Intrauit enim primò monasterium Mailros, quod in ripa Tindi fluminis positum tunc Abbas Eata, vir omnium mansuetissimus, regebat. Qui postea Episcopus Hagulstadensis siue Lindisfarnensis Ecclesiæ factus est. Cui tempore illo præpositus Boisil magnarum virtutum & prophetici spiritus sacerdos fuit. Cuius discipulatui Cudbertus humiliter subditus, & scientiam ab eo sanctarum Scripturarum, & bonorum operum sumpsit exempla. Qui postquam migrauit ad Dominum, Cudbertus eidem monasterio factus Præpositus, plures, & auctoritate magistri, & exemplo suæ actionis, regularem instituebat ad vitam. Nec solùm ipsi monasterio regularis vitæ monita simul & exempla præbebat, sed etiam vulgus circumpositum longè latéque à vita stultæ consuetudinis ad cælestium gaudiorum conuertere curabat amorem. Nam & multi fidem, quam habebant, iniquis profanabant operibus, & aliqui etiam tempore mortalitatis, neglectis fidei Sacramentis (quibus erant imbuti) ad erratica idololatriæ medicamina concurrebant, quasi missam à Deo conditore plagam per incantationes, vel philacteria, vel alia quælibet demoniacæ artis arcana, cohibere valerent.

S. Cudberti religiosa pueritia.

Præponitur monasterio Mailros.

Implicatos variis superstitionibus continuè reuocat ad meliorem frugē.

ATQVE adeo ad vtrorumq; corrigendum errorem crebrò ipse de monasterio egressus, aliquotiens equo sedens, sed sæpius pedibus incedens, circumpositas veniebat ad villas, & viam veritatis prædicabat errantibus, quod ipsum etiam Boisil suo tempore facere consueuerat. Cæterùm Cudberto tanta erat dicendi peritia, tantus amor persuadendi quæ docuerat, tale vultus Angelici lumē, vt nullus præsentium, latebras ei sui cordis celare præsumeret, quin omnes palàm quæ gesserant, confitendo proferrent: quia nimirum hæc eadem illum latere nullo modo putarent, & confessa, dignis, vt imperabat, pœnitentiæ fructibus abstergerent. Solebat autem ea maximè loca peragrare, & illis prædicare in viculis, qui in arduis asperisque montibus procul positi, aliis horrori erant ad visendum, & paupertate pariter ac rusticitate Doctorum arcebant accessum. Quos tamen ille libenter, pio mancipatus labori, tanta doctrinæ solertis excolebat industria, vt de monasterio

Nulli eū audet celare sua secreta.

Nulla difficultate retardatur ab officio prædicandi.

egressus sæpe hebdomada integra, aliquando duabus vel tribus, nonnunquam etiam mense pleno domum non rediret, sed demoratus in montanis plebem rusticam verbo prædicationis simul & opere virtutis ad cælestia vocaret.

Transfertur vt erudiat fratres Lindisfarnenses.

SED cùm venerabilis Domini famulus Cudbertus, multos in Mailrosensi monasterio degens annos, magnis virtutum signis effulgeret, transtulit eum reuerendissimus Abbas Eata ad insulam Lindisfarnensium, vt ibi quoque fratribus custodiam disciplinæ regularis, & auctoritate Præpositi intimaret, & propria actione præmonstraret. Nam & ipsum locum tunc idem reuerendissimus Pater Abbatis iure regebat. Siquidem & à temporibus antiquis ibidem & Episcopus cum Clero, & Abbas solebat manere cum monachis, qui tamen & ipsi ad curam Episcopi familiariter pertinerent; quia nimirum Aidan, qui primus eius loci Episcopus fuit, cum monachis illuc & ipse monachus adueniens, monachicam in eo conuersationem instituit. Sed exinde Cudbertus, crescentibus meritis religiosæ eius intentionis, ad anachoreticæ quoque contemplationis silentia secreta peruenit. De quo illud sanè commemorare operæ precium est, quòd aditurus insulam, protestatus est fratribus dicens: Si mihi diuina gratia in loco illo donauerit, vt de opere manuum mearum viuere queam, libens ibi morabor; sin alias, ad vos citissimè, Deo volente, reuertar. Erat enim locus & aquæ prorsus & frugis & arboris inops, sed & spirituum malignorum frequentia humanæ habitationi minùs accommodus. Sed ad votum viri Dei habitabilis per omnia factus est: siquidem ad euentum eius spiritus recesserunt maligni.

Eadem lib. 4 c. 28.

Locus prius prorsus inhabitabilis, per ipsius aduentu habitabilis.

QVIN etiam cùm ipse sibi ibidem, expulsis hostibus, mansionem angustam, circumuallante aggere, & domos in ea necessarias, iuuante fratrum manu, id est, oratorium & habitaculum commune construxisset, iussit fratres in eiusdem habitaculi pauimento foueam facere. Erat autem tellus durissima & saxosa, cui nulla omnino species venæ fontanæ videretur inesse. Quod dum facerent, ad fidem & preces famuli Dei alio die aqua plena inuenta est, quæ, vsque ad hanc diem sufficientem cunctis illò aduenientibus gratiæ suæ cælestis copiam ministrat. Sed & ferramenta sibi ruralia cum frumento afferri rogauit. Sed ecce dum præparata terra tempore congruo illud seminaret, nil tamen omnino non dico spicarum, sed ne her-

Impetrat diuinitus aquã.

Exercetur à Deo ipsius patientia & postea remuneratur.

hæ quidem ex eo germinari vsque ad æstatis tempora contigit. Vnde visitantibus se ex more fratribus, hordeum iussit adferri, si fortè vel natura soli, vel voluntas esset superni largitoris, vt illius frugis ibi potiùs seges oriretur. Quod dum sibi allatum vltra omne tempus serendi; vltra omnem spem fructificandi eodem in agro sereret, mox copiosa seges exorta desideratam proprij laboris viro Dei refectionem præbebat.

VERVM cùm ibidem multis iam annis Deo solitarius seruiret, contigit vt congregata Synodo non parua, sub præsentia Regis Ecgfridi iuxta fluuium Alnæ, in loco qui dicitur Adtvviforda, quod significat ad duplex vadum, cui beatæ memoriæ Theodorus Archiepiscopus præsidebat, vno animo omniumque consensu, ad Episcopatum Ecclesiæ Lindisfarnensis idem Cudbertus eligeretur. Qui cùm multis legatis ac literis ad se præmissis nequaquam suo monasterio posset erui, tandem Rex ipse præfatus vnà cum sanctissimo Antistite Trumuuini, nec non & alijs religiosis ac potentibus viris, in insulam nauigauit. Conueniunt & de ipsa insula Lindisfarnensi in hoc ipsum multi de fratribus; genu flectunt, omnes adiurant per Dominum, lacrymas fundunt, obsecrãt, donec ipsum quoque lacrymis dulcibus plenum extrahunt latebris, atque in Synodum pertrahunt. Quò dum perueniret, quamuis multum renitens, vnanimi cunctorum voluntate superatur, atque ad suscipiendum Episcopatus officium collum submittere compellitur, eo maximè victus sermone, quòd famulus Dei Boisil (cùm mente prophetica cuncta ei, quæ ei essent superuentura, patefaceret) Antistitem quoque eum futurum esse prædixerat. Electus est autem primò in Episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ pro Trumberto, qui ab Episcopatu fuerat depositus. Sed quoniam ipse plus Lindisfarnensi Ecclesiæ, in qua conuersatus fuerat, dilexit præfici; placuit, vt Eata reuerso ad sedem Ecclesiæ Hagustaldensis, cui regendæ primò fuerat ordinatus, Cudbertus Ecclesiæ Lindisfarnensis gubernacula susciperet.

Eligitur Episcopus Lindisfarnensis.

Vix tandem consentit electioni.

PORRO susceptum Episcopatus gradum ad imitationem beatorum Apostolorum virtutum ornabat operibus. Commissam scilicet sibi plebem & orationibus protegebat assiduis, & admonitionibus saluberrimis ad cælestia vocabat. Et (quod maximè Doctores iuuare solet) ea quæ agenda docebat, ipse priùs agendo præmonstrabat. Erat quippe ante om-

Episcopus factus, insigniter insistit suo muneri.

dem horum tempore Regum, electione populi Senonicæ vrbis, consensuque ac fauore omnium etiam Pontifex eligitur, & benedicitur. Erat enim diuinæ dilectionis igne succensus, orationum deuotioni solertissimè intentus, affabilis omnibus, & abstinentiæ etiam castigatione insignis. Sed aliquot annis in Præsulatu administratis, superno oraculo in visu admonitus vt genti Frisonum verbum Domini euangelizaret, inito opere Apostolico, mox proposuit animo pluribus prodesse.

Fit Episcopus Senonensis.

ERAT eo tempore in vrbe Rothomagensi Præsul sanctissimæ religionis & Abbas monasterij Fontanellæ famulus Domini Ansbertus. Quem Pontificem adiens beatus Vulfrannus, suam ei patefecit voluntatem. Nam & anteà possessionem suam, quæ vocatur Mauruliacus, quæ sita est in territorio Vastinensi, per testamenti seriem prædicto sacro loco & ipsi sancto Patri contradiderat. Denique ad præfatum Fontanellense monasterium perueniens, deque eodem loco cooperatores verbi strenuos assumens, præparatis omnibus quæ nauigantibus necessaria esse videbantur, in portu eiusdem monasterij nauim ascendit, & per fluuium magnum Sequanæ mare introiens nauigauit in Frisiam. Et quidem genti illi ac Duci eius Radbodo verbum Dei annunciabat, dicens deos non esse qui manibus hominum facti essent; Deum potiùs intelligendum maiestate incomprehensibilem, omnipotentem, æternũ. Quæ & his similia prosequente inclyto Christi sacerdote vnà cum comitibus, multi nobilium & infirmorum, abrenunciata sorde idololatriæ, fidei fonte abluebantur, inter quos & filius prædicti Radbodi Ducis: qui, imposito sibi nomine sui genitoris, baptizatus à præfato Pontifice, & ab eo de sacro fonte susceptus, adhuc in albis positus, carne solutus, mundus, vt creditur, trãsiuit è mundo. Plurima autem virtutum miracula & in itinere, & in eadem gente per Vulfrannum fiebant: ex quibus saltem vnum adferam.

Monetur diuinitus vt eat ad conuertẽdus Frisones.

Assumit ad eam rem cooperarios ex Fontanella.

Inter alios cõuertitur per eũ & ipse filius Ducis Frisonum.

BARBARA lege, quécunque sors elegerat, is dijs immolandus ad laqueum ducebatur. Sors in puerum Ouonem cecidit. Cuius vitam cùm ab incredulo Duce Vulfrannus obtinere non posset, ecce precibus à Deo obtinuit eius iam duas ferè horas suspẽsi incolumitatem. Ex quo facto plurima Frisonum multitudo est conuersa, ipseque Ouo salutaris lauacri vnda perfusus, in Fõtanella Presbyter postea vitam Deo digna conuersatione terminauit. Inter hæc autem quoque Prin-

Excitat à morte quendam suspensum.

Nota: fuit contemporaneus S. VVillebrordo.

ceps Radbodus VVillebrordum, cognomento Clementem, Episcopum & Doctorem præfatæ gentis accersiri fecit, vt ad eius consulta simul cum B. Vulfranno in doctrina suæ religionis concordante, quasi efficeretur Christianus. Sed quoniam, vt scriptum est, in maleuolam animam non introibit sapientia; quia dubitando per omnia in fide Catholica, & tentando sanctos Antistites, loquebatur, ideo obtinere non meruit quod ficte quærebat. Quin cùm eius legatum super hoc suscepisset VVillebrordus, respondisse fertur: Quia prædicationem sancti fratris nostri Vulfranni Pontificis Dux vester audire contempsit, nec meis obsecundabit dictis, & hac nocte vidi illum in visu catena religatum ignea. Nec sine veritate fuit visio. Nam cùm legatus iter caperet, quod ad domum eiusdem Ducis ducebat, nunciatur ei ipsum sine baptismi sacramento iam esse mortuum.

Prauidet sanctus VVillebrordus Ducem Radbodi dãnationem.

ATQVE talis scilicet erat Vulfrannus in prædicando Frisonum genti cum licentia Regis Childeberti & Pipini Principis; quod opus etiam per annos quinque infatigabiliter peregit, ad Fontanellam monasterium tamen interim sæpius reuertens; vbi & monachicum assumpserat habitum. Sed & in eadem verbi Dei prædicatione occupatus, & in maiori senectute iam positus (nam & pedum dolore frequenter vexabatur) ordinato in Episcopatu Senonicæ vrbis Gerico venerando Pontifice, secessit prorsus ad præfatum Fontanellæ cœnobium, ibique regularibus subditus disciplinis coronam exspectabat æternam; ac tandem, languore corporis, quem diu protraxerat, per dies ingrauescente, septimo, vt sibi diuinitus promissum fuerat die, postquam obitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit, soluta ibi ab ergastulo corporis anima sancta, ducentibus Angelis, æternæ felicitatis gaudia, & consortia ciuium petijt supernorum, decimo tertio Calendas Aprilis.

S. Vulfrannus deposito Episcopatu secedit ad monasterium Fontanellense.

Transit feliciter.

VITA S. BENEDICTI ABBATIS,

ex Diuo Gregorio Papa lib. 2. Dialogorum.

XXI. MARTII.

FVIT vir venerabilis, gratia Benedictus & nomine, Qui liberiori genere ex prouincia Nursiæ exortus, Romæ liberalibus studijs traditus fuerat. Sed cùm in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quasi in ingressu mundi

posuse

posuerat, retraxit pedem. Despectis itaque literarum studiis, relicta domo, rebúsque patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ conuersationis habitum quæsiuit. Petiit verò deserti loci secessum, cui Sublacus vocabulum est, qui ab Romana vrbe quadraginta ferè millibus distat. Quò dum fugiens pergeret, monachus quidam Romanus nomine, hunc euntem reperit, quò tenderet, requisiuit. Cuius cùm desiderium cognouisset, & secretum tenuit, & adiutorium impendit, eíque sanctæ conuersationis habitum tradidit, &, in quantum licuit, ministrauit. Vir autem Dei ad eundem locum perueniens in arctissimum specum se tradidit, & tribus annis, excepto Romano monacho, omnibus hominibus ibi incognitus mansit. Qui videlicet Romanus non longè in monasterio sub Theodati Patris Regula degebat: sed piè eiusdem Patris sui oculis furabatur horas, & quem sibi ad manducandum surripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat, illum, quia ad eundem specum à Romani cella iter non erat, quia excelsa desuper rupes eminebat, ex rupe in longissimo fune ligatum deponens.

S. Benedictus contemnit omnia, vt Christum lucrifaciat.

Sumpto sancto habitu se tradit se in arctissimum specum.

INTEREA Presbyter quidam longiùs manens, monetur diuinitus, vt seruum Dei in illo loco inuisat, refectionémque in Paschali festiuitate sibi paratam, illi fame cruciato deferat. Deinde eum in specu latitantem etiam Pastores inuenerunt, quæ causæ fuerunt, vt ex illo iam tempore à multis frequentari cœperit, qui cùm ei cibum adferrent corporis, ab eius ore in suo pectore alimenta referebant vitæ. Sed & quadam die dum solus esset, tentator adfuit. Nam nigra paruáq; auis, quæ vulgò merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiúsque vultui importunè insistere, sed signo crucis edito recessit auis: tanta autem carnis tentatio, aui eadem recedente, secuta est, quantam vir sanctus nunquam fuerat expertus. Quandam namque aliquando feminam viderat, quam malignus spiritus ante eius mentis oculos reduxit, tantóque igne serui Dei animum in specie illius accendit, vt, dum in eius pectore amoris flamma vim caperet, etiam penè deserere eremum voluptate victus deliberaret. Sed ecce subitò superna gratia respectus ad semetipsum reuersus est, atque vrticarum & veprium iuxta densa succrescere fruteta conspiciens, exutus indumento, nudum se in illis spinarum aculeis & vrticarum incendiis proiecit; ibíque diu volutatus toto ex eis corpore vulneratus exiit, ac sic per cutis vulnera, eduxit à

Mittitur à Deo quidam vt eum esurientem reficiat.

Signo crucis edito fugat diabolum.

Se ipsum voluit per vepres, & vrticas, vt pellat libidinem.

corpo

cursum à terra introrsus traxit. Quod vir Dei agnoscẽs, Maurum festinè vocauit, dicens: Frater Maure, curre, quia puer ille in lacum incidit, iamque eum longiùs vnda trahit. Res mira, & post Petrum Apostolum inusitata. Benedictione etenim postulata atque percepta, ad Patris sui imperium concitus perrexit Maurus, & vsque ad eum locum, quo ab vnda deducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit, eúmque per capillos tenens sic cursu rapido rediit.

Maurus pueri eius iussu ambulat super aquam.

VERVM enim verò, cùm iam loca eadem in amorẽ Iesu longè latéque feruescerent, sicut mos prauorũ est, vicinæ Ecclesiæ Presbyter, Florentius nomine, inuidiæ facibus magis magisque succensus, ad hoc vsque perductus est, vt seruo Dei infectum veneno panem quasi pro benedictione transmitteret: sed eum, quæ pestis lateret in pane, non latuit. Quin etiam idem iam dictus Florentius, quia magistri corpus necare non potuit, se ad exstinguendas deinde discipulorum animas accendit: ita vt in horto Cellæ cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret, quæ coram eis diutius ludentes illorum mẽtes inflammarent. Quod vir sanctus conspiciens, idque pro sua solius persecutione fieri pertractans, inuidiæ locum dedit, atque oratoria & cuncta quæ construxerat, substitutis Præpositis, adiunctisque fratribus ordinans, paucis secum monachis ablatis, habitationem loci mutauit, diuina vltione illum Presbyterum paulo pòst excipiente. Sed sanctus vir ad alia demigrans loca non tamen hostem mutauit. Est Castrum quod Cassinum dicitur, in excelsi montis latere situm, vbi vetustissimum fanum fuit, in quo Apollo colebatur. Illuc itaque vir Dei perueniens, contriuit idolum, subuertit aram, succendit lucos, atque in ipso templo Apollinis, oraculum B. Martini, vbi verò ara eiusdem Apollinis fuit, oraculum S. Ioannis construxit, commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocans.

Patitur sibi infensum quendam Presbyterum.

Cedit loco.

Veniens ad Cassinũ mox subuertit idola, & dedicat ibi Ecclesiã.

AT verò hæc antiquus hostis non ferens, nõ tacitè vel per somnium, sed aperta visione eiusdem Patris oculis se ingerebat, & magnis clamoribus vim se perpeti conquerebatur, ita vt voces illius etiam fratres audirent, quamuis tamen imaginem minimè cernerent. Sed & cœpit inter ista vir Dei prophetiæ etiam spiritu pollere, quod vel sequens docebit narratio. Etenim cùm Rex Totila sanctum virum prophetiæ habere spiritum audisset, explorare conatus cuidam spathario

Fremit in eũ dæmon, ita vt etiam audiretur a fratribus.

suo calceamenta sua præbuit, eúmque indui vestibus regalibus fecit: quem quasi in persona sua pergere ad Dei hominem præcepit. At Benedictus ad eum, Pone, inquit, fili, pone: hoc quod portas, non est tuum. Ac tunc per se idem Totila ad Dei hominem accessit: quem tamen cùm longè sedentem cerneret, non est ausus accedere, sed sese in terram dedit. Cui cùm vir Dei bis térve diceret, Surge, sed ipse ante eum de terra erigere se non auderet: Benedictus Christi famulus prostratum de terra leuauit, & de suis actibus increpauit, atque in paucis sermonibus cuncta quæ illi erant ventura, prænunciauit, dicens: Multa mala facis, multa mala fecisti, iam aliquando ab iniquitate conquiesce: equidem Romam ingressurus es, mare transiturus, nouem annis regnans, decimo morieris.

Venit ad eũ Rex Totilá.

Prædicuntur ei à viro Dei ea quæ erant ei superuentura.

Et quidem Rex his auditis vehementer territus, oratione petita recessit, atque ex illo iam tempore minùs crudelis fuit, & non multò pòst Romam adiit, ad Siciliam perrexit, sed anno regni sui decimo, omnipotentis Dei iudicio, regnum cum vita perdidit. Sed & reuocauit etiam vir Dei Benedictus suis precibus ad vitam filium rustici cuiusdam defunctum, deinde & vidit Germani Capuani Episcopi animam ab Angelis in cælum ferri. Sed nimium est hîc inserere vniuersa. Postquam scripsit monachorum Regulam discretione præcipuã, quo tempore de hac vita erat exiturus, ante sextum sui exitus diem aperiri sibi sepulturam iubet, & mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Sexta die portari se in oratorium à discipulis fecit: exitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit, ad extremum inter discipulorum manus vltimum spiritum inter verba orationis efflauit, quem duo fratres euntem in cælum viderunt. Porrò sepultus est in oratorio B. Ioannis Baptistæ, quod, destructa ara Apollinis, ipse construxit.

Scribit Regulam monachorum.

Obdormit in Domino.

VITA S. CATHARINÆ SVEDICÆ, *virginis & viduæ, filiæ S. Birgittæ, ex ea quæ est apud R. P. Surium.*

XXIIII. MARTII.

S. Catharinæ genus.

VENERABILIS Catharina patre Vlphone viro nobili, & matre Birgitta, quam omnis celebrat Ecclesia, edito, postquam ablactata est, tradita est religiosè instituẽda Abbatissæ Risabergensi, cuius erat spectata vitæ integritas. Vbi cum

cùm aliquando eam dormientem dæmon, sumpta bouis specie, è lectulo deturbasset, ac deinde Abbatissa eam semimortuam reposuisset in suo sinu, rursus apparens idem teterrimus dæmon, O, inquiebat, quàm libens illam iugulassem, nisi fuisset à Deo negata facultas! Vbi ad nubiles peruenit annos, voluit pater vt nuberet. Nupsit ergo viro nobili Eghardo: sed ita nupsit, vt ipsum quoque sponsum ad nuncupandum castitatis votum adduxerit. Etenim ne caro insolesceret, postquam sanctis precibus, genuflexionibus, & vigiliis noctu incubuerant, humi substernebant pannum aliquem, capitique ceruicalia singula supponentes, ita separatim cubabāt, ne hieme quidem hunc modum immutantes, vigiliis & precibus etiam ieiunia adiungentes. Et quidem inter alios Carolus etiam Catharinæ frater eos propterea fatuos & superstitiosos vocabat, sed nihil illi ob hoc ab illis studiis retrahebantur. Non multum autem intercessit temporis, & pater Catharinæ dominus Vlpho Gudmarsson Nericiæ Princeps in senectute bona defunctus est, cùm sancta Birgitta cōiunx eius diuinitus iussa Romam abiit.

Voluntate patris nubens inducit sponsum suum ad seruandam castitatem.

Irridetur à proprio fratre eius sanctitas.

QVAE cùm solicita esset pro obtinēda suæ peregrinationis fideli socia, à Christo iussa est bono esse animo. Itaq; cum iam quinquennium ferè præteriisset, postquam sancta Birgitta è Suedia Romam venerat, incredibili Romam adeundi desiderio ardere cœpit Catharina filia eius. Nec latebant Eghardum suspiria: at nihilominus veritus ne quid fœminæ florentis ætatis, puta quæ annos duntaxat haberet decem & octo, in tam longinqua profectione aduersi accideret, non ilico assensus est: victus tamen tandem & illius precibus & animi religione, sumptus in iter & comites comparat: ac deinde mari non sine difficultate emenso, per Germaniam iter habuêre in Italiam: atque tandem Augusto mense Romam Catharina peruenit. Tum verò ipsa cum multa deuotione ad stationes & limina Sanctorum accessit, ita tamen vt exactis Romæ aliquot septimanis, patriam iterum reuisere constituerit. Vbi cùm iam ad iter accincta esset, & mater ex illa percunctaretur, velletne potiùs cum ipsa Romæ manere, & Christi causa aduersa perpeti, illa tota inflammata spiritu, Ipsum quoque, inquiebat, Eghardum aliàs meo corpore chariorem, pro Christi amore libenti animo relinquam. Atq; tunc Christus matri reuelauit, ipsam esse fidelem adiutricē quā ei promisisset. Porrò tamen, non diu pòst horrere nonnihil iterum cœpit insolitum viuendi modum, & multum anxia rursum

Tenetur desiderio visendi limina Apostolorum.

Subito statuit cū matre assiduè Romæ vel vbicunq; manere.

loqui

Tětatur eius constantia à diabolo.

rogauit matrem, vt liceret ipsi redire in Suediam.

SED sentiens sancta mater tentatione inimici id fieri, ad Christum se conuertit, preces ei fundens, qui & indicauit ei obiisse Eghardum, & eam admoneri voluit, vt a matre non discederet. Et quidem submisit se illa diuinæ voluntati, nec tamen cessabat tortuosus serpẽs. Vnde &, ipsa quoque Catharina summopere appetente, curauit mater eam aliquoties virgis cædi, donec omnis illa tentatio euanuit, non ferente dæmone tantam flagellatæ humilitatem. Veruntamen volens S. Brigitta eius saluti etiam certiùs consulere, egit apud dominum Petrum Confessarium suum, vt pateretur Catharinam sibi obedientiam polliceri. Quod cùm ipsa fecisset, munita sanctæ obedientiæ virtute, vixit sub matris cura haud secus atque in monasterio, didicitque ab ea certis temporibus tenere se intra silentium, crebrò legẽs aliquid ex sacris Euangelijs, siue de Vitis Sanctorum. Sanè cùm Romæ ageret Catharina, viuente matre, in iuuenili ætate, puta annos habens non amplius viginti, cum morum grauitate, erat simul insigni corporis elegantia, quæ omnium oculis eam amabilem reddebat, adeò vt non pauci magnates illam optarent habere coniugem. At illa constanter omnibus respondit, se Christo perpetuam vouisse continentiam.

Curam eam mater vouet obedientiā cōtra instabilitatem.

Plures magnates Romæ optant eam habere coniugem.

SED & inter hos quoque, cùm extra muros ob condonationes siue indulgentias promerendas se conferret, valde molestus ei erat quidam Comes. Et quidem accidit ipsis D. Laurentij ferijs, vt mater & ipsa irent ad martyris Ecclesiam; cùm Comes ille latitabat ibi cum suis satellitibus ad illam rapiendam. Sed ecce diuinitus cæcitate percussus, adque S. Laurentij ædem perductus, prostrauit se coram illis, veniam obnixè petens, cùm etiam illis Dominum pro eo deprecantibus ilicò visum recepit. Quin etiam multis aliis modis antiquus serpens per sua organa eius Deo consecratam sæpe oppugnauit castitatem, sed sic vt nihil proficeret. Cæterùm cernens Catharina tam euidentia erga se diuinæ bonitatis indicia vt præpotenti Deo posset magis magisque placere, haud segniter curauit. Atque adeò vt omittamus eam ab infantia preces horarias D. Virginis, septem Psalmos, quos pœnitentiales vocant, multaque alia quotidie legisse, præterea priusquam se ad dormiendum componeret, diebus singulis horas quatuor continenter impendebat flectendis genibus, & tundendo pectori, multisque fundendis lacrymis in Dominicæ passionis commemoratione.

Quotidie flectit genua cōtinenter per horas quatuor.

moratione.

Orante quoque quodam tempore Catharina Romæ ante aram S. Ioannis Euangelistæ, in æde maiori D. Petri, apparuit illi femina peregrina, alba induta veste, præcincta balteo, album ferens in capite velamen, & pallio atro operta. Accessit autem celeriter ad illam, salutansque eam nominatim, supplex rogauit, vt oraret pro anima Noricæ. Vbi sciscitante Catharina, cuiâs esset, respondit se Suedam esse, vxoremque fratris eius Caroli obiisse. Tum verò illa rogauit, vt veniret ad ædes matris suæ. Illa verò ait id sibi non licere: porrò breui ipsas habituras non parum subsidij è patria. Nam Noricam legasse eis auream capitis sui coronam; iterumque repetebat, vt fideliter precarentur pro anima illius; sicque disparuit. Admirans autem Catharina rogabat ancillas, quonam abiisset matrona illa, cùm responderunt illæ, se quidem audiuisse vocem cum ipsa loquentis, sed neminem vidisse. Stupens igitur indicauit matri suæ: cui oranti reuelatum fuit migrasse è corpore Gidham vxorem Caroli, eiusque animam petendæ opis causa filiæ apparuisse. Nec multo pòst venit è Suedia Ingeualdus Amundson, familiaris Catharinæ, qui ei & obitum indicauit Gidhæ, & coronam simul attulit auream, quam pro more patriæ in capite ferre solebat, erat enim ex nobiliori Noricorum stemmate orta. Fuit autem tanti pretij corona illa, vt ad totius anni victum S. Birgittæ, & filiæ Catharinæ, totique earum familiæ suffecerit.

Petit quadã peregrina ipsius preces.

Reuelatur matri, illam fuisse animã vxoris fratris sui Caroli.

SOLEBAT autem sanctissima mater eius Catharinam adhuc tenellam etiam secum ad domos hospitales & nosocomia ducere, & illic, ipsa inspectante, miserorum plagas, vulnera & vlcera sine horrore suis manibus deuotè contrectare. Quæ materna exempla adeò pectus eius penetrarunt, vt erga pauperes & afflictos summa afficeretur misericordia. Sed & annis viginti & quinque cum sanctissima matre sua Romæ, & quocunque illa profecta fuisset, permansit, sacra cum illa loca inuisens etiam procul in diuersis & longinquis regionibus, Dominicum quoque adiens sepulchrum in Ierusalem. Quæ eius sanctissima mater cùm Romæ tandem defuncta esset, ipsa post quinque septimanas inde recedens, secum eius sacras reliquias absportauit in Suediam, cùm interim multæ ad eam accedebant matronæ, tum nobiles tum etiam è plebe, sacras illas reliquias deuotè exosculantes. Venit verò tandem cum sacro pignore Dantiscum in Prussiam, vbi sanè seueri-

Seruit cum matre peregrinis & morbidis.

Defunctã matre eius, sacras reliquias defert in Sueciam.

ter reprehendit peccata Crucigerorum, proposuitq; eis minas terribiles diuinitus matri eius reuelatas. Inde autem nauigauit in Suediam. Vbi cùm ad Vuadstenense monasterium peruenisset, cum ingenti gaudio ibi excepta est. Sed & habita collatione cum fratribus, ad sorores siue sanctimoniales ingressa est, cum illis intus permansura; atque ex eo iam tempore cœpit illis præesse, & Regulam Saluatoris, quam apud matrem tot annis didicerat, ipsis suo exemplo declarare.

Regit monasterium Vuadstenense.

At verò interea reliquiæ beatissimæ Birgittæ in Vuadstenensi cœnobio repositæ, multis cœperunt coruscare miraculis: quæ res permouit Regem, & regni Proceres; miseruntque Catharinam, vt Romæ ageret cum Pontifice de S. Birgittæ in Diuos relatione. Et quidem fecit illa vt iussa fuerat: quin etiam Romam veniens, omnium in Romana curia animos negocio huic promouendo addictos comperit. Sed Pontifice Gregorio XI. moriente, non potuit ita facilè rem ad effectum perducere. Itaque totum illud negocium ad Vrbanũ VI. deuolutum est. Et quidem cupiebat ille eam Sanctorum catalogo adscribere, sed schismatum recens ortum, multaque alia, eius conatus retardabant. Iam quinquennium Catharina Romæ egerat huius rei causa, vbi cùm videret ob schisma impendens, spem nullam meliorem ostendi, quæcunque ad canonizationem matris facere videbantur, puta vitam & miracula eius cum fide dignis testimoniis conscripta Romæ reliquit: atque ita impetrata à Pontifice Regula Saluatoris, & priuilegiis quibusdam monasterij Vuadstenensis, rediit ad suos, vbi & non multo pòst feliciter obdormiuit in eodem monasterio Vuadstenensi, anno Christi millesimo trecentesimo octuagesimo primo, IX. Calend. Aprilis, pridie Annunciationis, ad cuius tumulum multa piè petentibus à Deo præstãtur beneficia.

Mittitur Romam pro canonizatione matris.

Nota de munimẽtis canonizationis.

Transit feliciter.

MARTYRIVM S. SIMONIS PVERI *Tridentini, necati crudeliter à Iudæis, ex Ioanne Mathia.*

XXIIII. MARTII.

IOANNES Matthias Tiberinus Senatui populoque Brixiano. Nuper in ciuitate Tridentina tres Iudæorum familiæ consedebant, quorum capita fuêre Tobias, Angelus, & Samuel, apud quem & quidam Moyses. Qui cùm in ea Hebdomada quam nos Christiani sanctam appellamus, anno incar-

nati

nati Verbi septuagesimo quinto supra millenum quater centenum, in vnum conuenissent, diligenter consultabant quo possent ingenio masculum Christianum puerum surripere, & in odium Christi immolare, cùm non multo pòst Tobias puerum nomine Simonem, qui nondum viginti nouem menses erat natus, comprehendit. Quid multa? Tempus erat quo prima quies humana reficit pectora: & ecce crudelis Moses vnà cum reliquis atrocissimis Iudæis benignum illum deportantes infantem, ingressi sunt vestibulum, quod cum primis Synagogæ foribus adiungitur: vbi & impius Moyses in scamno iuxta caminum residens, puerum suis super genibus excepit. Porrò circumfusi omnes vestem ei ad vmbilicum & cubitos vsque verso ordine detraxerunt, colligentesque fluentem tunicam succinxerunt lateri, ita vt à femore vsque ad talos detractis caligis nudaretur. Et primùm quidem apprehendens sudarium Samuel quod eius pēdebat à cingulo, collóque circumuoluens, comprimebat puerum, ne vagitus effunderet, alij verò manus pedesq; continebant: deinde verò euaginato Moyses cultro, summū virgæ perforauit infantis, correptaque forfice cœpit maxillam dextram iuxta mentum dilaniare, & particulam carnis abscissam in parato ibi cratere reponere. Colligebant autem adstantes sacrum sanguinem, atque interim etiam alterno ordine forfice arrepta, quilibet sibi frustulum viuæ carnis exscindebat.

B. Simō puer ab impio Iudæo capitur.

Crudeliter guttur eius cōprimitur.

Forfice conscinditur ipsius viua caro.

Sicque fecerunt omnes, donec vulnus oui rotunditatem multum excederet. Etsi quando cedente laqueo puer gutture perstrepebat, admotis crebrò manibus ad os, illum crudeliter suffocabant. Quo Moyses ita crudeliter peracto, dexteram tibiam confestim eleuauit infantis, eamque suis super genibus statuens, aggreditur exteriorem partē, quæ inter cauillam & cruris musculū interiacet, & similiter eodē ferro illam conuellit, captaque forfice, similiter omnes vicissim carnem viuam viuo cum sanguine lacerabant. Quin etiam postmodum sæuissimus senex ille, tanti sceleris caput, semimortuum erigens infantem, petiit Samuelem à sinistris pueri secum consedere: & vterque sanctissima illius brachia instar crucifixi violenter extendentes, hortabantur reliquos vt sacrum illud corpus duris acubus infoderent. Vnde & collecti omnes circumcirca, incipientes à vertice vsque ad plantam, illum densis ictibus perforabant, dicentes, Tolle Iesse mina elle parichief elle passulili pegmalem: quod est, Sicut Iesum Deū Christianorū, qui

Extensus instar crucifixi, immanissimè per totū acubus cōfoditur.

nihil est, trucidemus istum: sic inimici nostri confundantur in æternum. Iam plusquam per horam miserandus, seu potiùs felix puer, terribili durauerat in supplicio, & interdicto spiritu, collapsis viribus, deficiebat, cùm tandem, attollens graues oculos in cælum, quasi Superos aduocare videbatur in testes, & sic demum inclinato capite sanctum Domino reddidit spiritum, Purpureus veluti cùm flos succisus aratro est. Tum verò Moyses & reliqui egêre gratias Deo, quòd de Christianis vindictam simul & sacrificium obtulissent.

Tandem exspirat.

SED & die Sabbathi, conuenientes in Synagoga, cadauer super Almomor extēderunt. Est enim Almomor, mensa ante altare, vbi Psalmos hymnosque decantant. Sed tertiò die, vt præsenserunt omnium penè mentes in eos esse suspensas, inito consilio, dixerunt: Proiiciamus potiùs corpus istud vestitum in flumen quod nostra domo subterfluit, & euntes ad Pontificem, dicamus, quoniam illud in domum nostram aqua deduxit, & crate ferrea retentum, non potuit vnà cum flumine delabi. Quod cùm omnibus placuisset, ascendens ad Pontificem proditor, rerum seriem, eo quo fuerat institutum ordine, pandit. Sed gauisus Pontifex, Ioannem de Salis Prætorem, & Iacobum de Sporo Præfectum suæ Tridentinæ ciuitatis, illic vbi iacebat puer, secum iussit accedere. Et descendentes, statim inuenerunt cadauer in aqua pannis inuolutum: quo protinus extracto, illiusque vulneribus diligenter annotatis, illud in basilica S. Petri venerabiliter collocauerūt: vbi & maxima populorum languentiumque confluente frequentia, multis maximisque in dies miraculis fulget. Atque ecce, ô Christiane, Iesum inter latrones rursum crucifixum. Sed ob eam rem Iudæi omnes, à maiore vsque ad minorem, in carceribus catenisque conclusi sunt, non inde recessuri, priùs quàm debitas pœnas luant. Scriptum Tridenti, 2. Nonas Aprilis, 1475.

Proiicitur eius sacrum corpusculum in profluentē.

Claret maximis miraculis.

DE ANNVNCIATIONE B. MARIÆ, *ex Diuis Leone & Ambrosio.*

XXV. MARTII.

D. Leo ser. 2. de Natiuitate Domini.

DEVS omnipotens & clemens, cuius natura, bonitas, cuius voluntas, potentia, cuius opus, misericordia est, statim vt nos diabolica malignitas veneno suæ mortificauit inuidiæ, prædestinata renouandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignauit, denuncians serpen-

ferpenti, futurum femen mulieris, quod noxij capitis elationem fua virtute contereret, Christum fcilicet in carne venturum, Deum hominemque fignans, qui natus ex Virgine, violatorem humanæ propaginis incorrupta natiuitate damnaret. Nam quia gloriabatur diabolus, fua fraude deceptum hominem diuinis caruiffe muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis fubijffe fententiam, feque in malis fuis quoddam de præuaricatoris confortio inueniffe folatium; Deū quoque, iuftæ feueritatis exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, antiquam mutaffe fententiam; opus fuit, dilectiffimi, fecreti difpenfatione confilij, vt incommutabilis Deus, cuius voluntas non poteft fua benignitate priuari, primam pietatis fuæ difpofitionem facramento occultiore compleret: & homo diabolicæ iniquitatis verfutia actus in culpam, contra Dei propofitum non periret.

Christus femē mulieris, quod contereret caput ferpentis.

Redemptionis confilium debuit effe fecretum.

ADVENIENTIBVS ergo temporibus, dilectiffimi, quę redemptioni hominum fuerant præftituta, ingreditur hæc infima IESVS Chriftus Dominus nofter, de cælefti fede defcendens, & à paterna gloria non recedens, nouo ordine, noua natiuitate generatus: nouo ordine, quia inuifibilis in fuis, vifibilis factus eft in noftris, incomprehenfibilis, voluit comprehendi: ante tempora manens, effe cœpit ex tempore, vniuerfitatis Dominus, feruilem formam, obumbrata maieftatis fuæ dignitate, fufcepit, impaffibilis Deus, non dedignatus eft homo effe paffibilis; & immortalis, mortis legibus fubiacere. Et latent quidem diuina myfteria; nec facilè, iuxta Propheticum dictum, quifquam hominum fcire poteft confilium Dei; fed tamen ex cœteris factis & præceptis Domini Saluatoris poffumus intelligere, & hoc propenfioris fuiffe confilij: nempe quòd & ea potiffimùm electa eft vt Dominum pareret, quæ erat defponfata viro. Cur autem non antequam defponfaretur, impleta eft? Fortaffe ne diceretur quod conceperat ex adultero.

Chriftus de cælo defcēdēs, non recedit tamē à Patre.

D. Ambrof. lib. 2. in Lucam.

Quare natus Chriftus ex defponfata.

ET ingreffus ad eam Angelus. Difce Virginem moribus, difce virginem verecundia, difce virginem oraculo, difce myfterio. Trepidare virginum eft, & ad omnes viri affatus vereri. Difcant mulieres propofitum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, folus Angelus reperiret: fola fine comite, fola fine tefte, ne quo degenere deprauaretur affatu, ab Angelo falutatur. Tantum enim mandati myfterium, non hominis fuit, fed Angeli ore promendum. Hodie

Nota: Trepidare virginū

primum auditur, Spiritus sanctus superueniet in te. Et auditur & creditur. Denique, Ecce, inquit, ancilla Domini: contingat mihi secundum verbum tuum. Vide humilitatem, vide deuotionem: ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est.

VITA S. LVDGERI, PRIMI EPISCOPI Monasteriensis, ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium.

XXVI. MARTII.

S. Ludgeri genus.

LVDGERVS ex Frisia oriundus fuit: auus eius nomine Vurisingus: is Ado cognomento, à Rege Radbodo, ob iustitiæ defensionem, in Franciam pulsus est. Sed cùm post mortem Radbodi, Carolo regnante, Frisia Francorum accessisset imperio, ab ipso demum ad patriam, causa fidei roborandæ, remissus est. Huius filius iunior Thiadgrinus, sancti viri pater erat; mater Liafburga dicebatur. Erat ea tempestate Gregorius, qui discipulus, simulque successor sancti martyris Bonifacij Traiectinæ sedi in gradu presbyter præsidebat. Huius ergo curæ & solicitudini eum parentes commendauerunt; ac proinde tonsura accepta, totum se in Traiectensi monasterio ad Dei seruitium, & ad instrumenta artis spiritalis conuertit. Mira illi circa conscholasticos suos charitas, mira circa Ecclesiasticum officium deuotio erat. His diebus, quidam Alubertus, de terra Anglorum, ad Abbatem Gregorium venit: cuius vel scientia vel moribus delectatus, eum sibi * Episcopum fieri postulauit. Quod cùm ille se non aliter facturum responderet, nisi à suo demum Episcopo ordinaretur, eum denuo ad ipsum remisit. Et quia idem Gregorius non erat ad gradum Episcopalem ordinatus, sed Presbyter Pontificali sedi præsidebat, Ludgerum simul cum eo, vt Diaconij ibi perciperet gradum, direxit.

Eruditur in monasterio Vltraiectensi.

** Chorepiscopum.*

Mittitur in Angliam, vbi ordinetur Diaconus.

Eo ibi tempore Alcuinus scholam moderabatur, vir omni scientia celeberrimus: cuius familiaritate vir Dei Ludgerus potitus, sedulò illi per annum iungebatur, & Scripturas cum eo diuinas conferebat: donec percepto Diaconatus ordine, cum eodem, cui comes præstitus erat, Aluberto, post anni circulum reuerteretur. Sed neque hoc ei satis fuit. Nam tanquam minùs adhuc instructus, non multo interiecto tempore, rursus

Ebora

Eboracum ad Alcuinum peruenit. Apud quem tres continuos annos, & sex menses manens, totum cum eo vetus & nouum Testamentum perlegit, & nonnullos etiam secularis literaturæ libros: sed & monachorum, qui in illo loco erant, perfectè didicit vitam: atque ita ad suos reuersus, Patri Gregorio, & ceteris omnibus tanto deinceps erat gratior & dignior. Defuncto Gregorio, Albricus nepos successit. Qui vnico Ludgerum diligens affectu, eius prudentiæ & fidei non ignarus, ad quendam eum locum in sua parochia constitutum, qui Dauentre dicitur, prædicationis causa pergere suasit. Hunc locum olim de terra Anglorum Dei seruus * Liafuuinus ad fidem conuertit, & Ecclesiam ibi ædificauit: sed quæ à populantibus Gentilibus & Saxonibus fuerat incensa. Hic ergo Ludgerus ædificare Ecclesiam cœpit, vbi & in visione ei sanctus Liafuinus apparuit, dicens, corpus suum sub Australi parte esse humatum: quod ille deinde in eadem Ecclesia digno cum honore collocauit.

Aud. t Eboraci Alcuinum viri doctissimi magistri.

Mittitur causa prædicationis Dauentriam.

** Lebuinus.*

Eleuat corpus S. Lebuini.

Et quidem serui Dei Ludgeri eo in loco vel industria, vel successu, animatus Albricus, maiora etiam adhuc per eum & facere cogitauit, & fecit. Siquidem in Frisiam, eũ ad destruenda fana deorum, destinauit. Plures enim adhuc ibi Gentilium dediti superstitionibus erãt. Quò ille statim, nihil cunctatus, quamquam cum sui capitis periculo, perrexit. Mira Dei gratia, mira in viro Dei constantia, cum sine aliqua contradictione coram cultoribus suis & delubra destruxisse, & idola abstulisse. Eo Ludgerus tempore Diaconij adhuc officio fungebatur. Verùm Albrico Pontificatus ordinem sortiente, ipsum quoq; presbyterij foci fecit percipere gradũ. Et quia Frisones adhuc rudes erant in fide, Ludgerum Albricus, tam propter fidei puritatem & mentis constantiam, quàm propter suos parentes, qui apud eos potentissimi habebantur, Doctorem Ecclesiæ constituit in pago Ostrache, in loco quo S. Bonifacius martyrio est coronatus. Igitur tribus per annum temporibus, hyemali, verno, & æstiuo, in doctrinæ ibi custodia occupabatur; autumno specialiter sedi Traiectensi, sui Antistitis iussu præsidens: atque ita per septem ferè annos ibi in doctrinæ studio permansit.

Item prædicat in Frisonibus.

Præsidet pro tempore sedi Traiectensi.

At verò interea à Saxonibus contra Christianos, qui illis in locis erant, persecutione commota, Frisiæ pars maior à fide defecit. In qua perturbatione, cùm Sanctus Ludgerus neque martyrium, quod optabat, mereretur, neque vllum suæ prædi-

cationis locum dari videret, maximè, quia sub idem tempus suus antistes Albricus decessit, Romam pergere cogitauit. Quod quidem iam olim votum habebat, sed non priùs ei occasio prouenit. Itaque assumpto secum fratre Hildigrino, qui natu iunior, doctrina & exemplis eius instituebatur, Romam vt disposuerat, contendit: vbi & cum Papa Leone locutus, honorificè habitus est, datis dignis admodum reliquijs Principis Apostolorum Petri, sed & aliorum quoque quamplurimorum Sanctorum. Post quod Roma digressus, Beneuentum ad monasterium S. Benedicti venit; quod ab eo institutum regularem propensiùs vitam & nosse, & obseruare credebatur; vbi etiam quia Pater monasterij genere sibi propinquus erat, cum eo locutus, duobus annis & sex mensibus mansit, donec non solùm per Franciam, sed & per Italiam meritis eius diuulgatis, fama sanctitatis eius ad aures quoque Caroli Imperatoris, Deo volente, peruenit. Sub idem quoque tempus Altarinus de terra Anglorum in Franciam venit, à Rege fauorabiliter susceptus. Nec multo pòst Rex Carolus Ludgerum ad se venire mandat, literis etiam magistri quondam sui Alcuini interpositis. Venienti, mox in Bracbent, monasterium quod Lorusa vocatur, concessit. Sed & per hos quoque dies quinque in Frisia pagi Huhmerlu, Humilsga, Fiuilga, Fiuilga, Emilsga, Federilga, Francorum sponte ditioni accesserunt.

Perturbata à Saxonibus Frisia, tendit Romam.

Degit biennium in monasterio Beneuentano.

Qui cùm aliquem sibi, cuius loquelam intelligerent, docendæ Christianitatis gratia à Rege concedi orarent; Ludgerum eis cum magno omnium gaudio præfecit, addita insuper ad prædictos pagos insula vna, quæ Baut appellatur. Ac proinde vir Dei, omni virium possibilitate circa commissæ plebis vtilitatem inuigilare cœpit. Nam & idolorum fana destruxit, & pro eis Ecclesias construxit, & ipsos, quantum fidei rudimenta patiebantur, perfectè in Christianitate instruxit. Neque hoc contentus, vltrà quoque doctrinæ suæ fluenta deriuauit. Est insula in ipso Frisonum atque Danorum confinio constituta, quæ à quodam Fosele, quem Deum Gentiles æstimauerunt, Foselesland est appellata. Ad hanc ergo S. Ludgerus profectus est. Et (ô admirandus Dominus in sanctis suis!) tantam Dei pietas eius prædicationi gratiam tribuit, vt ipse statim inter primos Princeps crederet. Denique omnibus insulanis ad fidem Christi conuersis, dæmonum delubra destruxit, & Christi Ecclesiam pro eis fabricauit. Quinetiam vir Dei secus mare, in loco qui vocatur Vuerina, vbi ipse sibi in hæreditate pater-

Redit in Frisiam, subiectam iam Carolo Regi.

Conuertit ad Christũ etiam Foselandos.

na Ecclesiam construxit, monachorum quoque congregationi monasterium facere cogitauit. Sed hoc ibi esse non potuisse, ex diuina mox reuelatione cognouit. Itaque deuitans loca accessibilia maris vicinitate prædonibus (prçuiderat quippe in spiritu irruptionem Normannorum) persuadebat Deum timentibus personis, vt, si quid de hæreditatis suæ proprietate Dei seruitio tradere vellent, hòc in illis facerent locis, quò impetus Gentilium attingere nequiret.

Preuidet vastationē Normannorum.

Vnde cùm ex huiusmodi locis vnus in VVithmundi iuxta fluuium Isla, alter in loco qui Ad cruces dicitur, iuxta fluuium Arnapa traderentur; in vno eorum monasterij ædificationem inchoare pensauit. Verùm diuina reuelatione monasterium ibi etiam esse non posse cognouit; sed locum esse in saltu quodam iuxta fluuium Rura, qui Vviduberg vocaretur, ipsum fundando monasterio diuinitus iam esse dicatum: ibi monasticæ professionis iaciendum esse fundamentum. Sed interea victoriosissimus Imperator Carolus, cuius partim beneficijs, partim districtione Saxones ad fidem sunt conuersi, Ludgerum in parte Saxoniæ Occidentali præfecit, Episcopatum * Mimigernefordensis Ecclesiæ ei committens, in qua tamen Ecclesia sine ordine Pontificali annis ferè duodecim mansit, quod oneris erat, suscipiens; quod honoris, declinans: dicens, quia scriptum est, oportere Episcopum irreprehensibilem esse: donec aliquando Hildebaldo Metropolitano Coloniensi dicente & Petrum fuisse reprehensibilem, tandem scilicet Pontificium suscipere consensit. Sed nunc ex miraculis viri Dei, saltem vnum quoque atque alterum adferamus. In Heligvveerde Frisiæ villa, quendam Berleef, qui antiquorum actus, Regumque certamina non inurbanè cantabat, cæcum illuminauit. Qui Berleef etiam, cùm Frisia secundò à fide defecit, iussu beati viri octodecim infantes baptizauit, vtpote laicus, & de quo nulla huiusmodi suspicio haberi poterat.

Conuertuntur Saxones.

** Hodie dicitur Monasteriensis.*

1. Tim. 3.

Consecratur S. Ludgerus Episcopus Monasteriensis.

Nota de Laico baptizāte.

FEREBANT quoque veracissimi viri de discipulis eius, quòd quodam tempore, dum ad comitatum pergens, per prouinciales qui Hassi dicuntur, iter ageret, per orationem eius, homo mortuus reuixerit. Stat adhuc in eo loco lapidea crux, & ex nomine eiusdem viri qui Buddo vocatus est, campus ille Buddonfelt vsque hodie vocatur. Erat sanè vir Dei Ludgerus in scripturis sacris non mediocriter eruditus, quod in plerisque opusculis, quæ ipse fecit, liquidò apparet, sicut & inter varias occupationes discipulis tamen quotidie diuinas scripturas

Excitatur mortuus.

semotim tradebat. Cucullam autem ideo non portabat, quia Regularem nunquam promissionem fecit; sub Canonico habitu, monachorum perfectè vitam adimplens. Sed & cilicium, quod veste abscondi poterat, ita vsque ad finem vitæ tulit, vt hoc nemo, præter familiarissimos, sciret. Denique in pauperes tam largus erat, vt ipsos cum suorum plerumque nuditate vestiret, paternam hæreditatem, quam amplam habuit, loco VVerdena, quem comparauit, & Fratribus in eo loco Domino seruituris, delegans. Cui cùm Deus perennem mercedem reddere decreuisset, ecce eligens sepeliri in monasterio VVerdena, quod fundauerat, in Billurbelu loco contiguo Coesvelda, diœcesim circumiens, feliciter carne exutus est, anno Domini octingentesimo nono, septimo Calendas Aprilis, cùm Girfridus, eius successor, cum omnibus pariter qui secum erant, vidit ante se lucem magnam quasi ignem in sublime conscendere, quod lumen etiam vidit Carolus Imperator cum Alcuino in Aquis palatio.

Gerit occulte cilicium ad carnem.

Migrat feliciter ad Dominum.

VITA S. RVPERTI, PRIMO VANGIONVM, deinde Salisburgensis, Episcopi, ex ea qua est apud R. P. Surium.

XXVII. MARTII.

CVM Rex Childebertus apud Francos regnaret, anno secundo regni eius, sanctissimus Christi Confessor Rupertus apud Vangiones Episcopi fungebatur officio. Is genus suum ad Reges Francorum referens, tantam carnis nobilitatem, pietate in Deum eximia, mirificè illustrauit. Cuius si quis virtutes compendio nosse velit, erat cum columbina simplicitate, serpentis simul obtinens prudentiam, corpus assiduis vigiliis, perpetuisque ieiuniis macerans, operum misericordiæ valde studiosus, hoc salum suum esse putans, quod in miseros & egenos contulisset. Ad quem etiam, fama sanctitatis eius vulgata, permulti illustres cõfluxêre viri, etiam è longinquis populis. Et multi sanè illius operâ ab hostis antiqui laqueis sunt extracti, & in viam salutis perducti; donec tandẽ homines impij & hæretici, qui tum non pauci apud Vangiones visebantur, virum sanctum non ferentes, multis eum supplicijs affectum, & virgis ignominiosè cæsum, ab oppido cũ magna iniuria expulerunt. Verùm hac occasione maiora etiam

S. Rupertus quo tempore apud VVormatienses vixerit?

Cæsus virgis VVormatia eijcitur.

etiam pietatis lucra sancto viro accesserunt. Nam per id tempus Theodo Bauarorum Dux inclytus, audiens famã hominis Dei, magno eius videndi desiderio misit quosdam ex viris primariis, qui cum obnixè precarentur, vt Bauarorũ regiones dignaretur inuisere, & eis sanctæ fidei viam explicare. Quod vt vir sanctus didicit, non ignorans diuinæ prouidentiæ moderatione ista huc geri negotium, cum Legatis illis quosdã ex presbyteris suis ad Ducẽ præmisit, nec multò interiecto tempore ipse quoque eos subsecutus est.

Honorificè accersitur à Duce Bauaria.

Quod vbi ad Ducis notitiam perlatum est, cum proceribus processit obuiam sancto viro, & in oppido Ratisponensi cum summa alacritate excepit. Tunc verò sanctus Rupertus indictis ieiuniis, de cælestibus mysteriis Ducem instituit, & postremo in nomine sacrosanctæ Trinitatis baptizauit: neque illum duntaxat, sed cum illo pariter viros primarios, & non exiguam populi multitudinem. Sed & vndis salutaribus abluto Duce simul ac populo, eiusdem Principis permotus precibus S. Rupertus, conscensa naui, per Danubium descendens, vicis & castellis Euangelium Christi libera voce prædicabat, atque ita per Noricos proficiscens, in inferiorem vsque Pannoniam peruenit, lumen fidei ipse lucerna illustris, & super candelabrum posita, passim omnibus inferens. Inde verò iam pedestri itinere reuertens, Laureacum venit, vbi & multos à dæmonum cultu abstractos baptizauit, complures etiam variis oppressos morbis, in Christi nomine sanitati restituit. Vnde digressus, vbicumque ethnicismum magis feruere cognouit, eò intrepidus accessit, dissipans idola, & accuratè omnibus exponens Christi Iesu Domini nostri diuinitatem pariter & humanitatem. Qui tandem vir Dei cùm ad preces Ducis Theodonis & populi locum deligere vellet, vbi sedes Episcopi constitueretur, ad lacum VValarii seu VVallersen, ædem Pontificiam primò exstruxit, atque in honorem beatissimi Apostolorum Principis Petri templum ædificauit, & dedicauit ad Iuuarium fluuium, vbi olim Iuuauium vrbs fuit, inter Baioricas vrbes clarissima, sed tum destructa, raro iam habitata ciue.

Baptizat eumdem cum multis aliis.

Tendit prædicans vsque in inferiorem Pannoniam.

Vbique passim destruit idola.

Quin & cernens vir Dei locum illum non importunum esse cathedræ Pontificiæ, quippe inter montosa loca situm, & à vulgi strepitu remotum, eum sibi à Duce Theodone dari petiit, & summo studio instaurauit, & S. Petri Ecclesiã, quam ædificarat, Clericorum ministeriis & rebus necessariis, liberalitate

Iuuauii instaurat monasterium, extructa ibi magnifica Ecclesia.

litate fretus eiusdem Principis, magnificè instruxit & auxit. Cæterùm hac ferè tempestate quidam viri boni sancto Antistiti retulerunt in ea eremo, quæ nunc Bonguoni dicitur, cælestia quædam ardentium lucernarum terque quaterque se conspexisse prodigia, & odores eximiæ suauitatis hausisse. Quod cum vir sanctus etiā certiùs per suos explorasset, communicato cum Principe Theodone consilio, ad eremum illam profectus est, cernensque locum posse humanæ habitationi accommodari, cœpit annosas exstirpare quercus, & densam siluam in campi planitiem redigere, templumque cum seruorum Dei domiciliis siue habitaculis exædificare. Atque interim Theodo Princeps aduersa correptus valetudine, cùm sibi propè adesse sentiret supremum vitæ tempus, vocauit ad se * Theodebertum filium suum, eúmque Ducem Noricorum constituens, præcepit vt sancto Ruperto obsequentem se præberet, atque ad propagandum Christianismum, & opus diuinum, sedulò illum adiuuaret: sicque tandem diem clausit extremum.

Itē exstruit Ecclesiam in eremo Bonguoni.

* *Theopertū.*

Moritur Dux Theodo.

QVO defuncto, abiit mox Theodebertus cum proceribus suis deuotus ad sanctum Rupertum. Morabatur tum is in ea quam diximus eremo. Ad quem cùm peruenisset Dux, & illum, & locum in quo degeat, pio venerabatur affectu, contulitque Ecclesiæ quam S. Rupertus illic construxerat, & præsente Duce in honorem * sancti Maximiliani dedicabat, siluę illius tria in circuitu milliaria, atque insuper villam Albinam cum cæteris, vt inde sustentarentur monachi, quos sanctus Episcopus Deo seruituros illic congregauerat. Sed & post hæc videns vir Dei Bauaricam gentem Christianæ quidem Religioni colla submisisse, at interim tamen superesse non paucos ethnicismi erroribus & tenebris implicatos, ad patriam profectus est, assumptisque inde duodecim egregiis sociis, qui ei in docendis populis suam nauarent operam, sic Iuuauium reuersus est: in quibus duodecim, eximij erant Cunibaldus & Hisiliarius Presbyteri, viri multa sanctitate conspicui. Quin etiam adduxit secum Erentrudam neptē suam, in superiori Iuuauiensis vrbis castello, in honorem Domini nostri Iesu & sanctissimæ matris eius Mariæ, exstructo monasterio, collectisque virginibus, ipsam præficiens: nec non & ad preces quoque * Theoperti Principis, qui illi monasterio plurimas attribuit possessiones, illarum virginum conuersationem per omnia rectissimè instituens.

* *S. Maximi.*

Egregie dotatur Ecclesia supradicta a Theodonis filio.

Præficit vir sanctus neptē suam in monasterio Iuuauiensi.

* *Theodebert.*

QVI

QVIBVS ita gestis, cogitabat vir beatus susceptú verbi & sanctæ prædicationis ministerium accuratè prosequi. Itaq; Iuuauio egressus, Noricos populos, adiunctis sibi sociis diligenter peragrabat; & quibus necdum fidei lumē ortum dicit, eis Christum diligenter annunciabat. Quem in modum cum Baioariorum fines vir beatus circumisset, & omnes ad sacram Christi Religionem traduxisset: relictis apud eos Presbyteris. qui populum ad diuina mysteria consuefacerent, ipse Iuuauium se recepit, ex diuina reuelatione non ignorans propediem instare diem obitus sui. Vbi cùm Vitalem virum sanctum, atque omni plebi pergratum sibi petisset fieri successorem, febrium ardoribus vir sanctus defatigari cœpit, ac deinde, illucescente Christi resurrectionis sacratissimo die, Missarum solennia celebrauit, cùm paulò pòst, sumpto sacrosancto corporis & sanguinis Christi viatico, post dulces paternæ pietatis adhortationes, quibus discipulorum animos confirmabat, inter plorantium manus emisit spiritū. Ecce autem, dum lugent discipuli, cœtus Angelici à quibusdam audiuntur religiosis viris cum canticis cælestibus animam sancti viri ad illam beatam Hierusalem perferentes. Atque ô felicem Iuuauiensem vrbem, tam insigni munitam patrono. Denique tanti viri intercessione fulti gaudent Norici omnes.

Adiunctis sibi strenuè sociis, discurrit per Noricos, prædicās verbum Dei.

Migrat ad Christum.

DE SS. ARMOGASTE, ARCHIMINO, *& Saturo, ex Victore Vticensi, de persecut. Vvandalica.*

Lib. 1. de persecutione illa VVandalica.

XXIX. MARTII.

QVO tempore Geisericus præceperat, ita persuadentibus Episcopis suis, vt intra aulam suam, filiorúmque suorum, non nisi Arriani per diuersa ministeria ponerentur, inter alios ventum est ad illum æterna memoria dignum Armogastem. Cuius cùm diu ac sæpius tibias torquendo tumentibus confringerent chordis, & frontem, in qua Christus vexillum suæ fixerat Crucis, rugatam magísque aratam descendentes atque mugientes ostēderent nerui, ecce, vt fila semper aranearum, sancto cælum respiciente, vincula illa crepabant. Quod vbi tortores impij viderunt, allatis crebrò fortioribus chordis atque canabinis, tanto etiam fortiùs illum stringebāt. Sed illo nihil aliud nisi Christi nomen inuocante, illa omnia vanescebant. Sed & capite deorsum dum ad vnum penderet pedem, dormire quasi super lectum plumis stratum omnibus videbatur.

S. Armogastes exquisitissimè torquetur.

Suspenditur ex vno pede.

tur. Quem cùm Theodoricus, Regis filius, qui eius dominus erat, pœnis non valentibus, capite truncari iussisset, à suo prohibetur Iocundo Presbytero, dicente sibi: Poteris cum diuersis afflictionibus interficere, nam si gladio peremeris, incipiunt Romani Martyrem prædicare.

Cōdemnatur iuxta Carthaginem pascat vaccas in cōtemptum.

SIC QVE Theodoricus in Byzacenam prouinciam ad fodiendas eum condemnat scrobes. Sed & postea quasi ad maius opprobrium haud procul Carthagine, vbi ab omnibus videretur, pastorem eum præcepit esse vaccarum. Verùm inter hæc, Domino reuelante, cùm Armogastes dormitionis suæ proximum cerneret diem, aduocat quendam Felicē venerabilem Christianum, procuratorem domus filij Regis, qui Armogastem vt Apostolum venerabatur, dicitque illi: Tempus meæ resolutionis aduenit: obsecro te, per fidem quā vtrique tenemus, vt sub hac siliquæ arbore me sepelire digneris, redditurus Domino nostro, nisi feceris, rationem. Et quidem respondit Felix & dixit: Absit à nobis, Confessor venerabilis, sed sepeliam te in vna basilicarum, cum triumpho, & gratia quam merens. Sed rursum beatus Armogastes: Non; sed quod dixi, facturus es. Itaque ille, timens Dei hominem contristare, veraciter, quod iusserat, promisit esse facturum: & statim intra paucissimos dies comes bonæ confessionis, de hac vita migrauit. Festinauit autem Felix, sibi delegatum sub arbore fodere sepulcrum: atque adeò cum intertextæ radices, & soliditas aridæ telluris, moram ei faceret, abscissis radicibus, multo altiùs terram cauās, conspicit quoque sarcophagum splendidissimi marmoris ei diuinitus præparatum.

Moriturus, cupit sepeliri sub aliqua arbore.

Inuenitur diuinitus ei s. præparatus sarcophagus marmoreus.

SED nec illum quoque Archiminū nomine, Masculinum, debeo præterire: qui cū multis insidiis peteretur, vt Catholicā omitteret fidem, ipse eum Rex etiam blandiendo affatibus secularibus inuitabat, promittens, multis eum diuitiis cumulandum, si voluntati eius auditum facilem commodasset. Qui cùm fortis atque inuictus maneret, iubet eū sententiam subire capitalem, ita tamen callidus, simul occultè præcipiens, vt si in illa hora vibrantis gladij pertimesceret ictum, magis eum occideret, ne martyrem gloriosum fecisset, si autem fortem in confessione conspiceret, à gladio temperaret. Quare & vt columna immobilis Christo solidante, fortis effectus, confessor reuertitur gloriosus, videlicet quem etsi Martyrem inuidus hostis noluit facere, Confessorem tamen non valuit violare.

O immanitatem diabolicam hæreticorum.

SED & nouimus etiā alium ea tēpestate nomine Saturum. Qui

Qui cùm lucidum esset membrum Ecclesiæ Christi, & prauitatem Arrianorum libertate Catholica frequenter argueret (fuit hic Procurator domus Hunerici) conuenitur, accusante Mariuado quodam Diacono; quem & Hunericus infaustus singulariter honorabat, vt fieret Arrianus. Promittuntur honores & diuitiæ multæ, si faceret; præparantur supplicia dira, si nollet, hac optione proposita, vt si regalibus iussis non obediret, primò facta discussione, & antè amissa domo vel substantia, distractis omnibus mancipiis ac filiis, vxor eius, ipso præsente, camelario in coniugium traderetur. Quod ille, plenus Deo, magis, vt velociter prouenisset, impios prouocabat. Ob quam causam cùm vxor eius inducias visa esset ab his qui exequebantur, nesciente marito, petiisse, accedit ad maritum alia Eua, consilio magistrata Serpentis. Sed ille Adam non fuit, qui illecebrosa vetitæ arboris poma contingeret: quia non indigens, sed Saturus vocabatur, saturatus ab vbertate domus Dei.

S. Saturnus accusatur, q. sit Catholicus.

Minatur ei Tyrannus, q. vxorem suam tradet homini vilissimo.

ADVENIT mulier ad locum vbi maritus singularis orabat, conscissis vestibus crineque soluto, secumque comitantibus filiis, vnamque infantulam, quæ tunc lactabatur, manibus gestans, quæ & nescientis proiicitur ad pedes mariti. Etiam ipsa suis genua eius complectitur vlnis, dicens: Miserere mei, dulcissime, simul & tui, miserere cõmunibus liberis quos cõspicis. Non subiaceant conditioni seruili, quos claros prosapia reddidit generis nostri. Nõ subiiciat ergo indigni & turpi cõiugio viuente marito, quæ mihi semper inter coæuas plaudebam de Saturo meo. Cognoscit Deus quia inuitus facturus es hoc, quod fortè voluntariè aliquanti fecerunt. Cui ille Iob sancti voce respondit: Tanquam vna ex insipientibus mulieribus loqueris. Formidarem, mulier, si sola esset huius vitæ amara dulcedo. Sed nunc si diligeres maritum, numquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrahant filios, separent vxorem, auferant substantiam, mei Domini ego securus de promissis verba tenebo: Si quis non dimiserit vxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit esse discipulus. Sicque refutata muliere cum filiis & discedente, confortatur Saturus ad coronam; discutitur, exspoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur.

Venit ad eũ vxor, rogans vt simulet pro tempore.

Iob 2.

Nihil mouetur vir sanctus propter vxorem, quin etiam eam arguit & redarguit.

Lucæ 14.

Insigniter cõfitetur fidẽ.

VITA S. EVSTACHII ABBATIS LVxouiensis, ex Iona Abbate eius contemporaneo.

VENI

XXIX. MARTII.

VENERABILIS Eustachij Abbatis Luxoniensis monasterij scripturus vitam, habitorem eius inuoco Spiritum sanctũ. Sub Mauritio & Phoca Imperatoribus, quo tempore Romanæ Ecclesiæ Pontifex Gregorius clarus habebatur, nec non & Clotarius, Chilperici filius strenuè Francos regebat: religiosissimi exstitere viri, discipuli almi Patris Columbani, Attala & Eustachius, quorum prior in Bobiensi, alter in Luxouiensi cœnobio eius successores fuêre, & Magistri instituta suis alumnis seruanda tradiderunt. Nempe cùm venerabilis Pater Columbanus, vicesimo ab eremi inhabitatione anno Luxouium reliquisset, in eo monasterio Eustachius illi suffectus est. Et is quidem ex Burgundionum gente ortus, nobilis fuit genere, sed nobilior sanctitate, sui magistri vestigijs gnauiter insistens. Ad eius sanè famam vndique confluebant non pauci, ita vt cum sexcentis ferè monachis illic degere videretur in Dei laudibus. Atque adeò erat ille Pater venerabilis multæ abstinentiæ, & multarum vigiliarum, quotidiano ieiunio corpus macerans. Orandi etiam erat ei assiduitas magna, die ac nocte; nec non & in rebus diuinis implendis erat fortissimus, solicitus quoque pro pauperibus & peregrinis. Sed & quoties illi aliquis ob recipiendam pœnitentiam, lapsus suos esset confessus, ita flebat, vt & illum flere compelleret. Nec operam quoque declinabat scribendi ipse propria manu libros, nisi cùm aliqua infirmitate corpus eius detineretur.

S. Eustachius discipulus & successor S. Columbani.

Eius clari natales.

Degunt cũ eo ferè sexcenti monachi.

Mirus eius affectus erga pœnitentes.

AT verò interea memoratus Rex Clotarius, viri Dei Columbani prophetiam suos in se effectus habuisse cernens, patrem Eustachium, qui eius loco Luxouiense monasterium regebat, obsecrauit, vt ipsius nomine vellet ad beatum Columbanum legatione fungi, adiunctis sibi nobilibus viris, & persuaderet, vt ad ipsum accedere dignaretur. At beatus Columbanus Eustachium ad Clotarium remeare iubet, taliaque perferre responsa, sibi æquum non videri vt reuertatur; hoc solum orare, vt sodales suos, qui Luxouiense inhabitarent monasterium, regali adiutorio foueret. Addidit etiam literas ad Regem, castigationis plenas, quę nihilominus Regi fuêre munus gratissimum; nec obliuioni quoque tradidit preces eius, sed omni præsidio iam dictum monasterium munire studuit, annuis illud ditans censibus, necnon & fines eius vndique dilatans. Et quidem venerabilis Pater Eustachius ex Italia à beato

Obit legationẽ pro Rege Clotario ad S. Columbanum.

En maiestatem olim Sacerdotij.

beato Columbano, vt iam diximus, reuersus, paterno affectu subditas monachorum regebat catervas: inde autem & magistri præceptum implere parat, vt gentes vicinæ pabulo fidei alerentur, sicque progressus primò Vvarascis prædicat, quorum alij idololatricis cultibus, alij Photini, alij Bonosi errore contaminati erant. Quibus ad fidē conuersis, ad Baios, qui nunc Baioarij vocantur, tendit, eisque multo labore imbutis, ac fidei lineamento correctis, plurimos eorum ad fidem conuertit. Vbi similiter cùm aliquantisper moratus fuisset, dimisit sagaces viros, qui in cœpti laboris studio desudarent, ipse verò ad Luxouium remeare studet.

CETERVM, cùm progressus cœptū iter peragere, quendam fratrem Agilum nomine, qui modò Respacensis cœnobij Præsul existit, quemque tum vehementius febrium ignis excoxit, manu tetigit, interuentúque orationum suarum pristinæ mox sospitati restituit. Deinde autē peruenit ad supradictum cœnobium, vbi & tam fratres interiús, quàm vicinos populos exteriús ad Christianum vigorem excitare studuit, multosque eorum ad pœnitentiæ medicamenta pertraxit. Fuit enim hoc illi studio, vt multos sua facundia erudiret: ex quibus complures postea Ecclesiarum Præsules exstiterunt, Chagnoaldus scilicet Lugduni, Acharius Viromandorum, & Nouiomensis, ac Tornacensis Episcopus: Rachuacarius, Augustoduni & Basileæ, Audomarus Bononiæ, & Taronensis oppidi. Sed ecce cùm iam haberetur omnibus gratus beatus Eustachius, omnium quoque Franciæ procerum studio & honore fulciretur, atque Clotarij Regis veneratione uteretur, exarsit more suo liuidus chelydrus: Excitat vnum è subditis Agrestium nomine, qui quondam Theodorici Regis Notarius fuerat, & quadam cordis compunctione tactus, omnia quæ possederat relinquens, & ad Luxouium veniens, se, & sua omnia, supradicto Patri tradiderat.

Aliquot eius sancti discipuli.

Landuni, tra Meiasus.

Insurgit contra eum immundus dæmon.

QVI cùm beati Columbani regulam sibi carpendam sumpsisset, multa aduersùs eam liuido dente garriebat, annuente illi Abeleno, Genuensis vrbis Episcopo, qui illi sanguinis coniunctione proximus erat. Et is quidem Abelenus vicinos Episcopos in Agrestij subsidium omni studio sensim sibi iungere nitebatur, ita vt ipsum quoque Regem Clotarium tentarent. Denique emanante Regia iussione, multi Burgundionum Episcopi in suburbio Matisconensis oppidi conueniunt, vbi &, cogentibus cunctis, Agrestius simulatam pacem

Cogitur eius concitator iussu Episcoporum ab eo petere pacem.

postulat, vti postea factis declarauit. Cœpit namque deinde tentare monasteria, & sub specie discipuli pretium proditionis taxare, veniens, scilicet, ad virum venerabilem Romaricum, simulque Amatum. Eo namque tempore, pro quibusdam rebus neglectis, tam Amatus quàm Romaricus ab Eustachio obiurgati fuerant. Quos læsos vt sensit, vt faciliùs exasperatas mentes suis affectionibus iungeret, quibusdam adhibitis stimulis, id paulatim nitebatur, vt venenata verba sanæ mentes reciperent, & sic, in contemptum Regulæ beati Columbani, propriam vesaniam propagaret. Et (proh dolor!) exitiabili suasione tandem insanus ille sana maculauit. Nam abiectis institutis pristinis, rudibus plebium doctrinis instruere illi conati sunt. Sed non defuit vltio diuina.

Rursum insurgit idem contra sanctum virum.

Aperta fit ab eo discessio.

CVM enim ad hoc iam omnes adspirarent, vt contemptui pristinorum documentorum subscriberent; primùm lupi rabie exagitati, duos ex huius assertionis fautoribus, per intempestam noctem intra septa erumpentes, morsibus laniârunt: deinde & quendam *Platenum, qui ad hunc discordiæ fomitem vehementer adspirabat, dæmoniacus furor peruasit, atque ignobiliter neci dedit: nã propria manu ipse se laqueo suspendit, ac postremò fulgur lapsum è cælo, magno fragore percussit locum. Mortui ad præsens fuerunt vsque ad viginti; deinde metu percussos paulatim mors rapuit, vt ex ea vltione amplius quàm quinquaginta exstincti sint, auctore quidem criminis ad pœnitentiam reseruato: qui tandem dum sæpius sibi datum pœnitentiæ locum non agnosceret, vt beati Eustachij sententia ad diuinum iudicium ipsum vocantis præualeret, ante triginta dierum circulum, priusquam vertentis anni meta compleretur, à seruo suo, quem ipse redemerat, securi percussus, interiit. Occasio criminis dicebatur vxoris permixtio. Quod quamuis multi dixerint, & pro vero asserere voluerint, nostrum tamen affirmare non est. Cuncta enim, iuxta Salomonem, adducet Deus in iudicium. Amatus verò, & Romaricus venerabilis, Eustachij indulgentiam postulantes, recepti sunt, & submota desidia, eius gratia fruuntur.

** Blercum.*

Vltio diuina imè illi obtrectatoribus.

Eccles. 12.

Cessat contra eum excitata tempestas.

Monasteria exstructa à S. Eligio excitato studio S. Columbani.

SED & Abelenus, & cæteri Galliarum Episcopi, pòst ad roboranda Columbani instituta sedulò adspirant: & multi iam amore beati Columbani, & eius Regulæ, monasteria construunt. Inter quos est & illustris vir Eligius, qui modò Viromandensi Ecclesiæ Pontifex præest. Qui cùm adhuc supersit, non meo iudicio fulciẽdus est, ne adulationis insimuler. Qui

sanè

ſanè apud Lemouicenſem vrbem monaſterium nobile ſuper fluuium Vincennam, Solenniacum nomine, exſtruxit, diſtans ab ea vrbe millibus quatuor, & alia multa iiſdem in locis cœnobia. Sed & Pariſiis puellarum monaſterium, quod regio munere acceperat, ædificat, cui Chriſti virginem Auream præfecit. Quomodo etiam in Bituricenſi vrbe puellarum monaſterium, ſecundum B. Columbani Regulam * Bertuara nobilis genere & Religione femina conſtruxit: Et in ſuburbio ſimiliter Bituricenſi, vir venerabilis Theodulphus, cognomento Babelenus; monaſteria ex Regula beati Columbani, religione omni pollentia, conſtituit: Primum in inſula ſuper fluuium Milmandram; vbi religioſorum virorum adunauit cateruam: aliud Gaudiacum nomine haud procul à fluuiolo Albeta: tertium Chriſti virginum in loco dicto Carantonio, ſuper fluuiū iam dictum Milmandram: atque item aliud Chriſti virginum iuxta Niuernenſe oppidum, ſub eadem Regula. Atque hoc ſcilicet modo beatus Euſtachius has adeptus victorias, corrigere delinquentes, ac ſuæ paci eos, qui remanſerant, adunare ſtudebat.

* Bertrada. Item alia ab aliis.

PORRO Monachorum ſub eius obedientia degentium, in dicto monaſterio ingens creuerat multitudo, vt iam multa per vicina loca cœnobia conſtruerentur; quæ eius ſucceſſor beatus VValdebertus firmauit atque ædificauit. Denique beatum ex hac vita præſtolans exitum, omni intentione ad contemplanda myſticorum præconiorum documenta deſudabat. Atque adeò cum iam per multorū circulū annorū, hoc in opere intentus vacaret, aduenit tēpus vocationis, ſortitúrque ſententia iuſti iudicis, vt, quod minus annorū circuli diuerſis afflictionibus peracti purgauerāt, paucorū corporis infirmitas dierum ſanaret. Vnde & interrogatus inter pœnarū incēdia, ſub viſione nocturna, ſi quadraginta dierū ſpatio leuiori pœna cruciari vellet, aut triginta potius feruentiori incendio purgatus, vitam beatam functus, cælos penetrare: reſpondit, melius eſſe, quamuis duris, breui tempore ſubiacere flagellis, quam pœnis leuioribus prolixius conſumi: ſicque tulit promiſſam atque electam corporis pœnam: & die tricesimo omnibus valedicens, triſte remeantibus nuncium depromit, ſuum exitum eadem die eſſe futurum. Nec multo poſt ſumpto viatico, animam cælo feliciter reddidit; ardens deſiderium ſuperis, & paternum regimen viuentibus, Religioniſque exempla relinquens: cùm ipſe interim parta victoria, cælorum regna penetrauit,

Valde multi ad eū cōfluūt monachi.

Exequitur ſub mortem grauiſſimis doloribus.

Transit ad vitam immortalem. duce Christo, cui est virtus & honor, per omnia secula seculorum.

MONS CALVARIÆ, SIVE PARASCEVE *sancta, ex Diuo Ephrem.*

Ex to 7. Surÿ sub finem Martÿ.

LOQVI timeo, & narrationem plenam horroris, linguæ officio aggredi. Est enim reuera metus ingens, de Passione Domini Saluatoris verba facere, & tentare tantæ rei indignitatem explicare. Hodie namque Dominus noster, Deus noster, Dominus exercituum traditus est in manus vilissimorum peccatorum. Sed cuius rei gratia est traditus sanctus, innocens, cælestis Dominus, ac sine peccato? Qui nihil peccauerat, hodie traditus est. Venite, fratres, discamus quare traditus sit Christus Saluator noster. Propter nos impios Dominus traditur. Quis non admiretur? quis non obstupescat? Peccantibus seruis Dominus traditur, vt liberet à morte proprios seruos, qui antè peccauerant. Perditionis ac tenebrarũ filij in tenebris exierunt eum comprehendere, qui in ictu oculi poterat omnes exurere. Vidit illorum audaciam Dominus, & vesanam iracundiam, seque ipsum cum omni mansuetudine, sponte sua, impiorum tradidit manibus. Vinxerunt perditi immaculatum Dominum, illuseruntque ei, qui alligauerat fortem insolubilibus nexibus, nosque à peccatorum nostrorum vinculis soluerat. Texuerunt & coronam spinarum, quas pro fructu tulerat vinea Iudæorum. Illuserunt ei, Regem appellantes, & conspuerunt in faciem eius, cuius adspectum omnes cælorum virtutes contremiscunt. En rursus angustia, dolor, & lacrymæ cor meum occupant. Venite discamus miserationum ipsius magnitudinem.

O verè indignum, occidi potentissimũ Dominum a vilissimis suis seruis.

Exitur, vt comprehedatur Dominus cæli & terra.

Conspuitur, in quem Angeli desiderant prospicere.

DVLCIS Dominus seruum inutilem & incontinentem habuit in Paradiso voluptatis, qui vbi peccauit, tortoribus traditus est. Vidit pius Dominus deficientem inter flagella, & misericordia motus, vt seruum eximeret à pœna, semetipsum pro illo flagris exposuit. Paueo, fratres, non leuiter, dum ista pronuncio, tremuntque omnia ossa mea, cùm ea diligenti admota consideratione discutio. Ipse omnium conditor, Deus noster & Dominus, ante Caiphã hodie sistitur, quasi vnus ex reis, vnusque ministrorum ei alapam dedit. Tremit cor meum hæc omnia cogitãs. Sedet seruus, Dominus stat, & qui plenus erat sceleribus, contra insontem, atque ab omni peccati labe alienum

Nota insignẽ similitudinẽ.

alienum, sententiam dictat. Contremuerunt cæli, fundaměta orbis terræ concussa sunt, expauerunt Angeli omnes atque Archangeli, Gabriel & Michael facies suas alis contexerunt, Cherubim trementia sub rotis se abdiderunt. Seraphin, illa hora alas ad inuicem collisisse visa sunt, cùm daret minister iniquitatis alapam Domino Maiestatis. Quomodo igitur non protulerunt fundamenta terræ motum atque tremorem, cùm hora illa contumeliis affici Creatorem suum cernerent. Cogito, ac tremore concutior, rursúsque compungor, intuens leuissimam tolerantiam benignissimi Domini. Creator, qui de puluere terræ hominem per gratiam finxerat, à manibus, quas ipse formauerat, alapam accipit, immo palma cæsus à seruo, rationabiliter prudentérque respondit cum omni mansuetudine ac reuerentia. Seruus furit: Dominus patitur. Irascitur seruus, Dominus in sua benignitate persistit.

Alapa percutitur Dominus Maiestatis.

Nimirũ vere dixerat: Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.

Hvc accedite, charissimi, dilecti Christi, compunctione simul & affectu summo Redemptoris illecti. Venite, consideremus adhuc pariter, quid hodie contigit in Sion ciuitate Dauid. Semen Abrahę charum atque electum quid hodie gessit? Immaculatum nempe Dominum tradidit morti. Hac die Christus Saluator noster per iniquorum manus iniustissimè ligno crucis affixus est. Venite omnes, & corpus nostrum abluamus lacrymis atque gemitibus, quia Dominus noster, & Rex gloriæ, pro nobis impiis morti est traditus. Ecce etiã ipse Sol, propter contumeliam Domini, splendorem lucis suæ conuertit in tenebras, vt nos videntes, ipsum imitemur. Dominus tuus, ô infelix, pro te in cruce nudus pendet, & contumeliis afficitur, & tu vestis mollitiem & ornamenta sectaris, Non tremit cor tuum, non mens tua exhorrescit hæc audiens? Aquam rursus ex petra in deserto eis produxit, sed ipsi horum vice ei acetum dederunt, suspendentes in ligno. Denique curemus, fratres, ne Iudæorum participes inueniamur. Metuamus, semper habentes ante oculos Passionem Redemptoris nostri. Meditemur assiduè pœnas ipsius, atque supplicia: Propter nos enim passus est impassibilis Dominus, pro nobis crucifixus est, qui solus sine peccato fuit. Et quid nos, fratres, ei reddere, quid tantis eius beneficiis retribuere vnquam poterimus? Attendamus scilicet nobis ipsis, ne passiones eius irritemus, nos, qui sancto & pretioso sanguine immaculati Agni redempti sumus.

Ad Christianos qui mollibus vestiuntur.

Quorsum seruiat meditatio Passionis.

MARTYRIVM S. QVIRINI, EX PASsione S. Alexandri, quæ est tertia May, apud R.P. Surium.

XXX. MARTII.

QVIRINVS Tribunus, martyr passus est Romæ, persecutione Traiani, sub Aureliano Comite vtriusque militiæ. Qui quidem beatus martyr tunc adhuc gentilis, cùm beatum Hermetem vrbis Præfectum, in domo in custodia detineret, beatum quoque Alexandrum Papam alibi in arctissimo carcere vinculis mancipatum haberet; cùm Hermes cum Quirino dudū de fide nostra colloquium habuisset, Alexāder nocturno silētio ab Angelo Domini, sub specie pueri, qui faculam ferebat ardentem, è carcere per fenestram educitur; & ad domum Quirini deductus, in custodiam Hermetis intromittitur. Quod Quirinus cernēs, credere cœpit, & Alexandro promisit, vt, si filiam suam Balbinam, habentem in collo strumam, liberare posset, ipse quoque fidem Christi susciperet. Quare & Alexander filiæ eius sanitatem spopondit, eique mandauit, vt puellam ad se in carcerem suum deferret.

S. Quirinus primo minister impietatis.

Promittit, si filia sua sanetur a S. Alexandro, se fore Christianum.

ET quidem abeunte Quirino, Alexander ad carcerē suum à puero reductus est clausis ianuis custodiæ vtriusque, tam Alexandri videlicet, quàm Hermetis; ita vt cùm Quirinus filiam suam Alexandro ad carcerem suum adduxisset, & obseratis ianuis ipsum ibidem reperisset, magis etiam obstupuerit. Ac denique cùm eius boiam exsoluisset Quirinus, eam Alexander filiæ eius imposuit, moxque puella sanitatem recepit; sicque Quirinus, & filia eius Balbina, cum omnibus qui in custodia eius tenebantur, fidem susceperunt, atque ab Alexandro Papa sunt baptizati. Quod audiens Aurelianus, qui locum Imperatoris absentis in vrbe tenebat, Quirinum detineri mandauit, ac primùm ei Christum confitenti, linguam iussit exscindi. Qui cùm deinde quoque in equuleo torqueretur, & iniurijs Aureliani non cederet, iussit tyrannus manus & pedes eius amputari, atque ita demum capite plecti, & corpus eius canibus projici. Quod à Christianis raptum, humatum est via Appia, 3. kal. Aprilis.

Obtento quod petierat, baptizatur.

Pro fide Christi obit martyrium.

VITA S. GVIDONIS ABBATIS POMPOsiani, quiescentis Spiræ, ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium.

Ex to.7. Surij.

XXXI. MARTII.

PRAECLARAM beatiſſimi Guidonis conſcripturi vitã, primò eius parentes & patriã, pòſt virtutes oratione qualicunque explicare conabimur. Patrem igitur habuit Albertum, matrẽ Martiam, patriam Rauennam; in cuius villa ſuburbana, quę Caſamarienſis dicitur, natus eſt. Parentes eius fuêre genere nobiles, religione Chriſtiani, ac Deo deuoti. Rauennæ adhuc puer, literarum ſtudijs deditus fuit. Adoleſcens animo ſecularis, & veſtibus comptus, iam videbatur abiturus prę- ceps in vitiorum gurgites, ſed benigniſſimi Creatoris gratia ab hoc præcipitio potenter ereptus eſt. Itaque ſancti Spiritus accenſus igne, cœpit cæleſtis patriæ dulcedini inhiare. Iam ſummopere cupiebat ponere ſecularem habitum; ſed cùm nõ ignorabat parentes id nulla ratione laturos, animo id apud ſe celabat, cùm interim etiam parentes eum vellent inire coniugium. Verùm enimuero ſciens ipſe dixiſſe Dominum; Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: quadam nocte celeberrimæ apud Rauennates beati Apollinaris Martyris ſolennitatis, pretioſis ſe veſtibus exuens, & pauperibus eas elargiens, viliſſima ſe veſte induit, &, inſcijs parentibus è patria proficiſcens, Romam iter intendit. Vbi cùm in clerum cooptatus eſſet, ſtatuit ire Hieroſolymam, nec vnquam redire ad ſuos.

S. Guidonis parentes & patria.

Eius adoleſcentia.

Parantur ipſi nuptiæ.

Lucæ 14.

Fugit Romã, vbi & in clerũ cooptatur.

AT verò interea diuina eſt reuelatione admonitus, vt Rauennam repetens, ſubdat ſe Martini eremitæ magiſterio. Is Martinus tantæ fuit abſtinentię & religionis, vt penè toti Italiæ non mediocri eſſet venerationi. Fecit ergo vt erat iuſſus: venit ad Martinum venerabilem eremitam; aperit ei deſideriũ ſuum; ſimulque orabat, vt ocyus veſte monachi indueretur: timebat enim ne parentes repertum ipſum abducerent. Sed vir ſanctus voluit eam rem in craſtinũ differri, vt interim plus deliberaret. Quod ille cernens, ipſus ſibi cucullum induit, & poſtridie manè ſic veſtitum exhibet ſe viro Dei: in quo etiam feruore ſemper permanſit, & illi venerabili viro, quoad vixit, totum ſe in omnibus ſubdidit; vixitque cum illo tribus annis ſolitariè in inſula quam Padus fluuius à Pompoſia ſeparat. Porrò Pompoſianum monaſterium, tum quidem pauperrimum, volente ſic Imperatore, curæ huius Martini erat demandatum, interim tamen regulariter ei Domino Guilielmo præſidente; ſed quo maior illic terrenarum facultatum erat inopia, tanto amplior religionis & diuini cultus copia viſe-

Iuſſu Dei in patriam reuerſus, ſummo cum feruore fit monachus.

Degit in monasterio Pomposiano. batur. Quare & voluit vir Domini Martinus beatum Guidonem in illo commorari monasterio, vt pleniùs disceret monasticæ, disciplinæ & religionis instituta & perfectionem. Quæ quàm accuratè & absolutè didicerit, si quis nosse velit, poterit intelligere haud difficulter, si se ad illud conferat monasteriũ; cui postea ipse etiam præfectus fuit.

ETENIM eius cœnobij Fratres, etsi primò ceu simplicem, & vili amictum veste eum irriderent, at conijciebant tamen fore vt quandoque apud ipsos Abbatis munere fungeretur. Atque adeò vir reuerendus Guilielmus temporis successu omnia ei, alia post alia, monasterij officia vel ministeria demandauit: atque inde etiam in S. Seueri monasterio Præpositi munus obire eum voluit, illo se in omnibus ad monastici Canonis seu Instituti præscriptum rectè gerente. *Demandatur ei Præpositura monasterij S. Seueri.* Nec multo pòst dominus Guilielmus in eremum secessit, alium suo loco Fratribus Pomposianis Abbatem præficiens. Ioannes Angelus is dicebatur, vir simplex & rectus, miræque abstinentiæ. Sed eo defuncto, atque ad Angelorum translato consortium, mox beatissimus Guido, quamuis multum renitens, & se indignum clamitans, Abbas Pomposiæ institutus est, cogente eum domino Martino, cui iam prîdem in omnibus parere constituerat. Nec tamen vllo modo sarcinam illam sibi imponi passus est, donec ab eodem viro Dei Martino id impetrasset, vt quãdoque liceret eam, relicta Abbatia, deponere. *Abbas Pomposiæ factus, etiam proprium parentem & fratrem ad se attrahit.* Sed & parens quoque eius, cuius suprà meminimus, & frater, Gerardus nomine, ad eum venerunt, & sub eo, contempto seculo, religiosè & strenuè Christo militarunt, atque feliciter suas animas Domino reddiderunt.

QVIN & cùm præclarè monasterium illud ab eo gubernaretur, & monachorum increscerer numerus, aliud etiam cœpit, quod hodieque permanet, condere cœnobium. *Construit nouum monasterium.* In quo sanè quæ per illum, & sub illo patrata sint, atque etiam perpetrentur miracula, orationis nostræ tenuitas explicare satis non potest; sed tamen pauca ex multis annotabimus. Cùm structura huius monasterij fieret, Fratribus aliquando in muro laborantibus, crates supra modum grauatæ petrarum congerie, accedente etiam mali dæmonis inuidia, absente Patre Guidone, deciderunt. *Liberat suos è summo discrimine.* Vbi cùm lapsi Fratres quidam nihil mali passi essent, nonnulli tamen penduli hæserunt, non sine magno discrimine. Quod vbi resciuit venerabilis Pater, citò adfuit, & suis illos precibus deposuit illæsos. Sub eadem quoque structura,

ctura, magna aliquando inopia victus premebat operarios: sed beato Guidone Dominum obnixè deprecante, & ab eo opem illis promittente, cùm iam nihil esset quo postero die refici possent, omnes aduersus illum murmurare, eique plus satis molesti esse cœperunt. Ferebat id ille patienter, & simul tamē de ratione comparandæ alimoniæ cogitabat. Itaque Rauennam ea causa proficiscens, non longè à monasterio incidit in duas naues plenas vino & frumento, diuinitus ei præparatas. Tum ille summæ Trinitati gratias agens lætus rediit, & Fratres diu exinde sustentauit, admonens ne deinceps diffiderent.

Diuinitus cibo pascitur.

SED & eodem tempore Frater quidam, qui Bertholdus dicebatur, cùm propinquus morti tardè admodum animam efflaret, conscientiæque stimulis pungeretur; benignitate Dei, & precibus sancti Guidonis, sibi redditus est. A quo cùm interrogarent Fratres, quid sub ijs tam diuturnis mortis angoribus vidisset? Vidi, ait, dæmones aduersum me sæuientes, & peccatum quoddam mihi valde instanter obijcientes. Cùm enim in seculo degerem, nō nisi vnam didici incantationem, qua vsus fui, sed ea iam planè etiam ex animo exciderat. Hāc illi mihi procaces spiritus horrendum in modum obiecerunt: sed virtute Christi, atque orationibus sanctissimi Patris nostri Guidonis, vestrisque profligati, tandem tristes abscesserunt. sicque frater ille accepta pœnitentia, in pace quieuit.

Nota vt diligenter examinentur conscientiæ pro facienda confessione.

Cæterùm postquam illud, quod diximus, monasterium sanctis studijs & exercitijs florere cœpit, multisque opibus etiam simul abundare; monebat vir sanctus suos blandè, proponens illud ex Propheta: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Atque ita erant apud illos ieiunia multa, & mirabiles abstinentiæ. Multa psalmodiarum & vigiliarum instantia, magnum silētij studium. Quin etiam, licet illis summa esset diuersorum piscium copia, tamen, tum eius iussu, tum sua sponte atque voluntate, non nisi tribus tantùm diebus hebdomadis sibi piscium esum permissum esse debere statuerunt. Aduersus quem quidem virum Dei cum Heribertus Rauennas Archiepiscopus tanto aliquando furore commotus fuisset, vt Pomposianum cœnobiū armata manu destruere meditaretur; ille in hoc solo spem omnem posuit, vt cum omnibus monachis in preces feruenter incumberet.

Psal. 61.

Acerrimè commouetur contra virum sanctum Archiepiscopus Rauennas.

Omnes, laneis positis, vestibus asperrimis & cilicinis induti, tres dies & noctes continenter sic vestiti, calceis quoque abiectis, solo pane hordeaceo, & aqua contenti, quotidie sua

t 5 spon

ſponte acriter in domo capitulari virgis cædebantur. Et ecce, cùm Archiepiſcopus eo, quo diximus, animo veniſſet ad monaſterium, fratresque omnes, licet non ignari quid vellet, obuiam ei cum timore procederent, atque ſuó more honorificentiſſimè illum in eccleſiam perduxiſſent; ille humi proſtratus, vt Deo preces offerret, diuinitus adeò compunctus eſt, vt ſurgens perfuſus ora lacrymis animo placidum, & vultu blãdum ſe fratribus exhiberet, perpetuamque cum illis iungeret amicitiam, nec non & beato Guidoni deinceps, quo ad vixit, humaniſſimum ſe præſtaret. Qui idem vir ſanctus Guido, poſteaquam annis duodequadraginta Pompoſium cum laude gubernaſſet, iturus obuiam Imperatoris legationi, in ipſo itinere apud Parmam feliciter exſpirauit pridie Calendas Aprilis, anno ſalutis milleſimo quadrageſimo ſexto. Cuius venerabile corpus cùm Parmenſes è manibus Fratrum vi abſtuliſſent; ſuperueniens Imperator Henricus, eius nominis tertius, ſacratiſſimas exuuias humiliter veneratus, primò fecit eas Veronam, in S. Zenonis Eccleſiam, reponi; deinde, circa annum milleſimum quadrageſimum ſeptimum de Verona Spirã eas tranſtulit, in Eccleſiam collegiatam, quæ tunc à D. Ioanne Euangeliſta nomen habuit, nunc verò ſancti Guidonis appellationem obtinet. Ad laudem Dei in ſecula benedicti.

Idem diuinitus ſuper ſuo propoſito cõpungitur.

Migrat vir ſanctus ad Dominum.

FINIS MARTII.

APRILIS.

DE RESVRRECTIONE DOMINI, *quæ est solennitas solennitatum, ex D. Leone, insertis nonnullis ex D. Gregorio.*

SERMONE superiori Passionis Dominicæ, dilectissimi, non incongruè vobis, quantum arbitror, participationem Crucis Christi insinuauimus, vt scilicet nunc & Paschale Sacramentum quoque in se habeat vita credentium, & quod festo honoratur, moribus celebretur. Etenim quàm vtile sit, ipsi probastis, & ex vestra deuotione didicistis, quantum prosint animis atque corporibus prolixiora ieiunia, frequentiores preces, & eleemosinæ largiores. Nemo enim ferè est, qui non hac exercitatione profecerit, vt spero, & in abdito conscientiæ suæ aliquid, quo rectè possit gaudere, condiderit. Sed hęc lucra perseueráti sunt seruanda custodia, ne in desidiam resoluto labore, quod donauit Dei gratia, diaboli furetur inuidia: atque adeò cùm quadraginta dierum obseruantia hoc voluerimus operari, vt aliquid sentiremus fructus crucis in tempore Dominicæ passionis, adnitendum quoque nobis est, vt & Resurrectionis Christi inueniamur esse consortes, & de morte ad vitam, dum in isto corpore sumus, transeamus. Vnicuique enim homini, qui ex alio in aliud aliqua conuersione mutatur, finis est, non esse quod fuit, & ortus, esse quod non fuit. Sed interest, cui quis aut moriatur, aut viuat: quia est mors quæ causa est viuendi, & est vita quæ causa est moriendi. Nec alibi omnino quàm in hoc transitorio seculo vtrumque conquiritur: vt ex qualitate temporalium actionum, differentiæ quoque retributionum pendeant æternarum.

D. Leo Ser. 1. De Resurrect. Quare Pass. & solennitas sequatur statim post Quadragesimam.

Oportet resurgere de morte ad vitam.

ET sanè moriendum est diabolo, & viuendum Deo, deficiendum iniquitati, vt iustitiæ resurgatur. Occumbant vetera, vt oriantur noua. Et quoniam, sicut ait veritas, Nemo potest duobus dominis seruire: dominus sit non ille qui stantes impulit in ruina, sed ille qui deiectos erexit in gloriam. Dicente ergo Apostolo: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis, qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœlestis, tales & cœlestes, sicut portauimus imaginem terreni, portemus

Matth. 6.

1. Cor. 15.

portemus & imaginem eiusqui est de cælo:& multum nobis hac de commutatione gaudendum est, qua de ignobilitate terrena ad celestem transferimur dignitatem, per illius ineffabilem misericordiam, qui, vt nos in sua proueheret, in nostra descendit, vt non solùm substantiam, sed etiam conditionem naturę peccatricis assumeret, & ea sibi pateretur inferri diuina impassibilitas, quæ miserrimè experitur humana mortalitas.

Vt resurgeret homo, mortuus est Deus.

ATQVE interim ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denunciatam tridui moram tam mira celeritate breuiauit, vt dum ad integrum secundum diē pars primi nouissima, & pars tertij prima concurrit, & aliquantum temporis spatio decideret, & nihil dierum numero deperiret. Itaque resurrectio Saluatoris, nec animam in inferno, nec carnem diu morata est in sepulchro: & tam velox incorruptæ carnis viuificatio fuit, vt maior ibi esset soporis similitudo quam mortis: quoniam Deitas, quæ ab vtraque suscepti hominis substantia non recessit, quod potestate diuisit, potestate coniunxit. Subsecutaque sunt simul multa documenta, quibus prædicandę per vniuersum mundum fidei auctoritas conderetur. Vnde & licet reuolutio lapidis, euacuatio monumenti, depositio linteorum, & totius facti Angeli narratores copiosè veritatem Dominicæ Resurrectionis adstruerēt, & mulierum tamen visui, & Apostolorum frequenter oculis etiam adhuc manifestus apparuit, non solùm loquens cum eis, sed habitans atque conuescens, & pertractari se diligenti curiosoque contactu ab eis, quos dubitatio perstringebat, admittens.

Explicatur triduum mortis Christi. Vid. 3. sent. dist. 21.

Studiosissime à Christo confirmata fides Resurrectionis.

IDEO enim & clausis ad discipulos ostiis introibat, & flatu suo dabat Spiritum sanctum, & dato intelligentiæ lumine, sanctarum Scripturarū occulta pandebat, & rursus idem vulnus lateris, fixuras clauorum, & omnia recentissimæ Passionis signa monstrabat, vt agnosceretur scilicet in eo proprietas diuinæ humanæque naturæ indiuidua permanere, & ita sciremus Verbum non hoc esse quod carnem, vt vnum Dei Filium & Verbum confiteremur, & carnem. Sed & audistis præterea, charissimi, quòd sanctæ mulieres, quæ Dominum fuerant secutæ, cum aromatibus ad monumentum venerunt, & ei, quem viuentem dilexerant, etiam mortuo, studio humanitatis obsequuntur. Quæ sanè res gesta aliquid etiam in sancta Ecclesia signat gerendum. Sic quippe necesse est vt audiamus quæ facta sunt, quatenus cogitemus etiam quæ nobis sint ex eorum imitatione facienda. Et nos ergo in eum qui est

Voluit Christus se credi simul perfectum Deum, & perfectum hominem. D. Gregorius hom. 21. in Euangelia.

Explicatur mystice d.

qui est mortuus, credentes, si odore virtutum refecti, cum opinione bonorum operum Dominum quærimus, ad monumentum profectò illius cum aromatibus venimus. Illæ autem mulieres Angelos etiam vident, quæ cum aromatibus venerunt, quia videlicet illæ mentes super nos ciues adspiciunt, quæ cum virtutum odoribus ad Dominum per sancta desideria proficiscuntur. *aromatibus, quibus vngitur corpus Iesu.*

QVARE nec rerum temporalium nos occupent species, nec ad se contemplationem nostram à cælestibus terrena deflectant. Pro transactis habeantur, quæ ex maxima parte iam non sunt, & mẽs intenta mansuris, ibi desiderium suum figat, vbi, quod offertur, æternum est. Quamuis enim spe salui facti simus, & corruptibilem adhuc carnem mortalémque gestemus, rectè tamen dicimur in carne quoque non esse, nimirum si carnales nobis non dominentur affectus, meritoque eius rei deponimus nuncupationem, cuius non sequimur voluntatem. Hæc autem meditatio, dilectissimi, non pro solennitate Paschali tantùm, sed etiam pro totius vitæ sanctificatione retinenda est, & ad hoc præsens exercitatio debet intendi: vt quæ animum fidelium, experimento breuis obseruantiæ delectarunt, in consuetudinem quoque transeant, ac intemerata permaneant, aut si aliquid delicti irrepserit, celeri rursum pœnitudine deleatur. Et quia antiquorum morborum difficilis & tarda curatio est, tanto velociùs adhibeantur remedia, quanto recentiora sunt vulnera: vt semper ab omnibus offensionibus in integrum resurgentes, ad illam incorruptibilem glorificandæ carnis resurrectionem tandem peruenire mereamur, in Christo Iesu Domino nostro. *Rursum. D. Leo.* *Nota contra eos qui Pascha solum putant esse in illis paucis diebus.*

VITA S. HVGONIS EPISCOPI GRAtianopolitani, ex ea quæ est per Guigonem Carthusianum.

I. APRILIS.

BEATVS Hugo, natione Valentinẽsis, loco iuxta Isaram fluuium, cui Castrum nouum nomen est, parẽtes habuit, & secundùm seculum non infimos, &, quod excellit, sanctitate conspicuos. E quibus pater Odilo nomine, præter ea quæ militari licet in habitu, laudabiliter gessit, post duas vxores, æuo iam grauis, monente filio, duras, quas Carthusia propter verba labiorum Dei custodit vias, aggredi etiam nõ dubitauit, vbi & annis ferè decem & octo vixit cunctis venerabilis, *S. Hugonis Sancti parentes.*

matre interim eius, quia feminarum religiosa rara tunc erant monasteria, sanctis operibus in domo propria gnauiter, quod reliquum erat temporis, impendente. Sed ad ipsum redeamus beatum Hugonem. Cùm à scholis reuersus, Valentiæ, vbi maioris Ecclesiæ Canonicus erat, demoraretur, Dominus Hugo Gallias Gregorij septimi Legatus, agnoscens in eo futuræ sanctitatis insignia, mox assumpsit eum suorum certaminum comitem. Siquidē ille non solū aduersus laicos sacra detinentes sed & contra sacerdotes quoq; quos inhonesta cōiugia maculabāt, necnō & aduersus Simoniacos, acerrimus insudabat.

Canonicus Valentinensis venit in familiaritatem Legati Apostolici.

SED, & aliquanto dehinc tempore, idem Legatus apud Auinionem Prouinciæ ciuitatem, celebrauit Concilium. Ad quod Concilium cùm Episcopum quærentes Gratianopolitani Canonici venissent, comperto præfatum iuuenem conuentui interesse, petierunt suppliciter, suffragante Concilio, ab eius venerabili Patrono, vt hunc sibi Episcopum daret. Et ille quidem protinus gratulabundus assensit. At verò beatus Hugo totus reniti, clamare se & ætate & moribus longè imparem, (erat enim annorum tantùm viginti septem) donec Legati & cæterorum fractus hortatibus tandem aliquando cessit. Præerat tunc Viennensis Archiepiscopus Garmundus, sed quem, propter Simoniæ infamiam, sibi manus imponere non admisit. Itaque cunctis, præter Episcopi, à Legato sumptis ordinibus, Romam profectus est, vt ibi consecraretur. Et mirum, quibus ibi rursum modis electioni factæ abrenunciare deliberauit. Sed præualuit beati Papæ auctoritas, qui & multum amorem in eum ostendit. Quin & Comitissa quoque Mathildis in suo Deum venerans famulo, diei consecrationis eius necessaria cuncta subministrauit nec non & pastoralem quo diu vsus est, baculum dedit, additis Psalmorum secundum beatum Augustinum explanationibus, cùm beati Ambrosij volumine de Officiis.

Eligitur, vel inuitus, in Episcopatum Gratianopolitanum.

Pro magno munere accipit D. Augustinum in Psalmos, & D. Ambrosij Officia.

QVIBVS ita peractis, ad susceptam reuersus Ecclesiam, inuenit clerum & populum nimis incompositum, in tantum vt & Sacerdotes vxores ducerent, nuptias publicè celebrarent, emere ac vendere sancta non hæsitarent, Ecclesias laici possiderent, vsurarij lucra coaceruarent, nec ob hoc tamen minus eorum aliqui mysteria sacrosancta perciperent. Ad hæc substantia Episcopalis penè fuerat tota cōsumpta, vnde multas etiam pertulit inopias. Verùm tot & tanta suscepti populi vitia vel peccata quanta vigilantia, quibusve prædicationis & discipli-

Corruptissimi tunc in Ecclesia Gratianopolitana mores.

disciplinæ flagellis persecutus fuerit, quos ibidem labores, quos discursus, quásve solicitudines insumpserit, quæ ieiunia, quas vigilias, quas psalmodias, quos gemitus, quas preces, quosque lacrymarum imbres ad propiciandum pro eis Dominum paterna pro eis compassione profuderit, nostris exponi verbis nec potest, nec opus est, cum rerum in melius manifesta mutatio idipsum cernentium euidenter ingerat oculis. At verò ipse interim, necdum duobus post consecrationem expletis annis, Casæ Dei Ordinis Cluniacensis factus est monachus; sed non multo pòst, cogente memorato Gregorio septimo, ad Episcopatum iterum est reuersus, ex vnius anni studiis tanta virtutis incrementa reportans, quanta de diuturnæ vitæ laboribus vix assolent multi.

Suscipit vir sanctus habitum monasticum.

ATQVE interea, tribus necdum in Episcopatu post monasterij reditum completis annis, adest magister Bruno, vnà cũ Landuino, post eum Carthusiæ Priore, & aliis sociis, quærentes locum eremiticæ vitæ congruum. Quos ille cum gratanter excepisset, mox quoque voti cõpotes fecit, Carthusiæ solitudine, præuia diuina visione, illis concessa, cum quibus etiã fuit vt frater humillimus, adeò vt venerabilis Guilielmus, beati Hugonis contubernalis (bini quippe tunc per singulas inhabitabant cellas) apud magistrum Brunonem non leuiter conquereretur, nõ licere sibi ex seruilibus operibus quicquam attingere, quæ iuxta morem debebãt per vices efficere, eo sibi cuncta præripiente. Quin & intantum eremum deuotus incolebat, vt eum magister Bruno nonnunquam exire cõpelleret, Ite, dicens, ite ad oues vestras, eisque, quod debetis, exsoluite. Sed & eo tempore voluit equitaturas suas cunctas vendere, & propriis pedibus in prædicatione discurrere, sed homo profundi cordis magister Bruno, cuius consiliis non aliter quàm præceptis obtemperabat, non consensit. Factum est autem, vt dum conteptis carnalibus, spiritualiá zelo feruentiore sectaretur, prę nimiis vigiliis, ieiuniis, & reliquis sacris exercitationibus, capitis & stomachi grauissimã decideret in ægritudinem, cuius etiã molestiis & cruciatibus, omni fide frequentioribus & acrioribus, per quadraginta ad minus annos, quoad vixit, nequaquam caruit. Sanctos autem codices ad mensam semper legi faciebat: vbi cùm occurrisset aliquid insigne, idipsum bis aut ter dicere compellebat, ipse interim lacrymarum infusus irriguis. Quam diuini muneris gratiam peccatores, ob Confessionem ad eum venientes, vel maximè sentiebant.

Vide hæc plenius in vita ipsius S. Brunonis.

Agit cum Carthusianis tanquam vnus ex ipsis.

Per quadraginta annos grauissimis ægritudinibus exercetur.

INTER

Ex insignem gratiam lacrymarum.

INTER quos Gualterius Calmesius solebat referre, quòd cùm in seculo positus, suas ei cõfiteretur offensas, tantam vertici eius lacrymarum infuderit copiam, vt madefactis capillis, deorsum etiam riuuli per confitentis ora defluerent. Porrò mulierum confessiones non minùs cautè quàm benignè suscipiebat. Vnde & aliquando respondit, nullius se totius episcopatus sui mulieris, præter vnius, ita faciem adspexisse, vt ex cõsideratione vultus, si occurreret, quænam esset, posset agnoscere. Ad hæc & Guigo Comes, circa Dei famulum tranquillitatis tempore valde deuotus, pro iniustitia tamen inuictissimè resistenti molestias non paruas nec paucas intulit. Atque adeò bis ab eo pro suis excommunicatus excessibus, bis eum episcopalibus expulit domibus. Sed & eleemosynæ quoque vir Dei intantum fuit diligens executor, vt calicem aureum, tempore magnæ famis, vendiderit, horreis defectum minantibus, & alendis impenderit pauperibus. Denique intantùm auditores eius interdum prædicatione mouebantur, vt capitalia etiam aliqui crimina, Deum magis verentes quàm homines, publicè in lacrymas soluti faterentur, quod apud * Vinacium castrum accidit, ex quibus tamen omnibus nihil ipse vnquam elatus est.

Bis excommunicans Comitem Guigonem, bis ab eo domo expellitur.

Etiam calicem sacrum expendit in pauperes.

Iusnaicum.

ET certè præstò erant, quæ possent eum, nisi tam solidus esset, in superbiam extollere. Vt enim taceamus quæ clero pariter & plebi per eum bona prouenerant, eremus Carthusiæ, Calesiensis Abbatia; Excubiarum eremus, Regularium Canonicorum apud Miserenum & apud S. Georgium domus, ipso adnitente cœperant, ipso spiritualiter & corporaliter fouente profecerant. At ipse magis, non quid virtutis adesset, sed quid deesset, subtili semper discussione considerabat, nunquam vsque ad mortem carens desiderio, episcopali sarcina modis omnibus exuendi. Nam & ob hanc causam Romam Legatos misit ad Papam Honorium, deinde & ipsemet, morbis licet ac senectute grauatus, eò profectus est, sed sic, vt sanè non impetrarit. Atque interim defungitur Honorius; cùm, emergente Petro Leonis aduersus vestram innocentiam, vir Dei perrexit Anicium, eundemque cum alijs Episcopis excommunicauit schismaticum. Nam & ante aliquot annos cùm Henricus Imperator Papam Paschalem cum Clericis & parte ciuium in Ecclesia B. Petri nefanda proditione cepisset, & sic ad illicita pacta coëgisset, ipse quoque præ cunctis, vt apud Viennam excommunicaretur, effecit.

Conatur deponere episcopatum, sed frustra.

Alloquitur Innocentium Papam, nam ad eũ hæc Vita scripta est.

Excommunicatur Henricus Imperator.

ET

Et quidem iste etiã vestræ serenitati persecutiones præfati schismatici declinanti, & in Gallias ingressæ, occurrit Valentiam, idem cum lacrymis rogans, quod & ab antecessore petierat, vt scilicet honoribus Ecclesiasticis absolueretur. Sed ne tunc quidem impetrare potuit. Atque ab hoc scilicet tempore cœpit in dies magis magisque deficere, & morti, crebrescentibus molestiis, propinquare. Et quidem infirmitatis violentia localium & temporalium memoria in ipso iam erat obliterata: Atqui tamẽ (ô rem stupendã!) cùm plerunque hac obliuione cogẽte, vbi, vel cum quibus esset, nesciret, interrogatus tamen de his quæ ad iustitiã religionemque pertinebãt, sine cunctatione veracissimè sapientissimeque respondebat; quod pluribus exemplis possit declarari. Sed quis percurrat in eius actibus vniuersa? Tandem anno ab incarnatione Domini 1132. cõsecrationis quinquagesimo secundo, Kal. Aprilis, vir beatus, pacata domo, & cunctis referta bonis, commissa etiam Ecclesia, ac plebe tranquilla pace fruente, feliciter migrauit ad Dominum, successorem substitutum iam sibi Carthusiẽsem, sicut diu multumque desiderauerat, relinquens: circa cuius sepulchrum frequentia turbarum modò rarior modò densior, ob spem diuinæ in se miserationis, propter ingẽtia beati viri merita, vsque nunc etiam perseuerat. Ad laudem Dei immortalis.

Repuerasit quoad temporalia, in spiritualibus per omnia sanus.

Feliciter trãsit ex hoc sæcul. episcopatus sui anno 52.

VITA S. NICETII EPISCOPI LVGDVnensis, ex D. Gregorio Turonensi.

II. APRILIS.

Beatvs Nicetius filius fuit Florentini Senatoris, & Archemiæ. Hic literis Ecclesiasticis institutus, defuncto patre, cum genitrice iam Clericus in domo paterna residens, cùm famulis manu propria laborabat, intelligens cõmotiones corporeas non aliter nisi laboribus & ærũnis opprimi posse. Sanè illi quodã tempore, cùm adhuc in domo ipsa degeret, orta est pustula mala in facie. Quod virus inualescens valde puerum fecit afflictum. Sed mater eius iugiter inter Sanctorũ nomina beati Martini nomen pro eius salute peculiariùs inuocabat. Iam per biduum puer iacebat in lecto clausis oculis, & nullum verbũ matri lamentanti proferebat, cùm secunda die ad vesperam, aperiens oculos ait: Mater, Beatus Martinus, super me crucem Christi faciens, surgere me iussit incolumem. Nec mora. Hæc effatus, statim surrexit à lectulo; cuius etiam testis fuit

In vitis Patrũ cap. 8.

S. Nicetii genus & prima educatio.

Puer sanatur ab ægritudine, meritis beati Martini.

huius rei causa visa cicatrix in eius facie. Ætate quoque iam tricenaria, Presbyterij honore præditus est, atque etiã nequaquã propterea se à labore operis, quod priùs gessit, abstinebat.

En sũc veneratione Principum erga Prælatos Ecclesiæ.

VERUM enimuero, ægrotante interea grauiter Lugdunensi Antistite in vrbe Parisiaca, cùm à Childeberto seniore magno amore ille diligeretur, voluit Rex vsque ad eius lectulum proficisci, ac visitare infirmũ. Nec multa mora. Venienti Regi ait Episcopus: O piissime, quia tempus resolutionis meæ adest, rogo vt Nicetius Presbyter, Ecclesiæ Lugdunensi substituatur Episcopus. Est enim, vt mei testimonij verba proferunt, amator castimoniæ, dilectorque Ecclesiarum, & in eleemosynis valde deuotus; & quæcunque seruos Dei decent, & operibus gerit & moribus. Ad quod Rex, Fiat voluntas Dei. Et sic pleno Regis & populi suffragio Episcopus Lugdunensis ordinatus fuit, præcipuus concordiæ ac pacis amator. Qui si læsus fuisset ab aliquo, statim aut remittebat per se, aut per alium insinuabat veniã deprecari. Sed & quodam manè, cum venisset ad Matutinas sanctus Nicetius, exspectatis duabus Antiphonis, ingressus est sacrarium. Vbi dum resideret, Diaconus Responsorium Psalmum canere cœpit: & ille commotus ait: Sileat, sileat, nec præsumat canere iustitię inimicus. Et dicto citius, oppilato ore, siluit: quē iussit vocari ad se sanctus, & ait: Et cur vocem in canticis Dominicis es ausus emittere? Stupentibus autem omnibus qui aderant, & nihil mali de Diacono nouerant, tandem exclamauit dæmonium, & se torqueri à sancto immensis cruciatibus confitetur. Ipse enim præsumpserat in Ecclesia canere; cuius vocem, ignorantibus populis, sanctus agnouit, & ideo ipsum verbis acerrimis exsecratus est, ac sic demum, impositis Diacono manibus, eiecto dæmone, personam restituit integræ menti.

Ordinatur S. Nicetius Eps. Lugdunensis.

Detegit id quod erat occultum.

MIGRAVIT autem vir sanctus ad Christum vicesimo secundo Episcopatus sui anno, ætate sexagenaria. Cuius testamentũ cùm post dies quos lex Romana sanciuit, in foro delatum, turbis circumstantibus, à Iudice reseratum recitatumque esset; Presbyter basilicæ (ô miserum!) tumens felle, quòd nihil loco, in quo sepultus fuerat, reliquisset, ait: Aiebant semper plerique stolidum fuisse Nicetium; nunc ad liquidum verum esse patet, cùm nihil basilicæ, in qua tumulatus est, delegauit. Sed sequenti nocte sanctus apparuit Presbytero cum duobus Episcopis, id est, Iusto atque Eucherio, in veste fulgenti; dicens ad eos: Hic Presbyter, sanctissimi Fratres, blasphemiis me obruit,

Migrat ad Dominum.

Post mortem quidam eum blasphemat.

nuit, quia nihil facultatis scripserim templo huic quo requiesço, & nescit, quia quicquid preciosius habui, ibidem reliqui, id est, glebam corporis mei. At illi dixerunt: Iniustè facit, detrahens seruo Dei. Vnde conuersus sanctus ad Presbyterum, pugnis palmisque guttur eius illisit, dicens: Peccator conterende, desine stultè loqui. Atque ita factum est, vt per dies quadraginta lectulo decubans, grauiter cruciaretur, donec, inuocato Confessoris nomine, sanitati est redditus. *Idem diuinitus punitur.*

VITA S. MARIÆ ÆGYPTIACÆ,

ex ea quæ est per Sophronium Episcopum Hierosolymorum.

II. APRILIS.

MARIA Ægyptiaca, quæ & peccatrix appellatur, patriā Ægyptum habens, parentibus viuentibus, duodecimum gerens ætatis annum, affectu illorum spreto, in Alexandriam venit, ibique indesinēter & insatiabiliter vitio libidinis subiugata iacens, decem & septem annos transegit, atque adeò, quò amplius ad eam concurrerent, gratis quoque, libidinis furore succensa, scelus admittebat, mendicans interim, vel stupam filando victitans. At verò interea contigit multos Hierosolymam nauigare ob sanctæ Crucis exaltationē solitò celebrandam. Quo cùm & ipsa ascendisset, non pietatis tamē ergô, sed magis vt multos & varios haberet in suæ libidinis passione cooperarios, contigit, vt cùm Hierosolymam venisset, & cum aliis vsque in atrium templi accessisset, subitò & inuisibiliter repulsam passa sit, & nullatenus templum ipsum intrare potuerit. Quod ter & quater passa, ad se tandem reuersa, & hoc propter sua enormia flagitia euenire cognoscens, coram imagine Dei Genitricis, ibi in atrio templi prostrata, orare cœpit, vt peccatorum sibi veniam impetraret, & S. Crucem adorare permitteret, promittens se ex hoc nunquam vltrà suam carnem coinquinaturam.

S. Maria huius primò turpissima vita.

Venit Hierosolymam.

Diuinitus repulsa ab ingressu templi, compungitur.

QVO factum est, vt, iam satisfaciens menti suæ, quod sancta Dei Genitrix posset pro ea hoc obtinere, his se denuo immiscens, qui templum ingrediebātur, nullum inuenerit ingrediendi obstaculum: quin magis, vt vnda mare, ita eam turba intrò impellere videbatur. Tūc verò illa nimio gaudio & pauore simul attonita, lignum sanctæ Crucis adorauit, & vidit omnia mysteria, ac deinde egrediens, venit rursum in illum locum, in quo promissionem S. Dei Genitrici fecerat. Vbi cùm

Ope Dei Genitricis facile ingreditur templum.

itidem orasset, petens demonstrari sibi fructuosæ pœnitentiæ & salutis viam, audita est vox dicentis: Si Iordanem transieris, illic bonâ inuenies requiē. Nec mora: ad iter se accingit; cùm interim egredienti è tēplo vir quidā pius obtulit pro eleemosynâ nūmmos tres. Ex quibus, cùm tres minutos panes comparasset, cum iis ad Iordanem accedens, enixiusq́ue deprecans sanctā & immaculatam Virginem, vt ipsa ei viam ostenderet, sicut ei placeret, tetendit in eremum, semper elongando fugiens, vt possit inuenire eū qui saluos facit conuertentes ad se. Quadraginta & septem annis in deserto mansit, & nec vllum hominem interea vidit, panibusq́ue illis iam dictis consumptis, comedebat deinde herbas quæ in deserto inueniebantur.

Audit vocē cælestem.

Victitat in deserto herbis agrestibus per 40 annos omnibus ignota.

Sed & vestimentis eius disruptis atque putrefactis, pruinis postea hyemalibus, & æstiuis ardoribus nuda æquè exposita fuit: vnde & tandem præ solis ardore tota denigrata fuit. Primis decem & septem annis diuersis tentationibus fuit exagitata: Cum quibus dum fortiter luctaretur, Dei gratia, eiusq́ue immaculatæ Matris protectione munita, non antè eleuabat à terra faciem, nisi totius diei noctisq́ue consummatum fuisset spatium, & dulcissimi cuiusdam splendoris fuisset lumine circumdata; atque ita ibi ad vltimum ætatis vixit in magna spe salutis, cibum potumq́ue ac vestimentum habens verbum Domini, sicut scriptum est: Quoniam non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, idq́ue scilicet quousque Zozimas venerabilis, diuina inspiratione commotus, ad eam eremi partem venit, & eam inuenit, ac deinde sacrosancta mysteria in vespera sanctæ Cœnæ Dominicæ ei ministrauit, ac demum anno sequenti eam iam pridem defunctam reperit, & sepeliuit, ministerium ei præbente ingentis formæ leone, qui cum brachiis & vngulis foueam fecit quanta ad sepeliendum sanctę corpusculum sufficere posset. Ad gloriam & laudem Dei immortalis.

Deut. 8.

Tandē venit ad eam venerabilis Zozimas.

VITA S. FRANCISCI DE PAVLA,

Institutoris Ordinis Minimorum, ex Bulla Canonizationis Leonis Decimi.

II. APRILIS.

LEO Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, &c. In regno Neapolitano inter Brutios & Lucanos Paulæ oppidum situm est, quod itinere vnius diei

à Cui

à Cusentia distat, atque inde originem traxit Iacobus Martolilla: porrò etiam proximum est castrum Folschaudi; vbi nata est Vienna. Atque ex hoc matrimonio B. Franciscus de Paula procreatur. Qui sacri baptismatis fonte lauatus, & Chrismatis Sacramento confirmatus, ab eisdemque parentibus sub Dei timore & amore educatus, insigne mox specimen sanctitatis futuræ præ se ferens; solitudinem & religionem diligere, ac orationibus & ieiuniis assiduè vacare cœpit. Quæ cùm eius parentes animaduertissent, ipsum annum circiter decimum tertium agentem (iuxta votum per eos emissum) domui S. Francisci ciuitatis S. Marci obtulerunt. In qua puer in sortem Domini electus, cùm annum exegisset, nulla tamen professione emissa, vocatis parentibus, eos, vt se ad Ecclesiam S. Francisci de Assisio, & S. Mariæ de Angelis, deuotionis causa ducere vellent, enixè rogauit. Quare & pio eius desiderio annuentes eius parentes, sese itineris comites ei præbuerunt. Ac denique iis ecclesiis deuotè visitatis, in patriam reuersus, idem Beatus (sancto Spiritu inspirante) ad Ecclesiam quam primum construendam animum addixit, ipseque primus fundamenta effodere cœpit. Atque adeò hoc eius desiderio inter vicinos diuulgato, vndique ad opus iuuandum concurritur, aliis operi incumbentibus, nonnullis calcem, lapides, cæmenta, & alia id genus futuro ædificio necessaria deportantibus.

F. Francisci parentes.

Iuxta quod parentes eius vouerant, fit monachus Minorum.

NVNQVAM sanè idem sanctus à laboribus cessabat, nisi cùm orationi diuinisque rebus intendebat. Quin verò, etsi vigiliis, continuisque ieiuniis maximè esset attritus, lapides tamen, calcem, & ligna, aliaq; ad fabricam necessaria, propriis etiã humeris deferre non desinebat. Cæterùm erat in loquendo humanus atque affabilis, adeò vt nullus ferè vnquam ad eum accesserit, quin mellifluis eius verbis delectatus, & quasi diuino Spiritu repletus, ab eo recesserit. Cuius humilitatem vel instituti tantùm per eum Ordinis cognomentum ostendit, quod, vt is omnium minimus esse volebat, ita Minimorum dici censuit & instituit. Quare & ipse eiusdem Ordinis Institutor & generalis corrector existens, omnium tamen se infimum, quoad poterat, exhibebat, & ad omnia etiam seruilia opera descendere non dedignabatur. Quippe discipulis suis discumbentibus ipse ministrabat, sæpeque etiam Ecclesiam & altaria verrebat & mundabat, ac paramenta, & alia ad diuinum cultum necessaria componebat, imò & Fratrum etiam nouitiorum indumenta ipse propriis manibus sæpe

Ad ædificandã ecclesiã defert lapides & calcem, & similia propriis humeris.

Instituit Ordinem Minimorum.

abluebat. Quin & cùm iuuenis adhuc esset, Calabriamque incoleret, nunquam nisi nudis pedibus, etiam per glacies, niues, montes, & acuta saxa, vepres spinasque incedebat.

Austerissimè viuit etiam vsque ad decrepitam ætatem.

ATQVE adeò admirabilis erat vitæ eius austeritas, quæ propterea etiam admirabilior censenda est, eo quòd in pueritia, adolescentia, iuuentute, senecta, & decrepita eius ætate, inter labores, vigilias, ieiunia, abstinentias, innumerasque corporis macerationes, eundem penè viuendi modum seruauerit. Quorum & plurimorum aliorum sanctorum operum ratione habita, adeò sancti Spiritus gratia hominem complexa est, vt pijs eius meritis & precibus in Christi nomine dæmones à corporibus humanis sæpius eiecti, pluresque infirmi diuersis morborum generibus oppressi, & iam à Medicis destituti, ac morti propinqui, pristinæ sanitati restituti fuerint.

Miracula per eum perpetrata.

Ita scilicet Guidonem Lipantum, nobilem Cusentinum, grauissima infectũ lepra, in domo Paterni, quam vir beatus tunc ædificabat, ad se venientem sanitati restituit.

Sanatur leprosus.

Ita & cùm idem vir beatus fabricam domus iuxta Paulæ oppidum incepisset, adductus est ei quidam à natiuitate mutus. Quem cùm parentes eius iuxta ecclesiam posuissent, dixit eis vir beatus, vt altè secum ter Iesum acclamarent, & ita aperiretur illi sensus. Et ecce, beato inchoante, dictisque parentibus prosequentibus, mutus similiter alta voce dixit, IESVS, & inde liber atque integer vsque ad eius obitum in loquela permansit.

Item mutus quidam.

Sic & rursum Iulia Antonij Cathalani in oppido Paulæ habitantis filia, ab ortu cæca, & nihil prorsus videns, cùm à parentibus suis ad beatum virum (qui fortè tunc in horto domus erat) adducta fuisset, idem beatus vir herbam quandam euulsit, eámque, signo crucis facto, super ipsius puellæ oculos apposuit: quæ & statim videre cœpit, ac sensu visus tam diu, quàm diu postea vixit, freta est.

Item quidam cæcus.

ET quidem à quodam Fratre Antonio, Ordinis Minorum Professore, viro doctissimo, integerrimæque aliàs vitæ, idem beatus vir, etiam in publicis prędicationibus carpebatur, quòd videlicet tam impudens esset, vt simplex laicus, & literarum penitus ignarus, quibusdam herbis ægrotis salutem promitteret. Atque adeò etiam tandem accidit vt idem Frater Antonius, ab alijs dicti Ordinis Minorum Fratribus, ad eundẽ beatum virũ missus fuerit, quatenus eum de præmissis redargueret. Qui cùm ad eum venisset, & magnis illum contumelijs affecisset, increpassétque eius ignauiam & crassitudinem, vir

Palàm arguitur à docto quibusdam tanquam superstitiosus & stolidus.

Dei

Dei constantissimus patientissimusque, tot conuicijs & iniurijs nullatenus fractus, ac ne cōmotus quidē fuit: sed foco appropinquans, ardētes titiones nudis manibus accepit, eosque strictè cōpressit: ac manifestè ostendit, in Dei virtute omnia fieri posse. Vnde ille prudētissimè prospiciēs hominis simplicitatem & fidē, omniaque ab eo diuina gratia & ardentissimo fidei spiritu fieri, eius pedibus aduolutus, illos arctè complectens, oscularique satagens, veniā ab illo humillimè postulauit; neque inde surrexit, donec ab eodem beato Patre benediceretur. Quo factū est, vt qui antea in illum publicè maledicta plurima congesserat, proprium confessus errorem, beati viri sanctitatem dignis verisque postea laudibus meritò efferret.

Confitendũtur insigni miraculo, suis obtrectatores.

Quæ omnia cùm mirabilem quandā, & raro auditam viri sanctitatem arguerent, eorúmque celebris fama iā ad cla. me. Ludouicum XI. eius nominis Francorum Regem Christianissimum perlata esset, Rex viri sanctitate motus, ac ipsum coràm videre cupiens, à piæ memoriæ Sixto Papa Quarto, prædecessore nostro, impetrauit, vt eidem beato viro in virtute sanctæ obedientiæ mandaret, vt ex Calabria in Franciam se conferret, dictúmque Ludouicum Regem visitaret. Quibus iussis Dei famulus obediens, in Franciam iuit; vbi eum præfatus Rex singulari deuotione suscipiens, séque ab eo benedici postulans, illi, tanquam viro Dei, magnum honorem exhibuit. Quin etiā cognita magis ac magis viri sanctitate, ei, eiúsq; fratribus, sedem prope ciuitatē Turonensem & Regiū palatiū assignauit, amplámque & magnificam domū cum ecclesia quæ exstat, pro ipsius beati Francisci de Paula, suórúmque Fratrum vsū & habitatione, construi fecit. Denique tantæ continentiæ fuit idē vir beatus, vt non carne, sed solo spiritu compactus esse videretur; síque priusquam ab hac luce discederet, ad omnipotentis Dei gloriam, suǽque Religionis propagationem, diuina (vt piè creditur) inspiratione instructus, tres Regulas, Fratrum, scilicet ac Sororum, & vtriusque sexus fidelium Tertiariorum nuncupatorum, instituit; quas felicis memoriæ Iulius Papa II. similiter prædecessor noster (postquam idem Sixtus, ac sanctæ comm. Innocentius VIII. & Alexander VI. etiam prædecessores nostri, eidem beato viro, eiúsque Ordini, quamplurima priuilegia concesserant) per suas primò, deinde & nos per alias nostras literas approbauimus & confirmauimus.

Peruenit fama eius ad Regem Franciæ.

Construit amplum cœnobium iuxta Turones.

Tres Regulæ ab ipso conscriptæ, & à diuersis Pontificibus approbatæ.

Qui quidem vir beatus cùm vitæ suæ finem iam proxi-

Prædixit de suo obitu.

mum diuina inspiratione prospiceret, pridie quàm discederet (qui fuit dies Cœnæ Domini) pluribus Fratribus suis, qui ex varijs prouincijs & regnis tunc ad eum venerant, adstantibus, in Missa conuentuali post pœnitentiæ Sacramentum cum vberrima lacrymarum effusione pectus suum percutiendo, sacrosanctum Eucharistiæ viaticum, è manibus vnius ex sui Ordinis Presbyteris, suscepit. Post quod ad cellam suam proprijs pedibus, baculo, quem more solito gestabat, innixus redijt; atque inde postero die Fratres suos ad pacem mutuamque charitatem exhortatus est: atque ad extremum, cùm iam nonagesimum primum, vel circà, annum feliciter implesset, anno à partu Virginis millesimo quingentesimo septimo, Aprilis verò die secunda, quæ tunc fuit Parasceues, circa horam qua pro nobis Christus passus est, sanctæ Crucis triumphum piè amplectens, migrauit ad Christum; post cuius obitum suffragia eius deuotè implorantibus omnipotés Deus quamplures gratias etiam élargitur. Quare & ad honorem omnipotentis Dei, &c. de Fratrum nostrorum speciali consilio & assensu, decernimus & definimus, &c. Beatæ memoriæ Franciscum de Paula, &c. in cælesti Hierusalem inter beatorum choros iam receptum, &c. & ab eo suffragia à fidelibus implorari & exspectari posse, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo, decimo nono, Pontificatus nostri anno septimo.

Migrat ad Christum.

Ascribitur solemniter Catalogo Sanctorum.

VITA S. RICHARDI EPISCOPI CICESTRENSIS IN ANGLIA

ex ea quæ est per Radulphum Cicestrium.

III. APRILIS.

SANCTAE memoriæ Richardus natione Anglus, in VVigorniensis diœcesis pago, quem à salis puteo VVich vocát, parentes habuit non ignobiles Richardum & Aliciam. Frater eius captiuus abductus fuit in teneriori ætate, qui deinde maturiori æuo dimissus è custodia, ad patriam nudus & inops regressus est. Cuius paupertatem miseratus Richardus, cùm nihil ipse quoque haberet, in eius se tradidit seruitutem. Ibi verò tempus non exiguum in multa abiectione, modò ad aratrum, modò ad bigam, modò ad alios id genus duros labores seruiuit: quibus officijs intantum fratribus sibi beneuolentiam conciliauit, vt is totius terræ suæ illum scripserit hæredem. Sed deinde amici & cognati eius, de quadam illi nobili

S. Richardi natales.

Degit pauperem & rusticam vitam.

nobili puella desponsanda tractare cœperunt. Quod vbi sensit frater, doluit se suum illi fundum transcripsisse. Verùm Richardus ad illum, Non est, ait, frater charissime, quòd te hoc nomine affligas. Non solùm scripturam tuam & fundum tibi restituo, sed etiam sponsam ipsam libens tibi cedo; neque enim ego vnquam illam exosculatus sum. Deinde omnibus abdicatis, primùm ad Oxoniensem Academiam, inde Lutetiam Parisiorum se contulit. Tanto autem ferebatur discendi desiderio vt de victu, cultuque corporis non magnopere cogitaret. Vt enim ipse postea narrare consueuit, cùm haberet in suo cubiculo socios duos, non erat illis tribus nisi vnum capitium. Itaque vno ex ipsis ad audiendam lectionem abeunte cum capitio, reliqui duo manebant in cubiculo; sicque per vices illo capitio vsi, lectiones auscultabant.

Abdicatis bonis patriis, traditur literis.

CIBVS erat illis panis & vini parum cum olusculo, aut eius generis vili edulio. Carnibus enim aut piscibus vt vescerentur, illorum paupertas non sinebat, præterquam Dominicis & solennibus diebus, & cùm illis vel amici vel commilitones adessent. Aiebat verò vir sanctus se nunquam jucundiores duxisse dies. Atque interim tantos in bonis literis progressus habuit, vt ab omnibus acclamaretur, dignum eum esse, qui Magisterij titulis ornaretur. Verùm noluit Parisijs promoueri; sed magis in patriam reuertens, denuo ad Oxoniensem scholam accessit; nec diu pòst in artium Magistrum illic promotus est; sicque ea, quæ antea conquisierat, alijs liberaliter impartiuit. Postea verò & in Italiam profectus, Bononiæ septennio amplius Iurisprudentiæ operam dedit; idque tanto cum eruditionis incremento, vt præceptor eius morbo correptus, ex omnibus discipulis suis vnum Richardum delegerit, qui ipsius loco cœptam prælectionem continuaret. Et id quidem anno dimidio & eo amplius tanta cum modestia & dexteritate præstitit, vt ab vniuersa illa Academia haud vulgari tum laude, tum honore sit affectus: apud præceptorem quoque suum eum gratiæ locum obtinuerit, vt vnicam filiam suam cum omnibus facultatibus suis, propensissimo animo illi tradere peroptarit.

Notent pauperes studiosi.

Creatur Magister artium.

Docet Bononiæ summa cum gratia.

VERVM beatus Richardus, iam diuinitus permotus, longè aliud animo volutabat. Quare & summisse admodum ei gratias egit, quasdam interim rationes ciuiliter prætexens; addens etiam peregre sibi esse abeundum. Atque ita illi, atque filiæ eius cùm vale dixisset, rediit in Britanniam ad Academiã

Verum recusat nuptias.

Fit Cancellarius Academiæ Oxoniensis.

Oxoniensem; multis illic sese laboribus, vigilijs, ac corporis afflictionibus mox afficiens. Adeò verò eius etiam ibi creuit existimatio, vt omnium vnanimi consensu, Cancellarius eius Academiæ creatus sit. Porrò per id tempus Cantuariensis Ecclesiæ cathedram obtinebat beatus Edmundus; Lincolniensi autem Ecclesiæ præerat Robertus, vir sanè eximia sanctitate. Qui ambo, altero alterius conatum prorsus ignorante, cùm vno eodemque tempore in id summopere incumberent, vt possent beatum Richardum habere sibi cancellariũ, obtinuit tamen tantùm Cantuariensis Antistes, eo quòd is prior suum desiderium beato Richardo indicasset. Quare & beatus Edmundus gratanter suum illi sigillum tradidit, & præcipua quæque grauioraque totius diœcesis suæ negotia illi demandauit: atque adeò ille sancto Antistiti Edmundo in rebus duris & afflictis, tam intra prouinciã, quàm in exilio degenti, constanter adhæsit. Quo quidẽ mortuo, tam ab aula quàm à curis & negotijs aulicis absolutus, Aureliam profectus est: vbi & in cœnobio Dominicanorum sacræ Theologiæ studuit.

Studet Aureliæ sacræ Theologiæ, vbi & presbyter ordinatus est.

SED & ibidem sacerdotio quoque initiatus est, vt omnipotenti Patri dilectum Filium immolaret. Atque ab eo tempore vestes etiam habuit solito humiliores, minusque cultas. Vbi postquam in diuinæ Scripturæ studijs iam diu satis versatus esset, ad pascendas deinde oues sibi creditas abscessit. Habebat enim vnicam parœciam, cui curam necessariam impendere voluit, & boni pastoris fungi officio. At verò successerat iam beato Edmundo in Cantuariẽsi ecclesia Bonifacius Antistes venerabilis. Qui cũ optaret hominis adeò gratiosi, puta Richardi, similiter frui consuetudine & conuictu, pristinam rursum illi functionem, nempe Cancellarij, demandauit, sed id sanè inuito ac recusanti: atque interea diem suum obijt Radinus de Neuellis, Cicestrensis Episcopus; cuius ecclesiæ canonici cùm quendam ex Regis aula Episcopum elegissent, ea electio per Bonifacium Archiepiscopum, & eius quosdam Suffraganeos insignes, in irritum redacta est; ac deinde communi omnium sentẽtia Richardus Antistes electus est. Sed ea res cùm ad aures Regis perlata esset, valde acerbè tulit, maximè subrogatum esse hostem suum, nempe Richardum, qui beato Edmundo ijs in controuersijs, quas cum ipso habuerat, adhæsisset. Itaque furore percitus, res ecclesiæ Cicestrensis omnes iussit confiscari.

Eligitur Episcopus Cicestrensis.

Confiscat Rex bona ipsius ecclesiæ.

VERVM beatus Richardus de consilio Antistitum tum literis

literis Cantuariensis Episcopi ad regem proficiscitur, supplices illi preces offerens, vt patiatur ea quæ sunt ecclesiæ Cicestrensis, sibi restitui. Sed nulla ratione flectere valens Regis animum, diu multumque se fatigans, & multas iniurias atque contumelias perpessus, tandem, ad extremum illud post Deum in terris perfugium, Apostolicam, inquam sedem, se contulit. Iam autem illum apud Romanum Ponficem Regis Legati anteuenerant, quos & sic aduersum se paratos & instructos ibi offendit. Præsidebat tum illi sedi Innocentius eius nominis quartus. Qui cùm illum humaniter excepisset, tandem, vtriusque partis rationibus auditis, beati Richardi electionem sua auctoritate confirmauit, atque insuper sacrarum manuum impositione illum solenniter Episcopum consecrauit. Itaque cum literis Pontificis in Britaniam venit, sed facultates omnes Cicestrensis ecclesiæ, ab regiis ministris iam absumptas, reperit. Proposito quoque publicè edicto, Rex omnibus interdixerat, ne quis ei quippiam mutuò daret. Vnde & vbi Regi & eius Proceribus literas Pontificis & mandata exhibuit, non tam Regis promeruisse gratiam, quàm iram conciliasse visus est. Quamobrem pauper & inops à Rege discedens in diœcesim suam sub tecto alieno degit hospes, & mensa aliena vtitur.

Conqueritur de iniuriis sibi illatis apud Papam.

Nolente Rege obtemperare literis Pontificis, cogitur degere pauper sub alieno tecto.

INTERIM crebrò perlustrat diœcesis suæ loca, visitans creditum sibi gregem, & Sacramenta ministrãs. Sed & ne quis eum ceu ignauum, suique iuris desertorem, insimulare posset, interdum ad regiam sese contulit, & ablatorum bonorum restitutionem humiliter postulauit, licet semper inde cum iniuriis & contumeliis repelleretur. Vnde tandem cernens Regis extremam pertinaciam, Summo Pontifici eius responsa indicauit. Qui sanè mirum in modum sancti viri vicem miserans seuerissimè mandauit duobus Angliæ Episcopis, vt Regem admonerent de restituendis intra certum tempus ecclesiæ Cicestrensi ablatis rebus; quod si nolit, sentẽtias, in ipsius literis expressas, toto regno diuulgarent. Iam biennium vir sanctus regias vexationes pertulerat, & tum demum à Rege illi ædes ruinosæ & vacuæ restitutæ sunt. Post quod tempus beatus Richardus factus est quoque solito in precibus feruentior, in præstandis eleemosynis benignior, in proprio autem castigando corpore seuerior. Ad mensam sedenti lectio adhibebatur. In pagos suæ diœcesis veniens ægrotos & pauperes diligenter iubebat inquiri, iisque eleemosynam præbẽs,

Tandem post biennium restituuntur ei ædes ruinosæ & vacuæ.

etiam humaniter & benignè inuisebat.

VNDE & accidit, cùm ob eleemosinas largiùs impensas reditus absumerentur, vt dominus Richardus Bachedensis, frater eius, cui temporalium rerum curam commiserat, diceret ei, in tanta pauperum multitudine, prouentus eius nequaquam sufficere. At vir Dei illi respondit: Itáne rectæ rationi consentaneum tibi videtur, mi frater, vt nos ex vasis aureis & argenteis edamus & bibamus, & Christus in pauperibus suis fame crucietur? sed & equus quo vehor, magni pretij est, vendatur, obsecro, etiam ille, & illo pretio alantur pauperes Christi. Instituit autem etiam domum hospitalem pro presbyteris egenis. Sanè quadam vice vnus panis, eius benedictione adeò auctus est, vt cùm abundè refecta essent ad tria millia pauperum, tot fragmenta superfuerint, quæ centum insuper pauperibus cibandis suffecissent. Neque semel dumtaxat aut bis, eius accedente benedictione, tanta facta est rerum augmentatio, sed sæpius, illo id præstante, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione. Sed & cilicio quoque vsus est vir Dei, & lorica, quibus corpus suum macerabat. Porrò vestimenta eius nec admodum nitida, nec plus æquo abiecta, visebantur, sed moderata. Qui quàm seuerus fuerit suo tempore vitiorum, maximè in clero, castigator, sequens facilè ostendet narratio. Quidam è clero virginem Deo sacratam corrupit: id vbi resciuit vir sanctus, eum beneficio seu sacerdotio Ecclesiastico, quod in ipsius diœcesi habebat, cum multa illius ignominia, priuauit: quin etiam rogantibus pro illo, tum Rege ipso, tum Cantuariensi Archiepiscopo, & multis aliis, prorsus inflexibilem se ostendit, magna aliàs erga clerum suum humanitate.

Insignis eius munificentia in pauperes.

Miraculo è vno pane pascit tria millia pauperũ.

Vtitur ad corpus cilicio & lorica.

QVI similiter quanto studio, etiam in alienis diœcesibus, sacras conciones habuerit, nemo sanè posset pro dignitate explicare. In subsidium Terræ sanctæ, Crucis prædicationem suscepit ab Romano Pontifice illi demandatam: atque adeò è Cicestrẽsi Ecclesia inchoando, per loca mari adiacẽtia progressus, ad Cantuariensem vsque ciuitatem peruenit. Cæterum decimo die, antè quàm portum illum celebrem, quem Douerum vocant, attigisset, in morbum incidit: nec tamen laborare desiit in agro Dominico, sed quotidie concionando, confessiones recipiendo, & pueros etiam confirmando, vires corporis exhausit. Vbi Doueram peruenit, in quadam domo hospitali, quam Dei domum appellabant, hospitio receptus est: vbi

Prædicat Crucem in subsidiũ Terræ sanctæ.

Venit prædicando Doueram.

est: vbi postquam ecclesiam quandam, cum cœmiterio vbi pauperes sepelirentur, in honorem S. Edmundi quondam domini sui consecrasset, non multò pòst, illam vocem Psalmistæ, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, crebrò iterans, necnon & ad beatissimam Virginem subindè illam, Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe, animam reddidit Creatori, anno ætatis suæ plus minus quinquagesimo sexto. Pontificatus verò anno nono, tertio Nonas Aprilis. Deinde verò Cicestriam corpus sacrum deportatum est, vt illic, quemadmodum ipse iusserat, humaretur: vbi magna diuinitus eduntur miracula, adeò vt etiam tres mortui, eius meritis, ad vitam reuocati sint. Ad laudem nominis Dei. *Obdormit in Domino.*

VITA B. ISIDORI EPISCOPI HISPAlensis, *ex ea qua est per B. Brauliũ Cæsaraugustanũ Antistitem.*

IIII. APRILIS.

ISIDORVS vir egregius, Hispalensis ecclesiæ Episcopus, Leandri Episcopi successor & germanus, floruit à tempore Mauritij Imperatoris & Recaredi Regis, in quo quicquam sanè sibi antiquitas vendicauit, imò verò tempus antiquitatis in eo scientiam imaginauit. Fuit siquidem vir in omni genere locutionis famatus & peritus, doctusque qualitate sermonis existens & apertus, congruaque oportunitate loci, incomparabiliter eloquentia clarus. Qui quidem quantus sapientia fuerit, ex eius diuersis studiis & elaboratis opusculis perfacilè prudens lector intelligere potest: Vnde & ego de his, quæ ad nostram notitiam peruenerunt, ista commemorabo. Edidit enim libros Differentiarum duos, quibus subtili discretione ea quæ cõfusè vsu præferuntur, sensu discreuit. Procemiorum librum vnum, in quo, quid quisque sanctæ Scripturæ liber contineat, breui subnotatione distinxit. De ortu & obitu Patrum, in quo gesta, indignitatemque & mortem eorum, atque sepulturam, sententiali breuitate subnotauit, Ad germanum suum Fulgentiũ, Astigitanum Episcopum, Officiorum libros duos, in quibus ad cõsolationem animi, & adspem percipiendæ veniæ, intercedente rationis exhortatione, erexit. De natura rerum, ad Sisebutum Regem, vnum, in quo, tam de Ecclesiasticorum Doctorum, quàm etiam de Philosophorum indagine, obscura quædam de electione absoluit. De Numeris librum

S. Isidorus quo tepore vixerit.

Eius singularis eruditio.

Eiusdem variĳ tractatus & opuscula.

librum vnum, in quo; maiorum secutus exempla, breuitate, qua potuit, diffusa collegit. Sententiarum libros tres, quos floribus ex libris Papæ Gregorij Moralibus decorauit.

Scripsit inter cætera Flores ex Moralibus D. Gregorij.

CHRONICORVM à principio mundi, vsque ad tempus suum, librum vnum, nimia breuitate collectum. Contra Iudæos, postulante Florentia germana sua proposito virgine, libros duos, in quibus omnia, quæ fides Catholica credit & legit, etiã Prophetarũ testimoniis approbauit. De viris illustribus librũ vnum, cui nos ista subiungimus: Monasticæ Regulæ librum vnum, quàm pro patriæ vsu, & inualidorũ animis decentissimè temperauit. De origine Gothorũ, & regno Sueuorum & etiam VVandalorũ historiæ librum vnũ. Quæstionum libros duos: quos qui legit veterum tractatorum multam supellectilem recognoscit. Denique Etymologiarum codicem nimiæ magnitudinis, distinctum ab eo titulis, non libris: quẽ, quia rogatu meo fecit, ego in viginti libros diuisi: quos omnes omnimodę philosophiæ repletos, quisquis crebra meditatione perlegerit, non ignorabit diuinarum humanarumque rerum scientiã. Et meritò: est enim ibi redundans diuersarum artium elegantia, vbi, quæcunque fert scribi, restricta collegit.

Itẽ quædam ipsius Regulam Monasticam.

Nota ætatem auctoris.

Libri Etymologiarum ipsius repleti omni genere scientiæ.

QVEM sanè Deus, post tot defectus Hispaniæ nouissimis temporibus suscitans, credo ad restauranda antiquorum monumenta, ne vsquequaque rusticitate veterasceremus, quasi quandam lucem apposuit destinari, cui & non immeritò propterea illud Philosophicum à nobis appropriatur: Nos, in nostra vrbe peregrinantes errantesque quasi hospites, tui libri tanquam domum reduxerunt, vt possimus aliquando, qui, & vbi essemus, agnoscere. Denique tu patriæ in descriptione temporum, & sacrorum vitis Sacerdotum, tu domesticam publicam disciplinam, tu sedium, regionum, locorum, tu omnium diuinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti. Qui etiam quanto flumine eloquentiæ, & quot iaculis diuinarum Scripturarum seu Patrum testimoniis, Acephalitarum hæresin confuderit, synodalia gesta coram eo specialiter acta declarant, quæ contra Gregorium, præfatæ hæresis antistitem, eam asserunt veritatem. Obiit autem temporibus Heraclij Imperatoris, & Christianissimi Scintillani Regis, summa doctrina præstantior cunctis, & copiosior operibus charitatis.

Fuit vir sanctus iam obsoleta apud suos studia humanitatis.

Transijt feliciter.

VITA

VITA B. VINCENTII VALENTINI, *professione Dominicani, ex Petro Ransano Panormitano.*

V. APRILIS.

BEATVS Vincentius, ex Valentia, Hispaniæ ciuitate, antiqua Ferrariorum familia duxit originem. Eius mater ipso grauida, ex vtero sæpe audiuit tanquam canis latrantis voces: super quo à Cardinali eius consanguineo responsum est, fore eum feruentissimum prædicatorem: quod & ita post euenit. Mox, vt sextum annum attigit, literis traditus est, in quibus incredibile quàm breui tempore quantum profecerit. Nullum eruditum Theologum viderat prædicantem, quem in gestibus ac sententijs quibusdam non sciuisset effingere. Dum ageret duodecimum annum, ad Dialecticam studium transtulit. Singulis hebdomadis bis, id est, quarta & sexta feria, ieiunare didicerat. Singulari quoque erat deuotione ad Crucem Christi, & ad beatam Mariam, Officium vtriusque quotidie dicens. Sed & pauperes quoque, presertim religiosos, in domum parentum introductos, lætissimè refici faciebat. At verò ecce interea pater eius agit cum eo de eligendo genere vitæ, cùm ipse alacriter constituisse se ait, habitum beati Dominici sucipere. Itaque agens octauum & decimum annum, illum suscipit, inter cœtera interim diligentissimè legens de Diui Patris Dominici vita. Iubetur autem etiā paulo post, vt pro Fratrum adolescentium profectu, de Dialectica & Philosophia legeret, quò etiam ex secularibus supra septuaginta conuenerūt. Atq. in hoc exercitio tres annos consumpsit. Inde autem missus fuit Barcinonam, ac dehinc Ilerdam, cùm inter hæc studiorum tempora, cùm esset viginti quatuor annorum, edidit insigne illud opus de Dialecticis suppositionibus. Post quod corona donatus, qua donari solent Theologi, reuocatus fuit Valentiam, vbi sex annos tum legit eis qui vacabant studiis, tum etiam plebeis publicè prædicauit.

S. Vincētius prænunciatus antequā natus.

Ingred itur Ordinem S. Dominici.

Donatur Laurea Theologica.

INTER quę sanè sicut multum fructum fecit animarum, ita & dæmonum & hominum simul varias pertulit insidias. Nam & ei visus est aliquando dæmon in specie senis, dicens se vnum esse ex veteribus Patribus Aegypti, suadensque vt non esset adhuc tam acris in corporis maceratione, adhuc restare scilicet senectam. Sed eum Vincentius aduertens, venenum mox signo crucis fugauit. Erat & Valentiæ mulier nobilis cap

Pellit dæmonem sibi molestum signo crucis.

lis capta amore Vincentij. Grauem illa ægritudinem fingit: deinde pro facienda confessione eligit virum Dei Vincentium. Et ecce post quædam vltro citróque dicta, quia eousque pudor adhuc eam prohibebat, Scito, inquit tandem, ó Frater Vincenti, quòd iam annus est, quòd tuo amore tam ardenter capta sim, vt frequentissimè meipsam propriis manibus ferè enecauerim: succurre ergo. Et hæc dicens, se totam nudam exhibuit. Quin etiam, cùm vir beatus eam seuerè moneret, & sic discederet, illa indignata, velut altera vxor Phutiphar̄is, voluit clamare contra sanctum Dei, quòd eam opprimere voluisset. Sed ecce statim diabolus, qui ei nefandum amorem ingesserat, eius etiam corpus grauissimè vexare cœpit. Aduocantur deinde multi Exorcistæ. Sed frustra, donec aduocatur iterum Vincentius. Tum verò dæmon vlulatum emittens, En adest, inquit, qui in medio ignis non est æstuatus, nunc igitur discedendum: atque ita scilicet discessit, obstupescentibus cunctis Vincentij sanctitatem. Tentatus fuit beatus vir & adhuc aliàs: & semel quidem introducta in cellam eius clàm à nonnullis muliere meretrice, deinde & ab alia æquè meretrice alterius instinctu diffamatus turpissimè, sed ita vt in omnibus semper vt verè Vincentius superaret & vinceret. Erant eo tempore tres Summi Pontifices, quorum quilibet se legitimè creatum arbitrabatur, inter quos erat & Benedictus, cui singuli ferè Galliarum Hispaniarúmque Principes & ciuitates obediebant.

Fortiter fugit oblatum sibi occasionem stupri.

Mulier impura à dæmone arrepta, à nullo potest liberari, nisi ab ipso S. Vincentio.

Schisma maximum in Ecclesia.

ET quidem Benedictus, quàm primùm ad summum Sacerdotium electus est, missis nuncijs, virum Dei Vincentium ad se accersiri iussit, atque adeò, quia eruditio & sanctitas viri ei notissima erat, eum etiam secum habere voluit, ac in suum Confessorem elegit, & Magistrum Palatij instituit. Et fuerunt quidem ea tempestate multi, qui in eam curam summopere incubuerunt, vt Ecclesiam ad vnionem reducerent. Sed quia non ita, vt decuit, rem agressi sunt, quod volebant, perficere nequiuerunt. Ob quod à multis, tam ecclesiarum Prælatis, quàm terrarum Principibus, res omnis fidei beati Vincentij commissa est, tanquam hominis, qui verax prudensque & esset, & haberetur, nec quæreret gloriam terrenæ dignitatis. Itaque in primis vir Dei Benedictum Pontificem adiit, eique suasit, vt vniuersos Prælatos, Theologos, ac Iurisconsultos, quorum Auinione magna multitudo erat, ad se accersiri iuberet, & in consultatione poni faceret, quid ei esset in tan-

Eligitur S. Vincentius Cofessor Benedicti Papæ.

Summo studio agit vt schisma compenatur.

in tanta Ecclesiæ fluctuatione faciendum: deinde etiam eidem cõsuluit, vt potius in summa inopia ageret vitam, si opus esset, quàm vt propter suam terrenam dignitatem, inter Christianos discordia foueretur, atque in summa nihil omisit, quò posset vnio Ecclesiæ fieri. Nam multas Galliæ & Hispaniæ vrbes peragrauit, se videlicet conferens modò ad Sigismundum Imperatorem, qui per ea tẽpora in Cataloniam venerat, modò ad Carolum Francorum, modò ad Martinum Arragoniæ Regem, sæpè ad ipsum Benedictum, ita vt horum vno consilio tandem deliberatum sit, vt Constantiæ generale Concilium fieret.

Ipso agente tandem conuocatur Cõcilium Constantiense.

CAETERVM interea quadam die beatus Vincentius repentè magna vi febrium corripi se sentit, cùm post duodecim dies ei visus est Iesus Christus, quem inter multitudinem Angelorum comitabantur beati Patres Dominicus & Franciscus, qui & eum lætissimum ex sui visione reddidit, deinde & his verbis est allocutus, Constans, inquiens, esto, & quàm primum ex curia Benedicti discede, Elegi namque te in singularem Euangelij mei Præconem, & volo quòd per vniuersas Gallias Hispaniasque euangelizans in humilitate ac paupertate, discurras. Atque hæc quidem illi Christus. Itaque adit non multo pòst Vincentius Pontificem, cui aperiret sanctum propositum, & vt res maiorem haberet auctoritatem. Et quidem Pontifex variis modis primò eum à proposito dimouere nitebatur, propositis ei etiam, tum Valentino, tum Ilerdensi Episcopatibus, tum etiam conuocatis Cardinalibus, eorum collegio vna omniũ voce eum adnumerare volẽs, Sed tamen tandẽ tam ipse quã Cardinales, audientes causas quas vir Dei exposuit, indignum esse censuerunt, vt aliquo modo sanctum eius propositum impediretur. Quas ob res etiam eum, quocunque voluisset, abire permiserunt. Atque insuper vt efficaciùs euangelizaret, idem Pontifex sponte sua magnam ligãdi absoluendiq; potestatem ei contulit, mittẽs eum tanquam specialem Apostolicę Sedis Legatum. Sicque vir Dei Vincentius, ex Auinione primùm, deinde paulatim progrediendo per vrbes & villas euangelizans in Cataloniam reuersus est, vbi potens opere & sermone duos continuos annos docens institit; cùm interim in Concilio Constantiensi, singulis illis supradictis tribus Pontificio priuatis, omnium voce Martinus quintus Pontifex creatus est. Verùm enimuero potissimum narrãdum est de B. Vincentio.

Iubetur à Deo prædicare per vniuersas Gallias & Hispanias.

Respuit duos sibi oblatos Episcopatus simul & Cardinalatum.

Prædicat in Catalonia.

Quando cœpit vir sanctus ... discursum.

CERTE vir sanctus, quamuis iuuentutis suæ tempore multis in locis verbum Dei euangelizauerit, tamen peregrinationis ac doctrinæ continuum illud ac mirabile exercitium potissimùm cœpit dum ageret annum ætatis quadragesimum, quod & vsque in vitæ suæ terminum sine intermissione continuauit; regiones peragrando, ex quibus scilicet fuerunt hæ: Catalonia, regnum Valentiæ, Arragonia & Nauarra, quæ sunt in citeriore Hispania. Ex Hispania verò vlteriore; excepta Gallitia & Portugallia, singulæ aliæ ferè regiones, vrbes, oppida, & villæ. Ex Gallia autem in primis illa regio quam vocant Occitanam, Delphinatus, Prouincia, Sabaudia; Francia, Burgundia, Normannia, Biturnia, Aluernia, Flandria, Albia, Octania, Picardia, Vasconia, Britannia, vbi & feliciter, vt post dicemus, migrauit. Sed & descendit quoque in Italiam, & vniuersas regiones & vrbes Pedemontij lustrauit, sicque multas Lombardiæ terras & ciuitates peragrans; demum venit Genuam. Decreuerat enim sic progrediendo ac docendo, venire in Tusciam, & in singulas Italiæ regiones. Sed dum in Portu Veneris consisteret, adfuit nuncius à Rege Hispaniæ Iohanne; qui ei tradidit literas, quibus magna instantia idem Rex eum in Hispanias reuocabat. Itaque in Hispanias redit, & post factum ibidem animarum vberrimum fructum; profectus est in Gallias, & sic in Italiam vlterius proficisci non potuit. Maris certè pericula nunquam formidauit. Nauigauit enim etiam ad insulas Baleares, Maioricam, Minoricamque. Deinde & cùm per Gallias discurreret, rogatus ab Henrico Rege Angliæ, nauigauit quoque in insulam illam, deinde & in Scotiam & in Hiberniam, ita scilicet tandem in Gallias reuersus.

Nulla ferè prouincia prædicationis ipsius expers.

Adeo penetrauit & in Angliam & Hiberniam.

PORRO in huiuscemodi peregrinatione siue discursu vitæ suæ talis fuit ordo. Nocte solùm quinque horas quieti tribuit. Manè in locum, quò eum prædicaturum exspectabant, se conferebat. Primùm ipse Missam cantu ex more celebrabat. Deinde verba salutis, prout Spiritus sanctus ei infundebat, pronunciabat. Sermone finito, oblatos infirmos cruce signabat. Sicque plurimi, quorum numerus soli Deo cognitus est, perfectæ sanitatis beneficium reportabant. Ab eo certè anno, quo religionem Prædicatorum professus est, ab esu carnium abstinuit; nisi aliqua euidens necessitas aliter compulisset, quadragintaque annis, exceptis diebus Dominicis, vt plurimùm ieiunauit. Iam verò iter discursus eius non equitando, sed pedibus peregit, idque quindecim annis continuis, quousque

Solùm dormit per quinque horas.

Per quindecim annos semper discurrit pedes.

que

que postea ex ægritudine in tibia, necessitate compulsus habuit quendam asinum. Illud autem præterea à prima adolescentia obseruauit, quòd singulis noctibus quibusdam flagellis, è funibus confectis, se cædebat. Et quoniam magna populorum multitudo eum sequebatur, ducebat secum multos sacerdotes, quorum officium erat audire confessiones pœnitentium. Ex quibus illos qui eum pro agenda pœnitentia sequebantur, singulis diebus post solis occasum per vrbes, & quæcunque alia loca, ad quæ declinabant, quasdam processiones facere volebat, & vt quisque eorum nudatis humeris seipsum flagellis cæderet. Inter quæ flagella tanta erat deuotio, vt aliquando supra decem millium hominum peruenerit religiosa illa societas, ad videndum autem vsque ad octoginta millia frequenter. In qua turba ne posset esse confusio, elegit nonnullos, quibus curam dedit, stationes diuersoriaque singulis distribuere.

Sequebantur eum, ipsos flagellantes, pœnitentes, sæpè ad decem millia.

Denique lucrifecit Christo vir sanctus ex Christianis perditis supra centum millia, ex Iudæis supra millia viginti quinque, ex Saracenis denique ferè octo millia, per singulas illas regiones suprà memoratas, sua Valentina ac materna lingua loquens, eo modo (ô rem verè stupendam!) vt omnes eius sermonem perciperent, perinde ac si eorum idiomate fuisset locutus. Sed & Martinus præterea & Ferdinandus Aragoniæ, & Ioannes Hispaniæ Reges consueuerunt ei sese obuiam offerre, quoties eorum vrbes beatus Vincentius ingrediebatur: atque idem faciebant cuncti Galliarum ac Hispaniarum Principes. Quin & Machoma quoque Rex Granatæ, quamuis infidelis, missis legatis, eum vt in suum regnum iret obsecrauit; tametsi illum postea iterum comminatione suorum Satraparum remittere sit coactus. Sed impossibile est vt omnia complectatur oratio. Obiit hic beatissimus Vincentius omnibus, velut verus quidam Christi Apostolus, venerabilis, feria sexta, nonis Aprilis, anno Christi millesimo, quadringentesimo, decimo octauo, conditus in summa æde vrbis Gallicæ Britanniæ, Venetiæ. Qui sicut in vita multis claruit miraculis; ita etiam post obitum homines innumeri, aut sacrarum reliquiarum corporis eius, aut vestium quibus in vita fuerat indutus, aut sepulchri eius contactu, vsque in præsentem diem largè sanitatis beneficia impetrarunt. Relatus verò est in Sanctos per Calixtum tertium.

Sua materna lingua loquẽs intelligitur ab omnibus nationibus.

Migrat ad Dominum in Gallica Britannia.

VITA B. AIBERTI MONACHI ET Presbyteri Crispiniensis, ex ea quæ est per Robertum Archidiaconum Austrouandiæ.

VII. APRILIS.

S. Aiberti parentes & patria. Eius sancta pueritia.

BEATVS Aibertus in territorij Tornacensis pago, quem Espeen vocant, originem ducens, patre Albaldo, matre verò Heluide, cùm etiamnum paruulus esset, sæpissimè consueuit clàm noctibus è lecto surgere, flexisque genibus terram innumeris exosculando vicibus, tenerum corpusculum fatigare. Et quidem optabat, ne id omnino quisquam rescisceret, sed tamen tandem latere non potuit, à famulis scilicet domus deprehensus. Quod vbi cognouit, nolens habere sui laboris testem nisi Christum, in ouile secessit, existimans illic secretiùs se eiusmodi exercitiis vacaturum. Sed hîc quoque tandem inuentus est; nec tamen propterea adhuc cessauit; sed, quoad licuit, alia semper captabat suis studiis apta diuerticula. Nec solùm illa ratione sese affligebat, verùm & crebris quoque ieiuniis. Hic cùm adhuc in ædibus paternis iuuenis degeret, & laicus, sed sanctitatis, vt dictum est, studiosus, fortè quodam die mimum audiuit cantionem quandam depromentem, qua conuersio S. Theobaldi, & vitæ eius asperitas, felixque eius obitus continebatur. Quibus ita repentè compunctus est, vt secum statuerit neque lineis deinceps vti pannis, sed laneis & cilicinis, atque in frigore & nuditate Deo hilariter seruire. In quo cùm totus esset; quodam peregrino, quem pater eius hospitio receperat, duce & indice, inuenit virum magnæ sanctitatis & abstinentiæ, sacerdotem egregium Ioannem in solitudine commorantem, in qua etiam ferebatur sanctus Domitianus fuisse.

Audita de conuersi ne sancti Theobaldi, & ipse totus in Deu conuertitur.

Iūgit se cuidā solitario.

ERAT autem is presbyter monachus Crispiniensis, sed, permissu Domini Reineri Abbatis, desertum illum incolebat locum. Huic igitur vir venerabilis Aibertus iungitur. Vbi quantas miserias, quantamque inopiam præ spe vitæ æternæ patienter tolerarint, non facilè possit singulatim explicari: nec tamen à precibus, & Dei laudibus cessauêre. Multi abscedebant dies, quibus nec cernerent quidem panem, erantque contenti herbis, & radicibus herbarum, atque interea, dum ita se gererent, vir Dei Aibertus paulatim Psalterium memoriæ commendabat. Porrò per id tempus voluit Dominus Reinerus Abbas Crispiniensis, ob confirmandam sui monasterij liberta-

Proficiscitur cum Abbate Crispiniensi Romam.

bertatem, Apostolorum limina visitare, simulque hos duos viros multa charitate ipsi deuinctos illi visum est sui itineris comites assumere. Quo in itinere hi tres sancti viri quos labores pertulerint, solus Deus nouit: ingrediebantur enim nudis pedibus, vestiti cilicio, ipsa inopia locupletes. Et mulum quidem secum ducebant, sed vix aut nunquam eo vtebantur, peregrinis debilibus & infirmis illius vsum præbentes. Verùm cùm venissent Romam, audiunt sanctæ memoriæ Romanum Pontificem Vrbanum esse Beneuenti. Tum verò Aibertus & Ioannes non fuêre ausi tam longum arripere iter, partim quòd viribus corporis diffiderent, partim quòd Ioannes aduersa valetudine laboraret: vnde &, Abbate Reinero hortante, in monasterio Vallis vmbrosæ eius reditum sustinuerunt, humanissimè ibi excepti. *Degit aliquandiu in monasterio Vallis umbrosa.*

IAM Abbas Reinerus monasterij sui munimentum, quod deuotè petiit, non difficulter impetrauerat, cùm ipse eos in Valle vmbrosa inueniens, nonnihilque simul recreati; fratribus illis multas gratias agentes, ad propria sunt reuersi, multis similiter in reditu molestiis toleratis. *Redit in Belgicum.* Et Abbas quidem ad monasterium rediit; alij autem duo sancti viri ad suam eremum. Vbi cùm nocte quadam Aibertus in somnis visus esset sibi altissimam arborem inter Hasnonium & S. Amandum sitam conscendisse, albumque videre accipitrem, siue aquilam, vestem monasticam adferentem: non multo post placuit vt monachus fieret. *Affertur ipsi diuinitus habitus monasticus.* Facilè autem id impetrauit à Reinero Abbate, monachis quidem primò recusantibus, postea verò assensum præbentibus. Videbant enim abiectum & contemptibilem hominem, si sola externa respicias. Fit itaque monachus cum benedictione cælesti. Quin etiam paulo pòst eius cœnobij factus est præpositus, & communibus fratrum suffragiis cellarius, hospitalitati egregiè deditus, in pauperes largus, sibiipsi parcus, aliis impartiens quod sibi subtrahebat. Ad cuius quidem viuendi in monasterio rationem quod attinet, pane & aqua, herbis, leguminibus, & arborum fructibus semel interdiu modicè vtens, corpus suum sustentabat. Lac, & caseus, & pisces in os eius non admittebantur. *Nunquam vescitur ullo genere carnium, imò nec lacticiniis.* Cilicio asperrimo domabat carnem. Lectum nullum habuit præter scamnum, vel alium asserem.

ANTE nocturnas preces, quas Matutinas vocant, semper Psalterium absoluit, in flectendis genibus celerrimus, copiaq; lacrymarum valdè affluens, atque ita cùm annis viginti quin-

que in monasterio ea viueret seueritate, omnifaria illa carnis castigatio iam sancto viro pro delicijs cōputabatur; adeò semper iucundus & hilarus erat. Quæ etsi magna & stupenda essent, attamen quicquid gessisset pro nihilo ducens, optabat insuper in eremo habere cellulam, in qua inclusus degeret, vt illic laudibus diuinis etiam liberiùs vacaret, corpusque edomaret seueriùs. Curauit igitur construi cellulam in loco deserto. Qua ædificata, vix ab Abbate Lamberto impetrare potuit veniam, relicto monasterio, ad illam sese conferendi, valde enim fratribus monasterij videbatur necessarius. Tandem autem ea obtenta, in eam se abdidit; sed ita tamen, vt, quoad vixit, in Crispiniensis Abbatis potestate semper esse voluerit. In qua cella quàm corpus suum duriter habuerit, vt audire pium est, ita imitari etiam gloriosum. Viginti sanè & quinque annis in ea permansit inclusus, è quibus duobus & viginti pane prorsus abstinuit, contentus herbis, radicibus, & vilibus illis cibis quibus vesci consueuerat: sicque inter hæc fama eius orbem terrarum complente, cœperunt ad eum homines vndique confluere. Vnde & cùm antea non nisi Acolythus fuisset, de sapiētum virorum consilio, à Burchardo Cameracensi Episcopo Subdiaconus & Diaconus est ordinatus.

Semper adspirat adhuc ad perfectiora.

Viginti quinque annis viuit sine pane.

DEINDE etiam ad Sacerdotium promotus est, vt populis ad ipsum venientibus, meliùs posset consulere, & secretas confessiones recipere. Cæterùm illos, qui confessionis faciendæ causa eum accedebant, priùs quasi iuramento obstringebat, vt ipsius audito consilio ad Episcopos suos irent, eadem flagitia illis quoque confessuri: ita tamen vt si quos vidisset obstinato animo, etiam interposito iureiurando, decreuisse nulli nisi ipsi sua crimina detegere, illorum sanè tandem improbitati cedens, veritus ne in desperationis barathrum irent præcipites, si eos nollet audire, confessionem eorum recipiebat quidem, pro ratione facinorum etiam pœnitentiæ mulctam eis irrogans, nec tamen cessabat persuadere fortiter, & vehementer etiam adiutare, vt turpia, quæ ei dixissent, suos episcopos minimè celarent. Qui si omnino recusarent, grauem, & prope intolerabilem eis pœnitentiæ mulctam imponebat; quod tamen quidam æmuli, eius facta rodentes, illum minimè facere mentiebantur. Mandauerat autem Paschalis Papa per Oduuinum Abbatem S. Gisleni, vt omnes confessionis gratia ad ipsum venientes alacriter, & pro criminum quantitate pœnitentiæ eis onus iniungeret: quod idem & Innocentius Papa etiam

Fit Presbyter.

En casus reseruatos.

Nota simul & illud, patitur vir sanctus [illegible] æmulos.

etiam illi mandauit.

NEQVE verò est, quòd putet quispiam solùm homines illiteratos & vulgares ad eum venisse, imò verò adibant eum Archidiaconi, Abbates, Eremitæ, Monachi, & omnis generis religiosi & docti viri, nobiles quoque sexus vtriusque, eius se precibus gratulabundi commendantes, nec confessionis immemores, ipsumque instar prodigij cuiusdam suspicientes & admirantes. Sed nunc, ne fortassis Lectori prolixitate tædium adferamus, ad finem properandum est. Peractis annis plus minus quinquaginta in Monachi habitu, & ea vitæ austeritate quam diximus (vt iam nihil dicamus de illo tempore, quo non mollius se accepit; degens cum Ioanne insigni Monacho & Presbytero in eremo) paucis ante Paschatis solennitatem diebus, letali morbo correptus est: vnde sentiens adesse mortem, accersiri iussit Engelbertum, id temporis Crispiniensis cœnobij Priorem. A quo sacro oleo vnctus, & corporis & sanguinis Christi sacra communione Catholicè munitus, ecce ipso sacratissimo Paschæ die, qui tunc in septimum Idus Aprilis incidit, feliciter obdormiuit in Domino. Sepultus est autem eodē in loco, vbi eius cellula fuerat, vbi meritis & precibus eius, ægris & piè postulantibus multa præstantur beneficia, largiente Domino nostro Iesu Christo.

Concurrunt ad eum omnis generis homines.

Vnctus sacro oleo, paulo post moritur.

DE B. HERMANNO ORDINIS PRÆmonstratensis, ex iis quæ sunt To 7. R.P. Surij.

VII. APRILIS.

HABVIT beatus Hermannus, qui & Ioseph dictus est, locum natiuitatis suæ inclytam Coloniam, in qua & parentes illius inter suos conciues honesti commanebant. Duodecimum annum agens perductus est in ecclesiam Steinueldensem Coloniensis diœcesis, Ordinis Præmonstratensis. Vnde in Frisiam studiorum causa missus, tandem post insignem profectum scientię & morum ad propriam Ecclesiam est reuersus. Grauissimè se ieiunijs & vigilijs confecit, singulariter beatissimæ Dei Genitrici deuotus; vnde & multis reuelationibus ab ea decoratus fuit. Si quem sibi offensum putaret, sine personarum acceptione mox ad petendam veniam in genua se submittebat, voce humillima sibi ignosci petens. Frequenter autem ei molestus erat teterrimus dæmon, modò in corui, modò in felis specie, ei oranti apparens, nunc cuculla

B. Hermanni prima educatio.

Eius singulares virtutes.

à tergo eum trahens, vt à precibus eum impediret. Verùm in omnibus fortissimi athletæ patientia cælestis præmij coronas sibi texebat. Denique migrauit ad Christum in monasterio virginum Cistertiensium, quò fortè venerat, atque ibidem primò fuit sepultus. Sed corpusculum eius postea, iubente Archiepiscopo Coloniensi, iterum à sepulchro eductum est, & monasterio suo redditum. Inuentum autem fuit prorsus incorruptum, cùm tamen in sepulchro iacuisset à feria quinta Paschæ vsque ad feriam tertiam Pentecostes loco palustri & humido. Sed & Agnes virgo Deo deuota, quæ triennio ægrotans, anno vno & sex mensibus lecto decubuerat, membris omnibus in corporis parte inferiori præmortua, postquam per visum illi apparuisset beatus Ioseph manum suam illi imponens, repentè conualuit.

Miracula post eius mortem.

Videlicet anno 1097. Quiescit hic sanctus Gandaui.

VITA S. MACARII PATRIARCHÆ ANtiocheni, ex ea quæ scripta est iussu Sigeri Abbatis.

X. APRILIS.

ARMENIAE decus beatus Macarius parentes habuit Michaëlem & Mariam: multa generis claritudine insignes; consanguineum, & in baptismate susceptorem Macarium Maiorem, qui tunc Antiochenam ecclesiam gubernabat. Traditus studijs, consecutus est disciplinas liberales omnes quibus Græcia Armeniaque pollebant, mundi illecebras interim simul fugiens, æternaque appetens. Itaque & morienti sancto Patri ipse succedit iuuenis Macarius in iuuenili ętate iam pręmaturus. Neque enim poterat de illo dici quod de quibusdam Dominus ait, Dicunt, & non faciunt; sed magis seipsum subditis suis viuendi perfectum exemplum præbebat. Victus ei erat, qui corpus tenuiter sustentaret, mollibus & delicatis vestibus, quibus quandoque vsus fuerat, asperrimis camelorum pilis permutatis. Sed nimium prolixi futuri sumus, si eius virtutes omnes accuratè describere velimus. Quando precibus clàm vacabat, pro consuetudine sudarium secum ferebat, quo largiter manantes tergeret lacrymarum vndas. Cernere autem licebat in sancti Pontificis domo quasi nitentes quasdam gemmas pauperes Christi, varijsque oppressos morbis, cæcos, surdos, claudos: quos quotidie eò properantes, vt ab eo stipem acciperent, vir pius duplici beneficio prosequebatur. Quicunque enim

Creatur Patriarcha Antiochenus.

Eius in victu & vestitu asperitas.

AEgros & morbidos si-

enim ab eius sanctis manibus accipiebant cibum vel potum, simul ilico reualescebant. Atque interim crescebat fama sanctitatis eius, maiórque indies ad ipsum existebat hominum concursus. Quem ille modis omnibus declinare volens, ne fortè humilitate parta per superbiam amitteret; ecce Pontificia dignitate translata in Eleutherium, venerabilem virum, exit è finibus patriæ suæ, relictísque omnibus sequitur Christum. Adiunxit autem sibi quatuor eiusdem deuotionis fideles viros, Ioannem, Petrum, Dauidem, & Constantinum. *mul pascit & sanat.*

Et quidem cum his ante omnia terram, Domini Saluatoris præsentia quondam insignitam, petijt: vbi locum ligni S. Crucis exosculatus, in sepulcro deinde Domini, peccata tum sua, tum totius orbis planxit. Sed & delectabat eum quoque, cum Iudæis de illorũ perfidia verba miscere, & cum Saracenis congredi, si quem illorum posset ab errore reuocare. Sed hi sanè fortiter illi resistebant, laniantes etiam eum toto corpore, deinde & instar crucis eum in terra extendentes, saxumque igneum nudo eius pectori imponentes; sed ita tamen, vt cùm ab his omnibus Angelica consolatione fuisset absolutus, eorum, quæ in illum impiè designarant, veniam petentes, regenerarentur in Christo, quotquot erant prædestinati ad vitam, surdi quoque & muti curatione mox diuinitus ipsius doctrina comprobata. Veruntamen nullus placuit beato viro ad manendum locus, nisi vbi posset ignotus & obscurus degere. Itaque post multa terrarum emensa itinera, cum suis comitibus beatus Patriarcha in Baioariam peruenit: vbi cùm à commodo hospite suo Adalberto, anno integro perquam humaniter fuisset retentus, propter vxorem eiusdem Auam nomine, per eum à mortis aditu, cruce sua, quam scipioni, quem manu gestabat, imposuerat, liberatam, itémque curatos duos eiusdem Adalberti famulos, celebris factus, Moguntiacum perlatus est; vbi homicidam quendam similiter cruce illa sua à furore insequentium liberauit. *Relicto Episcopatu, abit peregrinaturus.* *Multa patitur ab impijs Saracenis.* *Venit in Baioariam.*

Sed & inde Coloniam accessit, Sanctorum cultura nobilem vbi à quodam Tizone admodum reuerenter hospitio acceptus, ei curationem morbi regij, quo ex multo tempore laborabat, vicem reddidit sui hospitij. Ac deinde circumiens loca meritis insignita Sanctorum, & vbique præclara relinquens vestigia meritorum, Machliniam tandem ingressus est: vbi apud B. Rumoldi Martyris ecclesiam commodum cum suis hospitium adeptus, quadam nocte incendij flammas, quæ iam quasdam *Vbique pertransijt benefaciendo Machliniam vsque.*

ædes peruaserant, nullaque vi humana exstingui posse videbantur, rogatus ab incolis, flammæ fidei suæ exstinxit. Post quę etiam proficiscitur Malbodium, vbi S. Aldegundis virgo quiescit. Quo in loco hærens aliquandiu, cùm voluisset venę sectione aliquid de sanguine sibi detrahi, eum sanguinem in vasculum hospes suus, Durandus nomine, excipiens, vni è seruis suis summo studio asseruandum tradidit. At nequam ille, instigante diabolo, sacrum illum cruorem in latrinam effudit, se latêre posse confidens. Sed iustus Dominus lepra percussit malignū. Porrò beatus Patriarcha, necdum peregrinationi suæ finem imponens, à Malbodio abijt Cameracum; vbi licet paucos moratus esset dies, tamen quis & quantus esset, innotuit, sanctissimæ scilicet matris & virginis basilica, ex qua cum custos, non sine iniuria, eiecerat, diuinitus ei patefacta; vnde & mox cœpit haberi clarissimus. Sed ille, nihil tale appetens, Tornacum se contulit, vbi etiam insigni miraculo Dominus cohonestauit.

Videt & Malbodium.

Item Cameracum, & Tornacum.

ETENIM cùm orta esset in vulgo seditio exitiosa, passimque volitarent tela à ciuibus vibrata in ciues, ita vt nec ipse Princeps patriæ senior Balduinus, qui tum ibi erat, furentem populum, per suos milites, ab armis posset reuocare, ecce beatus Patriarcha cum suis armis, puta cruce, precibus, & socijs peregrinationis, accurrens ad locum diri certaminis, confidenterque erigens scipionem suum, cui crucem infixerat, furentibus pacem exoptans, mox effecit vt sese inuicem oscularentur; tantoque tumultu sine sanguinis effusione sopito, ciuitas tota restitutæ pacis beneficio lætaretur. Iam multo tempore beatus Patriarcha non paruos longinquę peregrinationis tulerat labores. Quibus cùm tandem vellet Dominus finem imponere, Gandauum peruenit, vbi ante omnia S. Petri cœnobium, quod Blandinium vocant, inuisere voluit, sed visitantis virtus illic ignota fuit. Peruenit itaque tandem ad monasterium, quod sanctus Confessor Bauo suis meritis illustrabat. Regnabat per id tempus in Gallijs Robertus Rex, Flandriæ Marchionatum obtinebat Comes Balduinus, cœnobio S. Petri ad S. Bauonem præerat Abbas Eremboldus; atque is scilicet eum, comitesque eius, hospitio recepit, & peramanter curauit. Vnde & tum ipsius, tum Fratrum eximia charitate permotus vir sanctus, sensim cœpit in animum inducere, vt apud illos permaneat. Apparet autem hîc iudiciorum Dei abyssus multa. Ecce enim quem neque Armenia, neque Antio

Cruce sua lignea sedat Tornaci maximā seditionem.

Tandem venit Gandauum.

Antiochena sedes; neque inde à sepulchro Domini vsque ad S. Bauonis monumentum, tam vasta terrarum spatia retinere potuêre, Gandensis ecclesia retinuit.

EXHIBETVR autem inde tanto hospiti communis ecclesia, commune monasterium, communis quoque mensa: sed cubiculum priuatum, vbi cum suis quiesceret. Placet omnibus, nec vlli est onerosa eius sancta conuersatio: inuitat omnes ad meliora eius pia animi deuotio, nec fratres dumtaxat, sed etiam alios eius regionis homines quotidie cõfirmat eius sacra benedictio. Crebrò namque inuisebat ecclesias Gandauensis ditionis, celebrabat Missæ sacrificia in singulis, populos vbique Deo piis commendabat votis. Quibus etsi ob idiomatis imperitiam loqui nesciret, non tamen cessabat pro eis loqui ad Dominum. Quicquid autem ei à fidelibus oblatum esset, mox in pauperes conferebatur, quorum ille ab infantia curam gesserat. Vndique verò ad eum populus frequens confluebat, & permulti à variis liberabantur incommodis. Nam etiam aqua, quibus manus eius fuissent ablutæ, nequaquam erat virtutis expers, & leuis manuum eius attactus ad depellendos morbos erat efficax. Quin & qui sublimiori fidei deuotione præditi erant, iis ad promerendam salutem sola sufficiebat episcopalis benedictio. Et Fratres quidem non rarò instabant apud illum, vt perpetuò cum ipsis maneret, sed surdo canebant, quippe qui constituerat in patriam reuerti: qua tamen in re minime illi consentiebant eius comites, quare & illis relictis, vno tantum socio itineris contentus, Abbati & Fratribus valefaciens, recessit. Sed paulo pòst inflantur pedes, morboque correptus decumbit. Vnde nec minori cum gaudio ad Sancti Bauonis monasterium reuocatur, quàm fuerat cum dolore inde digressus. Vbi cùm humana subsidia parum illi prodessent (erat enim exanimi simillimus) Sanctorum in ea Ecclesia quiescentium est visitatione recreatus, sancti scilicet Bauonis, & inter ceteros, sancti quoque Landoaldi.

Vixit ad S. Bauonẽ tanquã vnus ex Fratribus.

Vndique concurrit ad eũ teneius populus.

Tentat redire in patriã, sed diuinitus retinetur.

MANSIT autem postea sanus ad quinque menses, & rursus cogitat de repetenda patria. Sed dum ille statuit repetere Armeniam, à Christo euocatur ad patriam claritatis æternæ. Sæuiebat tum pestis horrendum in modum, vincebatque superstites multitudo morientium, vixque tot reliqui esse videbantur, quot possent cadaueribus humandis sufficere. Iam omni humani auxilij spe ablata, triduanum nõ modò hominibus

Grassatur Gandensi sæuissima pestis.

nibus, sed etiam pecoribus indicitur ieiunium; iam sanctos omnes Patronos Gandaui quiescentes in vnum locum conferunt; cùm beatus Macarius sæua illa pestilentia infectus, nutibus & signis prædixit, præter se, & alios duos, neminem deinceps ea peste occubiturum, quod & postea rei euentus approbauit. Nam postquam tertius aduenisset dicti ieiunij dies, cùm designasset paulo antè baculo sepulturæ suæ locum in crypta B. Mariæ ante altare S. Pauli, ecce inter psallentes Fratres spiritum feliciter exhalat, sua morte omnium velut morte iam Deo placato, pestilentiam restringens, 4. Idus Aprilis, anno salutis millesimo duodecimo, S. Henrico Romanorum Imperatore, Rege autem Galliarum Roberto. Eleuatum est autē eius sacrum corpus integrum repertum sub Sigero Abbate quarto ab Eremboldo, idque 7. Idus Maij: cui eleuationi interfuêre Balduinus Nouiomensis, & Lietbertus Cameracensis Episcopi, item Rex Gallorum Philippus, & Comes Balduinus. Multis verò miraculis etiam post obitum suum claruit vir beatus, quæ breuitatis causa prætermimus.

Moritur vir sanctus, & simul sicut prædixerat, cessat pestis.

Sacrū corpus eius honorificè eleuatur.

VITA S. LEONIS PAPÆ, SCRIPTORIS

Ecclesiæ, ex Ordinario nouo.

XI. APRILIS.

LEO primus Etruscus, eo tempore præfuit Ecclesiæ, cùm Rex Hunnorum Attila, cognomento Flagellum Dei, in Italiam inuadens, Aquileiam triennij obsidione captam diripuit & incendit. Vnde cùm Romam ardenti furore raperetur, iamq; copias, vbi Mincius in Padum influit, traijcere pararet, occurrit ei Leo, malorum Italiæ impendentium misericordia permotus: Cuius diuina eloquentia persuasum est Attilæ, vt regrederetur. Qui interrogatus à suis, quid esset, quòd præter consuetudinem tam humiliter Romani Pontificis imperata faceret, respondit, se adstantem quendam alium illo loquente, sacerdotali habitu veritum esse, sibi stricto gladio minitantem mortem, nisi Leoni obtemperaret. Quare in Pannoniam reuersus est. Leo autem Romæ singulari omnium lætitia exceptus, paulo pòst inuadenti vrbem Genserico, eadem eloquentiæ vi, & sanctitatis opinione persuasit, vt ab incendio, ignominiis, ac cædibus abstineret.

Rex Attila facit è cōcedit S. Leoni quod petebat, v dis visi adstare virū quendā diuinum.

Veneratur virū sanctum & Gensericus tyrānus.

SED cùm Ecclesiam à multis hæreticis oppugnari, maximeque

meque à Nestorianis & Euthychianis exagitari videret, totum se ad eam purgandam, & in fide Catholica confirmandam, contulit. Quare Concilium Chalcedonēse indixit, vbi sexcentis triginta coactis Episcopis, Nestorius Eutychiusque condemnati sunt; & Dioscori fracta superbia, eiusque Concilij decreta, sua auctoritate confirmauit. Quibus actis, sanctus Pontifex se ad reficiendas & ædificandas Ecclesias conuertit. Cuius suasu Demetria, pia femina, sancti Stephani ecclesiam construxit in suo fundo, via Latina, tertio ab vrbe milliario: ipse via Appia sub nomine sancti Cornelij alteram condidit. In tribus basilicis, Petri, Pauli, & Constantiniana, cameras exstruxit. Ædificauit monasterium vicinum basilicæ S. Petri: sepulchris Apostolorum custodes adhibuit, quos cubicularios appellauit. Statuit vt in actione mysterij diceretur, Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Sanxit ne Monacha benedictum capitis velamen reciperet, nisi quadraginta annorum virginitatem probasset. Quibus, & aliis præclarè gestis, cùm multa sanctè & luculenter scripsisset, tertio Idus Aprilis obdormiuit in Domino. Sedit in Pontificatu annos viginti vnum, mensem vnum, dies tredecim.

Celebratum sub ipso Concilium Chalcedonense.

Eius pia quædam instituta.

VITA S. GODEBERTÆ VIRGINS, *ex ea quæ est apud R. P. Laurentium Surium.*

Tom. 7.

XI. APRILIS.

DIEM hunc insignem egregiæ virginis Godebertæ, fratres charissimi, solenniter celebraturi, eam, cui sacrata est, ita vt par est, obnixè priùs deprecemur. Nata est virgo Godeberta ex parentibus Christianis in pago Ambianensi. Quæ cùm baptizata esset, & creuisset, sanctæ fidei institutiones vndecunque libenter excipiebat, etiam in tenera ætate sanctæ crucis signo se communiens, Sanctorum quoque precibus noctu dieque se humiliter commendans, nec non & lasciuarum quoque adolescentularum vitans conuentus. Ceterùm à parentibus accuratè educata, cùm ad nubiles peruenisset annos, permulti nobiles eam ex nobilibus nobiliter natam sibi sponsam expetebant. Verùm parentes ejus, cùm essent Regis beneficiarij, non audebant, inconsulto Rege, cuiquam eam in matrimonium collocare. Quæ res cùm apud Regem Clotarium ageretur, omnesque ad Regis voluntatem animis intenderent, in medium illorum, non sine nutu Dei, beatus

S. Godebertæ genus & pia educatio.

Petitur ad nuptias.

Eligius

Despōdet eā S. Eligius. Eligius se ingessit, & virginem illam aureo suo annulo, tanquam arrhabone, Christo sponsam, coram Rege & parentibus eius, fidentissimè despondit & dedicauit. Ecce autem ineffabilem sancti Spiritus gratiam. Confestim puella, diuino iam, vt post patuit, amore grauida, spreta omnis carnis voluptate, Regi & parentibus constanter valefecit, seque beatissimo Præsuli Eligio consecrâdam grato animo cōmendauit.

REGEBAT tum ille vir sanctissimus Nouiomensem ecclesiam, eiusque doctrina & exemplis multi ab errore conuersi, abiecto dæmonum cultu, fidem Catholicam gratulabundi complectebantur. *Adhæret beata virgo eidē sancto viro.* Quem cùm Godeberta spiritalem sibi Patrem coram Rege & Principibus elegisset, parentum persuasiones liberrimè reiecit, & eum absque vlla mora secuta est. Ea autem res tam inopinata, omnibus magnum stuporem attulit. Porrò eius pater illacrymans, amanter eam contemplabatur: Rex quoque Clotarius, videns tam subitam nuptiarum mutationem, nōn parum admirabatur diuinæ potentiæ virtutem. Quin etiam vt virginis illius precibus apud Dominum adiuuaretur, promptam animi eius deuotionem primus ipse regia munificentia confirmare volens, assentientibus illis qui aderant, eam oratorio S. Georgij, quod Nouiomi habebat, suum ei dedit palatium, addens duas villas ex fisco regali, cum duodecim fœminis, quæ illius regimine continerentur. *Donat ei Rex Nouiomi oratorium sancti Georgij & suo palatio, pro construendo monasterio.* Quare & conuenientes in eo oratorio, quod erat in Nouiomensis oppidi suburbiis, die ac nocte indefessis animis Deo seruiebant: nec non & Godeberta virgo, à sancto Eligio edocta, secum commorantes, tum verbis tum multifariis virtutum exemplis sedulò instituebat.

HOMINVM enim secularium consortia deuitans, biduana & triduana cōtinuabat ieiunia, esurientibus cibum, sitientibus potum, nudis vestimenta (cùm ipsa interim his omnibus indigeret) studiosè ministrabat, pernox in precibus, & id genus aliis exercitiis. Quam eius constantiam pius Dominus considerans, virtutem quoque eius omnibus palàm declarare voluit. *Multa per eam efficit Deus miracula.* Crebra namque propter eius preces efficiebat miracula, cæcis visum, claudis gressum, paralyticis sanitatem restituens, quodque his maius est adhortationibus etiam nō rarò infideles ad fidem traducens. Accidit autem aliquando, vt propter populi peccata apud Nouiomenses pestis sæuissima grassaretur. Fugiebant autem quicunque poterant. Si quis enim aliquem sepeliret, mox ipse sepeliendus efferebatur.

In tanta

In tanta ergo vrbis eius vastitate & calamitate, beata Godeberta ciuium miserata, triduanum eos suscipere ieiunium admonuit, in preces quoque cum lacrymis incumbere, & præstare eleemosynas. Proponebat eis salutarem Niniuitarum pœnitentiam, item exempla Dauidis, Petri Apostoli, Mariæ peccatricis, & latronis in cruce. Quibus sermonibus virginis animati ciues cum ingenti deuotione triduanum illud suscepêre ieiunium, moxque meritis & intercessionibus eius, pestem illam à se depulerunt. Sed & paucis post diebus, sancta virgo ob nimiam teneri corpusculi macerationem, in molestissimum morbum incidit.

Pellit suo monito, & indicto triduano ieiunio, grauissimã pestilentiam.

ACCIDIT tum vt apud summam beatissimæ Mariæ virginis ædem inopinatum erumperet incendium, & eius repentino discursu, totius ecclesiæ ornamenta omnia absumerentur, flammaque longè lateque peruagata, omnia voraret. Cuius vim cùm ferre nemo posset, omnes fuga sibi consulebant, beatissimæ Mariæ ædem principalem Deo committentes. Verùm perturbata hoc nuncio virgo Godeberta, tametsi decumbens grauissimè attamen iussit se in sede efferri, & sæuientibus flammis fidenter opponi. O rem miram! Deposita in ipsa penè flammarum voragine, cùm multi iam eius vitam desperarent, sanctæ Crucis signum, quod cunctis in periculis saluberrimum nouerat, fidentissimè opposuit: & statim ignis exstinctus est. Quibus adeoque aliis miraculis beata virgo cùm vbique celeberrima haberetur, etiam ex longinquis regionibus multi ad eam ægri confluebant, quibus ipsa suis precibus à Domino sanitatem impetrabat, donec tandem videns Dominus animum eius in sanctæ religionis proposito firmum & immotum, ne qua malitia mutaret cor eius, de terrestribus ad cælestia eam euocauit, & de labore transtulit ad requiem sempiternam, vbi iam cum sanctis virginibus fruitur cælestis paradisi amœnitate, & pro nostris peccatis, coniuncta Deo, absque intermissione Dominum deprecatur. Porrò humatum est corpus eius tertio Idus Aprilis in B. Georgii oratorio, in æde quæ nunc Sanctorum Apostolorum dicitur, vbi etiam corpus S. Mommoleni, eiusdem vrbis Episcopi, honorificè conditum est: vbi & multa eius intercessione malè valentibus & egenis præstantur beneficia ad gloriam nominis Dei.

Signo Crucis extinguit maximum incendium.

Migrat ad Dominum.

Adest se inuocantibus etiã post mortem.

VITA

Est vita scripta per ferè æquale 10. 7.

VITA V. ALFERII, PRIMI ABBATIS *Cauensis, prope Neapolim, ex ea quæ est apud R. P. Surium.*

XII. APRILIS.

Vl. Alferius venit in aula Principis Salernitani.

VIR Domini Alferius, ex Salernitana ciuitate oriundus fuit. In qua cùm bonis polleret moribus, & literarum scientia apprimè eruditus enitesceret, Principi eiusdem ciuitatis magna familiaritate coniunctus est, & inter primos palatij ingĕri cum honore susceptus. Vnde & quodam tempore, rebus ita exigentibus, cùm à præfato Principe ad Regem Germaniæ nuncij mitterentur, probitatis suæ merito vir venerandus eligitur, & in Gallias, pro perficiendis principalibus negociis, apocrisarius destinatur. Quod tamen non tam humano iudicio decerni cœperat, quàm diuino: videlicet, vt, qui iam magnus in cœlorum regno censebatur, ad alia magis tenderet. Nam vbi ad ecclesiam B. Michaëlis de Clusa venit, grauem corporis valetudinem incurrit, qua etiam impellente, legationem mutare placuit: nempe mortis, vt putabat, festinatione perterritus, seculo renunciare proposuit. Et quidem vir vitæ valde venerabilis Odilo, Cluniacensis Abbas, fortè tunc ad idem cœnobium venerat: quem cùm plurimum vir Domini Alferius rogaret, vt habitum sibi sanctæ religionis imponeret, Cluniacum deductus est, ibique quod piè postulauit, obtinere promeruit, sicque deinde postquam religionis habitum sumpsit, omnĕ illam strenuitatĕ seculi ad diuina studia cõuertit. Cœpit enim magnis desideriis superna quærere, qui solebat ingenti studio strenuus pro tĕporalibus apparere.

Ex morbo quo iã subitò renunciat seculo.

Fit monachus Cluniac.

QVI cùm plurimum temporis in secretiori claustri conuersatione perageret, licet valdè esset acceptus fratribus, tamen, memorato Salerni Principe obtinente, remittitur, atque adeò eiusdĕ ciuitatis ferè omnia monasteria ei regenda committuntur. Sed vir sanctus internæ quietis splendoribus assuetus, exteriorum negotiorum tenebris diu præpediri noluit. Quare & dimissa ciuitate, longè in excelsi montis latere, cui Fenestra vocabulum est, quietis suæ locum subiit, primusque præ omnibus Metelliani cauum, monachorũ mansionĕ fecit, &, vt apertè iam cernitur, omnis nostræ multitudinis seminarium fuit. Sed ecce ingentis & terribilis speluncæ secretis repositis, solusque soli Deo vacans, solique placere desiderans, dum mundi gloriam fugit, ad laudis tamen suæ præconium vicinarum vrbium ferè omnium linguas mouit. Cœperũt nam

Ei mãdatur cura omnium ferè monasteriorũ ciuitatis Salernitanæ.

Fundat cœnobium Cauense.

namque nonnulli seculũ relinquere, & eiusdem se magisterio subiugare. Inter quos & vir venerabilis Leo Lucensis, & Desiderius Beneuenti nobilis, ad æmulandum piæ virtutis eius studium, se eius magisterio subdiderunt. Quorum nimirum alter post eum Gauensi monasterio præfuit, alter S. Benedicti Montis Cassini Abbas constitutus, dehinc in totius orbis culmine, videlicet Romanæ Ecclesiæ Pontificatu sublimatus est. *Is est Victor 3.*

INTERIM humani generis inimicus, sancti viri successibus valde inuidebat: Vnde & quadam die cùm Salernum cum euntem cerneret, super excelsæ rupis verticem se ei obuium præbuit, & iumentũ, cui insidebat, exterrens, per immensum montis præruptum in præcipitium dedit. Et quidem qui eum comitabantur, à multo fletu ad oram maris veniunt: Verùm, laus tibi, ô bone Iesu, incolumem læti conspiciunt, quẽ lugẽtes inuenire mortuum crediderunt. Sicque factũ est, vt antiquus hostis se tanta viri venerabilis virtute superatum erubescens, inde eiusdem gloriam auxerit, vnde eã extinguere moliendo cogitabat. *Præcipitatus à dæmone de excelsa rupe, nihil tamen læsus est.* Sed & alio quoque tempore dùm quidã Salernitanę ciuitatis viri irruentium latronum impetum fugerent, ad vicina cellæ viri Dei loca peruenerunt: vbi cum pausare sub rupe quadam voluissent, ingens saxum de eadem rupe dissiluit, & quendam ex eis Burellum nomine conterens, exstinxit. *Opprimitur quidam casu ingentis saxi.* Quem vt socij mortuum atque contritum cernerent, ad viri Dei monasterium, iam inclinato vespere, sepeliendum detulerunt: quibus Pater venerabilis præcepit, vt nocte illa discederent, atque sequenti die ad sepeliendum, quem detulerant, redirent. In eodem verò specu Pater sanctus iam oratorium construxerat, in quo poni feretrum iussit: & assumpto Leone discipulo suo, cuius superiùs mentionem feci, in oratione eadem nocte vigilauit. Mane igitur facto, defuncti illius comites redeunt. Sed ecce, mirabili stupore & gaudio, quem mortuum dimiserant, non solùm viuentem, sed etiam incolumem receperunt. *Idem per virum venerabilem à morte excitatur.*

QVIN etiam cœpit vir Dei spiritu prophetiæ pollere, id quod sequentia facilè ostendent. Quidam namque de vicinioribus locis quendam ad eum energumenum vinctum ferro duxerunt, suppliciter deprecantes, vt ei manus imponeret, atque immundum ab eo spiritum fugaret. Quibus vir venerabilis respondit, dicens: Hic non me viuente, sed moriente, sanabitur. Quod profectò ita impletum, testati sunt qui nouerunt. Sic & venerando viro Leoni, discipulo suo, atque aliis condiscipulis præceperat, vt post eiusdem mortem in eodem *Retractat vir venerabilis sub morte.*

id quod prius constituerat secundum hominem.

monasterio plusquam duodecim fratres simul esse nunquam debuissent; ne si numerum prædictum excederent, sustentari de rebus monasterij nequaquam possent. Sed cùm iam ferè de hoc seculo esset profecturus, eisdem discipulis vocatis ad se, ait: Ego quod de numero fratrum constitui, secundùm hominem dixi. Nam (quod mihi Dominus reuelare dignatus est) in hoc monasterio innumerabilis multitudo ad eiusdem seruitium colligenda est, atque qui eos ad regnum suum congregat, temporales etiam sumptus semper ministrabit. Hoc autem vir Dei voce protulit, nos stupemus in opere.

Claret spiritu Prophetiæ.

NEC minus dum læta futura protulit, quæ etiam eos manerent aduersa nűciauit. Post obitum meum, inquit, quidam in hoc ouile Dominicum lupus ingredietur, pacem communem turbare nitetur; sed turbari refugite, quia citiùs exstinguetur. Quod profectò ita factum, antiqui monasterij senes referre soliti sunt. Nam quidã turbine secularium fultus, postquam vir sanctus obijt, monasterium irrupit, eiusdem successorem expulit; sed pastoralem locum, quem impunè sibi vsurpare se credidit, diuina vltione percussus, ei quem expulerat, liberum citò dereliquit. Atque hæc ad nos de tanti Patris vita atque miraculis peruenerunt; non quod ista sola fuerint, sed quia sanctus plura exercuit, quæ humiliter occultauit; puta, quo abstinentiæ rigore corpus attriuerit, quibus vigiliis, quibus lacrymis quotidie cælestia flagitauerit, quàm etiam fortis fuerit in aduersis; quàm mitis in prosperis. Sed verò, quid in præscientia rerum tãtùm puritatem cordis eiusdem asserimus, qui ab his, à quibus optimè notus est, tantus asseritur, vt ipsum etiam humani generis redemptorem, in carne adhuc positus, videre mereretur? Dicunt enim, quòd ante sextum sui exitus diem, ei Dominus Iesus Christus apparuit, eique dixit: Die cœnæ meæ venies ad me.

Nota ætatem auctoris.

Eius mirus feruor in vigiliis & abstinentiis.

ET tunc quidẽ Pater venerandus quanta lætitia & gaudio exultauerit, quibus desideriis diem tantæ promissionis exspectauerit, cogitando colligat qui potest; quia dici non præualet. Quo nimirum die veniente, impleuisse fertur omnia quæ ad tantæ solemnitatis ministerium debebantur. Nam Missarum solennia celebrauit, fratrum pedes abluit, pauperibus donatiua distribuit. Nec multo post, constituto discipulis Patre, Leone videlicet, venerabili viro, cuius suprà mentionem feci, eis ad refectorium dimissis cellulam speluncæ, in qua manere consueuerat, intrauit, se in orationem dedit, atque inter orationum

Prædixit is diem mortis de suo obitu.

lionum verba non multo pòst in Redēptoris manus vltimum spiritum tradidit. Dubium quippe non est, quòd ad eum deducendum accesserit, qui ante sextum diem hunc inuitare dignatus est. Obiit autem vir vitæ valde venerabilis, senex & plenus dierum, cùm ferè centum viginti esset annorum, (quòd sanè omnibus mirabile est) ita tamen sanus & fortis vsque ad extremam horam mortis, vt nec præ tam decrepita ætate caligaret, neç aliqua debilitate deficeret. Nam vsque ad extremum vitæ suæ tempus clarissimè & legit & scripsit, Missas celebrauit, & omne pastoralis sui ordinis ministerium valenter exhibuit, loco illi, quem incoluit, etiamnum se præsentem ostendens.

Migrauit citer cum ferè esset centum viginti annorum.

Nota aliquid miri.

VITA S. ERMIGILDI FILII REGIS *Vvisigotthorum in Hispania, ex D. Gregorio lib. 3. Dialog.*

XIII. APRILIS.

*Cap. 31.

SICVT multorum, qui ab Hispaniarum partibus veniunt, relatione cognouimus; nuper Ermigildus Rex, Liuigildi Regis Vvisigotthorum filius, ab Arriana hæresi ad fidē Catholicam, viro reuerendissimo Leandro Hispalitano Episcopo, dudum mihi in amicitiis familiariter iuncto, prædicante, côuersus est. Quem pater Arrianus, vt ad eandem hæresim rediret, & præmiis suadere, & minis terrere conatus est. Cui cū ille constantissimè respōderet, nunquam se veram fidem posse relinquere, quā semel agnouisset, iratus pater, eum priuauit regno, rebusque exspoliauit omnibus. Cumque nec sic virtutem mētis illius emollire valuisset, in arcta illum custodia concludens, collum manusque illius ferro ligauit. Cœpit itaque idem Ermigildus, Rex iuuenis, terrenum regnum despicere, & forti desiderio cæleste quærens, in ciliciis vinculatus iacens, omnipotenti Deo ad confortandum se preces effundere; tantoque sublimius gloriam transeuntis mundi despicere, quanto & religatus agnouerat nil fuisse, quod potuerit auferri.

S. Ermigildus reuocatur ab Arrianismo per S. Leandrum.

Conicitur propterea à Patre in carcerem.

SED & superueniente Paschalis festiuitatis die, intempestę noctis silentio ad eum perfidus pater Arrianum Episcopum misit, vt ex eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus, Arriano episcopo venienti exprobrauit vt debuit, eiusque à se perfidiā dignis increpationibus repulit: quia etsi exteriùs iacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque reuerso

Fortiter repellit Arrianum Episcopum ad se missum.

Episcopo, Arrianus pater infremuit, statimque suos apparitores misit, qui constantissimum Confessorem Dei illic, vbi iacebat, occiderent; quod & factum est. Nam mox vt ingressi sunt, securim cerebro eius infigentes, vitam corporis abstulerunt; hocque scilicet in eo valuerunt perimere, quod ipsum quoque, qui peremptus est, in se cōstiterat despexisse. Sed pro ostendenda vera eius gloria, superna non defuere miracula. Nam cœpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus eiusdem Regis & Martyris audiri. Quidam etiam ferunt, quòd illic nocturno tempore accensæ lampades apparebant; vnde & factum est, quatenus corpus illius, vt videlicet martyris, iure à cunctis fidelibus venerari debuisset.

Coronatur martyrio.

Et quidem pater perfidus & homicida, commotus pœnitentia, hoc fecisse se doluit, nec tamen vsque ad obtinendam salutem perfinuit: nimirum quia vera esset Catholica fides, agnouit; sed gentis suæ timore perterritus, ad hanc peruenire non meruit. Interim oborta ægritudine, cùm ad extrema perductus esset; Leandro Episcopo, quem priùs vehementer afflixerat, * Richardum Regem, filium suum, quem in sua hæresi reliquerat, cōmendare curauit, vt in ipso quoque talia faceret qualia & in fratre suis exhortationibus fecisset: eaque commendatione expleta, defunctus est. Post cuius mortē Richardus Rex non patrē perfidum, sed fratrem martyrem, sequens, ab Arrianæ hæreseos prauitate sincerè conuersus est. Sed & totam quoque Vvisigotthorum gentem ita ad veram perduxit fidem, vt nullum in suo regno militare permitteret, qui regni Dei hostis per hæreticam prauitatē non timeret. Nec mirum quòd veræ fidei prædicator factus est, qui frater est martyris cuius hunc quoque merita adiuuant, vt ad omnipotentis Dei gremiū tam multos reducat. Qua in re considerandum nobis est, quia totum hoc agi nequaquam posset, si Ermigildus Rex pro veritate mortuus non fuisset. Nam sicut scriptum est: Nisi granū frumenti cadens in terrā mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert, hocque fieri videmus in membris, quod factum scimus in capite.

Pœnitet impius pater, sed nō ad salutē.

** Ricchareedum.*

Conuertitur tota gēs Vuisigotthorum.

Ioan. 12.

Nota quid præstēt persecutiones seu martyria.

VITA S. HEMEREGILDI, EX IOANNE *Maldonato Hispano.*

XIII. APRILIS.

S. Hemeregeldi genus & educatio.

HEMEREGILDVS, filius Lenogildi regis Gothorum in Hispania, suasu monitúq; Leādri Hispalēsis Episcopi, relicta

relicta Arianorum impietate, catholicam tenuit veritatem, catholicóque ritu baptizatus est. Quod Lenogildus pater intelliges, precibus ac pollicitationibus est conatus, ad hæresim filium reducere. Sed Hemeregildus intrepidus ac constans, non deserturũ asseruit, catholicã, quam à Leandro didicerat veritatem. Pater filij detestatus peruicaciã, abdicat, in vinculáq; conicit arctissima. Hemeregildus nihil non pro Christo libenter tulit, nec magni quidem putauit pro æternis temporalia commutare. Paschalis dies aderat, & pater tentabundus, Episcopum quendam Arianum ad filium in carcerem misit, qui eucharistiam porrigeret. Ille respuit, nec ab Ariano voluit accipere: quin episcopum ipsum hæreseos redarguit, æternóque supplicio deuouit. Excanduit rex auditis his, & missis extemplo apparitoribus, iubet, filium morte damnatum crudelissimè necari, dissectóque cerebro seuerissimè trucidari. Quod regius athleta tam tulit fortiter quàm piè, & per martyrium ad cœlos euolauit. Pœnituit tamen posteà Lenogildum perpetrati parricidij: Recaredúmque filium ac successorem Leandro moriens commendauit. Quem Leander instituit, & catholicum fecit. Quo quidem sub rege Arianorum hæresis penitus extirpata est.

* Satellitibus: siue ministris regũ & magistratuum.

VITA SS. TIBVRTII ET VALERIANI, *ex Ioanne Maldonato Hispano.*

XIIII. APRILIS.

TIBVRTIVS & Valerianus, à diua Cæcilia sponsa Valeriani, multis interuenientibus miraculis, ad Christum conuersi sunt: Quippe Valeriano identidem angelus obuersatus, sponsæ dicta confirmauit, quæ angelum habere dictitauerat amatorem. Itaque baptizati ab Vrbano pontifice, probéque instructi, corpora sanctorum, quæ præfectus vrbis Almachius passim laniabat, sepulturæ tradere studebant. Tantis tamẽ demum ab Almachio, multísque verberibus ac verbis castigati, quòd vilibus homuncionibus sua traderent, quòd damnatorum corpora sepelirent, illorum se, dixerunt, seruos fieri cupere, quos ille damnatos appellabat. Admonet tum amicè Valerianum Almachius, remoto Tyburtio, vt sacrificet, ne vitæ careat voluptatibus: ille Christo se vero Deo sacrificare, non autem Ioui homicidiis adulteriísque sordidato, satis audacitet est professus. Quare fustibus cæsus est, & capite simul cum fra-

SS Tiburtij & Valeriani ad Christum conuersio.

ræ, ni Iouis ad aram mox sacrificarent, damnatus. Ad aram Iouis tracti, cùm nec thura dare, nec genua flectere vellent, securi sunt ambo percussi. Eorum animas cùm Maximus deieraret, se correptas ab angelis in cœlum videre, deferri; multi ex carnificibus crediderunt. Erat Maximus, cuius fuerant custodiæ Tyburtius & Valerianus commissi, qui doctus ab eis ac in fide præstructus, cùm in eorum vltimo supplicio carnifices in libertatem Christianam asseruisset, cũ nouis Athletis * plumbatis ad mortem cæsus est.

Plumbatæ filæ sunt plũbea, ex quibus fiebat sæuissimũ flagellu.

VITA V. LYDVVIDÆ VIRGINIS HOLlandicæ, ex ea quæ est per Fratrem Ioannem Brugmannum, Franciscanum.

XIIII. APRILIS.

LYDVVIDA virgo, quæ in Comitatu Hollandiæ in oppido Schiedamensi traxit originem è domo valde religiosa, patrem habuit Petrum, matrem Petronillam, labore manuum suarum victum sibi comparantes. Petri parens Ioannes, vir fuit vitæ laudabilis; qui viduus corpus attenuauit inedia, biduanis ac triduanis ieiunijs hebdomadatim illud afficiens, eique effœto non nisi panem & aquam præbens. Confitebatur semper peccata sua Sabbathi die, & sacrosanctam Eucharistiam decimo quinto quoque die percipiebat. Cuius filius Petrus, ex sua vxore Petronilla nouem proles sustulit, mares octo; feminam vnam * Lydvvidam, quod potest Latinè dici Latæ patientiæ: reuera enim, vt sequens docebit historia, tanta & tam multa perpessa est hæc sacra virgo. Ea cùm septennis esset, missa crebrò à matre vt fratribus ientaculum aut quidpiam eiusmodi adferret, clàm ibat in templum, & sublatis in cœlum manibus coram memoranda illa, quæ Schiedami est, sacratissimæ Virginis imagine, ab intimo pectore ardentem promebat precatiunculam. Accedente verò inde ætate, hortabantur eam mundo dediti homines, vt viro nuberet. Erat enim formosa corpore, in tractandis quoque rebus domesticis, tametsi duodecim annos nata dumtaxat, sanè perita & exercitata. Inde verò fiebat, vt etiam opulenti & honesti viri eam sibi à patre coniugem expeterent. At illa constanter simul & verecundè: Nullus, inquit, vti confido, me mortalium eò allicere poterit, vt sponte nubam. Quod si vi coacta fuero, rogabo Dominum

V. Lydvvida religiosissimi parentes.

** Lydvvid ita Mel.*

Suffuratur horas, vt oret coram imagine D: para.

Magno animo spernit nuptias.

mihum, vt ea me corporis deformitate afficiat, quæ omnium animos facilè à me auertat. Sed nec inane fuit desiderium.

Etenim annos nata plus minus quindecim, ex diuturno morbo admodum deformis effecta est, sed & non multo pòst in glaciei fragmenta casu prostratæ costa vna corporis frangitur. Accersuntur vndequaque medici prece & pretio. In pectore, & sub costis innumeræ exstebant perpessiones, accedebat durissimum apostema: iudicio medicorum fiebant semper posteriora deteriora prioribus: absumebantur exiguæ parentũ facultates, tandem & de vita puellæ desperabatur. Consolabatur filiam grandæuus pater, vt potuit; cùm ipsa tandem immodico victa cruciatu, sui penè impos, è lectulo se deiecit in sinum patris. Inde diruptum apostema est. Porrò humor noxius apostematis, per corporis membra se diffundens, diuersas attulit virgini ægritudines molestas valde. Computrescebant apostemati vicina membra, marcescebant propinqua corporis intestina, vermes horridissimi è corpore emergebant tribus locis. Erant foramina illa magnitudine fundi scutellæ communis. Vermes autem inde erumpebant quandoque centum, nonnunquam ducenti, vt plurimum, amplius centum quotidie, quorum adspectus sanè horrendus, crassities instar extremæ partis fusi vsitatioris, longitudo qualis est articuli in digitis. Deinde & dextrum brachium ignis, quem sacrum vocant, vsque ad ossa consumpsit. Caput etiam eius dolorum aculeis & malleolis compungebatur, frontem fissura longa & lata atque flexuosa deformabat. Mentum quoque ad labrum vsque fissum erat, & concreto sanguine tumidum, ita vt non rarò liberè eloqui non posset. Oculus alter penitus cæcatus erat, alter lumen naturale, sine effusione sanguinis, nouoque cruciatu ferre non potuit.

Frangitur ei vna corporis sui costa.

Patitur immensos dolores.

Erumpunt è corpore eius horrendi vermes.

Vomebat rubrã aquam tanta copia, vt plerunque mẽse vno vas inde impleri posset, quod à duobus viris portaretur. Pulmonis quoque & hepatis reijciebat particulas. Quin & calculo instar columbini oui magno dirissimè afflictabatur, ita vt sæpissimè & sensu & loquela destitueretur. Et ne singulis immorer, non erat vllum in corpore membrum, quod inauditis non esset doloribus obnoxium. Et primis quidẽ annis quatuor afflictionis suæ, secundùm exteriorem hominem, patiebatur vtcunque inuita, & erat ei molestum quicquid cerneret. Erat autem tum quidã vir Dei Ioannes Pot: qui, tanquam à Deo missus, cœpit eam hortari ad patientiam, cõmemorare

Inter alias multas miserias patitur & calculum instar columbini.

 quo

quoque ei Christi passionem, idque semel atque iterum. Qui idē cùm tertiò ad eam venisset, afferens sacrosanctam Eucharistiam, vt solet ad ægrotos, eam sic est allocutus: Hactenus, inquiens, ego te incitare conatus sum ad commemorandam passionem Domini tui: iam verò ecce ille ipse tibi loquitur. Quòd si fortiter & constanter ei obtemperaueris, erit merces tua magna nimis. Vix ille verba finierat, & in tantas virgo prorupit lacrymas, vt diebus quindecim vix eas potuerit cohibere. Ab eo autem die, crescente morbo, confirmabatur spiritu, passionem Christi in septem distinguens partes, nec vllum temporis punctum sine eius commemoratione abscedere patiens. Atque interea peruenit ad Margaretam Hollandiæ Comitissam fama patientiæ eius: quæ & medico suo accito, properauit ad eam. Accedit medicus Godefridus: arte sua, quàm potest reuerenter, extrahit è corpore intestina eius: marcida ponit seorsum, saniora reseruat, comperitque è spina dorsi emergere vermes quos diximus.

Allata ad eā V. Eucharistia, subitò mirabiliter compungitur ad tolerandū omnia patienter.

Inuisit eam Margareta Comitissa Hollandiæ.

SED & permulti inde moti sunt, etiam in locis longinquis, vt eam inuiserent, inter quos venit etiam herbarius quidam peritissimus, qui se putabat aquis distillatis aliquid effecturum in illa. Sed cùm ingenti studio vnum fortè vulnus curaret, mox turgente hydropisi in parte illa, fiebant postrema deteriora prioribus. Virgo autem patientissima, licet sciret à Domino fieri quæ patiebatur, ne tamen sibi præfidere, aut Dominum tentare videretur, omnia tacita perferebat. Atque hoc sanè admiratione dignissimum est, quòd Lydvvidia ampliùs triginta annis, non tantum comedit panis, quantum viro sano ad vitā sustentandam, triduo sufficeret; nec plus dormiuit, quàm satis esset homini incolumi trium noctium spatio. Ad hæc & toto illo tempore, quo viscera eius cōputruerunt, & vermes eruperunt, nullus tamen ex ijs fœtor exstitit: Totidem quoque annis terram non attigit pedibus suis. In ipsis ægrotationis eius primis annis, interdum sumebat valde exiguum pomi fragmentum. Quòd si nonnunquam buccellam panis cum paruissimo lactis aut cereuisiæ liquore deglutire vellet, fiebat id non sine multo dolore. Postea verò illo qualicunque relicto alimento, parum cinnamomi, aut è dactylo, idque rarissimè, capiebat. Ac tandem omni cibo abstinens, tota hebdomada perexiguum sumebat vini diluti, admixto saccharo. At verò interea mater eius Petronilla migrat ad Dominum. Cui anxiè roganti, cùm promisisset Lydvvida spiritualia sua se ei apud Dominum

Item multi alij.

Nota aliquid verè mirum de eius cibo & somno.

Manet sine cibo per integras hebdomadas.

num impertituram;tanquam priùs egena meritorum, cingulum tunc quoddam crassum & hispidum, ex equorum pilis cõfectum, sibi comparat, eóque vsque ad mortem marcidum corpusculum stringit.

PRAETEREA autem visibiliter quoque cum Angelo suo loqui consueuit, eiusque frui consortio & obsequijs. Priuabatur autem nonnunquam eiusmodi apparitionibus, propter hominum aduentantium frequentiam. Itaque & si quid pulueris ex mundanorum hominum colloquijs contraxisset, ilico confessione detergebat, confessarium habens Dominum Ioannem VValteri, virum bonum, & verè Israëlitam. Habebat autem hæc virgo sancta virgam quandam, qua solebat, æstu aut febre ipsam infestante, vel attrahere vel amouere cortinam ad lectulum eius pendentem. Porrò cùm Schiedamum aliquando incendium vastaret, multi ex vicinis Lydvvidam exportare volebant, quod tamen ipsa ad extremum prohibuit, sicque stipula illa perijt. Accedit interea sæuissima febris; extendit virgo suo more manum ad virgam, sed eam abesse comperit. Tum verò præ nimijs doloribus lacrymari cœpit, maximè quòd nemo adesset qui ipsam adiuuaret. Sed statim adfuit Angelus eius, lignum quoddam adferens, eiusque corpori transversum imponens. Nullus autem nouerat genus eius ligni, mirum spirantis odorem. Erat verò (vt & Angelus ei dixerat) contra dæmones flagellum & supplicium: quod non auditione dumtaxat ego accepi, sed etiam oculis meis intuitus sum. Et ipsa quidem, vt dictum est, nulla corporis alimonia indigebat, sed tamen propter deuotionem eorum, qui Deum in illa venerabantur, retinebat eleemosynas oblatas, noscens scilicet pauperum nomina, & habitacula. Et ecce etiam rem miram.

Fruitur consolatione Angelica.

Conflagrat Schiedamum.

Adfertur ad eam diuinitus lignum quoddam admodũ efficax contra dæmones.

CONTIGIT aliquando, vt cum vicinis diuidendæ vaccæ quarta pars ei cederet, ad alendos pauperes. Ex qua cùm ministræ eius quandam portionem cum pisis coxissent, & triginta domibus inde ad saturitatem distribuissent, quædam ait Lydvvidæ: En, quemadmodum iussisti, triginta pauperum domibus de carnibus & pisis tuis ad satietatem dedimus, & tamen nihil in olla diminutum videtur. At euestigio illa respondit: Non pro meis meritis, sed pro sua bonitate id fecit Deus. An non ille dixit: Date, & dabitur vobis? Plerique autem ægri confluebant ad eam pro consilio recuperandę valetudinis obtinendo: quos illa sæpe in vtroque homine curauit, pijs exhortationibus eos inducens ad resipiscentiam, & Christi virtute à corpori

Diuinitus augetur id quod datur pauperibus.

Est adhuc in originali, et ã de crumena sua.

Lucæ 6.

poribus ægritudines quoque depellens. Confluebant autem etiam ad eam ex omni parte multi monasticæ vitæ cultores, tentationibus & angustijs afflicti, permulti quoque nobilissimi vtriusque sexus homines. Sæpéque ei diuinitus reuelabatur, si quis vreretur, si quis scandalizaretur, si quis contristaretur, aut alijs laboraret modis. Ipsa verò orabat precibus, obsecrabat gemitibus, cogebat lacrymis Deum: inuitabat promissis, instituebat doctrinis, terrebat minis proximos. Certè tota vita eius in Christi rebus gestis versabatur, ijs meditandis trahebat ardentissima ab imo pectore suspiria, & ab oculis lacrymarum fundebat imbres, ijsque deficientibus guttas sanguineas.

Passim celebratur ab omnibus vt sancta.

CAETERVM Dominici Corporis Sacramentum ardenti desiderio sumebat, & quidem in tantum, maximè tandem, vt si die vno carere illo cogeretur, is dies sæpissimè ei anni vnius spatium æquare videretur. Et quidem Pastor ecclesiæ, qui eo tempore fuit, cùm illa medium tempus ageret inualetudinis suæ, vt erat literatus quidem, sed in ijs quæ spiritus sunt, planè imperitus, Dæmone agente, ineffabiles ea in re molestias virgini attulit. Sed respondit pro Virgine sua Christus. Etenim (ô rem stupendam!) anno dolorum suorum decimo septimo, in medio immensi luminis, virginis corpusculo quinque vulnerum suorum signa luculenter impressit, atque insuper signum præsentiæ suæ apud eam reliquit, hostiam sanguineis adspersam guttis (quam, antequam virgo de manibus Sacerdotis sumeret, permulti viderunt, idque iureiurando confirmarunt.) Quin etiam, quia idem pastor hoc commentum dicebat esse diaboli, accito propterea Schiedamum Matthia Episcopo Suffraganeo Traiectensi, alijsque non paucis Prælatis, palàm inde confunditur, &, ne puniretur, solius virginis precibus apud Episcopum obtinuit. Et quidem modis omnibus celata illa cupiebat vulnera illata; attamen, vbi Domino secus visum est, celare ea non potuit. Denique possent & illa narrari, quàm crebrò illa adfuerit spiritu in partu laborantibus, alijsque afflictis & ægris; sed non fert præscripta operis ratio. Ac demum decessit virgo sanctissima anno salutis millesimo quadringentesimo tricesimo tertio, 18. Calendas Maij, sub Burgundiæ & Hollandiæ Principe Philippo, ætatis anno quinquagesimo tertio, ægritudinum trigesimo octauo.

Ardentissime flagrat erga Sacramentum Eucharistiæ.

En præclarissimam præsentiam corporis Domini.

Portat stigmata Domini Iesu.

Decessit feliciter.

VITA

VITA S. PATERNI EPISCOPI

Abrincensis, in Britannia minori, ex ea qua est apud R. P. Laur. Surium.

XVI. APRILIS.

ORTVS est beatissimus Paternus apud Pictauos Aquitaniæ oppido, & quidem ex parentibus generis nobilitate, atque etiam publica administratione conspicuis. Sed vicit ipse natalium splendorem vitæ & morum claritudine. In tenera ætate cælesti inspiratione permotus, religiosæ vitæ frenos sibi sponte iniecit in monasterio Enixionensi, habitu monastico suscepto. Vbi non multo pòst ab Abbate ad Cellarij dispensationem adhibitus, in illo primo suæ promotionis gradu, non obscura de se indicia dedit. In ipsa autem adolescentia, ad subliimiora sanctæ vitæ studia adspirans, cùm non fideret sibiipsi propter ætatis teneritudinem, cum Scribilione, eiusdem loci monacho, priùs communicato cõsilio, pro Christi amore, relictis parentibus, in pago Constantino, vnà cum illo, libenter constituit peregrinus degere. Itaque nihil, præter Psalterium, secum accipiẽtes, eò profecti sunt. Et quidem sanctus Scribilio, licet ætate maior esset, tamen videns beatum Paternum meritis venerabilem, vt illum sibi æquaret, pallium suum diuisit, eique partem dimidiam dedit. Ambobus verò, propter captandam solitudinem, insulam quandam adire cupientibus, vir quidã nobilis & religiosus, Deoque dilectus, detinuit eos apud se, donec ciuibus suis illorum aduentum indicaret, simulque rogauit illos, vt in fanum Sciscincum se reciperent, suisque precibus homines ethnicismi erroribus implicatos, à dæmonum cultu reuocarent.

S. Paterni genus.

Degit in monasterio Enixionensi.

Venit ad fanum Sciscincum.

VBI dum illi circa montis sinum in cauernam quandam ingressi essent, iamque populus exsecrabili ductus consuetudine, in illo fano debaccharetur, sancti viri admonebant miseros, ne falsos deos colendo, se æternùm perderent, aiebantque scilicet, multo rectiùs facturos, si per Dei gratiam renati, suum colerent conditorem. Quibus auditis, homines insani, reuerendos viros irreuerenter contẽnunt, rituque suo cœptum cultum pertinaciter prosequuntur. At sancti viri, tum sanctæ Crucis signo, tum fidei feruore armati accedunt ad vasa in quibus illi miseri pulmenta coquebant, suisque ea scipionibus euerrunt. Ecce autem nutu diuino, timore corripiuntur, qui sanctos viros facilè etiam trucidare potuissent, atque ita ad

Fortiter prædicat contra idololatras.

suum

suum locum ambo reuertuntur, vbi & tangente Paterno humum baculo, fons erupit. At verò intereà fama crebrescente, vir venerabilis Generosus Abbas eorum, post triennij spatia, abiit ad requirendos monachos suos, tam benè fugitiuos, quippe qui ad Christum aufugerant. Qui, vbi ad illos peruenit, didicit Paternum, arduum sanè vitæ institutum sequi, præter panem & aquam vel olera sale conspersa, nihil alimentorum admittere, & non fœminarum duntaxat, sed etiam virorum adspectus declinare, vt solicitè opperiretur visitationes Angelicas.

Viuit in maxima austeritate.

Tum præterea cognouit cùm nullo vnquam cubare in lectulo, nulla lecti operimenta requirere, nunquam ad plumas vel caput reclinare, ea veste, qua interdiu vteretur etiam noctu contentum esse, pro molli lana asperum vsurpare cilicium vt nec ipsa quidem nocturna quies corpori sine molestia abiret. Quibus consideratis, vt aduertit abbas eum monastici canonis metas, tanquam equum impatientem, immodico feruore excedere, imposito quodam freni retinaculo, ad moderata eùm ieiunia reuocauit, simulque iussit, ne tam arctæ se dederet solitudini, nec virorum adspectum & colloquia recusaret, tum etiam cellulas inuiseret. Simul etiam apud Leucianum Episcopum & ciues, præclarum ei reddidit testimonium, bonis & honestis parentibus eum esse editum. Post quæ valefaciens Paterno, Scribilionem secum ad monasterium reduxit: cui tamen non multò pòst iterum copiam fecit ad Paternum sese recipiendi. Porrò Leucianus Episcopus, Paternum primò Diaconum, inde etiam Presbyterum ordinauit. Vnde & tantus Sciſciaci, ex eius & Scribilionis laboribus, gratię fructus excreuit, dum illic cælestis verbi semina spargerent, vt fanum prophani cultus in porcorum stabula redactum sit, Spelunca autem illa in quam viri illi ęgregij se abdiderant, tam suaues ex se diffuderit virtutum odores vt permulta ex Paterno prodierint monachorum examina, non paucis apud Constantienses, Baiocenses, Cenomanos Abrincenses, Rhedones in Britannia minori, ab illo fundatis monasteriis.

Imponit Abbas eius feruori certũ modum.

Ordinatur Diaconus, ac deinde etiam Presbyter.

Plura fundat in locis vicinis monasteria.

Claruit autem eius eximia fides multis argumentis, nec non & sacratam vitam multa miraculorum signa declararunt. Quod vbi fama longè làtèque diuulgauit, multa Childeberti Regis prece compulsus, ei Parisiis vehiculo operto inclusus occurrit. Quem cùm maligni spiritus Parisios aduentare senserunt, ex obsessis corporibus mox aufugerunt, & qui

Febre

febre erant vexati, incolumes quoque euasere, necnon & cùm vir Dei pro pauperibus regias aures appellaret, inclytus Rex Childebertus Crescentio, ad quem publica cura spectabat, mandauit, vt quod B. Paternus ab ipso exigeret, id exsequi ne omitteret. Iam septuagesimum ætatis agebat annum B. Paternus, & abbatis officio fungebatur, cùm ecce Scisciaci in cellula, quam primò exstruxerat, quiescenti quadam nocte, visus est locus ille mira claritate perfusus. Simul autem visi sunt ad eum ingredi sancti Episcopi Melanius, Leucianus, & Beor, qui ad Dominum migrauerant, ipsumque ordinare Antistitem, qua ille visione etiam obstupuit. Sed & tacitam apud se habere volens, tamen occultare non potuit, quam postea ipse rei euentus ad omnium notitiam perduxit. Nam non multum intercessit temporis, cùm decedenti Abricensi Episcopo, ad regis & populi preces, ipse successit. Nec enim recusare potuit, quod secreta Domini dispensatione sibi imponendum iam antè præuiderat.

Impetrat à Rege Childeberto quicquid vult.

Fit Episcopus Abrincensis.

QVOD honoris vbi adeptus est, profectò talem se præbuit, tam in veterum Ecclesiarum instauratione, tum in nouarum ædificatione, domorum etiam reparatione & pauperum procuratione, vt esset in singulis admirabilis, & in omnibus singularis. At verò tertiumdecimum annum in Abrincensi Pontificatu iam agens vir sanctus, altero Paschatis die, cùm fratres Scisciaci inuitare cuperet, in morbum incidit, itémque sanctus Scribilio apud Mandanenses. Mittunt autem vtrinque nuncios, mutuoque sibi significant, vt, priusquam migrent ex hac vita mutuo conspectu fruantur. Nuncij in ipso itinere sibi fiunt obuiam: quin & eadem omnino hora beatus Paternus, & frater eius Scribilio reuerendus Præpositus, nobili triumpho, comitibus Angelicis spiritibus, animas suas è terris ad cælestia regna cum Christo æternum victuras trãsmiserunt. Vbi etiam cùm Paterni exsequia celebraret Lauto Episcopus, qui ante dies octo eius inuisendi causa eò venerat, eiusque sacrum corpus ad basilicam deportaret, itemque Lauscius Episcopus Sanctum Scribilionem ad basilicam candem adduceret: ambo Pontifices, concinente psallentium choro, præter omnem exspectationem sibi inuicem occurrerunt, pariterque in eodem loco conuenerunt, & viri sanctissimi, quorum funera illi Antistites curabant, felici transitu locũ orationis, quem ipsi exstruxerant, eodem die simul occuparunt, & qui se in vita dilexerant nec in morte sunt separati.

Moritur eadẽ hora qua & socius eius Scribilio.

Item sepeliuntur etiam in eodem loco.

VITA

VITA S. TVRIBII EPISCOPI ASTORICENSIS. ex Ioan. Maldonato Hispano.

XVI. APRILIS.

S. Turibij virtutes commendantur.

TVRIBIVS natione Hispanus, Gallecię prouincię indigena, Astoricensis episcopus fuit. Cultor quidem Dei, contemptor sui, pietatis amator, Christianæ veritatis assertor, idololatriæ subuersor, hæreticorum acerrimus impugnator. Priscillianorum præsertim hæresim, quæ tum temporis in Hispania velut contagium serpendo, plerosque populos infecerat: & quorundam (quod magis dolendum videbatur) corda sacerdotum, qui ecclesiis præerant, inuaserat, pro virili extirpauit. Floruit hic Pontifex pius quo tempore Leo Romanæ præsidebat Ecclesiæ. Nam ad diuersarum Episcopos prouinciarum Leo epistolas mittens, huic pio Turibio eiusmodi epistolam destinauit. *Leo Episcopus Turibio Astoricensi Episcopo.*

Leonis epistola ad S. Turibium.

Quam laudabiliter pro catholicæ fidei veritate mouearis, & quàm sollicitè Dominico gregi deuotionem pastoralis officii impendas: tradita nobis per diaconum tuum fraternitatis tuæ scripta demonstrant. Nam vt epistolæ sermo, & libelli tui textus eloquitur: Priscillianistarum apud vos fœtidissimam recaluisse hæresim sensi. Nihil enim est sordium in quorumcumque sensibus impiorum, quod non in hoc dogma confluxerit: quoniam de omnium terrenarum opinionum luto multiplicem sibi fœculentiam miscuerunt: vt soli totum biberent quidquid alii ex parte gustassent. Denique vniuersæ hæreses, quæ ante Prisciliani tempus exortæ sunt retractentur: nullus penè inuenietur error de quo non traxerit impietas ista contagium. &c. Itaque diuus Turibius voluntati diuinę semper obsequens, mundi oblectamenta contemnens, cùm pietatis opera multa peregisset, obdormiuit in Domino.

VITA S. VRSMARI EPISCOPI BELGÆ ex Rhaterio, insertis nonnullis ex D. Ioanne Molano.

XVIII. APRILIS.

BEATVS Vrsmarus pago Theoracensi & villa Fleon oriundus, in finibus Hannoniæ, prope Auesnas, à Domino est electus per prædestinationem, priusquam seculo daretur per originem. Grauidæ namque matri eius apparuit quidam venerandus senex puerulum ei dans, necnon & ad eundem

nutrien

nutriendum panem porrigens valde candidum. Editus puer, Vrſmarus eſt vocatus, adultuſque Doctoribus traditur ſacrarum Scripturarum, qui imbuerunt eum ſacris literis, diuinaque lege, & quidem non mediocriter ſed perfectè, nec ſeculariter, ſed monaſticè atque regulariter. Erat amabilis cunctis, longanimitate perfectus, eleemoſynis largus, abſtinentia parcus, humilitate inſignis, charitate repletus. A Pipino ſanè Duce accerſitus, Laubacum monaſterium regendum ſuſcepit. Et ad Barbaricæ gentis conuerſionem Epiſcopus conſecratus, multos ad fidem Chriſti conuertit in partibus Galliæ, in Fania videlicet & Theoracia, multaſque conſtruxit eccleſias. Inde autem ad prædicandum Flandriæ ſe contulit verſus Menapum fines, qui adhuc detinebantur ritu gentis vanis ſuperſtitionibus, qui etiam eius miraculis, & prædicatione aſſidua, ad fidem conuerſi, magna ex parte eum prædiorum hæredem ſtatuunt & eam quæ eſt Lobiis Eccleſiam Chriſti. Quin etiam ipſe Prouinciæ Dominus Aldo donauit de ſuo vocabulo dictum *Aldenburhc* vicum, in quo & in honorē beati Petri eccleſiam conſecrauit, quatenus beatus Apoſtolus Flandrenſibus & Menapibus patrocinaretur.

S. Vrſmari parentes, & mira natiuitas.

Accipit regē dum monaſterium Lauba cum, atque etiam ordinatur Epiſcopus ad conuerſionem infidelium.

SIQVIDEM vir Dei Vrſmarus paſtoralem cathedram adeptus, tanta Domini ſublimatus eſt gratia, vt penè omnes ſui temporis anteiret, ſeculumque habitans, nihil in ſe ſeculi haberet, Scripturarum Doctor, monaſteriorum conſtructor, prouiſor Eccleſiarum, cuſtos animarum, nutritor orphanorū, defenſor viduarum, redemptor captiuorum. Nos verò idonei non ſumus enarrare vel ſcribere omnes quas in ſeculo pertulit paſſiones, præſertim cùm nouem annis & decem hebdomadibus abſque alimonia vixerit panis, ſimul autem cibus ipſe quem ſumebat, tam tenuis & modicus erat, vt eo ſuſtentari nemo poſſet mortalium, niſi miraculo, vt ipſe, diuino. Omnes autem qui eum cernebant, aut audiebant loquentem, mirabantur quòd tam robuſtus eſſet & eloquens, abſque alimonia panis viuens. Aqua enim eius erat potus & aliquoties ſicera, qua tamen paululum raroque vtebatur: victus autem quem abſque officio dentium ſumere poſſet. Sed & tanta quoque eius erat patientia in huiuſmodi atque aliis tribulationibus, vt poſſet comparari patientiæ Iob beatiſſimi, qui non peccauit labiis ſuis, nec ſtultū quid contra Deum locutus eſt. Laudem verò è contra Domini concinebat, atque ſecundùm Prophetam, benedicebat Dominum in omni tempore, ea quæ

Eius virtutes.

Per nouē annos nō veſcitur pane.

Iob 1.

Pſal. 33.

quæ prædicabat ore, adstruens etiam actione.

DENIQVE post multorum conuersionem, multaque miracula, cernens paulatim sibi vires corporis minui, suæque diem vocationis imminere, curam cœpit non paruam gerere, ne grex sibi commissus relinqueretur sine pastore. Itaque annuente Deo, optantibus cunctis, S. Erminus ab eo eligitur, vir omni bonitate repletus, atque magistro moribus adæquādus. Quem deinde benignus Pater vt filium charissimum monuit amabiliter, quatenus gregem sibi cōmissum solicitè pasceret, necnon & moribus & verbis secum ad æthera transferre satageret. Quod ipsum agendum sicut suscepit molestè, ita, Deo cooperante strenuè peregit, inchoauit humiliter, sed perseuerauit feliciter. Nec multa mora. Bonus gregis pastor Vrsmarus, moribus & annis maturus, digna suscepturus meritorum præmia, cælestia inuitatur ad regna, precibus charissimorum, quos in Christo nutrierat, filiorum, suum fideli Creatori commendans spiritum, ipsis præsentibus, exsultans in Domino, quartodecimo Calendas Maij, anno septingentesimo decimo tertio. Cuius corpus à discipulis religiosè compositum, cultu est honorifico tumulatum in cacumine montis, cuius radicibus iam exstructum adiacet monasterium, oratorio in honore sanctæ Dei genitricis exstructo. Est autem Lobium, seu Laubium, siue Laubatus in patria Leodiensi, sed diœcesi Cameracensi. Vnde cum septem alijs Sanctorum corporibus, & cum Canonicorum collegio translatus est sanctus Vrsmarus anno millesimo quadringentesimo nono Binchium Hannoniæ oppidum, quod duobus milliaribus inde distat. Eleuatio autem dicti Episcopi, & Flandrensium, Menapiensium, atque Theoraciæ Apostoli, facta est per Fulradum Abbatem, iussu & permissu Cameracensis Episcopi, anno octingentesimo tertio.

Constituitur ipsi iam senis successor S. Erminus.

Migrat ad Dominum.

Transfertur eius sacrum corpus Binchium.

VITA S. ELPHEGI ARCHIEPISCOPI
Cantuariensis, ex Osberno eiusdem ecclesiæ Monacho.

XIX. APRILIS.

PRINCIPIVM nascendi à splendidissimis natalibus trahens Elphegus, magna prudentia & humilitate vitam instituit. Scilicet tactus maiestatis spiritu, in monasterio Derhirst primùm religionis habitum suscepit: vbi etiam cœpit mox cunctorum famulatui subiacere, Deum infatigabiliter

S. Elphegi genus, & educatio.

liter diligere, ieiuniis & vigiliis vacare. Quin & transactis aliquot annis, etiam singulare cum hoste certamen inijt. Egressus enim de monasterio, peruenit ad locum Bathonia vocatum, vbi habitaculum construens, se inclusit, & rigore incredibili corpus suum ieiuniis & abstinentia afflixit. Confluebant autem ad eum in breui nobiles quique, suarum ei vulnera animarum detegentes, & consilium salutis ab eo perquirentes. Vnde factum est, vt non parua monachorum turba intra tempus exiguum ibidem congregata sit. Quibus cùm amplissimam mansione perfectam sobrietatis legem indixisset, ipse in angusta domuncula se inclusit, sic tamen vt summas causas & negotia ad eum fratres referrent. Et quidem interea nonnulli monachorum, professionis immemores, laxatis obedientiæ frenis, mediis noctibus ebrietati operam dare, & prorsus quæ inhonesta sunt, quantum latens audacia sinebat, operari cœperunt. Verùm cùm fratrem quendam horrendi adspectus, quidam visi essent taureis atque ignitis serpentibus flagellasse, nec non & ad extremum animam de corpore excussisse, videntes hoc fratres, errorem suum falsi sunt, & pœnitentiam agentes, vitam in melius commutarunt.

Inclusus demum plurimos tamẽ ad se attrahit.

Nota de puniti dissolutis monachis.

ATQVE interim mortuo VVintoniensi Episcopo Ethelvvoldo, facta est non modica contẽtio pro Pontificis electione inter monachos & clericos. Siquidem clericos eiusdem ecclesiæ sceleratam vitam agentes, regali sanctione decretum fuit expelli, & timentes Dominum monachos admitti. Ex quo factum est, vt in electione Episcopi, clerici clericum, monachi monachum, vtrique suæ voluntatis fautorem vellent. Quod videns S. Dunstanus, ad orationis refugium se contulit: cui deinde apparuit B. Andreas Apostolus, tali oraculo vsus: Surge, inquiens, & Elphego Abbati manum impone, & Episcopum desolatæ Ecclesiæ constitue. Sicque releuatus Dunstanus Elphegum, vt iussus fuerat, Episcopum consecrauit, & ad sedem suam cum honore remisit. Certè Elphegus ita se omniũ moribus conformauit, vt omnibus charus esset. Summæ in omnes extitit misericordiæ, interim in seipsum immitis & crudelis. In hiemali enim frigore & glacie, cùm somnus nocte omnes occuparet, ipse clàm, nudis pedibus, sola tunica indutus, de strato surgere, foras exire, & vsque ad auroram orationibus vacare consueuit. Sed & cùm pransurus ad mensam intraret, tam vacuus ferè à mensa surrexit quàm accessit: vnde corpus illius tanta attenuatum est macie, vt cùm manus

Iubetur in visione constitui Episcopus VVintoniensis.

Z cum

Nota miram maxime pra abstinentia. cum Sacramento tersas in altum porrigeret, per medias palmarum iuncturas claritas aëris velut perspici posset.

OMNI generi hominum suum sciuit contemperare sermonem & animum. Nullum parochianorum suorum publicè mendicare permisit, nec alterius loci pauperem abire vacuum. Vbi illa defecerunt, quæ ex iure Ecclesiæ ministerio pauperum competere potuissent, thesauros ecclesiæ, quos ipse multiplices parauerat, iubet distribui, docens, ornatissima quæque ecclesias possidere tempore felicitatis, vt sint honestati; sed tempore necessitatis, vt sint vtilitati. *In quem finē sint posita ornamenta ecclesiæ.* Eo tempore, quo B. Dunstanus obitum sibi imminere conspiceret, & Ecclesiam Dei per malorum successionem turbari metueret, solicitis obsecrationibus aures diuinæ misericordiæ pulsat, quatenus Elphegum successorem habere possit. Cui statim exaudito, quod postulat, promittitur; quamuis non statim, quod promissum fuerat, adimpleretur. Quod ea re dilatum fuisse arbitror, vt & omnibus manifestum fieret, quantum Deus Dunstanum diligeret, cui quod viuenti promiserat, hoc defuncto longe post tam veraciter exhibebat; & Elphegum simul illa tempora inuenirent, quæ eum ad martyrij gloriam prouehere possent. Anno itaque Domini millesimo sexto, ab aduentu Angelorum in Britanniam quingentesimo septuagesimo octauo, ætatis suæ quinquagesimo secundo, Elphegus Archiepiscopus Cantuariensis effectus est: qui deinde iter Romam pro pallio habendo arripiens, accepto à Papa pallio, domum prosperè regreditur. *Creatur Archiepiscopus Cantuariensis.*

PER idem tempus Suuanus & Turcullus Danorum Principes nonnullam terræ Anglorum maculam, exigentibus eorum peccatis, intulerant: quorum Suuano terribiliter diuinitus occiso, Turkillus malignæ hæreditatis principatum sortitus, multas Angliæ prouincias cæde & incendio vastabat, Rege Ethelredo monachum potius quam militem præferente, hominibus verò regionis diuitiis corruptis & voluptatibus. *Occupatur Anglia à Danis.* In quo rerum discrimine Elphegus hostes adire solebat, & verbū vitæ eis prædicabat; captiuos dato precio redimebat; & quos fames opprimebat, studiosè alebat. *Prædicat vastatoribus Danis verbū vitæ.* Ad hæc quendam Edricum Rex totius regni præfectum statuerat, hominem humili quidem genere natum, sed cui lingua diuitias ac nobilitatem cōparauerat. Cuius frater primò nobilitati Cantuariorum in præsentia Regis gratuitò maledicens, deinde ea, quæ vnicuique ex hæreditate prouenissent, violenta dominatione inuadens, ab eadem

ab eadem nobilitate interfectus est. Itaque Præfectus palatium ingreditur: iunctis secum decem millibus virorum, fratrem occisum vlcisci conatur. Quin & cùm parum proficeret, Danorum auxilia petit, non ad Cantuaritas solos debellandos, sed ad totius Britanniæ fines inuadendos, regnumque post victoriam æqua sorte diuidendum. Sicque fœdus ineunt, dextras dant & accipiunt, Sacramenta exigunt & porrigunt, Cantuarium vastare primò deliberant.

Parant Dani obsidere Cantuariam.

QVOD audiens Elphegus Episcopus, conuocato populo, ait: Forti animo estote; propter eum qui corpus & animam potest perdere in gehennam, nihil formidate. Obsessa tandem à Danis ciuitate per viginti dies, & quicquid ad vsum vitæ ciues parauerant, exhausto; mittitur à Pōtifice, qui Danis suggerat vt ab incepto desistāt, caueantque, ne diuinæ correptionis flagello, pro filiorum castigatione ad tempus concesso, nimis insolenter abutantur. Sed Dani mādata prætermittētes, turres exstruere, arietibus murum ferire, igneas faces iacere constanter cœperunt. Et ecce, effracta vrbe, exercitus ingreditur. Alij ferro iugulati, alij flammis consumpti, plures à muro præcipites dati; nonnulli per verenda suspensi deficiunt; matronæ capillis per omnes plateas distractæ, ad vltimum flammis iniectæ sunt; paruuli quoque à matrum vberibus auulsi lanceis confodiuntur. Quam suorum depopulationem non ferens Elphegus, inter cuneos hostium se ingerens, exclamauit: Et parcite, inquit, parcite: en me, qui vestræ impietatis crimina libero semper ore castigaui; in me vestra potius ira desæuiat. Mox itaque capitur, & intercepto manibus gutture, vox loquentis præpeditur, vinculis palmæ iniectuntur. Ecclesiam quoque igni comburunt, gregem Domini in ore gladij consumunt, & Episcopum septem mensibus in arcto carcere custodiunt.

Captam vrbē ferro & flāma protenūt.

Captum Episcopum conijciunt in vincula.

INTEREA cœpit ira Dei in homicidam populum desæuire, ita vt paruo temporis interuallo duobus eorum millibus per dirös viscerum cruciatus prostratis, cætera quoque multitudo similiter percussa simile exitium exspectaret. Cōmoniti sunt à fideli populo, vt de peccatis pœniteant, & Pontifici satis faciant. Sed illi differunt, arbitrantes hoc malum à fortuna eis accidisse. Præualuit interim clades super omnem carnem quæ Pontifici mortem inferre nitebatur. Itaque, citato consilio, mox ad Episcopum currunt; & de perpetrato facinore cum lacrymis veniam petunt. Tum verò ad eos Episcopus,

Mirabili clade puniuntur à Deo, donec sanctum virum liberant.

Z 2 Etsi,

Etsi, ait, vestra insatiabilis crudelitas veniam non promeretur; tamen quid nos facere doceat, exemplo Domini edocemur. Afferte ergo panem statim vobis reddendum salutarem. Et ecce, dato omnibus pane à se benedicto, omnes de exitiali liberauit clade. Qui cùm sanitati redditi essent, Principes quatuor Episcopo mittunt: & primò quidem pro immenso beneficio gratias agunt; deinde, si vita & libertate velit potiri, tria millia marcarum vt persoluat, exigunt. Quod cùm ille facere renueret, primò comprehensus à carnificum turba, plagis afficitur maximis: atque insuper cerebro capitis violato, semiuiuus in ergastulo recluditur.

Sanitate accepta, nihilo minus eum in carcere detinent.

VBI accenso quidquid fœtidissimum fumum generaret, cùm carceris ianuas claudunt, transacta noctis parte, cœpit domus æternæ vitæ odoramenta spirare, sed & hymnos etiam mellifluos sanctorum vocibus sonare; inter quos fuit & Dunstanus, vultu & veste gloriosus, eum confortans. Et quidem dixerunt ei impij illi manè facto; Solue aurum, aut mundo hodie eris spectaculum. Sed ille: Aurum vobis diuinæ sapientiæ propono, vt relicta vanitate, quā diligitis, ad vnum viuum & verum Deum studium conuertatis. Quod si consilium Dei per me vobis annunciatum, obstinata mente spreueritis, peiori profectò, quàm Sodoma, morte peribitis. Tunc verò diaboli satellites in illum prosiliunt: auersis securibus deiiciunt, lapidibus eum obruentes. Qui, genua flectens, hanc orationē fudit Deo, dicens: Pastor bone, pastor singularis, filios Ecclesiæ, quos tibi moriens commendo, tuêre. Et ecce accurrens quidā, quē & ipse de sacro fonte susceperat, securim capiti eius infixit. Sicque statim in æterna pace requiescēs, victorem spiritum, cū triumpho, tertio decimo Cal. Maij dirigit ad cęlum, comitantibus innumeris signorum prodigiis, virtute Dei cælitus ostensis. Mox enim salus languidis innouatur, cæci illuminantur, surdi audiunt, muti loquuntur, claudis gressus restituitur. Imò etiam orationis domo super illum fabricata, plerique Danorum magnates, in eadem regenerati, ad fidem Christi conuertuntur. Migrauit verò Elphegus ad Dominum cum martyrij corona anno salutis 1012, Episcopatus sui 7. ætatis 59.

Audiūtur in carcere voces calestes.

Ad extremum vir sanctus miserè ab impijs trucidatur.

Miracula ad eius sacrum corpus.

HISTORIA VVERNHERI PVERI OCCISI

à Iudæis Vesaliæ, anno 1287. ex R.P. Laur. Surio.*

** Treuerica.*

XIX. APRILIS.

VVERNHERVS puer pago Vvammenrato, qui à Baccaraco abest itinere diei vnius, ortus est stirpe rustica, sed cultu Christi nobili. Fuit enim animo simplex, rustico opere victum sibi parans, quantum tenera sinebat ætas pueritiæ, & ex iis, quæ potuit acquirere labore suo, piè etiam aliquid impartiens egenis. Habuit matrem valde deditam pietati, & in bonis studiis sibi fauentem, sed vitricum, tum matrem, tum ipsum persequentem. Cuius ille infestum animum deuitans, fugam iniit: vbi cùm errabundus incederet, fame & siti valde afflictus, incidit in pastores, qui humanitate ducti, panem ei dederunt: quibus ille rursus siti non mediocriter laborantibus, defixo in humum baculo, precibus suis fertur largissimum in Christi nomine fontem elicuisse. Verùm enimuero veniens inde Treuericam Vesaliam, à perfidiosis Iudæis illic commorantibus callidè sæpe ad laborem euocatus est. Ille verò promptum se exhibens puerili simplicitate, iussus est ab illis humum deportare in profundum quendam terræ locum. Aduentante interim Paschali solennitate, dixit ei hospita sua: En propè est sancta Parasceue; caue tibi, Vvernhere, ab impiis Iudæis, alioqui sine dubio illi te comedent. Tum verò respondit puer, spem suam in Deum præclarè significans: Id verò ego committo Deo.

Est to. 7. apud Surium.

Sancti pueri prima educatio.

Nota miraculum.

Venit Vesaliam.

VBI autem Dominicæ cœnæ dies adfuit, puer Christo deditus, priùs cõfessus peccata sua, corporis Christi cõmunionem deinde cum multa animi deuotione percepit, nec multo pòst à fallacibus Iudæis insidiosè inuitatur. Atque (ô impietas!) hîc primò apprehensum puerum omni clamandi facultate priuarunt, impresso in os eius globo plumbeo. Inde suspenderunt ad columnam ligneam, depresso in imũ capite, sursum erectis pedibus; idque eo consilio, vt Corpus Christi, eo die sumptum à puero, ex eius corpore possent reuocare, & educere. Quod cùm frustra conati essent, totos se contulerunt ad membrum mystici corporis Christi atrocissimè excarnificandum. Itaque multa, eaque profunda, eius corpori cum flagellis impressere vulnera; atque etiam cultro quodam, qui hodieque apud eius reliquias asseruatur, totius corporis venas barbara immanitate inciderunt, cum forficibus quoque summo cruciatu ex venis eius in pedibus, manibus, collo & capite sanguinem expresserunt, ita vt totus vulneribus confectus videretur. Mansit autem sanctus puer sic triduo suspensus ad columnam

Capitur ab impiis Iudæis.

Est periphrasis pueri.

Inciduntur immanissimè omnes corporis eius venæ.

nam illam, donec sanguis fluere desineret, atque interim multis modis impij Iudæi versabant corpus illius.

Habebant autem Iudæi illi famulam Christianam: quæ cùm clàm vidisset quæ ab illis gererentur, animi magno dolore impulsa, acciuit iudicem Vesaliensem, eumque introduxit in locum illum, vbi pius puer tam immaniter tractabatur. Ad cuius inopinatum aduentum valde obstupescentibus Iudæis, cùm eum pius puer vidisset, exultabundus, vt potuit, sui liberationem postulauit. Sed ille iudex iniustus, victus amore pecuniæ, pueri suspiria neglexit. Itaque postquam iudex abijt, & puer à Iudæis est interfectus, nocte tulerunt corpus eius, & per muros clàm ascendentes, vt res nemini innotesceret, ad naues properarunt Moguntiam ituras. Sed omnipotens Deus eorum elusit conatus, ita vt tota nocte non nisi vnum milliare possent nauigando conficere. Orto inde sole, magno timore & tremore corripiuntur, cogitantque anxij, quomodo possint martyris corpusculum abscondere. Neque enim ratio eis occurrit in aquas demergendi. Tandem conspiciunt propè Baccaracum cryptulam spinis & vepribus obsitam, vbi nunc conditum cernitur VVilhelmitarum cœnobium VVindofdesbachium: atque in eam proiecerunt martyris corpus, & ocyus abierunt. Sed Christus id diu latere nolens, mox sua illic miracula declarauit. Vigiles enim castrorum noctibus viderunt lucem illo loco. Quod cùm illi admirarentur, indicarunt alijs, statimque repertum est corpus etiamnum suo tinctum sanguine, adductumque est, vt solent cæsorum corpora, Baccaracum ad locum iudicij.

En quid non auri illa dira fames.

Frustra conantur impij Iudæi martyrum corpusculum abscondere.

Apparet ad illud cælitus lux.

Sed comperta rei gestæ veritate, cùm omnibus admirationi esset odor suauissimus à martyris corpore manans, tum etiam claritas nocturno visa tempore, summa deuotione illatum est corpusculum in S. Cuniberti sacellum, quod est in colle prope parochiam situm. Mox autem vtriusque sexus hominum magna accurrit multitudo, visura tam stupendum nouæ rei miraculum: vbi & femina illa Christiana, Iudæorum ancilla, quæ ea quæ de sancto puero commemorauimus, & vidit, & audiuit, solenniter exposuit gestæ rei modum. Quæ cùm ita peracta essent, omnipotens Deus ilico sanctum puerum magnis & stupendis illustrauit miraculis: cæcis visus, surdis auditus, claudis gressus, mutis loquela, aridis, paralyticis, luscis, & quibuslibet malè affectis sanitas, & mortuis vita restituta est. Imò verò vsque in præsens multifaria per martyrem suum Christus

Infertur reuerenter in sacellum S. Cuniberti.

Magna fiunt ad illud miracula.

ſtus miracula operatur; qui paſſus eſt anno Christi 1287. 13. Ca. Martij.

VITA S. ANSELMI ARCHIEPISCOPI *Cantuarienſis, Scriptoris Eccleſiæ, ex Edinero eius conuictore.*

XXI. APRILIS.

INSTITVTA vitæ Anſelmi traditurus, primò dicam de ortu eius. Pater eius Gundulfus, mater Emeberga vocabatur, qui vtrique nobiliter ſunt in Auguſta ciuitate conuerſati, quæ ciuitas confinis Burgundiæ & Longobardiæ eſt. Anſelmus filius horum, cùm puer eſſet, traditur literis: diſcit, & in breui plurimum proficit. Necdum attigerat ætatis annum quintumdecimum, & iam concepit apud ſe, nihil Monachorum vita præſtantius eſſe. Orauit Deũ, quatenus infirmari mereretur, vt vel ſic ad monachicũ ordinem ſuſciperetur: & nec ſic fit quod poſtulabat. Poſt hæc ſanitas redit, cùm cœpit paulatim feruor ille tepeſcere. Sed omnipotens Deus, prędidens quid de illo facturus erat, animum patris eius contra illum inflammauit. Quod nimis intolerabile cernens, & ne deterius quid inde contingeret, timens, elegit potiùs paternis rebus & patriæ renunciare. Itaque patria egreditur, vnico qui ſibi miniſtraret clerico comitatus. Denique exactis dehinc partim in Burgundia, partim in Francia fermè tribus annis, Nortmanniam adit, ibi Lanfrancum alloqui volens. Excellens ſiquidem fama illius circumquaque percrebuerat. Igitur viro adito, eius ſe magiſterio ſubdit, eique poſt modicum familiaris præ cęteris diſcipulis fit. Quin etiam non multo pòſt, ſeculo relicto, Becci Monachus factus eſt anno ætatis ſuæ 27. Regebat eo tempore cœnobium ipſum Dominus Abbas Herluinus, dictus autem Lanfrancus gradum Prioris obtinebat.

S. Anſelmi patria & parentes.

Vetiens iratũ ſibi ſuum patrem, excedit patria.

Fit Becci monachus ſub V. Lanfranco.

CETERVM Anſelmus nouus Monachus ſtudioſè vitam religioſiùs viuentiũ æmulabatur; & quidem intantum, vt per trienniũ de die in diem ſemper in melius proficiens, magnus & honorandus haberetur; deinde & venerabili Lanfranco in Cadomenſis cœnobij regimen aſſumpto, ad Prioris officium tractus ſit. Vnde & factum eſt, vt ſoli Deo, cæleſtibúſque diſciplinis iugiter occupatus, in tantum ſpeculationis diuinæ culmen aſcenderit, vt obſcuriſſimas; & ante tempus ſuum inſolitas de diuinitate Dei, & noſtra fide quæſtiones, Deo reſeran

Eligitur ibidem Prior.

Penetrat ſtudio abditiſſima quæque.

ſerante, perſpiceret; apertiſque ſimul rationibus, quæ dicebat, rata & Catholica eſſe probaret. De cuius corporalibus exercitijs, ieiunijs, dico, orationibus atque vigilijs, melius æſtimo ſilere quàm loqui. Comedebat quidem vt alij homines, ſed omnino parcè. Totus dies in dandis conſilijs ſæpiſsimè non ſufficiebat, addebatur adhuc pars maxima noctis. Præterea libros qui ante id temporis nimis corrupti vbique terrarum erant, nocte corrigebat; huius vitæ miſerias, ſuáque ſi quæ erant peccata, & aliorum amariſſimè flens, & vix parum ante vigilias nocturnas, ſæpéque nihil ſomni capiens: talibúſque ſtudijs vita eius ornabatur. Qui qualiter erga ſubditos ſe habebat, det Deus, ad æmulationem Prælatorum, poſſe vel quid modicum dici.

Eſt parciſſimi ſomni.

CVM primùm Prior factus fuiſſet, quidam Fratres cœnobij facti ſunt æmuli eius, videntes, & videndo inuidentes illum præponi, quem iuxta conuerſionis ordinem iudicabant eis debere ſupponi. Itaque turbati, alioſque turbantes, ſcandala mouent. At ipſe cum his qui oderunt pacem, erat pacificus malens vincere in bono malum. Quod & miſerante Deo factum eſt. Siquidem illi animaduertentes eum omnimodis ſimpliciter in ſuis incedere, mala voluntate in bonam mutata, dicta eius & facta in bono æmulari cœpere. Ipſe enim mores omnium, & infirmitates, æquanimiter ſufferebat. Atque his temporibus ſcripſit tractatus tres, ſcilicet, De veritate, De libertate arbitrij, & De caſu diaboli. Fecit quoque libellum, quem Monologion appellauit, & alterum qui Proſologion nominatur, nec non & quamplures epiſtolas. Denique talibus ſtudijs intendebat, in iſtis Deo ſeruiebat. Vnde bonâ famâ eius non modò Nortmannia tota eſt reſperſa, verùm etiam Francia tota, Flandria tota, contiguáque his terra omnis. Quin & mare tranſijt, Angliámque repleuit; excitíque ſunt quaquà gentium multi nobiles, prudentes clerici, ſtrenui milites, atque ad eum confluxêre, ſeque & ſua in ipſum monaſterium ſeruitio Dei tradidêre. Creſcit cœnobium illud intus & extrà; intus in ſancta religione, extrà multimoda poſſeſſione.

Fratres quidam prius erga eum maleuoli, poſte libenter eum venerantur.

Volitat eius fama per omnia loca vicina.

ET quidem, cùm Abbas Herluinus, cuius ſuprà meminimus, iam decrepitus monaſterij cauſis intendere non valeret, quicquid agi oportebat, ſub Anſelmi, vtpote Prioris, diſpoſitione fiebat. Vnde & exigentibus multiplicibus cauſis, eum foras monaſterium ire ſæpe neceſſe fuit. Inuitabatur autem

piæ

præterea à diuersis Abbatijs, quatenus ibi & publicè in Capitulo Fratribus, & secum priuatim loqui volentibus, verba vitæ ministraret. Namque solenne exstiterat omnibus, vt, quicquid ab ore illius foret auditum, sic haberetur, quasi planè diuinum responsum: sicque requirendi consilij gratia ex diuersis ad eum locis festinabatur, frustra inuidiâ diabolo seipsum vulnerante. Sed & defuncto nominato Abbate Herluino, vno omnium Fratrum Beccensium consensu in Abbatem eligitur. Quod ipse omni studio subterfugere gestiens, multas & diuersas rationes, ne id fieret, obtendebat. Verùm omnibus ei in terram prostratis, tali tandem violentia est Abbas effectus. Qui qualem se deinceps exhibuerit, inde colligi potest, quòd semper de virtute in virtutem, vt Deum deorum in Sion mereretur videre, conscendere studuit. Delegatis itaque monasterij causis solicitudini fratrum, de quorum vita & strenuitate certus erat, ipse Dei contemplationi, monachorum eruditioni, admonitioni, correctioni iugiter insistebat. Quando autem aliquid magni erat agendum, tunc ipse disponebat.

Ipsius sententiæ passim habentur pro oraculo.

Fit Abbas.

Nihilominus simul tamé tam vigil fuit circa hospitũ susceptionem, vt nonnunquam etiam cibus fratrum suo iussu de refectorio sit sublatus, & hospitibus appositus, cum tunc in promptu aliud non esset. Vnde frequenter à cellarijs & camerarijs aditus, & quid consilij contra penuriam daret, inquisitus, hoc tantum respondebat: Sperate in Domino; & spero, quia ipse necessaria vobis ministrabit: & mirabili modo non secus eueniebat in re. Videres enim post hæc verba statim ipsa die, vel certè sequenti manè, siue, quod falli non poterat, priusquam penuria affligeret, aut naues de Anglia oneratas iuxtà appelli, aut certè aliunde aliquid apportari, vnde per plurimos dies necessaria quæque poterant ministrari. Habebat enim ipsum cœnobium plures possessiones in Anglia. Quas etiam cùm pro communi fratrum vtilitate necesse esset per Abbatis præsentiam nonnunquam visitari, ita contigit ipso suæ ordinationis anno Anselmum in Angliam proficisci. Ad quod etiam causa erat, vt reuerendum Lantfrancum, cuius suprà meminimus, videret. Ipse siquidem de Abbate Codomensi factus fuerat Archiepiscopus Cantuariensis. Itaque cùm Anselmus, transito mari, Cantuariam veniret; pro sua reuerentia, & omnibus nota sanctitate, honorificè susceptus est, quo tempore ego ad sanctitatis eius notitiam peruenire merui, ac beata illius familiaritate potiri.

Eius hospitalitas, & quomodo illa semper sit à Domino sustentata.

Pro causis monasterij Beccensis venit in Angliam.

Nota ætatem auctoris.

Deinde verò, ad agenda propter quæ venerat, terras ecclesiæ Beccensis per Angliam adijt, vtilitati monachorũ suorum per omnia studiosè secundùm Deum inseruiens. Vbi passim vadens ad diuersa monasteria monachorum, canonicorum, sanctimonialium, nec non ad curias quorumcumque nobilium, prout eorum ratio ducebat, perueniens, vbique lætissimè suscipiebatur. Similiter & ille solito more cunctis se iucundum & affabilem exhibebat, morésque singulorũ, inquantũ sine peccato poterat, in se suscipiebat: sicque familiaris ei dehinc Anglia facta est. Sed & Deus, vt demõstraret se gratiæ ipsius esse auctorem, quosdam viros per visum dignatus est visitare, & qualiter per eum ab infirmitate, qua vexabantur, conualescerent, edocere: quo modo quidam vir nobilis in confinio Ponti ac Flandriæ, per aquam, vnde manus ipse inter Missam lauaret, à lepra sanatus est. Sed ecce tendimus ad alia.* Defuncto Rege Anglorum VVilhelmo, VVilhelmus filius eius regnum obtinuit. Hic, sublato de hac vita venerabili Lantfranco, ecclesias ac monasteria totius Angliæ graui nimiũ oppressione affixit. Cuius oppressionis anno quarto Anselmus inuitatus, imò adiuratus ab Hugone Cestrensi comite; multísque alijs Anglorum regni Principibus, & insuper ecclesiæ suæ prece atque præcepto pro communi vtilitate coactus, Angliam ingressus est. Et vide rem miram.

Deseruit omnium moribus quantum potest sine peccato.

Sanatur per eum quidam leprosus.

Incipit liber. 2.

Acclamantibus vniuersis, edicto quoque Regis ægrotantis laudante, primò viduatæ ecclesiæ Cantuariensis Episcopus esse cogitur. Deinde rursum ei non multo pòst ab omnibus Episcopis, solo Roffensi excepto, obedientia subtrahitur. Nimirum Regem pro ecclesiarum releuatione constanter interpellabat, simúlque Vrbanum tunc temporis Sedis Apostolicæ Præsulem quasi absque electione Regis in illo regno pro Papa tenebat. Attamen post hæc idem Rex & Vrbanum tamen pro Papa admisit, & Principum suorum consilio, in amicitiam quoque Anselmum recepit, tametsi nec hoc fuerit stabile. Post aliquantum enim tempus iterum Rex contra eum turbatur: quæ causa fuit, vt sponte, extortóque permissu Regis, sicque non sine contumelia, in littore scilicet, Regis iussu, supellectile eius spe pecuniæ recipiendę, ignominiosè excussa, Angliam tandem reliquerit; cùm in breui prospertimè marinis fluctibus euecti, VVitsandis pro voto appulimus. Venimus autem inde ad S. Bertinum, pòst Lugdunum, denique Romam. Vocat eum Papa Vrbanus alterius

Creatur Archiepiscopus Cantuariensis, & mox iterum quasi deponitur.

Excitatur cõtra eũ tumul[illegible] & Angliã deserit.

terius orbis Apostolicum, & Patriarcham iure venerandum. præstolaturque deinde Anselmus in cœnobij sancti Saluatoris Telesini, villa Sclauia nomine, propter aëris temperiem, annuente Papa, vbi & volumen illud editum est, Cur Deus homo, & supplici quoque prece eius præmissa, puteus in duritia rupis perfectus est, qui & puteus Cantuariensis Episcopi vsque hodie vocatur.

Vocatur à Papa alterius orbis Apostolicus.

CELEBRATVR autem deinde Concilium Bari, vbi Anselmus præ ceteris, persuasus à Papa, Græcos, in processione Spiritus sancti errantes, egregiè confutauit: sicut & similem eidem operam præstitit, cùm paulo pòst in Concilio Romano lata est excommunicationis sententia tam in laicos qui inuestituras ecclesiarum dant, quàm in eos qui de manibus eorum illas suscipiunt. Sed tandem reuersi sumus Lugdunum, vbi & à Pontifice ciuitatis venerabili Hugone detenti, mansionem nostram firmauimus, amissa scilicet omni fiducia, viuente Rege VVilhelmo, Angliam remeandi: vbi quoque scripsit Anselmus librum De conceptu Virginali, & peccato originali. Atque interea exsilij nostri anno tertio, qui, quo à Roma Lugdunum venimus, erat secundus, non sine præuiis signis & visionibus religiosarum personarum, VVilhelmus Rex in Anglia miserè moritur, cùm mox nuncii vnus post alterum Anselmo occurrunt ex parte noui Regis Henrici, qui fratri successerat, summopere postulantes eũ festinatò redire. Sed neq; hæc fuit diuturna pax: Cum enim Anselmus Serbeuam ad Regem venisset, & ei quid de Ecclesiarũ inuestituris in Romano Concilio acceperit, innotuisset, turbatus est rex vehementer. Certè quæ inter eos per duos semis annos pro isto negotio acta sint, & quot quantásve minas ac tribulationes Anselmus passus sit, vel quomodo nuncii semel ac iterum Romam propterea missi sint, qui velet requirat in alio nostro opusculo.

Interest Concilio Barensi & Romano.

Reuocatur in Angliam, sed nec hæc pax fuit diuturna.

SED post omnia rogauit Anselmum Rex, quatenus ipsemet Romam iret: quod & fecit, protestans tamen nil, quod Ecclesiarum libertati obuiaret, suo vel rogatu aut consilio vnquam Papam acturum, vti quoque euenit. Papa Paschalis tunc Vrbano successerat. Itaque Rex mox Archiepiscopatum in suum dominium redegit, & Anselmum suis omnibus spoliauit. Acta sunt hinc inter eos multa, & anno vno ac semis indignatio Regis non est sopita; cùm postea rogatus Anselmus ad Regem in Nortmanniam venit, vbi & Rex, timore Dei correptus, reuestiuit illum de suis, & in amicitiam cum

Proficiscitur sanctus secundo Romam.

iterum

Tandem rediens in Angliam, triumphat pro Ecclesiæ libertate. iterum recepit. Redit igitur secundò in Angliam Anselmus, magno honore susceptus: vbi & non multo pòst adunatis in palatio Regis Londini cunctis primoribus Angliæ, victoriam de libertate Ecclesiæ, pro qua diu laborauerat, adeptus est. Scripsitque inter hæc libellum De concordia præscientiæ, & prædestinationis, & gratiæ Dei, cum libero arbitrio. Iam verò tertius erat annus, postquam à secundo exilio per Regem Hunericum reuocatus est, ecce per dimidium ferè annum omni cibo quasi in fastidium ei verso, ad extremum adunato circa eum vniuerso filiorum suorum agmine, vltimum spiritum in manus Creatoris emittens, dormiuit in pace, 11. Cal. Maij, anno Domini millesimo centesimo nono, qui fuit annus Pontificatus eius 13, vitæ verò septuagesimus sextus. Sanè in obitu & post obitum eius multa à multis visa narrantur, quæ gloriam eius, quam pro meritis suis eum recepisse non dubitamus, attestantur. Vnde sit Deo laus.

Obdormit in Domino.

VITA S. OPPORTVNÆ VIRGINIS *& Abbatissæ, ex ea quæ est per Adelinum Episcopum Sagiensem.*

XXII. APRILIS.

PARENTES sanctæ Opportunæ, regalis prosapiæ apice florentes, inclyti Oximensis pagi, super omnes qui ibidem morabantur homines, duo luminaria mundo genuerunt, beatum videlicet Grodegandum Episcopum, & dominam nostram Opportunam. Ex quibus beata Opportuna in annis puellaribus constituta, cum esset mentis & corporis elegantia adornata, & omnibus gratissima, multi prępotentes viri in matrimonium eum sibi coniungere satagebant. Demonstrabant delectabilia mulierum ornamenta, gemmis & margaritis radiantia. Sed quanto maiora illi promittebant dona, tanto magis animus puellæ ab amore illorum recedebat. Quadam autem die ipsa dilecta Dei Opportuna ecclesiam intrans, audiuit Dominum in Euangelio dicentem, Vade, vende omnia quæ possides, & da pauperibus, & veni: sequere me, & habebis thesaurum in cælo: cùm ad genua patris & matris prouoluta obtestatur, ne ipsi ampliùs quærant sponsum in terris: nec multo pòst induitur vestibus sacræ religionis in cœnobio Sagiensi, vibi vicino, quod est in saltu Algiæ situm, & vulgo nuncupatur Monasteriolum. In eo itaque loco digna Deo puella Opportuna cœtui sanctarum coniuncta est femina

S. Opportuna frater S. Grodegandus.

Matth. 19.

Contempto seculo ingreditur cœnobiũ Sagiense.

minatum, Domino ibidem famulantium.

VIDEBATVR autē quibusdam sanctimonialibus, quod, dum beata Opportuna idem cœnobium ingrederetur, Angelus Domini, eam custodiens, præcederet. Dignum quippe erat, vt, quorum vitam imitari disposuerat, ab eis custodiretur. Breui autem tempore repleta est scripturæ sacræ doctrina, quia die ac nocte meditabatur in lege Domini, humilitatis in primis & obedientiæ gratia super omnes eminens. Quibus cùm abundaret virtutibus, accidit, vt Mater, quæ cæteris præerat sororibus, migraret ad Christum. Tunc verò sanctimoniales omnes vno consensu & voluntate elegerūt dominam nostram Opportunam, vt inter eas culmen Prælationis obtineret. At illa cùm multum contradicere vellet, sed pro veneratione obedientiæ non valeret, petiit tamen trium dierum inducias, vt pro hac re Dominum deprecaretur. Quod cùm factum fuisset, reuelatum est illis, quod B. Opportuna digna esset honore prælationis. Itaque Mater & Abbatissa super omnes constituta, maiori etiam corpus suum cœpit domare abstinentia. Nam frequenter tota nocte in Dei laudibus vigilabat, sæpe in die à cibis omnino abstinebat. Feria quarta & sexta nihil manducabat, aliis diebus ad vesperum panem hordeaceum, cum aqua & aliquo cibo vilissimo sumens. Die Dominico * paruissimis pisciculis vescebatur, non propter ventris ingluuiem, sed propter diei Dominici venerationem: nec tamen ipsos sumebat vsque ad satietatem, sed tantùm ad corporis sustentationem.

Psalm. 1.

Omnium sororum cōsensu eligitur Abbatissa.

Feria quarta & sexta nihil omnino manducat

* *Pro minimis.*

SI quando quæpiam ex sororibus eam interrogaret, dicens; O dulcis mater, quare tam frequenter abstinendo corpus maceras? sic respondebat: Adam de Paradiso eiectus est, quia pomum vetitum māducauit, & nos illuc redire debemus ieiunando. De potu vini, & esu carnium, non oportet nos quicquam dicere, quæ ipsa nolebat attingere. Et tamen, cùm ab his ipsa abstineret sanctimonialibus omnia sufficienter ministrabat. Ipsas enim & spiritualibus & corporalibus cibis decenter alebat, super omnia infirmos & pauperes diligens. Balneis non vtebatur, cilicium semper occultè ferebat. Ita erat vestita hyeme sicut æstate, nec pro frigore adiiciebat, nec pro calore detrahebat. In lecto quando iacebat, vnū sagum tantùm habebat & illud cilicinū, sed in die, propter frequentiam hospitum superuenientium, pretioso tenebatur opertorio lectulus eius. Nullus eā vidit iratam, sed semper tranquillam & blandam. Delinquentes

Genesis. 3.
En quare Christiani ieiunent.

Occultè vtitur cilicio.

Quas verbis corrigere non potest, pro iis instanter orat.

quentes sorores verborum castigatione, & exempli sui proponenda imitatione, emẽdabat. Quòd si aliqua in duritia mentis permaneret, tamdiu pro ipsa Dominum deprecabatur, donec ad emendationem adduceretur. Inter cætera enim talem illa habebat consuetudinem, vt, si quid impetrare voluisset, orando apud Dominum obtineret. Quare & si latro de ditione vel rebus eius aliquid furtim abstulisset, tam diu eum oratione sua ligabat, donec ablata restitueret.

Claret miraculis.

Et quia à consuetudine peccandi omnimodis se retrahebat, maximam quoque à Domino in curandis infirmis est gratiam adepta. Nam multi ad eam variis morbis oppressi venientes, per orationes eius à Domino sanitatem recipiebant. Cœpit autem interea beata Opportuna velle dissolui, & esse cum Christo, cũ febri prægrauata, vidit beatam Cæciliam & S. Luciam causa visitationis ad se venire. Præcepit autem deinde, cùm sciret adesse horam vocationis suæ, pro animæ suæ commendatione Missarum solennia celebrari, sicque ad extremum accepto Dominico corpore, inter adstantes sanctimoniales, extendente ea brachia, quasi B. Virginem Mariam vellet amplexari, quã aduenire dixerat, sancta eius anima carne est soluta, viuitq; cũ Christo per æterna secula. Locus autem vbi sanctæ virginis corpus hodie quiescit, vulgò Montiacus dicitur. Quod nimirum prædium, cùm serenissimus Rex Ludouicus, frater Caroli inuictissimi Imperatoris & Regis nostri, causa refugij S. Opportunæ donasset, Hildebrãdus Sagiensis Episcopus sanctissimus, timore Nortmannicæ persecutionis, partem Clericorum iussit se illuc conferre, cũ sanctissimo B. Opportunæ corpore: quo etiam tempore multi ęgri diuersis è locis eò aduentantes, sani inde recesserunt.

Occurrente ei D. parens migrat ad Christum.

Transfertur. pari sacri corpus. Montiacum.

VITA S. VVOLPHELMI ABBATIS

Bruvvilerensis, ex ea quæ est per Conradum monachum, eius auditorem.

XXII. APRILIS.

S. VVolphelmi natales.

GLORIOSVS Domini Confessor VVolphelmus, in Ribuarensi pago ex illustri prosapia ortus, patrem habuit Frumolldum, matrem Euezam nomine, quæ ex illustrissimi Comitis Sicconis stirpe descenderat. Hic primam ascendens lineam, auspice Deo, de infantia ad bonæ indolis transiit pueritiam. In qua ætate, suorum instantia, Coloniæ apud ædem beati Petri Apostolorum principis, corpori congregationis

ſociatus eſt: quo tempore, ſceptrum imperij Henrico ſecundo feliciter adminiſtrante, ſanctus Heribertus Colonienſi eccleſiæ præſidebat Epiſcopus, qui etiam famulum Dei Vvolphelmum paruulũ, more Chriſtianæ religionis ſibi oblatum, per ſacri Chriſmatis vnctionem in filiorum Dei tranſtulerat ſortem. Nullam autem pro carnali ingenuitate ſibi patiebatur reuerentiam exhiberi, vaniloquium, leuitatem occulorum, totiusque motus corporis, ancora cohibens grauitatis. Quod conſiderans & perpendens magiſter ſcholarum, arctiusque ſibi eum eligens annectendum, aſſumpſit illum conſortem participemque laboris, onus cum illo partiens regendæ diſciplinæ ſcholaris. Feruebat itaque in eo magnificè ſtudium iugi exercitatione ſcripturarum: & quoniam ſcientiæ illius theſaurus non occultabatur abſconditus, fiebat vbique, fama vulgante, celeberrimus.

In Sacramentum Confirmationis.

HINC non minor de longinquo quàm ex proximo ſtudioſorum illum clericorum expetebat frequentia, præſenti auditu cupientium experiri quanta in illo vigeret ſapientia. Verùm ſicuti nulla cum argumentatione concludere, ſic nullæ tam argutæ propoſitionis valebant documenta proponere, quæ concitè non ſoluerentur conuenienti hiſtorica vel allegorica expoſitione. Interim ſeculo penitus deliberans renunciare, latenter diſceſſit, ſanctumque Maximinum in Treuerica vrbe expetiit, vbi ſub venerabilis Patris Bernardi regimine ſe monachũ eſt profeſſus. Erat verò tunc videre togatæ vrbis Colonienſis primores velut Gregorij ſui diſceſſum conquerentes. Vnde & non multo pòſt adoleſcens Colonienſium paſſus violentiam, in præſentiam ſui Pontificis Herimãni, qui hanc ob cauſam literis ſuas bullatas Treuiros ad Patrem Bernardum direxerat, deducitur, ac propter aſſumptum angelicæ dignitatis habitum, Henrici auunculi ſui Abbatis monaſterij S. Pantalconis, prouidentiæ commendatur. Qui videns eum aſſuetæ ſolitudinis inhærentem ſtudio, & frequentiam audiendi cauſa vndique concurrentium habere faſtidio, vrbe eductum præpoſuit cuidam ſui regiminis Abbatiæ, nomine Gladebaco. Cuius vtilitatibus quàm ſtrennuam ſuæ ſagacitatis curam impenderit, nemo eorum, qui præceſſerunt, credulus dubitare poterit.

Fama eruditionis eius longè latéque volebat.

Fit monachus Treuiris, vd hiſtor. S. Gregorij in Martio.

Reuocatur magno omnium deſiderio Coloniã.

INTEREA verò idem vir Dei, dudum præconceptam aggreſſus eſt peregrinationem, Romam petens, cauſa ſoluendi vota precum apud Apoſtolorum confeſſionem. Qui quia in ſuis

En votum peregrinationis.

ſuis poſitus, vnicam ſalutis noſtræ hoſtiam ſingulis diebus aſſueuerat immolare, ab hoc etiam inter eundum noluit deſueſcere. Sed & iam Herimanno Pontificatus infulis exuto, pari Colonienſium aſſenſu ſubſtitutus erat diuæ memoriæ Anno. Qui, cùm miro religionis ferueret amore, non minimum expendebat in conſtructione cœnobiorum, vndeunde Legis Dei æmulatores aggregans inhabitationi eorum. Vnde & cùm cætera piæ ſolicitudinis ſuæ monumenta etiam Sigebergenſis cœnobij conſtructione decoraſſet, virum ſæpe dictum, accepta ſanctitatis eius notitia, loco præponere curauit. Sed ſtudioſum diuinę contemplationis hominem, actiuæ vitę talibus initiis perneceſſariæ videns omnino expertem, paulo pòſt rurſum eduxit eum ad locum ſolitudini eius competétiorem. In proximo enim Abbatia Bruvvilerenſis erat: quæ quoniam viduata erat paſtore, curam eius ſancti viri cõmendauit prouidentiæ, quã ſine propoſiti detrimento facilè poſſet explere.

Commẽdatur ei Abbatia Bruvvilerenſis.

Istis diebus Francia turbabatur per Berengarium Turonenſem, qui aſſerebat Euchariſtiam, quam ſumimus in altari, non eſſe reuera corpus & ſanguinẽ Chriſti. Vnde contra eum multum à multis diſputatũ eſt. Aduerſus quem etiam exſtat huius beatiſſimi viri epiſtola ad Meginhardũ Abbatem Gladebacenſem; vbi ſic inter cetera habet: Nocet, inquit, hæreſis Berengarij, cuius ebrietatis periculũ declinemus; & ad vbera vino meliora appropiemus. Et poſt nonnulla: Nos autem, vt viſum acuamus, quo hæc intuemur, ad obtinendam ſemel acceptam huius veritatis traditionẽ, noſmet hoc modo cohortemur: Si qui dixit, & facta ſunt; & mandauit, & creata ſunt omnia; ſi is, inquam, dixit de hoc pane, Hoc eſt corpus meum; & de vino, Hic eſt ſanguis meus: neceſſe eſt omnino ſic eſſe. Et ſub finẽ, Sic enim teſtatur, inquit, Eccleſia Achaiæ beatum Andream Apoſtolum dicere: Poſtquam omnis populus credentium Agni carnes comederit, & ſanguinem biberit; Agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat & viuus. Atque taliter ſcilicet hic miles perfidiam Berengarij in acie ſuo loco expugnauit. Sed & pertulit etiam pro bono eccleſiæ ſuæ, Cloteno videlicet nomine, multos labores, imò, ſi dici fas eſt, perſecutiones. Sed in omnibus tandem triumphauit, auctoritate Papæ Hildebrandi (qui & Gregorius) illo recuperato.

Hæreſis Berengarij contra veritatem corporis Chriſti.

Et apertiſſimum teſtimonium contra Sacramentarios.

Qvæ eius cauſa quam iuſta fuerit, in Nuſſia caſtro diuinitus oſtenſum eſt, ſcilicet dum eò ab Hildulpho Epiſc. Colonienſi vocatus, vt inſidiosè deponeretur, in ſolario cuiuſdam

dam domus pauperibus ministrans atque circumiens, suis meritis effecit, vt, corruente solario, domus pars non minima subsequens, eósque opprimens, nulli læsionem intulerit; imò & vasa testea vino repleta, pincerna ruente, nullam omnino vini pertulerunt effusionem. Et vt breuiter perstringam, eius instãtia, vel tempore, in varios ornatus picturæ, vel fabricæ, seu etiã musiui, operis decore, intus & extra se status extulit Bruvvalerensis ecclesiæ: vbi & textum cuiusque operis versibus expressit egregiis. Sed & illud operæpretium est non reticere, quòd singulis annis vir Domini noui ac veteris Testamenti paginas ex integro faciebat legendo reuolui. Quod cuius fecerit vtilitatis intuitu, vel deuotionis affectu, ex eius super vtrunque Testamentum compositis liquet versibus, quorum in initio ita dicit:

Latè diffusus sit Ecclesiastici vsus
Se testamentis exercet in Omnipotentis,
Vt legat hæc ambo, sed & omni compleat anno,
Sicut & hebdomada Psalmorum laudibus oda.

Sæpius autem in conuentu Fratrum de salute disputans animarum, plerunque eleemosynarum vel hospitalitatis commendabat gratiam, studẽs ipse omnimodis Deo per contemplationem placere, exterioresque curas per idoneas personas solenniter administrans, mira simul mansuetudinis & districtionis vtens discretione.

Probatur eius sanctitas insigni miraculo.

Quot annis curet legi nouum ac vetus Testamentum.

CVIVS vt mores vel actus summatim perstringam, fuit verbo discretus & vtilis, moribus ornatus, misericors & benignus, pronus ad veniam, tardus ad iram. Exstitit verò huic beatissimo viro frater germanus, Frumoldus nomine; sorores sanctimoniales duæ, quarum vna, Osvvenda nomine, miræ simplicitatis & innocentiæ fuit femina, altera verò, Berta nuncupata, literarum plurimum emicuit scientia, & vitam beatæ Adelheidis, primæ Vilecensis Abbatissæ, conscripsit. quin & multa sanitatum genera in diuersis per ipsum exhibita sunt miseratione diuina. Sæpius enim illo visitante, est indulta ægrotãtibus salus, quod tamen ab aliquo sibi imputari prorsus non patiebatur. Denique post innumera diuinæ per illum operationis patrata beneficia, imminente iam eius migratione, Angelicam, quam paulo antè in visu audiuerat, exsequi studens exhortationem, olei sacrati se fecit liquore perungi: & sic paucis dehinc euolutis diebus, decimo Calendas Maij, viam vniuersæ carnis ingressus est: & gaudium Domini sui

Eius virtutes.

Plures ab eo sanati ægroti.

Unctus sacro oleo, migrat ad Dominũ.

ni sui felix feliciter introiuit, anno millesimo nonagesimo primo Dominicæ incarnationis, secus beati Petri Apostoli altare decenter traditus sepulturæ: vbi, suffragantibus meritis eius, fidelium exaudiuntur vota, infirmis impenduntur beneficia, præstante Domino nostro Iesu Christo.

DE S. GEORGIO MARTYRE,
ex iis quæ sunt apud R.P. Laur. Surium.

XXIII. APRILIS.

CUM Diocletianus Romanorum imperio potiretur, qui fuit contra Christi gregem fera valde agrestis, fuit & Georgius genere Cappadox nobilis, moribus ac facultatibus valde illustris, diuina quadam prudentia ornatus, atque Tribunatibus plurimis functus. Qui cùm tantam insaniam ab idolorum seruis aduersus Christum exerceri vidisset, celeriter pecunias & facultatem omnem suam pauperibus distribuit, ac sic in medium regij tribunalis senatusque prorumpens; Et ego, inquit, ô Imperator, sum Christianus: miror autem tantò in idolis colendis errore vos detineri, & æternum ac viuentem Deum ignorare; qui & ipsum hoc regnum tibi, ô Imperator, dedit. Quibus verbis commotus impius ille, & furore accensus, iussit vecte illum ita verberari, vt eius viscera in terram funderentur. Quo facto, eius corpus sanguine circumfusum erat; vectis verò vt plumbum in posteriorem partem reflectebatur: & tunc iussit eum Diocletianus de ligno deponi, & in carcerem duci, eiúsque pedes in ligno grauiter extendi, & in ipsius pectore lapidem magnum imponi. Quod cùm necdum ipsius rabiem exsatiaret, iussit sequenti die rotam quandam componi, gladiis vndique armatam. In quam cùm fuisset martyr iniectus, grauiterque iam depressum eius corpus in multas partes discindi inciperet; impius tyrannus, quasi triumphans, ad prandium se contulit.

S. Georgius nobilis Tribunus.

Palam prorumpit, vt se profiteatur Christianum.

Grauissimè tūditur vecte.

Inijcitur in rotam gladiis vndique armatam.

SED non multo pòst sonitus magnus de cælo factus est, voxque martyrem confortans; ac deinde Angelus venit, & è tormento illum liberauit, corpus eius omnino sanum restituens: Quo viso, Anatolius & Protoleo, Tribuni militum, crediderunt in Deum, cum familiis suis. Sed & ipsa quoque Imperatrix Alexandra credidit, liberè clamitans se esse Christianam. Quæ omnia cùm audiret videretque scelestus Imperator, proprio se furore lanians, iussit S. Georgium primùm

Conuertitur Imperatrix.

in lacum coniici ardentem ex materia quæ dicitur asbestos, quæ non nisi post tres dies exstingui solet: ac deinde cùm toto triduo nihil ibi læderetur, calceis ferreis clauos rectos & ignitos habentibus eum indui fecit: ac demum, cùm virtute signi Crucis omnia idola proturbasset atque comminuisset, gladio eum præcepit truncari, vnà cum Alexandria Imperatrice. Quæ cùm promptè vnà cum martyre ad brauium adiret, assedit in quodam loco, & animam suam Domino in pace reddidit: ipse verò martyr Georgius fortiter collum suum extendit, sicque à carnifice percussus, martyrium suum compleuit vigesimo tertio die mensis Aprilis.

Subit. S. Georgius & alij horrenda tormenta.

Tandem decollatur.

VITA S. ADALBERTI EPISCOPI *Pragensis, & Martyris, ex ea quæ est per eius contemporaneum.*

XXIII. APRILIS.

NASCITVR purpureus flos Bohemicis terris * Voicechus puerulus. Mater ex genere Sclauorum erat nobilissima, digna coniunx, digno iuncta marito; marito videlicet qui contigit Reges linea sanguinis, adeoque Hērico Regi accessit proximus nepos. Interea verò paruulus febricitans mortem vicinam parentibus minatur. Tum verò parentes, Non nobis, inquiunt, Domine, non nobis viuat puer iste, sed clericus in Dei matris honorem portet iugum tuum. Sic dicunt, ponúntque eū sub altare Virginis, & recessit in ictu oculi vis doloris. Decursis itaque rudis infantiæ balbutientibus annis, Voicechus Dauidico nectare potatus, paruoque melle dulcè canentis Gregorij pastus, ad septem panes sapientiæ portatur, traditur, inquam, ingenuæ * Parthenopoli, Teutonum nouæ metropoli, liberalibus disciplinis instituendus, quam vrbem primus trium Otthonum Imperator Augustus in magnum Archipræsulatum erexit ad flumen Albim. Vrbis Episcopus tunc Adalbertus, ipse & primus; qui & hunc (quem suo nomine Adalbertum vocauit) bonæ indolis puerulum Voicechum sancto chrismate liniuit. Itaque ad frontem scholæ hospes processit. Scholis præerat tunc Athericus quidam, facundissimus, ætate illa quasi quidam Cicero, cuius illustris memoria vsque in præsens per omnem Saxoniam habetur. Atque ita annos ter ternos in arena studij palæstram exercet ingenij, contraque ignorantiæ densam noctem, prendidit scientiæ diem.

** Hic scilicet est S. Adalbertus.*

S. Adalbertus puer ægrotans, vouetur Deipara.

** vulgò dicitur Magdeburgum.*

Eruditur Magdeburgi.

REPATRIAT autem deinde nouo nomine Adalbertus, portans secum dulces sapientiæ liquores, atque hoc toto tempore tamẽ vt homo incubat terrenis deliciis, incuruat vultum, nescit rectus cernere cælum. At verò moritur inter hæc Boëmiæ prouinciæ Episcopus, & corã adstantibus desperata voce testatur, quòd ab nigris spiritibus immũdis ad tartarium chaos deportatur. Præsens erat tunc & Adalbertus, vnus extrema videntium, & verba morientis aure audientium; quem adeò (vt ipse pòst Abbati in monasterio dixit) visionis illius magnus horror inuasit, vt deinde ad primã salutem eum direxerit. Exinde itaque emendare mores, frena ponere animis cœpit. Conueniunt interea Dux terræ & maior populus, & pro eligendo Pastore varias sententias dicunt: omnes tamen ad vltimũ manus leuant, non alium oportere esse suum Episcopum quàm indigenam Adalbertum. Ergo & Archimandrita Moguntinus, grauis homo, VVilligisus, ei, cui iam Deus interiori gratia benedixerat, venerabile quoque caput oleo vnxit, & in præsentia Imperatoris Otthonis secundi ad Sacerdotij altitudinem prouexit. Ea tempestate effrena gens Luitici pagani iugum Christianitatis deponunt, & quo errore adhuc laborant, post deos alienos erecto collo cucurrerunt. Sed & peccato Otthonis multa mala surrexêre: Respublica turpitudines passa, de solio descendit, Christiana religio lacera iram Dei sensit.

Episcopus quidam moriens, clamat se deportari ad infernum

S. Adalbertus ex superio spectaculo compunctus, ipse erat paulo post Episcopus.

AT verò retro sumit iter sanctus Episcopus Adalbertus; venit Episcopij in partes; partitus quatuor diuisiones fecit, vnam clerus, alteram agmen pauperum vsibus suis sumpsêre, tertiam mater Ecclesia pro captiuorum redemptione, & sua restauratione, possedit, quartam ipse cum coherentibus sibi ad necessarios sumptus recepit. Cernere sanè erat alium hominẽ: ô qualem, ô quantum mutatum ab illo! Delicias ægrè fert, & quæcunque humana vanitas vsque ad mortem amplectitur & amat, alta mente despicit. Horum verò quicquid est, in pauperum vsus, & ornamenta Ecclesiæ, & ad sola vtilia conuertere cura erat. Ita cuncta Dei valde bona, misericordia & redemptio salutaris Dei. In cuius nunc virtute veteres pennas proiecit, & nouos mores assumpsit cælicola Adalbertus, cui tum acerrimis ieiuniis longos soles ducere, macris vigiliis incentiua carnis domare, continuis genuflexionibus veniam peccatorum impetrare, perdiu simul & pernox cura erat. Bene vixit, bene docuit. Populus autem duræ ceruicis seruus libidinum factus, miscebatur cum cognatis, & sine lege cum vxoribus multis

Diuidit possessiones ecclesiæ in quatuor partes.

Viuit in multis vigiliis & abstinentiis.

multis. Mancipia Christiana perfidis Iudæis vendebant, dies festos confusa religione obseruabant, dies verò ieiuniorum, voluptatibus vacantes, omnino non curabant. Ipsi clerici palàm vxores ducebant, sicque contradicentem Episcopum odio iniquo oderant, & sub quorum tutela quique erant, contra ipsum maiores terræ concitauerunt. Erat autem labor plurimus, contradictio crescens: vnde & cùm emergentia mala emendare non posset, vbi piscatio sua nihil cepit, sanctus Episcopus locum dare necessarium duxit. *Frustra nititur emendare corruptos mores Cleri & populi.*

ITAQVE ad sanctam ciuitatem, vbi sepulchrum Domini est, venire affectans, matrem Martyrum, Apostolorum domicilium, auream Romam intrauit. Nec mora, magnâ Romam egressus, ad sanctam ciuitatem Ierusalem, præter spem, imperfectum iter suscepit. Nam ea via ductus, ad montem Cassinum vsque peruenit, vbi B. Benedictus charam sedem postremò posuit. Ibi verò Abbatis & fratrum piis monitis, rediit Romam, nutricem sanctorum filiorum. Ad sanctum Bonifacium monachalem vestem accepit; tanquam ad epulas, ita ad complenda iussa festinus. Coquinas purgat, hebdomadas nitidissimè procurat, scutellas lauat, & ad coquorum necessaria cuncta cursu peruolat. Cogitationem tacitam in se regnare nunquam permisit; sed quicquid accedens ad animum diabolus dixit, statim senioribus palàm fecit. Acutissimè autem interrogauit de scripturis sanctis, seduloque est percontatus de vitiorum vel virtutum naturis. Ad quæ, id quod antè nesciuit, quærenti illi, rectè Abbas respondit, vt ipse non semel ad nos dixit. Quinquennio pleno miles Christi in monasterio erat, dulcedine morum cunctis placens. Sed postea populus terræ Episcopum suum reuocant, Romam veniunt, populo pœnitenti matrem suam requirunt. Et quidem talem margaritam à suo corpore auellere durum erat magnæ Romæ, sed facta Synodo, ratio obtinuit. Amborum Papæ & Abbatis imperio parens Episcopus, ad episcopatum rediit, pro cuius etiam regimine virgam, & pro pignore annulum, dante Apostolico, accepit. *Fit Romæ monachus ad S. Bonifacium.* *Notent diligenter monachi monitū.* *Nota ætatem auctoris.*

STETIT autem in Episcopio suo, pascens macrū populū diuino pabulo. Et quidem primùm nouo aduentu pastorem verentur, quasi viui fideles matrem Ecclesiā petunt; & parum repressa mala consuetudine, quasi cum Christianis actibus Christum adorant. Verùm noua religio citò deorsum venit, antiqua consuetudo superiorem manum tenuit. Vnde cogitans Episcopus, quòd nec illis, nec sibi cassus labor prodesset, *Reuocatus à suis, parū tamen adhuc apud eos profecit.*

Pappas, pater vel nutritor.

* Pappati suo ait: Scias certū: aut vbi ego sum, venias; aut amplius me nunquam videbis. Nec tamen tacendum, quòd iuxtà positis Hungaris, nunc nuncios suos misit, nunc seipsum obtulit: quibus & ab errore parum mutatis, vmbram quoque Christianitatis impressit. Itaque diuinus heros dulcem Romā reuisit: & rursum secretos monasterij sinus charam requiem intrat. Dicunt, laborantem oculis filiam, nescio cuius, cum manū imponeret, oratione sanasse. Alteri quoque, cùm monasterium causa orandi pro medela infirmitatis intraret, quem tribus annis sumere non potuit sanctus panem pro benedictione obtulit, & ex illo die manducare cœpit. Sic & vidua quædam occurrens equitanti, cùm nudæ penuriæ aliquam consolationem quæreret: Mecum hîc nihil habeo, inquit, cras veni ad ciuitatem. Sed cùm dimissa muliere, cœpto itineri insisteret, meliore tactus cogitatione, Voca mulierem, inquit: nam quis scit, si vsque manè viuam? Itaque hodie compleat acceptio datum; ne ego iudicium, illa sentiat damnum. Et data cappa, qua amictus erat, reliquit exemplum bonum.

Redit Romam.

Claret miraculis.

Vestit pauperem propria sua cappa.

Est Gregorius Quintus.

INTEREA verò in purpura natus Otho Rex tertius, per Papam Gregorium ascendit vnctus cum corona Imperij Imperator Augustus: facta est Synodus: & zelo iuris ductus Moguntinus Archiepiscopus, antiquam cantilenam cantat, & Episcopum sanctum à quiete monasterij ad relictos greges reuocare instituit. Assentit Papa Gregorius, & semel susceptum gregem non posse impunè eū dimittere, Scripturæ sententiis asseuerat. At ille secretum petens, ad Papam ait: Tristi recessui meo da vel vnum solatium. Si audiunt oues meæ quam clamo vocem, viuens morior cum eis: sin minùs, pietas tua mihi succurrat, vt verba vitæ eis spernentibus, cum licentia tua saltem vadam ad exteras & incultas gentes que nesciunt nomen Domini. Cui voluntati eius cùm acquieuisset Papa, ille Alpium nubila tranans, causa orationis, primò Turones pedibus petit, vbi beneficia præstat benignus Martinus: inde Parisios, vbi preciosissimus martyr Areopagita Dionysius requiescit: hinc ad Floriacum cœnobium volat, vbi iacet re scilicet ac nomine Benedictus. Nimirum horum sacra domicilia Adalbertus pede circumuolat, & adiutores ad sua prœlia vocat. Denique Ducem Polonorum Boleslaum rerum dubius petit, cuius auxilio nuncios suos misit ad populum sibi commissum, & multoties contradicentem, interrogans si ipsum recipere vellent. Sed nuncij cùm aduenissent, plenam contumelijs legationem repor

Petit à Papa mitti ad infideles.

Visitatis quibusdam locis sacris, venit in Poloniam.

reportarunt. Itaque soluto fune, liber Episcopus, apprehendit prosequi desiderium speciosi martyrij, Apostolica ad hoc vsus licentia: simúlque socios, quos putabat sacro bello futuros aptiores, itineris comites deligit.

Assumptis duobus socijs proficiscitur in Prussiam.

DVX autem Boleslaus diligebat eum. Quare & rogat eum, vt se adiuuet, vidensque videat, quomodo in terram Prussiorũ nauigio se exponat, ob quærendas animas. Est in parte regni ciuitas magna Gnesna, vbi sacro corpori placuit quiescere, vbi & mille miraculis fulget. Ibi ergo, quia in via sua erat, cuius lõgo tempore silentiũ exercuerat, Missam celebrat: baptizat populum grandem nimis. Inde autem nullas moras nectit, nauim ascendit: Deum nescientibus illabitur cum suis Prussiorum terris. Sed pagani, apportantes eis vitam & regnum immortaliũ cœlorũ, primò irrident, & exire de finibus iubent: deinde ducti pœnitentia quòd eos dimisissent, vincula haud secus atque latronibus iniiciunt, manus & brachia Christianorũ stringunt. Ad extremum, Episcopum, ad montis supercilium ductum, septem lanceis forarunt. Atque interim duos Fratres, immisericorditer ligatos, secum ducunt, & sancti viri nobile caput à reliquo corpore separant, atque sub fida custodia vtramque partem asseruant. A Duce enim finitimo Boleslao grandem pecuniam accepturos se sperant, vt & res erat, quando scilicet reuerendissimum corpus & caput thesaurum desiderabilem vendunt. Passus est autem preciosissimus martyr Adalbertus; qua die & pius Georgius. Et bene ambo vno die; videlicet se petentibus vterque bonus affulget miraculis, & præstò est ægris mortalibus.

Pro prædicatione Euangelij lanceis confoditur.

VITA V. F. ÆGIDII, E PRIMIS SOcijs beatissimi Francisci, ex ea quæ est apud R. P. Surium.

XXIII. APRILIS.

Quomodo vir venerabilis primo venerit ad S. Franciscum.

BEATISSIMI Francisci Assisinatis tertius socius fuit, Frater Ægidius. Qui patriam habens Assisiũ, cùm didicisset è ciuibus suis Dominum Bernardum, virum eius vrbis primarium; & Dominum Petrum, summæ ædis ibidem Canonicum; rebus suis in pauperes erogatis, S. Francisci complexos institutum: octiduo pòst, diuino instinctu permotus; & ipse venit ad horreum, in quo vir sanctus cum duobus socijs morabatur. Sed & S. Francisco cum ipso eunte Assisium, vt compararet pannum quo Ægidius vestiretur, obuiam ei venit

mulier paupercula, stipem ab illo petens. Vbi cùm nihil suppeteret quod ei daret, Angelico vultu versus S. Franciscus ad Ægidium, Demus, inquit, charissime, huic feminę propter Deum pallium quo indutus es. Ad quod verbum ille mox hilariter pallium dedit; simul autem videbatur ei eleemosyna cœlos penetrare, sensitque se ingenti quodam animi gaudio perfusum. Paulo pòst autem ipsis ferijs S. Georgij, induit eum B. Franciscus habitu Ordinis sui: duxitque eum secum in forum, vbi hortabatur homines ad agendam pœnitentiam. Dicebat autem illis Ægidius, vt fidem adhiberent sancto Francisco rectè ipsis consulenti. Postea autem dedit ei B. Franciscus licentiam visendi S. Iacobum in Hispania: quo toto itinere nunquam fuit expers famis, propter paupertatem quam ferebat causa Dei. Datus est autem ei quoque postea socius à beato Francisco, & facta potestas inuisendi sepulchrum Domini, sicque venit Brundusium.

Dat paupercula pallium quo erat amictus.

Cum licentia S. Francisci proficiscitur Compostellam ad S. Iacobũ, ac deinde etiam Hierosolymam.

VBI cùm dies multos hærere cogeretur, situlam acquisiuit; eáque per plateas ferens aquam, victum necessarium obtinebat sibi & socio. Deinde autem transmisso mari, cum multa animi pietate visit sepulchrum Domini, & alia loca sancta. Inde autem redijt ad S. Mariam de Portiuncula. Sed & sæpe quoque suscipiebat peregrinationem ad S. Michaëlem, & S. Nicolaum Barensem. Iter autem faciens, solebat hortari viros & feminas vt Deum timerent & amarent, & ob sua malefacta agerent pœnitentiam. Supra modum autem studiosus erat ocij vitandi. Vnde & cùm à S. Francisco missus esset Romam vt illic maneret, quotidie Sacrificio audito, ad quatuor miliaria exibat extra vrbem in syluam quandam, atque illic putata ligna apportabat Romam, labore suo alimoniam sibi comparans. In monasterio quoque quatuor Coronatorum, quod est apud ædem S. Ioannis Lateranensem, solebat expurgare farinam, dabantque ei de singulis quartarijs panes septem: sicque ibat etiam miliari vno ad fontem S. Sixti, haustam inde aquam afferens, quam bibebant monachi, & qua panes pinsebantur. Laboris autem pretium erat panis; cuius reliquias dabat egenis. Sed non tamen adeò suam aliis vnquam locabat operam Ægidius, quin certum sibi seruaret tempus quo suas persolueret preces. Vnde & huic beato viro, vt qui boni esset exempli, libenter permittebat Sanctus Franciscus, vt, vbicunque vellet, commoraretur; sed hac ille libertate vti noluit.

Affert ligna ex sylua, & expurgat farinam.

Semper tamẽ seruat sibi certum tempus pro precibus.

MISIT ergo eum ad eremitorium Fabrionense, quod est apud

apud Perusiam, vbi ille conficiebat lagenas & arculas, in quibus vitrea pocula, & aliæ res imponerentur. Inferebat autem eas in oppidum, nihil nisi victum, & tũ sibi, tum socio necessarias res pro illis accipiens. Semper autem illic ingrediebatur nudis pedibus, & vnica amictus tunica siue cucullo, etiam valde frigido cœlo. Quo in loco postquam multos egisset annos, aliquando in memoriam rediit peccatorum suorum. Itaque & quadam vice in syluam abiens, accito Fratre, nudauit corpus suum; funéque collum cingens, præcepit ei, vt ipsum pertraheret ad eum vsque locum, in quo Fratres morabantur. Quò cùm peruenisset, sublata voce, Quæso, inquit, Fratres, miseremini mei peccatoris. Accurrentes autem Fratres, vt viderunt eum sic nudum, præ commiseratione & deuotione vna cum illo fleuerunt, rogabantque vt se indueret. Quibus ille respondit: Non sum ego dignus vocari Frater minor; sed si tamẽ vos mihi vultis reddere habitum meum, tanquam indignus & miser eum recipiam, quod ita quoque factum est. Quin & cùm B. Franciscus aduertit magnum eius feruorem, promptamque pro Christo martyrij obeundi voluntatem, cum quibusdam aliis Fratribus misit eum ad Saracenos; sed postquam venit Tunetum, vetitus est à Christianis illic degentibus ad Barbaros sermonem habere, verentibus ne eius causa omnes trucidarentur: atque ita compulsus ille fuit cum socijs suis, quamuis inuitus, ad B. Franciscum redire.

Semper incedit nudis pedibus.

En mirum fervorem num ex humilitate.

Mittitur à S. Francisco cum alijs ad Saracenos.

DEGEBAT etiam quandoque in excelso monte, apud castellum Dirutense cum socio, nullo id è populo sciente. Toto autẽ triduo tam multa è cœlo nix decidit, vt nullo pacto neq; panis acquirendi, neque laboris sui exercẽdi causa posset egredi. Itaque rogauit Dominum, vt in tam præsenti necessitate opem sibi & socio suo ferret. Exaudiuit autem Deus preces eius, permouitque cor cuiusdam in castello commorantis, vt ad ædem S. Laurentij in monte sitam, vbi duo Fratres essent, panem & vinum apportaret. Fecit autem ille sic; atque etiam alios admonens eius loci habitatores, effecit, vt abunde necessaria quæuis eis suppeditarentur. Vnde & multi eius castelli homines, optimis Ægidij & socij eius exemplis commoti, ad Deum conuersi sunt, & beati Francisci complexi institutum: qui autem Matrimonij erant nexibus implicati, in suis domibus egerunt pœnitentiam. Summopere verò vir beatus in id intentus erat, vt carnis appetitiones contereret, & portionem sensitiuam in spiritus seruitutem redigeret: vnde & insignis ei

Diuinitus pascitur cum suo socio.

accessit nitor puritatis. Non nisi semel in die cibum sumebat ad vesperam, cúmque sanè exiguum, dicebatque adeò: Caro nostra instar porci est, cupidissimè ad lutum properantis, & in eo commorantis: est etiam similis scarabæis, qui semper versant equorum fimum. Porrò statuerat aliquando S. Ludouicus Francorum Rex suscipere peregrinationem, & loca sacra visere. Audiens verò de eximia & admiranda F. Ægidij sanctitate, decreuit illum adire. Itaque Perusiam se contulit, vbi illum esse cognorat.

Comparatur caro nostra porcu & scarabæis.

E T quidem cùm ad monasterij portam venisset, ceu ignotus quidam peregrinus, cum paucis familiaribus, rogabat vbi Frater Ægidius esset, nihil de se indicans ostiario. Is autē dixit Ægidio, peregrinum præ foribus cupere ipsi loqui. Actutum verò spiritu cognouit Ægidius eum Regem Franciæ esse, celeritérque ad eum accurrit. Etenim etsi Ægidius litteris instructus non esset (fuit enim laicus, vel conuersus, vt vocant) attamen diuinæ sapientiæ splendoribus adeò illustratus fuit, vt etiam diuinis litteris eruditos longè excelleret. Qui quidem Dei seruus postquam strenuè iam excoluerat vitam actuosam, cuius typus fuit Lia lippis oculis portionis sensitiuæ, passiones & perturbationes edomando; ad Rachelis quoq;, id est vitæ contemplatiuæ amplexus se contulit, quæ scribitur fuisse decora facie, & venusto adspectu. Itaque triduo ante Christi natalem, cùm esset in Tuscia, eo loco quem Sethonā vocant, ieiunassetque diebus quadraginta, quod S. Martini ieiunium appellant, nocte in preces incumbenti apparuit Dominus Iesus, viditque eum oculis corporeis. Durauit autem hęc apparitio per interualla ad dies tredecim. Atque post hanc apparitionem, & crebro, & facilè, ac subitò mentis patiebatur excessus, mansitque deinceps admodum solitarius, parúmque exibat è cellula sua. Semper autem admodum iucundus & hilaris fuit, nisi quòd ei summopere dolebat, quòd sustentandi corporis cura aliqua suscipienda ei esset. Diebus verò Dominicis & solennibus sacram percipiebat Eucharistiam cum multa deuotione, atque illos dies totos impendebat precibus, & sanctis meditationibus.

Venit ad eum S. Ludouicus Rex Franciæ.

Post ieiunium quod vocant S. Martini, videt Christū corporalibus oculis.

E T nihilominus sub finē vitæ, cùm iam in ordine Minorū fuisset annis quinquaginta duobus, molestissimas tamē sensit maligni dæmonis vexationes. Sed & morte quoq; appropinquante tantam ei debilitatē attulit febris, tussis, alijque morbi, vt neque somnum neque cibum posset capere: vnde & à

Sub finē vitæ valde molestatur a diabolo.

Fratribus ad lectum quendam deportatus fuit, alicuius quietis & cōmoditatis captandæ causa: vbi cùm pridie eius diei, quo S. Georgij feriæ celebrantur, cùm nocte à Fratribus esset in lecto depositus, Perusini apud eū excubias agerent, vt sacrum eius corpus post obitum sibi retinerent, cuidam illic adstanti Fratri ait: Dicito Perusinis, eos vel propter miracula mea, vel ob mei in sanctos relationem, siue canonizationem, nullam vnquam pulsaturos campanam, nec aliud eis datū iri signum, nisi signum Ionæ Prophetæ, sicque non multo pòst quietissimus & placidissimus beatissimum reddidit spiritum, eodem die quo ante annos quinquaginta duos à S. Francisco habitum monasticum acceperat, puta ipsis S. Georgij Martyris feriis, anno salutis millesimo ducentesimo octogesimo tertio. Et ecce Perusini dùm saxum inquirunt, vnde eius condant monumentum, sepulchrum marmoreum reperiunt, in quo historia Ionæ sculpta erat. In eo igitur reposuerunt corpus eius, sicut ille sub mortem prædixerat. Sepultus est autem extra Perusiam, in monte, in Monasterio Franciscanorum. De quo sanè sanctus Bonauentura, Doctor eximius, dicere solebat præstitum illi à Deo, vt possit efficaciter opitulari eis qui ad animæ suæ salutem inuocent eum: idémque Bonauentura gratias agebat Deo, se in ea incidisse tempora, quibus sanctissimum hunc F. Ægidium & alloqui, & videre potuisset.

Prædicto quod nunquam esset canonizandus, obdormiuit in Domino.

Nota de eo testimonium B. Bonauenturæ.

DE S. MELLITO EPISCOPO, EX PRImis *Angliæ Apostolis ex hist. Eccles. V. Bedæ.*

XXIIII. APRILIS.

Lib. 1. & 2.

PAPA Gregorius (eius nominis primus) Augustino Episcopo (quia suggesserat ei multam quidem sibi esse messem, sed operarios paucos, misit cum legatariis suis plures cooperatores, ac verbi ministros, in quibus præcipui erant Mellitus, Iustus, Paulinus, Ruffinianus, & per eos generaliter vniuersa quæ ad cultum erant Ecclesiæ necessaria quoque destinauit, vasa videlicet sacra, & vestimenta altarium, ornamenta quoque ecclesiarum, & sacerdotalia vel clericalia indumenta, Sanctorum etiam Apostolorum ac Martyrum reliquias, nec non & codices plurimos. Sed & misit etiam literas, in quibus significabat se ei pallium direxisse. Atque ita scilicet anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo quarto Augustinus Britanniarum Archiepiscopus ordinauit duos Episcopos

S. Mellitus missus in Angliam à sancto Gregorio.

Ordinatur Episcopus Londoniensis.

scopos, Mellitum videlicet & Iustum: Mellitum quidem ad prædicandum prouinciæ Orientalium Saxonum, qui Tamesi fluuio à Cantio dirimuntur, quorum metropolis Londonia est, Iustum verò in ipso Cantio, in ciuitate Dorouerni, quam gens Anglorum à primario quodam illius, qui dicebatur Rotschester, cognominat. Et quidem cùm iam obiisset Augustinus, Mellitus Londoniæ Episcopus venit Romam, de necessariis Ecclesiæ Anglorum causis cum Apostolico Papa Bonifacio tractaturus.

Pro causis Ecclesiæ Anglicanæ mittitur Romam.

SED & cùm idem Papa cogeret Synodum Episcoporum Italiæ, de vita monachorum & quiete ordinaturus, & ipse quoque Mellitus inter eos assedit anno octauo imperij Phocæ Principis, vt quæ regulariter erant decreta, sua quoque auctoritate subscribens confirmaret, ac in Britanniam deinde rediens, secum Anglorum ecclesiæ mandata illa atque obseruanda deferret, vnà cum epistolis quas idem Pontifex Deo dilecto Arciepiscopo Laurentio, & clero vniuerso, similiter & Edelbertho Regi atque genti Anglorum direxit. At verò interea post mortem Edelberthi, cùm filius eius Eadbaldus regni gubernacula suscepisset, magno tenellis adhuc ibi ecclesiæ crementis detrimento fuit. Siquidem non solùm Christi fidem recipere noluerat, sed & fornicatione pollutus est tali, qualem nec inter Gentes auditam Apostolus testatur, ita vt vxorem patris haberet. Sed & auxit quoque procellam huiusmodi mors Saberethi Regis Orientalium Saxonum. Qui vbi regna perennia petens, tres filios suos, qui pagani perdurauerant, regni temporalis hæredes reliquisset, cœperunt illi mox idololatriæ, quam, viuente eo aliquantulum intermisisse videbantur, palàm seruire, subiectisque populis idola colendi liberam dare licentiam. Itaque & expulerunt Mellitum, ac de suo regno cum suis abire iusserunt. Qui expulsus inde, venit rectà Cantium, tractaturus cum Laurentio & Iusto coëpiscopis, quid in his agendum: vbi & decretum est communi consilio, quia satius esset vt omnes in patriam redeuntes, ibi Domino seruirent, quam inter rebelles fidei barbaros sine fructu residerent.

Perturbatur status nouellus ecclesiæ Anglicanæ.

DISCESSERE itaque primò Mellitus ac Iustus atque ad partes Galliæ secessere, ibi rerũ finẽ exspectare disponentes. Sed non multo pòst tempore, Reges, qui præconẽ à se veritatis expulerant, egressi contra gentem Genissorum in prœliũ, omnes pariter cum sua militia corruerunt. Sed & postea Eadbaldus

Discedit sanctus Mellitus in Gallias.

dus Rex, anathematizato omni idololatriæ cultu, abdicatoq; connubio non legitimo, suscepit fidem Christi, & baptizatus Ecclesiæ rebus, inquantum valuit, in omnibus consulere ac fauere curauit. Misit etiam in Galliam, & reuocauit Mellitũ & Iustum, eosque ad suas ecclesias liberè instituẽdas redire præcepit. Qui post annum, ex quo abierant, reuersi sunt, & Iustus quidem ad ciuitatem Roffi, cui præfuerat, rediit, Mellitũ verò Londonienses Episcopum recipere noluerunt, idololatris Pontificibus magis seruire gaudentes. Non enim tanta erat huic Regi, quanta patri ipsius regni potestas, vt etiam nolentibus paganis antistitẽ suæ posset ecclesiæ reddere. Atque hoc Rege regnante, B. Laurentius Archiepiscopus regnũ cæleste conscendit, atque in Ecclesia & monasterio sancti Apostoli Petri, iuxta prædecessorem suum Augustinum, sepultus est, die quarto Nonarum Februariarum. Post quem Mellitus, qui erat Londoniæ Episcopus, Sedem Dorouernensis ecclesiæ tertius ab Augustino suscepit; Iustus autem adhuc superstes, Roffensem regebat ecclesiam. Qui cùm magna ecclesiam Anglorum cura ac labore gubenarent, susceperunt etiam scripta exhortatoria à Pontifice Romanæ Sedis Bonifacio.

Conuerso Rege, qui prius obsistebat fidei, vir sanctus honorificè venerатur.

Suscipit tertius a S. Augustino ecclesiam Dorouernensem.

ERAT autem Mellitus quidẽ corporis infirmitate, id est, podagra grauatus, sed mentis gressibus sanus; alacriter terrena quæque transiliens, atque ad cælestia regna semper amanda, petenda, & quærenda peruolans. Erat scilicet carnis origine nobilis, sed culmine mentis nobilior. Denique vt vnum virtutis eius, vnde cætera intelligi possint, testimonium referam: Contigit quodam tempore vt ciuitas Dorouernensis, per culpam incuriæ, igne correpta, crebrescentibus cœperit flammis consumi. Quibus cùm nullo aquarũ iniectu posset aliquis obsistere, iamque ciuitatis esset pars vastata non minima, ecce perlatus obsequentium manibus Episcopus cœpit orando periculum infirmus abigere, quod firma fortium manus multum laborando nequiuerat. Et hic ergo, postquam annis quinque rexit Ecclesiam, Eadbaldo regnante emigrauit ad cælos, sepultusque est cum patribus suis in sæpe dicto monasterio, & ecclesia beatissimi Principis Apostolorum, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo vigesimo quarto, die octauo Calendarum Maiarum.

Laborat podagra.

Liberat Cantuariam ab incendio.

VITA B. ROBERTI PRIMI ABBATIS

Casæ Dei, ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium

XXIIII. APRILIS.

B. Roberti genus, & pia iuuentus.

ROBERTVS genere Aruernus, natus est de parentibus Christianis, matre Raingarde, patre Giraldo. Puer factus, traditus est disciplinæ studiis apud vicum Briuatum, in ecclesia beati martyris Iuliani: vbi & clericus factus est, & deputatus inter Canonicos, & procedente tempore etiam vsque ad Presbyteratum peruenit. Pueritiæ tempora sic peregit, vt ab iis malis, quibus illa ætas vel proprio vitio, vel alieno, plerunque inuoluitur, illæsus euaderet. Nam in ecclesiis totis sæpe noctibus cum lacrymis excubabat. Pauperes & afflictos misericordiæ prosequebatur visceribus, quibus quidem poterat, opem, omnibus verò exhibens compassionem. Vlceribus plena corpora languidorum, abhorrentibus cæteris, ipse manibus contrectauit, manibus lauit. Atque talem pueritiam secuta est adolescentia melior, addebatque virtutibus virtutes. Ieiunabat propensiùs, & orabat, &, quantum poterat, larga manu pauperibus distribuebat. Nam & domum eleemosynarum construxit in vico. Deinde autem Sacerdotio quoque strenuè fungebatur, offerens Deo hostias pro salute populi Christiani. Inuitabat peccatores ad pœnitentiam; & verbo & vita non paucos lucrabatur, & cùm omnes vitæ merito anteiret, omnibus tamen credi se inferiorem volebat. Denique contemplationis amore flagrans, etiam destinauit mutare locum, & relictis omnibus Christum sequi.

Admodum afficitur erga pauperes & morbidos.

Strenuè laborat pro salute proximorum.

ADHIBITO igitur vno itineris socio, iter arripuit ad Cluniacum, religionis ac disciplinæ loci fama commotus. Sed cum clam se fugere putaret, fama proditus est, & omnes properè, velut pro salute publica soliciti, profugum prosequuntur, tenent, reducunt. Erubuit itaque vir sanctus, & propositum suum non magis impeditum quàm manifestum dolens, ex mentis ægritudine morbum incurrit. Vnde cùm cœpisset conualescere, intelligens se à proposito, Dei voluntate impeditum, tentauit si vel inter suos adimplere posset optatum. Sed cùm domesticorum nemo salutaribus monitis præberet assensum, rationabiliter vrgens propositum, profectus est Romam, vt Apostolorum à Deo sibi, quod desiderabat, consilium impetraret. Et quidem reuersus Roma, postulata, in fide nihil hæsitans, exspectabat, cùm interea miles quidam, Deo inspirante, compunctus, ad virum Dei, consilium petiturus, accessit. A quo cùm accepisset, vt, relictis omnibus ad Christi militiam se transferret, respondit ille, id quidem se fa

Nota insignem humilitatem.

Visit limina Apostolorum.

se facturum, si fieri posset cum ipso, libentissimè, vnde & intellexit vir Deo plenus, hunc sibi socium, ac voluntatis suæ ministrum diuinitus destinatum. Gauisus ergo non parum, totum desiderij sui secretum ei aperit, sociumque se pollicetur. Nec mora. Miles fide iam plenus & constantia, vt cœptum suum Dei clementia prosperaret, ad memoriam beatæ Virginis Anitium ire decreuit. *Diuinitus mittitur ad eum quidam miles.*

QVO dum properaret, ecce in via, Dei nutu, paratum inuenit quod petebat, ecclesiam scilicet veterem, vasta cinctam solitudine, votis suis in omnibus respõdentem. Reuersus nunciat viro Dei quid inuenisset. Qui gratulatus valde, gratias reddit Deo ingentes. Sed vt numerus Trinitatis secundùm desiderium viri Dei adimpleretur ad seruiendum, accessit & tertius æquè miles, offerens se non solum socium, sed veriùs ministrum. Gaudet vir Dei, omnibusque ad votum paratis, die constituta eremum petit cum duobus discipulis; quorum prior Stephanus, sequens Dalmatius vocabatur. Veniunt ad locum optatum, bonis omnibus indigentem, quia eis bonum erat omnibus indigere. Nam quanto plus indigerent temporalibus, tanto plura se credebant reperturos æterna. Auxit loci difficultatem etiam vicinorum improbitas, qui morum immanitate feris similes, seruos Dei, quos sustentare debcrent, conuiciis vrgebant ac minis. Vbi quantas molestias senserint ac perpessi sint, tacendo meliùs putamus exprimi, quàm dicendo. Verùm in iis aduersis omnibus, duorum mẽtes corroborabat tertius, velut in acie tyrones veteranus. Facta iuxta ecclesiam cellula, credo de ramis & frondibus, partiuntur inter se domesticam curam, vt illi operarentur manibus ad victum, ipse verò lectioni & orationi incumberet. In oratorio autem, quod vtcunque refecerant, certis horis & nocte communes preces fundebant, cibum parcum & aridum cum gratiarum actione vnà sumentes, cuius pars maxima peregrinis & aduenis seruabatur, nec cogitabant de crastino. *Tendit vnà cũ eo & tertio socio in eremum.* *Viuũt simul in summa paupertate.* *Orant in cõmune.*

QVIBVS & id genus aliis exercitiis vir sanctus vtens, non solum socios instruebat, sed & incolarum quoque mitigabat feritatem, atque ita factum est, vt nonnulli quoque cingulum militiæ deponentes, & sancto eius contubernio adhærentes, Christi se seruitio in perpetuum ibidem manciparent. Sed & quidam quoque ex ordine clericali apud illum vitã solitariam delegerunt. Atque ita crescente numero discipulorum, creuit & religionis obseruantia. Accessit verò ad vitæ meritũ etiam *Plures ad eos veniunt sub conuersione.*

magna miraculorum potentia, ita vt iam in illis locis nullus ambigeret, virum sanctum meruisse à Deo gratiã curationum. Quam sic ille pro humilitatis custodia fideliter petẽtibus ministrabat, vt diuina tamen beneficia nõ sibi, sed sanctorũ Agricolæ & Vitalis, in quorũ seruiebat ecclesia, meritis imputaret. Sed eius merita dæmones, cùm ab obsessis corporibus pellerẽtur, non tacebant. Quorũ fama diuulgante, multi vulgo mixti nobiles ad eũ confluebant vndique, quos gratanter suscipiẽs, verbo Dei recreatos, cũ gaudio ad sua remisit. Sed cùm plerique Christo seruire non nisi sub ipsius ducatu proponerẽt, ortum est nouũ ex necessitate consilium, vt scilicet ibi construeretur monasteriũ, in quo sub regulari disciplina, quos Deus colligeret, vnanimiter habitarent. Ad quod construendum pandebat viam fideliũ non paucorum deuotio, qui certatim in hos vsus prædia & pecunias vltronei offerebant. Vnde videns Dei famulus tãti boni pręparatam diuinitus occasionem, sciensque veraciter ad suæ periculum animæ pertinere, si tam multorum saluti, propriæ quietis respectu, deesset, habita super hoc cum Fratribus suis deliberatione, assensu etiam & consilio Aruernensis Episcopi, bonæ memoriæ, Reuconis, cœpit monasterium ædificare cùm summa omnium gratulatione.

Potenter vir sanctus expellit dæmones.

Extruit insigne monasterium.

Eo tempore Francis imperabat Henricus, Sedem Apostolicam Leo nonus tenebat. Papam igitur supradictus Episcopus adiit, vir sanctus Regem Francorum, vtrique super noui loci stabilitate auctoritatis robur & congrua priuilegia petituri. Vtrique succedit ad votum, Rege non solùm petita annuente, sed & domum Dei, & virum sanctum regiis honorante muneribus, & similiter Papa decretis Apostolicis roborante consilium, atque insuper etiam hominem Dei, cuius famam sanctitatis audiuerat, licet inuitum, Fratribus præficiendum mandante. Quod & ita factum est: dedicatóque monasterio, vir beatus monachicum habitum regimenque suscepit, tam Fratrum precibus quàm Præsulis auctoritate. In quo quãta post regiminis curam circa subditos industriæ vigilantia, erga Deum autem simplicitas mentis eius illuxerit; hoc quidem signorum frequens ostensio, illud verò spiritualia laboris eius incrementa testantur. Nam præter secularium non modicam multitudinem, quorum animas verbo prędicationis atque exemplo, orationum etiam suffragiis est lucratus, ex quibus ad trecentos ferme monachos acquisiuit, præter ecclesias quoque circiter quinquaginta, post diuturnam desolationem,

Inuitus præficitur Fratribus.

ad

ad Dei seruitium reparatas; illud sanè constat esse præcipuum, quòd vnicæ simplicitatis ac charitatis suæ formam in discipulos, & eidem loco, cuius fundator exstitit, dotis instar egregiæ reliquisse cernitur hæreditariam sanctitatem. Qui cùm obitus sui, vt creditur, diem præsciuisset, Fratribusque ad se vocatis, post exhortationis verba singulis osculatis amanter valedixisset; sic conuersus ad Dominum, seque & illos Deo precibus commendans, plenus dierum dormiuit in Christo: sepultusque est in Casa Dei noua, quam ipse ædificauerat, octauo Calendas Maij.

Colligit ferè ad trecentos monachos.

Obdormit in Domino.

DE S. MARCO EVANGELISTA,

ex D. Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis.

XXV. APRILIS.

MARCVS discipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à Fratribus, breue scripsit Euangelium. Quod cùm Petrus audisset, probauit, & ecclesiæ legendum sua auctoritate edidit. Assumpto itaque Euangelio quod ipse confecerat, perrexit Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annuncians, constituit Ecclesiam tanta doctrina, & vitæ continentia, vt omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo disertissimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conuersatione scripsit. Et quomodo Lucas narrat Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia: sic & ille, quod Alexandriæ sub Marco fieri Doctore cernebat, memoriæ tradidit. Mortuus est autem octauo Neronis anno, & sepultus Alexandriæ, succedente sibi Aniano.

S. Marcus discipulus & interpres sancti Petri.

Vita Alexandrinorum sub ipso [illegible]

VITA S. RICHARII PRESBYTERI

quiescentis in Centula, ex ea quæ est per Alcuinum ad Carolum Magnum.

XXVI. APRILIS.

TEMPORIBVS gloriosissimi Regis Francorum Dagoberti, Richarius quidam natus in villa Centula, prouinciæ Pontinæ, velut lucifer emicuit. Hic etiam in rustica vita quædam præsagia futuræ sanctitatis gerebat. Contigit illo tempore, duos Sacerdotes, sanctitate florentes, quorum prior

S. Richarij patria.

Caidocus vocabatur, de Hiberniæ partibus in Pontinas peruenisse regiones; sed à rusticis illius loci non sunt suscepti, sed magis iniuriis afflictos à finibus suis cœperunt eos expellere. Quorum sceleratis præsumptionibus futurus Dei famulus Richarius strenuè obuiauit. Nam introductos hospites cum magnæ charitatis honore curauit, eosque sibi verbum Dei prædicantes, etiam cum tota humilitate audiuit. Denique ex prædicatione famulorum Dei, ad lacrymas conuersus, confessionem suorum fecit peccatorum; & qui Dominum suscepit in famulis suis hospitalitatis gratia, susceptus est à Domino in misericordia & pietate. Itaque mox ab initio conuersionis suæ tam dura se castigatione constrinxit, vt post longa & diuturna ieiunia, pane hordeaceo cinere commixto, & aqua lacrymis temperata; fessum ieiuniis corpusculum refocillaret. Atque his gradibus ad sacerdotalem quoque peruenit honorem: quẽ famulus Dei, & magna humilitate ornauit, & verbi Dei prædicatione ampliauit.

Excipit hospitio venerabiles duos Sacerdotes de Hibernia.

Victitat pane hordeaceo & aqua.

Sed & diuina clementia, post eius irrigationem, in isto populo plurima fidei dedit incrementa. Vnde & omnibus honorabilis factus est & charus. Quicquid verò ei populus in stipendia prædicationis sponte obtulit, omnia pauperibus diuidere festinauit, nec non & in captiuorum redemptionem. Et non solùm in his regionibus per pietatis opera, vel per prædicationis lumina effulsit, sed in vltramarinas quoque Britanniæ regiones lumen suo sparsit aduentu. Verùm prædicationis officio in Britannia peracto, cum multiplici verbi Dei fructu reuersus est in patriam, ne, dum in aliena messe quæreret mercedem, in propria perderet. Quodam itaque tempore Rex potentissimus Dagobertus, rogante viro illustri Gillemaro, easdem venire in partes, & virum Dei, vt se sacrosanctis eius orationibus commendaret, inuisere contigit: quem ipse famulus Dei & sanctitatis suæ benedictione roborauit, & sacerdotali auctoritate libera voce castigauit, denuntians ei, ne in seculari superbiret potentia. Atque exinde famulus Dei, quia ab hominibus honorabatur, homines fugere meditabatur. Itaque monasticam vitam petit; quo secretius sola cælestia mente rimaretur, Ecclesiæ regimen alteri tradens, quam ipse in Centula vico Christo fundauerat.

Prædicat passim verbum Dei.

Commendat se ei, recibus Rex Dagobertus.

Atque adeò Gislemarus vir illustris, & Christianæ religionis deuotus amator, simul & Mauronitus, nobilis vir, & terrarum vel syluarum ad Regem pertinentium seruator, præ-

buerunt

buerunt ei locum manendi in ſylua Triſtiacenſi: qui & ipſe Maurontus, poſtea ſeculari habitu depoſito, monachus quoque factus eſt in eodem loco. Vbi cùm viro Dei manſionem ſolitariam præparaſſet, Chriſto ſanè monaſterium conſtruere inchoauit. Et quidem vir Dei habitationem illam cum vno ſolo commilitone ingreſſus eſt, paruo tantùm tuguriolo, viliſſimo opere facto, contentus, vt habitatio vitæ conueniret. At inibi tanta ſe mortificatione carnis caſtigauit, tanta ieiuniorum & vigiliarum aſſiduitate macerauit, vt vix oſſa arentia, diſſipatis iuncturis, ſibi adhærerent, & trementia baculo regente veſtigia difficilè moueret. Nec clauſa tamen eremi anguſtia lucis columna latêre potuit: quin magis vndique ad hominem Dei diuerſis fatigati infirmitatibus confluxerunt, quos ſanctarum medicinis orationum ſanauit, omneſque ad ſe, quocunque morbo afflictos, venientes, vel triſtitiæ cuiuſlibet rancore anguſtiatos, ſanos & hilares domum remeare fecit. Mihi verò non ſingulas virtutum eius ſpecies nominatim enarrare propoſitum eſt, ſed vitæ ſanctitatem paucis perſtringere, ac deinde iam, quo fine præſens hoc ſeculum ſancta illa anima deſeruerit.

Conſtruit vir ſanctus monaſteriũ in ſylua Triſtiacenſi.

Tribuit ad ſe venientibus ægrotis ſanitatem.

ITAQVE præſcius diei euocationis ſuæ, vocauit ad ſe Sigobardum commilitonem ſuum, dixitque ei: Fili mi, præpara vaſculum corpuſculo meo. Quæ diſcipulus à Patre audiens lacrymis perfuſus, tamen præcepta ſecutus, lignum inueniens fidit, cauauit, & corpori Patris coaptauit, penè priùs lacrymis implens amaris, quàm paternis membris. Interim validior Patrem coquebat infirmitas, nec tamen ab orationis ceſſauit officio, vel diuinæ laudis obſequio: ac tandem dum ſalutifero corporis & ſanguinis Chriſti viatico ſuum iter muniuit, inter gratiarum actiones, & verba orationis, 6. Calend. Maij ſpiritum emiſit; poſituſque eſt in ſepulchro, in loco vbi ipſe præceperat. Sed mirum dictu: inter exſequias paternas ſubitò diſcipulus ſopore oppreſſus, vidit in viſu, quaſi raptus eſſet in aulam ſplendidiſſimam, in qua beatum Richarium præclaro & hilari vultu vidit habitantem, ſibique loquentem. Conditus eſt ergo, vt prædixi, miles Chriſti eo in loco, vbi ſuo Regi maximè militauerat. Sed nõ multo pòſt, Fratres à Centula monaſterio, cum ſuo Abbate Ocialdo, viro religioſo, & ſancti ſucceſſore, venerunt, & corpus S. Richarij tulerunt, poſueruntque in loco, in quo etiamnum cum magna meritorum gloria requieſcit. Vbi, præſtante Deo, per ſerui

Feliciter migrat ex hoc ſeculo.

Transfertur eius ſacrum corpus Centulam.

ſui reliquias noua ſæpius audiuntur miracula edi; videlicet vt fides precantium pateſiat, merita ſancti viri oſtendantur, & in ſeruo ſuo Chriſti laus celebretur.

VITA S. PETRI MARTYRIS,

Ordinis Prædicatorum, ex ea quæ eſt per Lentinum, eius contemporaneum.

XXIX. APRILIS.

** Quidã habent Comanæ S. Petri natales.*

Nota hoc dicta, monentes quia Manichæi dicebant diabolum eſſe creatorẽ cæli & reliquorũ viſibilium.

BEATVS Petrus Martyr, Prædicatorum decus, in Gallia Ciſalpina, quam Longobardiam vocant, ciuitate * Veronenſi, ex parentibus hæreſi deprauatis traxit originem, tanquam roſa de ſpinis. Hic cùm annos plus minus ſeptem natus, à ſcholis rediret, à patruo ſuo hæretico, quid didiciſſet, interrogatus, reſpondit; Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ, & reliqua ordine; nec potuit aliter perſuaderi. Tum verò ille ad patrẽ pueri, Timeo, ait, ne, cùm Petrus bene fuerit eruditus, fidem noſtram deſtruat, magnus Eccleſiæ, hoc eſt, conuenticuli Manichæorum futurus, ſi vixerit, perſecutor. Sed ſperabat pater pueri illum ad ſectam ſuam, poſteaquã in Grammatica eſſet inſtitutus, per hæreſiarcham aliquem facilè pertrahendum. Itaque miſſus eſt quoque ſtudij cauſa Bononiam. Vbi licet eſſet ab hæreticorum infeſtatione remotus, non tamen defuerunt ei noua impugnationum genera, florem nimirum illi pudicitiæ eripere connitentium, quæ adoleſcentiæ ſolent eſſe permoleſta. Vnde aduertens puer ſanctus non tutum eſſe cùm ſcorpionibus habitare, velut alter Ioſeph pallium reliquit in manu Ægyptiæ, atque Fratrum Prædicatorum inſtitutum mundus complexus eſt. In quo inſtituto paupertatis & humilitatis veſtigiis inſiſtens, beatumque Patrem Dominicum ducem, virginem virgo ſequens, magnum perfectionis apicem attigit, ſemper de virtute in virtutem progrediens.

Bononiæ ſtudens, ingreditur Ordinem Prædicatorũ.

Eius abſtinentia

Laborat quodam miro morbo.

IN ipſo nouitiatu contra carnem magno zelo incenſus, ne ſeruus delicatè nutritus proteruiret in Dominum, adeò ſe ieiuniis, & mirabili abſtinentia, vigiliis & precibus macerauit, vt menſuram propriæ fragilitatis excedens, ciuem propemodum perdiderit, dum vult opprimere hoſtem. Neruis enim corporis nimia exinanitione contractis, tam fortiter eius dentes compreſſi ſunt, vt vel ad ſorbendum quippiam quolibet inſtrumento ægre diduci potuerint. Miſertus eſt

est tamen illius, vel potiùs populi sui, Deus, nec passus est os illud beatum omnino obserari, quod in medio Ecclesiæ cum multo fructu creberrimè aperire constituerat. Qui quidem quàm fuerit deuotione gratus, obedientia placidus, patientia constans, charitate præstabilis, vbertim testantur & seculares & monachi, qui eius meruere frui consortio. Quin etiam cùm meritis refulgeret, ne quasi puluerem iactaret in ventum, si sine humilitate cæteras virtutes congessisset, adeò se humilem in Fratrum congregatione exhibuit, vt ad illorum obsequia, quibus iuuenis solebat occupari, plerunque se etiam senex vltroneum offerret. Itaque crebrò pia solicitudine seruiebat infirmis, sæpe hospites hilari excipiebat alloquio; interdum etiam officio ianitoris fungebatur.

Summè colit humilitatē.

Senex etiam al quād fungitur offi io ianitoris.

ATQVE interim etsi cum Martha externis esset occupatus, attamen cum Maria solicitè sedens ad pedes Domini, neque noctibus neque diebus à diuinis cessabat colloquiis, Euangelium Christi, aut aliquem sacrum codicem semper sub axilla, vel in sinu aut manibus gestans, & quoties licebat, vel lecta meditans, vel audita ruminans, & memoriæ commendans. Et præcipuè memor opprobriorum, & quæ hæretici Ecclesiæ Dei exprobrarent, ea quæ ad fidei defensionem, hæresumque oppugnationem pertinent, adeò suo animo affigebat, vt totum se Ecclesiæ obsequiis, eiusque hostium exterminiis mancipare videretur. Itaque disponente Domino, credita est illi eloquiorum dispensatio diuinorum, factusque est concionator siue prædicator generalis. Ex quo tempore exiit sonus eius in omnem terram prouinciæ Longobardicæ, & loca vrbi vicina, nec partem exiguam Tusciæ, itemq; in totam Romandiolam siue Flaminiam, & Marchiam Anconitanam. Quas enim ciuitates, vel oppida earum regionum, salutiferis aliquando clamoribus non impleuit? Sic verò gratiam gratiæ exæquabat Dominus, vt multitudo populi, ad conciones eius vndiq; confluentis, gratię eius magnitudinem indicaret. De vrbibus enim & castris cum vexillis & tubis sonantibus erumpebant obuiā venienti, recędentem quoque interdum tam multi sequebantur, vt vix ab eis se posset auellere.

Parat se vt confligat cum hæreticis.

Conuenitur ad eius conciones cum vexillis & tubis sonantibus.

SAEPE etiā vbi concionari statuerat, innumera hominum multitudo accurrens, locaque præripiens, & tempus anteuertens, illū intolerabiliter premebat. Quam ob causam Mediolanensis populus, insigni erga sanctum virum deuotionis argumento, in carruca ex pictis asseribus fabricata, non tergis

Necesse est, cũ pro turba portari ad suggestum.

iumentorum, sed humeris gestata fidelium, illum repos... & à compressione importunæ multitudin s seruabat illæsu. & habendæ concioni oportuniùs locum pro eo captabat cæteris eminentiorem. Et certè multi abiurabant hæreses, Catholica veritate perspecta, plures, condonatis iniurijs, finē discordijs & simultatibus imponebant, plurimi verò, sua confitentes peccata, ad agendam pœnitentiam se comparabãt. Sed & cùm instar pluuiæ eius doctrina increscceret, inter ipsos sermonum quasi cælitus effusos imbres, multa quoque cœperunt miracula coruscare. Namq; cùm quodam die Mediolani præ foribus ecclesiæ S. Eustorgij concionaretur, cuidam muto adolescenti, ad eum populi deuotione adducto, in os immisit digitum, conficiendo Christi corpori consecratum: moxque soluto vinculo linguæ eius, beneficium loquelæ restituit. Quo miraculo etsi meritò obstrui debuerint ora hæreticorum, at nihilominus illi, tanquam canes impudentissimi, salutifera cõfusione non sunt confusi. Itaque ad sancti sui gloriam Deus etiam plura signa innouauit.

Sanat Mediolani quendã mutum.

Disputat publicè cũ quodam hæresiarcha.

NAM quodam die, cùm apud Mediolanum quendam episcopum Manichæorum beatus Petrus examinaret, multis Episcopis & Religiosis, atque etiam bona ciuitatis parte ad hoc spectaculum congregatis, & dies tum concione, tum hæreticorum examinatione, in longum protracta fuisset, æstusque ingens cunctos affligeret, hæresiarcha ille, O Petre peruerse, inquit, si tu es tam sanctus, quàm hic populus stultus affirmat, cur illum pateris tanto solis ardore cruciari, nec rogas Dominum vt nubem aliquam interponat? Cui cùm athleta fidei fidenter respondisset, se ita, vt ipse dixerat, facturum, si promitteret, se, abiurata hæresi, fidem sanam complexurum, multi ex Catholicis contristari cœperunt, verentes, ne fides Catholica hac occasione pateret ignominiæ, è diuerso autem multi hæretici lætari sunt, atque idcirco suum illum Episcopum infestis clamoribus hortabantur, vt incunctanter promitteret. Sed cùm nec hac ratione pertinacia hæretici se obligare nolentis frangi posset, beatus Petrus tamen, Vt appareat inquit, quòd bonus Dominus omnium quoque visibilium est creator & opifex, ego illum rogo, vt ad consolationem in se credentium, & incredulorum confutationem, aliquam nobis dignetur creare nubeculam, quæ inter solem & populum interposita, nos tueri possit ab hoc æstu. Quod vbi ab illo ex pulpito quodam eminenti, præmisso crucis signo, dictum fuit, mox Dominus nubē in

Impetrat à Deo, pro confirmatione veritatis, insigne miraculum.

instar tentorij effecit, quæ multo temporis spatio populum omnem sua vmbra protexit, causamque lætandi, & hæreticis insultandi, auxit Catholicis.

Fama ipsius vbique fit celeberrima.

QVAS ob causas fama illius & gratia, non solùm in ea quã diximus ciuitate, sed vbique per patriam in dies augmenta capiebat, & largiùs spargebatur. Neque id mirum, quando hæc & plura alia etiam, dum adhuc viueret, per eum Dominus operari dignatus est. Complures enim etiam dæmoniacos, diuersisque vexatos morbis, solo contactu, vel crucis signo curauit, sicut multorũ fide dignorum testimoniis est comprobatum. Verùm cùm pestis hæretica in Longobardia magis magisq; pullularet, & multas iam ciuitates contagione pestifera infecisset; summus Pontifex Innocentius Quartus diuersos Inquisitores ex Ordine Prædicatorum ad diuersa Longobardiæ loca prudenter ablegauit. Qua etiam occasione, cùm Mediolani hæretici non solùm multi numero, sed etiam magni, seculari potentia residerent, idem Pontifex, sciens beatum Petrũ esse virum magnanimum, & qui à puero inter hæreticos vixisset, & quemadmodum Scripturas detorquerent, crebris pugnis probè didicisset, tam strenuum fidei pugilem Mediolani, & in comitatu Mediolanensi, instituit hæreticæ prauitatis Inquisitorem plena ei auctoritate concessa.

Instituitur à summo Pontifice inquisitor hæreticæ prauitatis.

ITAQVE ille demandatum sibi munus diligenter obiens, Samsonis vulpeculas accuratè perquisiuit, easque dissipauit vbique nullam eis requiem tribuens. Vbi tandem præuidens è propinquo adesse diem suæ passionis, summi Pontificis mandata etiam tanto constantiùs atque instantiùs cœpit exsequi, cùm interea videntes hæretici, atque dolentes negotium fidei per illum tam prosperos habere successus, de eius nece tractare cœperunt. Nec latuêre sanctum virum illorum machinationes, quippe quas certa plurimorum relatione didicisset. Itaque in Dominica quæ dicitur Palmarum, quatuordecim diebus ante suum obitum, Mediolani coram multa populi frequentia è suggestu palàm dixit, se non ignorare, hæreticos ipsi necem meditatos esse, & iam pecuniam sicario numerandam, alicubi depositam esse. Sed agant illi, inquit, quicquid volent, plus me sentient facturum contra se, etiam post obitum, quàm fecerim viuens. Atq; ô verissimam prædictionem! Assignato autem interea quibusdam hæreticorum fautoribus termino peremptorio ad octauum Paschatis diem, vt mandatis Ecclesiæ parerent, prædicens se ad illum terminum re-

Conspiratur in eius necem ab hæreticis.

Publicè edicit se non ignorare conatum hæreticorum, se tamen non propterea desistturum.

uersurum, ad Cumanam ciuitatem profectus est, vbi Prioris inter Fratres suos officio fungebatur.

PORRO die sabbathi in Albis (quod fuit anno salutis millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo) Athleta Christi de suo cœnobio ad certamen fidei Mediolanum contendens, nitebatur etiam præfixum terminũ præuenire. Sed ecce, cùm iter mediũ carperet, quidam funestus hæreticus precio librarum quadraginta conductus, in beatum virum incurrit, & sacrũ illius caput ense cruento ferit, diraq; illi, semel atque iterum repetitis ictibus, vulnera imprimit; deinde ad Fratrem Dominicum, sancti viri comitem, aërem miserandis vocibus implentem, se conuertit, & quatuor illi letalia vulnera inflixit, atque ad extremum (quemadmodum ipsus ille scelestus captus, atque idem Frater Dominicus aliquot diebus superuiueas, testati sunt) cùm adhuc palpitaret vir sanctus, cultrum per eius latera adegit, atque ita, eo confosso, beatum illius martyrium absoluit. Sepultus est autem Christi martyr admodũ reuerenter Mediolani, in ecclesia beati Eustorgij, ac non multo pòst, crebrescentibus miraculis, nondum exacto post martyriũ anno, sanctorum quoque Martyrum Catalogo solenniter adscriptus, die festo passionis eius, qui fuit septimus Aprilis, ob festa Paschalia simul tunc crebrò concurrentia, reiecto in tertiũ Calendarum Maiarum.

Crudeliter trucidatur, vnà cum fratre socio.

Crebrescentibus miraculis, adscribitur Sanctis.

VITA S. CATHARINÆ SENENSIS, EX
ea quæ est per R P. Raymundum Capuanum, S. T. D. eius Confessarium.

XXIX. APRILIS.

S. Catharina genus.

APVD Senas, præclaram Italiæ vrbem, Iacobus quidam fuit, vir simplex, integer, & timens Deũ. Is vxorem duxit Lapam. Quæ cùm multas Iacobo proles peperisset, tandem geminas edidit filias, è quibus altera Catharina est dicta. Quæ postquam sextum ferè ætatis annũ expleuerat, supra verticem templi Fratrum S. Dominici, vidit, illac diurno tempore transiens, in aëre thalamum elegantissimum, & quòd Christus oculis in eam intentis subridens, extenta super eam dextera, expressoque crucis signo, illi benedixit. A quo tempore tantilla puella canescebat morum maturitate, ac sensu mirabili. Quærebat latibula, & clàm suum corpusculum quadam chordula cædebat, precibus ac meditationibus perpetuò vacans. Cuius exemplo

Sex annos nata, videt Christum sibi sibi benedicentem.

exemplo complures coætaneæ puellæ inuitatæ, ad eam confluebant. Conueniebant autem omnes simul in quodam loco domus eius, idque occultè, & cum ea pariter se flagellabant, & quoties ipsa iussisset, orationem Dominicam, & salutationem Angelicam recitabant. Valde autem adspirabat ad tuendam in se virgineam castitatem. Itaque septem nata annos, Christo sponsa immortali suam dedicauit virginitatem, à qua die creuit in dies in vera sanctitate, cœpitque Christi tyruncula iam tum bellum indicere carni etiam necdum rebellanti.

Dedicat Christo suam virginitatem.

Statuit, quoad fieri posset, carni carnium esum non permittere. Itaque si quæ ei fuissent appositæ carnes, vt plurimũ porrigebat eas Stephano fratri, aut paulatim proiiciebat eas, vt nemo posset aduertere. Flagella autem de quibus antè diximus, non solùm continuabat, sed augebat etiã, & sola, & cũ puellis, &, quod mirum in tantilla ætate videri posset, in eius animo feruescebat etiam zelus quidam animarum. Porrò postquam sacra virgo ad nubiles peruenit annos, cœperunt parentes & germani eius, ignari propositi illius, de eius tractare coniugio, mater quoque ad studium excolendi corporis eam hortari. Et quidem tandem à Bonauentura sorore sua, quam impensè amabat, persuasa, dedit se nonnihil componendo corpori, sed sic tamen, quòd nunquam animum suum vlli homini applicuit, vel sponte se hominibus visendam præbuit, tametsi de orationis feruore & assiduitate meditandi nonnihil tepescendo remisit. Verùm sorore eius Bonauentura, quæ ei huius vanitatis auctor fuerat, non diu pòst defuncta, fleuit cum B. Magdalena valde amarè illam culpam suam, atque per id tempus totis viribus se B. Mariæ Magdalenæ conformare nitebatur.

Parat se paulatim ad summam sanctitatem.

Nota.

Ob leuè quantum culpam [illegible] amarissimè.

INTERIM hostis malignus, dolens eam sibi ereptam spẽ ad mundi studia eam reuocandi, per parentes aliam adhuc tentat viam. Aduocant quendam Dominicani instituti Fratrem, ipsis amicissimum: orant vt Catharinam à sua sententia deducat. Spondet ille se conaturum pro viribus: sed vbi virginis sensit immutabile propositum, vrgente conscientia consuluit ei, vt, amputatis capillis suis, indicaret se nolle in coniugium vllo pacto consentire. Quod quidem eius sanum consilium sancta virgo haud secus atque cælitus præstitum arripiens, capillos quàm primùm ad cutem vsque præcidit: oderat enim illos, quòd putaret se illis componendis antea grauiter

Præscindit capillos suos, vt ostendat

se nullo modo velle nubere.

peccauisse. Iam verò palàm parentes & dictis & factis eam persequebantur, simul etiam omni secreto loco illi interdixerūt, & seruitijs domus eam perpetuò voluerunt occupari, ne posset precibus vacare: volebant siquidem his rationibus eam frangere, & ad sibi consentiendum impellere, quòd iuuenem quendam sponsum inuenissent, cuius genus & familia eis pergrata esset. Verùm draco pestifer, cuius machinationibus ista fiebant, quibus rebus sperauit se virginem euersurum, ijs ipsis magis eius animum, Domino iuuante, confirmauit.

Notent qui tantopere querunt se distrahi operibus externis.

IMAGINABATVR sacra virgo patrem suū repræsentare Christū Iesum, matrem suam, sanctissimam Christi genitricem, ceteros de familia, Apostolos & Discipulos Saluatoris. Qua imaginatione fortiter concepta, id assecuta est, vt omnibus illis cum omnium admiratione hilariter & officiosè inseruiret, & vt dum in culina versaretur, semper esset intra sancta sanctorum. Vnde & tandem germani eius, videntes constantiam eius, se victos fatebantur. Contigit interim quadam die illam in fratris sui Stephani cubiculo feruentes Domino preces offerre; cùm fortè illud ingressus pater, vidit columbam paruam, niuei candoris, eius capiti insidentem; quod & admirans valde, secū conseruabat. Per id quoque tempus videt virgo beata in somnis multos sanctos Patres, monasticorum Ordinum institutores, atque in ijs beatissimum Dominicū. Hortabantur autem eam illi Patres, vt vnum aliquod institutum monasticum deligeret: quocirca & cœpit ire ad sanctum Dominicum: qui mox ei occurrit cum habitu Sororum quæ dicuntur de pœnitentia, dicens: Forti animo esto filia. Et quidem ea visione mirabiliter confirmata, eodem die parentes & germanos conuocauit, fidenterque eis locuta est. Tum verò pater, qui erat aliis religiosior, Nemo, inquit, posthac filiæ meæ dulcissimæ molestus sit, vacet liberè sponso suo. Qua accepta libertate, virgo Christi mox totam vitam suam mirabiliter accommodauit.

Videtur in capite eius candida columba.

Apparet ei S. Dominicus, offerens illi habitum de pœnitentia.

Agit in paruo quodam cubiculo sicut in solitudine

ET primò quidem exiguum cubiculum ab aliis separatum impetrauit, vbi tanquam in solitudine posset vacare Deo, & pro voto affligere corpus suum. Vbi quanta pœnitentiæ asperitate sese excruciarit, nulla potest lingua explicare. Carnes, quibus ab infantia raro fuerat vsa, iam prorsus sibi voluit esse interdictas. Decimo quinto ætatis suæ anno vinum à se reiecit, ac deinceps semper aqua frigida vtebatur. Cuiusuis generis coctos cibos, præter panem, paulatim sibi subtrahebat; &

& intra breue tempus eò suum adegit corpusculum, vt pane & crudis herbis esset contentum. Anno ætatis vicesimo, aut circiter, etiam pane abstinuit, nihil præter crudas herbas sibi permittens, ita vt totâ ipsius vita miraculum esset, quod etiam medici fatebantur. Præterea lectum sibi parauit ex tabulis ligneis, nihil quicquam alterius rei addens. Vestibus laneis vtebatur, cilicio etiam quandoque vsa. Sed postea illud catena ferrea commutauit, quæ catena constringebat tam fortiter nuda eius latera, vt propemodum carni concreta videretur. Sed & volens imitari sanctum Patrem Dominicum, multo tempore quotidie ter se cædebat catena illa, singulis vicibus ad sesquihoram, sanguine ab humeris in pedes manante, vt sanguinem pro sanguine suo redderet Redemptori.

Nihil comedit præter crudas herbas.

CVM primùm nouæ professionis genus esset complexa, dicebat frequenter sibipsi, Ecce habitus tuus ater & candidus te admonet vt mundo sis mortua, & summæ studeas puritati quo tempore etiam statuit nulli prorsus loqui, nisi cùm esset sua peccata confessura, idque toto triennio exactè obseruauit. Sed & benignissima quoque erat erga pauperes. Ex quibus vni cùm aliquando ipsam suam tunicam dedisset, nocte sequenti Dominus illi oranti manifestè se visendum præbuit in illius pauperis effigie, in manu tunicam illam ferens margaritis conspicuam. Aliquando etiam sorori cuidam ægrotæ officiosissime seruiens hæc sacra virgo, nihilo minus turpissimè ab illa est infamata. Quam rem dum ad sponsum suum refert, ecce apparuit is ei, habens in dextera manu coronam auream, in sinistra verò spineam, dicens, eligeret vtram mallet. At verò illa, Ego, inquit, Domine, cupio in hac vita semper tuæ passioni conformari, simulque spineam coronam feruenter arripiens, illam vi multa impressit in caput suum.

Quorsum seruiat habitus monasticus.

Silet integro triennio.

Oblatam sibi à Christo coronam spineam, feruenter imposuit suo capiti.

AD hoc & incitabatur ad crebrò percipiendum sacrosanctam Eucharistiam, ex qua tandem ei tanta consolationum copia dimanabat, vt alimento quoque corporeo non indigeret, Propter quod eximium Dei donum multa tamen passa est sancta virgo ab ipsis etiam domesticis. Murmurabant, obtrectabant, ipsum etiam Thomã, tunc Confessarium, eò adigebant inuitum, vt eam reprehenderet. Quæ causa fuit, quod, vt sancta virgo omnẽ infirmis scandali ansam tolleret, statuetit tandem, quotidie semel cum aliis mensam accedere. Attamen quicquid sumpsisset, cogebatur quotidie violenter ex stomacho exhaurire: quæ res, ei summos pariebat cruciatus.

Quicquid comedit, violenter uomẽ cogitur extrahere ex stomacho.

Atque

Atque hac tamen viuendi ratione vsa est vsque ad mortem, idq; propter eos scilicet, qui eius ieiunio offendebantur. Sed & præterea contigit, vt quadam die singulariter obsecraret Dominum, vt auferret ab ipsa cor proprium, & omnem propriam voluntatem. Videbatur autem illi sic oranti in visione venire Christus & latus eius sinistrum aperire, ablatoque corde recedere. Durauitque hoc aliquot dies, & ecce è sacello illa quadam die exire volente, cum multa luce apparuit ei Dominus, ferens in manu cor quoddam rubicundum & illustre: propiusque accedens, illud in sinistrum virginis latus imposuit, dicens, En filia mea, habes pro corde tuo cor meum: clausitque latus eius. Quod quidem ne putaretur inane phantasma, illo loco cicatrix permansit.

Subitò à se rapitur.

Ad se reuersa, flet continuo per tres dies.

Nota fidem Scriptoru.

MIRIS æquè mira succedunt. Quadam vice vnà cum afflictionibus corporis, pro quibus paulo antè Dominum ardentissimè rogârat, tãta simul in virgine fuit vis amoris Christi, vt cor eius à summo vsque deorsum crepuerit, ruptisque vitalibus venis, spiritum reddiderit, cuius rei complures fuêre testes: durauitq; hæc animæ à corpore separatio ad horas quatuor. Post quas voluit Dominus vt rediret ad corpus, & indicaret hominibus quę vidisset, proque illorum salute laboraret, cum ipsa paulo pòst vitæ reddita est, & deinde tribus diebus & noctibus fleuit continenter. Iam verò nullus sanè narrare sufficiat, quotnam post hæc potissimum sceleratos homines sacra virgo ab ipsis inferorum faucibus extraxerit, quot obstinatos ad sui cogitationẽ adduxerit. Vidi ego nõnunquam vel mille, & eo ampliùs vtriusque sexus homines ad eã videndam & audiendam confluere, soloq; eius adspectu ita ob sua malefacta animo compungi, vt mox lugentes properarent ad Cõfessarios, quorũ vnus ego eram, & id crebrò ita cõtigit. Quam etiam ob causam Gregorius eius nominis XI. Romanus Põtifex, mihi & duobus sociis meis eam dederat absoluendi omnes ad eam venientes, & confiteri volentes, facultatem, quam habent Episcopi. Et certè multi venerunt ad nos, immanibus implicati facinoribus. Sed virgo sancta sine intermissione orabat, & ita victrix capta præda exultabat.

Eius meritu [illegible] maximi peccatores conuersi.

Flagellatur à dæmonib. pro communi salute Ecclesiæ.

DENIQVE virgo sanctissima cutem instar cadaueris circumferens, liuida quoq; vestigiis verberum, quibus cædebatur à dæmonibus pro aliorum sceleribus (eorum nimirum qui schisma tunc illud fouebant, cuius initia fuêre sub Vrbano sexto, & in multos durauit annos) ita, inquam, corpore af-

fecta,

fecta, & inuicta nihilominus animi robore & virili constantia, tandem, post longum agonem, felicissimè ad Christum profecta est, anno salutis millesimo trecentesimo octogesimo, die 29. Aprilis, anno ætatis suæ plus minùs trigesimo tertio, cùm mox quasi totius Romanæ vrbis populus accurrit, & pedes ac manus eius reuerenter osculatus est, simulque edita sunt diuinitus multa insignia & valde præclara miracula: quæ adeò etiam aucta sunt, postquam humatum est sacrum corpus. Porrò anno Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, Pius secundus eam Sanctorum Catalogo adscripsit. Ad laudem Dei omnipotentis.

Proficiscitur ad Christum.

Adscribitur solenniter Catalogo Sanctor.

FINIS APRILIS.

MAIVS.

DE SS. PHILIPPO ET IACOBO APOstolis ex Ordinario nouo.

I. MAII.



PHILIPPVS Bethsaidæ natus, vnus ex duodecim Apostolis fuit, qui primùm à Christo Domino vocati sunt, à quo & cùm accepisset Nathanael venisse Messiam in lege promissum, ad Dominum deductus est. Quem quàm Christus familiariter adhiberet, illud facilè declarat, quòd Gentiles, Saluatorem videre cupientes, ad Philippum accesserunt, & Dominus, cùm in solitudine hominum multitudinem pascere vellet, sic Philipum affatus est: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Is, accepto Spiritu sancto, cùm ei Scythia ad prædicandum Euangelium obtigisset, omnem ferè illam gentem ad Christianam fidem conuertit. Postremò, cùm Hierapolim Phrygiæ venisset, pro Christi nomine cruci affixus, lapidibusque obrutus est, Calendis Maij. Eius corpus ibidem à Christianis sepultum, postea Romam delatum, in ecclesia duodecim Apostolorum, vna cum corpore B. Iacobi Apostoli, conditum est.

S. Philippus vocatus à Christo inter primos.

Ioan 6.

Prædicat apud Scythas, ac deinde subit martyriū.

PORRO hic Iacobus frater Domini, cognomento Iustus, ab ineunte ætate vinum & siceram non bibit, carne abstinuit, nunquam tonsus est, nec vnguento nec balneo vsus. Atque

S. Iacobo assiduitas orādi, callū genibus obduxerat. huic vni licebat ingredi in Sancta Sanctorum: idemque lineis vestibus vtebatur: cui etiam assiduitas orandi ita callum genibus obduxerat, vt duritie cameli pellem imitaretur. Eum post Christi adscensionem Apostoli Hierosolymorum Episcopopum creauerunt, ad quem etiam Princeps Apostolorum misit, qui nunciaret se è carcere ab Angelo eductum fuisse. Sic & cùm in Concilio Hierosolymis controuersia esset orta de lege & circumcisione, Petri sententiam secutus, ad fratres habuit concionem, in qua vocationem Gentium probauit, fratribusque absentibus scribendum esse dixit, ne Gentibus iugum Mosaicæ legis imponerent. De quo & loquitur Apostolus ad Galatas: Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. *Galat. 1.*

TANTA autem erat eius vitę sanctitas, vt fimbriam vestimenti eius certatim homines cuperent atingere. Ac denique nonaginta sex annos natus, cùm triginta annos illi Ecclesiæ sanctissimè præfuisset, Christum Dei Filium constantissimè prædicans, lapidibus primùm appetitur, mox in altissimum templi locum adductus, inde præcipitatus est, Qui confractis cruribus iacens, semiuiuus manus tendedat ad cælum, Deúmque pro illorum salute deprecabatur his verbis: Ignosce eis Domine, quia nesciunt quid faciunt. Qua in oratione grauiter eius capite fullonis fuste percusso, animam Deo reddidit, septimo Neronis anno, & iuxta templum, vbi præcipitatus fuerat, sepultus est. Vnam scripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est.

Per 30. annos præest ecclesiæ Hierosolymitanæ.

Moribundus orat pro suis persecutoribus.

VITA S. SIGISMVNDI REGIS
Burgundionum, partim ex D. Gregorio Turonensi, partim ex Aimonio.

Ex 10. 7. Sur. 19.

I. MAII.

MORTVO Gunebando, regnum eius Sigismundus filius eius obtinuit, monasteriúmque Agaunense solerti cura cum domibus basilicisque ædificauit. Qui perdita priori coniuge, filia Theodorici Regis Italici, de qua filium habebat nomine Sigericum, aliam duxit vxorem, quæ valde contra filium eius (sicut nouercarum mos est) malignari ac scādalizare cœpit. Vnde factum est, vt vna solennitatum die, cùm puer super eam vestimenta matris agnosceret, commotus felle diceret ad eam: Non enim eras digna vt hæc indumenta tua terga

Greg lib. 3. hist. c. 5.

S. Sigismundus extruit monasterium Agaunense.

terga contingerent, quæ dominæ tuæ, id est, matris meæ, fuisse noscuntur. At illa furore succensa instigat verbis dolosis virum suum, dicens: Hic iniquus regnum tuum possidere desiderat, teque interfecto, id vsque in Italiam dilatare disponit, scilicet vt regnum quod auus eius Theodoricus Italiæ tenuit, & iste possideat. His autem & huiusmodi ille incitatus verbis, vxoris iniquæ cõsilio vtens, iniquus exstitit parricida. Nam sopitum vino, dormire post meridiem filium iubet, cui dormienti, lorum sub collo eius positum, ac sub mento ligatum, trahentibus ad se inuicem duobus pueris, suffocatus est. Quo facto, parte serò iam pœnitẽs, super cadauer exanime ruens, flere cœpit amarissimè: ad quem senex quidam sic dixisse fertur: Sed te, inquit, plange amodo, qui per consilium nequam factus es parricida sæuissimus: nam hunc, qui innocens iugulatus est, necessarium non est plangi. *Consonat huic à Sigebertus ad annũ 505.*

ITAQVE ille ad sanctos Agaunenses abiens, per multos dies in fletu & ieiuniis durans, veniã precabatur. Porrò huius filiam Rex Theodoricus accepit, Clotildis verò Regina Clodomerem & reliquos filios suos deinde alloquitur, dicens: Non me pœniteat, charissimi, vos dulciter enutrisse, indignamini, quæso iniuriam meam, & patris, matrisque meæ mortem sagaci studio vindicate. Quæ illi audientes, Burgundias petunt, & contra Sigismundum & fratrem eius Godomarum dirigunt, deuictoque exercitu eorum Godomarus terga vertit. Sigismundus verò, dum ad saltus Agaunos fugere nititur, à Clodomere captus, cum vxore & filiis captiuus abducitur, atque intra terminum Aurelianensis vrbis in custodia positus detinetur. * Tunc verò beatus Auitus qui in territorio eiusdem vrbis Abbatis fungebatur officio, rogare Clodomerem cœpit, ne tam excellentis nobilitatis, insignisque bonitatis virum neci traderet. Quod ille audire detrectans, eum in villa, cui Calumpnia nomen est, perduci, ac ibidem cum filiis capite cæsum in puteum proijci iussit, de quo postmodum sublatus, atque ad basilicam sanctorum Agaunensium deuectus martyrum, cum digno honore est sepultus. Quem Sanctorum Collegio Dominum adnumerasse ideo non ambiguum habetur, quòd febricitantes quique, si pro remedio animæ ipsius, salutare fideliter fecerint offerri sacrificium, cõtinuò ab infirmitatis suæ liberantur incommodo * Denique sancti Sigismundi reliquias, multis prodigiis inclytas, Pragam transuexit Carolus quartus Imperator.

Pœnitet apud Agaunenses.

Capitur à rege Franciæ Clodomere.

** Aimonius lib. 2. histor. cap. 4.*

Trucidatur, & in puteum proijcitur.

** Annales Bohemiæ.*

VITA

Tom. 7.

VITA S. EVERMARI MARTYRIS BLEGÆ, *ex ea quæ est apud R. P. Laur. Surium.*

I. MAII.

S. Euermari nobilis apud Frisones prosapia.

TEMPORIBVS Pipini Principis, quem ex Begga Ansigisus Dux suscepit, beatus Euermarus cum primis nobili stirpe in Frisia ortus est. Quem sanè à prima ætate sibi cõsecratum omnipotens Deus sancti Spiritus gratia totum perfudit; atque adeò crescentibus vnà cum ætate virtutum meritis, totius sanctitatis speculum effectus est. Et quidem eius profectui inuidens hostis antiquus, multis tentationibus à sancta intentione eum retrahere & depellere conatus est, sed fortis Christi miles obturabat aures suas, & prorsus ad nihilum redegit omnes eius machinationes. Sed & cùm Deo benefauente tentationes omnes superatæ essent, & ille vitam duceret sanctissimam, ad martyrium iam adspirabat, sine quo metuebat apud Deum se pro imperfecto haberi: atque ita suscepit causa Dei peregrinationem, vt posset alicubi ceu ignotus obire martyrium. Venit autem in Galæciam ad S. Iacobum. Vbi cùm eius ædem ingressus fuisset, eiusque suffragia expetiisset, rediit in partes inferioris Galliæ, vbi sancti quidam recèns de hoc mundo subtracti clarebant miraculis, puta Foillanus martyr, Furseus & Vllanus fratres, Remaclus Episcopus, Trudo venerabilis Confessor, & virgo Dei Gertrudis.

Sitit martyrium, & circumit, visens loca sacra.

Volẽs inuisere Traiecti sanctum Seruatiũ, venit ad syluã Ruttis.

QVORVM ille suffragia, singulorum loca visens, piè ac deuotè anibiens, cùm Traiecti etiam S. Seruatium adire vellet, cum septem comitibus venit ad primos aditus syluæ quæ Ruttis nominatur: sed ne, impendente iam nocte, in tenebris per ignoti loci anfractus erraret, ad proximam villam, quæ Heritaplia dicebatur, diuertit. Eam villam homo crudelis Hacco nomine sibi vendicabat, adiunctisque sibi sociis, hostis publicus barbara feritate per syluã illam & vias publicas iter agentes aut interficiebat, aut despoliabat. Idem quoque ipse aliud apud Mosam sibi ædificium condiderat, quod à suo nomine Haccoletum voluit appellari, vnde contemplabatur transeuntes, & nauigantium res diripiebat. Atque ad huius ædes beatus Euermarus se contulit, nesciens cuius essent. Ille verò tum aberat. Itaque eius vxor, mulier religiosa, & peregrinorum solicitè curam gerens, sanctum virum & comites eius humaniter excepit, monuitque eos, vt ante solis ortum se darent itineri, ne superueniens maritus ipsos trucidaret. At

Excipitur cũ sociis in ædibus [illegible] impij Hacconis, ipso tunc à domo absente.

illi,

illis, cùm bene precati essent fideli mulieri illi, manè ab eius domo egressi sunt, & euersi in syluam quam reliquerant. Interea Hacco domum redit, discit ex suis de hospitibus qui illic pernoctauerant, illisque auditis, homo sæuus penè fit exanimis, atque: Quonam aufugerunt illi? ocyus insequamur eos, ne, si manus effugiant meas, dicant occurrentibus, se Hacconis ceu desidis & stertentis vim impunè præteriisse.

Mox cum suis ingreditur syluam, per abrupta & inuia persequitur Euermarum & socios eius, atque ecce ab improuiso incidit in locum in quo illi quiescebant, compensaturi damna somni noctis superioris. Visos illos Hacco duriter obiurgat, quòd ausi fuerint in suæ ditionis terram ingredi, quòd non pependerint vectigal impositum illac transeuntibus, sed tanquam fures clàm se subduxerint: Qua ex re tantum aiebat illos in se admisisse facinus, quod nisi eorum fuso sanguine expiari haud quaquam possit. Atque his dictis, mox beatum Euermarum, qui cæteris honestiori habitu præstare videbatur, crudelis homo ferro necat; cæduntur etiam comites eius. Detrahuntur deinde cæsis vestimenta, corpora manent insepulta, sed Angelicis seruantur excubiis; donec scilicet Pipinus Princeps, quem suprà nominauimus, in eum locum peruenit. Rursum enim syluam venãdi causa ingresso illo, comites eius, dum syluæ lustrant inuia, eò perducti sunt, vbi corpora cæsorum iacebant: sicque misericordia permoti, ex vulneribus, & sanguine quo adspersa erant, sepulturæ ea mandarunt, beatum Euermarum, ob vultus decorem, & corporis formam egregiam, ceu aliis digniorem, post exsequias, accuratiori etiam sepultura cohonestantes, dimidio clypeo corpori eius supposito, & altera clypei parte ei imposita.

Reuersus impius, eos iam sanctos persequitur.

Crudeliter vir sanctus cum sociis interficitur.

Inueniuntur cæsorum corpora à ministris Pipini Principis.

5 SED & postea, quando Leodiensi ecclesiæ præsedit * Eraclius Episcopus, in villa seu pago, qui iam de exstirpata sylua Ruttis nomen retinuerat, sancti Martini ecclesia fuit, cui vir magnæ sanctitatis Zuselinus inseruiebat: cui & Dominus per Angelum suum vitam & nomen beati Euermari indicauit, simul etiã de martyrio, & loco vbi humatus erat, certiorem eum efficiens, iubensque vt Episcopum Eraclium suo, id est, Dei nomine eò adduceret, vt sanctum Euermarum martyrem è sinu terræ eleuaret, quippe cuius spiritus ab ipsa cædis hora in cælis versaretur. Et quidem Sacerdos de hac visione hæsitans, illo anno nihil Episcopo renunciauit. Sed & altero quoque anno eadem nocte culpatus ab Angelo, quòd iussis ipsius non

** Eraclius.*

Sacerdos quidam monetur de sacro corpore eleuando.

C parui

paruisset, nihilominus rem apud se tacitã habuit: donec tertio anno eadem nocte non solùm reprehensus, sed etiam flagellis cæsus ab Angelo. tandem credidit visioni, abiitque ad Episcopum, & ei omnia ordine exposuit, in veritatis argumentum ostendens ei corporis plagas & liuores. Præcepit itaque ei Episcopus, vt sacrum corpus effoderet. Quod cùm factum esset, Episcopus illud ex humo eleuauit: vnde tanta deinde prodiit odoris suauitas, vt, qui aderãt, in paradiso sibi versari viderentur. Porrò Episcopus, collecto populo, transtulit illud in B. Martini ædem, sanè quàm honorificè plebi & regioni illi patronum comparans. Ab eo autem tempore tanta illic diuinitus sunt miracula declarata, vt, si omnia perscribantur; ingens volumen completura sint. Facta est autem hæc eleuatio circa annum Domini nongentesimum sexagesimum octauum.

Eleuata ponitur in ecclesia S. Martini Ratisb.

Molanus in Indiculo.

DE S. VVALBVRGA VIRGINE, PARtim ex R.P. Laur. Surio, partim ex D. Ioan. Molano.

Sur. tom. 7.

I. MAII.

POSTQVAM Anglorum Deo chara gens beatissimi Gregorij Pontificis Maximi studio & operâ ad Christianam religionem traducta fuit, multi eorum ob cælestis spei remunerationem in Franciæ regnum peruenerunt. In quibus & S. Bonifacius Moguntinæ Sedis, ob sua merita, Præsulatum adeptus est. Nec non & duo fratres germani VVilliboldus & VVinniboldus, cum sorore sua, Deo & hominibus charissima, VValburga, cùm in has regiones venissent; VVilliboldus quidem à S. Bonifacio ordinatus est Eystetensis Episcopus: atque angelicam in ea functione ducens vitam, tandem beatissimè abiit, non obiit: VVinniboldus autem totum se Christi seruitio mancipans, mundanaque omnia prorsus respuens: locum quem vocant *Heydenheim*, sibi incolendum sumpsit: ibique precibus vacans continuis, spe robustus, fide firmus, monasticę vitæ professionem vsque ad supremum vitæ diem admodum strenuè prosecutus est, multosque suis exemplis ad bene viuendi studium perduxit. Qui VVinniboldus vbi excessit è viuis, feminei nihilominus sexus decus & ornamentum, VValburga, omnibus se virtutis præbuit exemplum. Erat enim Præfecta Virginum monasterij Heydenheimensis, & mater familias egregia, quæ & posset à Deo impetrarę quicquid petiisset.

S. VValburga duo venerabiles fratres.

Agit virgo sancta Præfectã monasterij Heydenheimensis.

NAM

Nam & cùm ab hac vita migrasset beatissimus VVinniboldus eius frater, immodico dolore correpta, die quodam vesperi exiuit è monasterio, nullo penitus de familia monasterij id cognoscente. Venit autẽ ad ædes cuiusdã hominis opulentis & ante fores, ceu quædã peregrina & ignota, sola substitit. Videns autẽ illam dominus domus, & nesciens quænã esset, valde metuebat cum tota familia sua, ne à canibus suis discerperetur. Iussit igitur vt quàm primùm sese indicaret. Tum illa, Canes tuos, inquit, ego nihil reformido; non enim poterunt mordere VValburgã: ille enim qui me huc adduxit incolumẽ, etiã illæsam potest reducere eò, vnde huc adueni: quin etiam magnum tibi solatium adferet, si toto pectore credas illum esse summum medicum. Quæ vt audiuit vir illustris, è sede sua prosiliẽs, animo consternatus, sciscitabatur cur virgo nobilis, & omnipotentis Dei ancilla, præ foribus stare voluerit: admodumque reuerenter illã excipiens, officiosissimè & humanissimè tractauit. Cæterùm cùm incumbendum esset, rogata virgo vbi nocte dormire vellet, respondit, se non nisi in illo velle cubare cubiculo, vbi filia eius grauissimè decumbebat, ita vt iam funeri eius necessaria à parentibus præpararẽtur. Tum verò illis præ nimio dolore eiulantibus, in cubiculum virgo VValburga ingressa est, & ecce nocte illa Dominum pro puella deprecans, altera luce eam parẽtibus sanissimam exhibuit: qui sanè pro tanto miraculo Deo immensas egere gratias; Vvalburgæ autem multa obtulêre dona, eius precibus obnixè se commendantes. At virgo Christi dona accipere noluit, soli Christo placere desiderans, eumque super omnia diligens.

Docet toto pectore sentiendum esse Dominum.

Sanat suis precibus puellam quandã, iam morti proximam.

Atqve adeò sic tandem, cùm iam mundũ & omnes eius cupiditates planè protriuisset, ex hac vita victrix decessit, sepulta honorificentissimè in monasterio suo. * Cuius deinde, & fratrum eius Vvilliboldi & Vvinniboldi reliquiæ allatæ sunt ex Germania, anno octingentesimo septuagesimo, per Balduinum Ferreum, Comitem Flandriæ, & magno cum honore Furnis repositæ, instituto ad id monasterio Ordinis S. Benedicti, quod nunc est Canonicorum collegium. Sed potissima tamen sanctæ Vvalburgæ portio habetur Aeichstadij in monasterio eidẽ sanctæ dicato, vbi adhuc hodie ex eius corpore oleum in subiectum argenteum vas miraculosè defluit, quod multis grauibus morbis medetur. Porrò eleuata est, & Sanctis adscripta, circa annũ octingentesimũ septuagesimum, per Odogerum Episcopum Aeichstadẽsem, consensu Adriani

Migrat ad Christum.

** Deinceps Molanus.*

Trãsferũtur eius sacra reliquia Furnas.

Ita Chronologia monasteriorum Germania, Alscribitur diu.

ſecundi,& ex *Heydenheim*: vbi prima fuit Abbatiſſa, ad dictam vrbem tranſlata, de qua ſic canitur: Filia Regis erat, ſed egenam ſe faciebat, Diues vt in Chriſto regnaret ſemper in ipſo.

VITA S. ATHANASII EPISCOPI

Alexandrini, Scriptoris Eccleſiæ partim ex Theodoreto, partim ex Socrate.

II. MAII.

S. Athanaſius inuitus Epiſcopus Alexandrinus mox patitur ſibi infenſiſſimos Arrianos.

CVM Epiſcopus ille egregius Alexander, qui tam ſtrenuè contra Arrij blaſphemiam decertauerat, quinque menſes poſt Concilium Nicææ celebratum, finem viuendi feciſſet, eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopatum capeſſit Athanaſius, vir conſuetudine illius excellentis Alexandri aſſiduè vſus. Cuius cùm Arriani in Concilio Nicæno, experientiâ docti, intellexêre alacre in tuenda veritate ſtudium, & iam ad eccleſiæ Alexandrinæ gubernacula ſuſcipienda deſignatum, prorſus eius adminiſtratione ſuam potentiam labefactatum iri exiſtimârunt: qua de cauſa quoque tale quoddam facinus mox moliri cœperunt. Cùm Meletius ille, quem Concilium Nicænum abdicauerat, tumultus ciêre nô deſiſteret, Arriani militibus mercede conductis perſuadent, vt contenderent ad Imperatorem; inſimularent Athanaſium, quòd tributa Ægypto impoſuerat, & aurum inde collectum homini tyrannidem exercere molienti ſuppeditarat. Qui cùm Imperatorem hoc modo eſſent ludificati, effecerunt vt Athanaſius Conſtantinopolim duceretur. Sed ille, vt primùm eò venit, tum falſam criminationem refutauit, tum ad eccleſiæ adminiſtrationem reſtitutus eſt. At ne ſic quidem impios Arrianos puduit, ſed aliam talem de integro texere fabulam aggreſſi ſunt.

Delatus falsò apud Imperatorem ſtatim abſoluitur.

ARSENIVM quendam, communionis Meletianæ Epiſcopum, quidam ex eius factione eo quidem conſilio occultant, vt diu ab hominũ oculis remotus latitet. Interea temporis, manũ cuiuſdam hominis mortui abſciſſa, eam ſale conditam in capſa lignea reponunt, manum eſſe prædicant Arſenij, eam ab Athanaſio exciſam; iſta manu Athanaſium ad magicas præſtigias vſum fuiſſe. Verùm ſummi numinis oculus non diu Arſenium latitare paſſus eſt. Etenim non multo pòſt Arſenium Athanaſij neceſſarij conquirunt, adducunt, cogunt in diuerſorio hærere. Atque interim ad accuſandum quoque introducta eſt

Confingitur contra eum fabula de Arſenio.

Subornatur & muliercu-

est muliercula: clamat se professam virginitatem, sed ab Athanasio, quem hospitio exceperat, per vim compressam. Quæ cũ dixisset, ingreditur Athanasius, presbytero, cui Timotheus nomen erat, comitatus. Vbi deinde cùm à iudicibus imperatum Athanasio fuisset vt crimini responderet, ipse obticuit, perinde ac si Athanasius non esset, at que Timotheus sic mulierculam alloquitur: Egóne tecum aliquando rem habui? Tum illa impudentiùs petulantiusq́ue: Tu mihi abstulisti virginitatem, tu castitate me spoliasti. Atque ad hunc modum his, qui fabulam texuerant, ignominiæ inusta nota, muliercula educta est. Tum verò Athanasius: Non est dimittenda mulier, sed cognoscendum quis hæc confinxerit. At Arriani vociferari alia contra eum multo grauiora restare, quæ nulla dicendi arte acuminéve dilui possent. Quæ cùm dixissent, capsam, de qua sermo fuit, ostendunt, manum sale conditam detegunt. Tum singuli clamorem tollere. Atque vix momento temporis silentium fuit, cùm Athanasius sciscitatus est, ecquis inter eos Arsenium nosset. Cui cùm à multis responsum esset, se accuratè hominem nosse, eum introduci iubet, ac rursus sic percunctatur: Hiccine est Arsenius? Vbi verò assensum est illum ipsum esse, Athanasius exuit eum pallio, & vtramque manum nemo, opinor, quæreret. Quibus rebus ad hunc modum patefactis, cùm oporteret & accusatores, & iudices, qui facinoris erant conscij, præ pudore se in latebras abdere, Athanasium hominum oculos præstigiis fefellisse affirmare cœperunt: quin etiam, qui eum paulo antè cædis reum egerant, iidem ipsi hominem discerpere mactareq́ue aggrediuntur. Verùm quibus negotium ab Imperatore dabatur vt tranquillitati prouiderent, cædem prohibuerunt. Nam Athanasium, hostium manibus ereptum, in scapham curauerunt imponendum, sicq́ue eius saluti consuluerunt.

la, quæ dicat se ab ipso cõstupratam.

Eleganter diluit obiecta de stupro.

Itẽ & de amputato brachio Arsenij.

PORRO Athanasius rectà ad Imperatorem profectus, postquam venit de iniquo iudicio conquesturus, Episcopos, quos ea de re accusabat, ad se aduentare iubet Imperator. Qui simul vt accesserunt, calũniasq́ue suas manifestè deprehensas animaduerterunt; illis, quas iam antè confixerant, relictis, referunt Imperatori, Athanasium minatum esse se prohibiturum, quo minùs frumentum, vt solet, Alexandria Constantinopolim aueheretur. Quibus verbis fidem adiungens Imperator, Athanasium mittit in exsilium, iubetq́ue vt Treuerim, vrbem Galliæ, se conferat. Vbi cùm Athanasius biennio & men

Tẽdit ad Imperatorẽ, vt conqueratur de calumniis.

Exsulat per biennium Treuiru.

Scribit pro eo Constantinus Iunior, vt restituatur in suam sedem.

mensibus quatuor esset commoratus, Constantinus Augustus è vita decedit. Quo quidem tempore Constantinus, filius Constantini Magni natu maximus, qui Galliæ, versus Occidentem, imperium obtinuit, literas ad Ecclesiam scripsit Alexandrinam, quæ ita se habent: Vestræ prudentiæ minimè obscurum esse arbitror, quid causæ fuerit, cur sacrosanctæ legis interpres Athanasius à patre meo in Galliam relegatus sit, ne scilicet per nefariam improborum quorundam peruersitatem vulnera planè insanabilia sustinere coactus fuisset. Quamobrem cùm pater meus haberet in animo, illum ad propriam sedem restituere, & morte antè occupatus occumberet, quàm id explere posset; consentaneum existimaui, vt ipse institutum exsequendum susciperem. Quanta autem obseruantia hominem complexus fuerim, ab eo ipso, simul atque in vestrum conspectum venerit, facilè intelligetis. Deus vos seruet incolumes.

Restitutus in suam sedem, iterum mox cedere cogitur.

CVM istis igitur Constantini literis sanctus Athanasius redit Alexandriam. Quem omnes cupidè excipiunt, exceptis solùm Arrianis, quibus eius reditus angori fuit. Quapropter etiam Eusebius, Theognis, & quotquot eorum factioni adhærebant, suas machinas, ad Athanasium oppugnandum, de integro admouere cœperunt: reditúmque Athanasij multorũ malorum causam exstitisse dixêre. Quibus, & similibus rationibus, cùm leuem in primis Constantij animum oppugnassent, persuasêre vt Athanasius ecclesiâ pelleretur. Athanasius autem, intellectis eorũ insidijs, clàm se subduxit Alexandria, & rectà in Occidentem contendit; cùm interim illi quendam nomine Gregorium, lupum videlicet in locum pastoris, substituunt, qui & ad sex annos multo maiori crudelitate vsus, tandem quoque à suis ipsius ouibus exstinctus fuit. Atqui Athanasius ad Constantem accedens (Constantinus enim, filius Constantini, in bello interemptus erat) eum ad patrem æmulandum acriter excitauit. Scilicet simul atque ista audiuit, literas scripsit ad fratrem, quibus eum hortabatur, vti hæreditatem pietatis paternæ integram seruaret. Quibus literis persuasus Constantius, mandatum dedit, vt Episcopi tum Orientis, tum Occidentis, Sardicam, quæ est in Illyria, aduentarent. Et quidem ducenti & quinquaginta Episcopi Sardicæ in vnum conuenere, quò etiam accessit Athanasius. Aduentarunt illò & accusatores. Verùm quoniam Concilij constantiam & sanam sententiam cognitam habebant, cùm essent vocati, minimè in

Confert se ad Constantem in Occidente.

Conuenitur Sardicam.

ingredi voluerunt.

De quibus rebus cùm Constans Imperator certior factus esset, videretque fratris sui Constantij leuitatem, ægrè admodum tulit. Itaque duos Episcopos, ex eorum numero qui Sardicæ conuenerant, cum literis ad fratrem; vnà cum Saliano Prætore misit. Quæ literæ, non hortationem solùm & consilium, verùm etiam minas dignas sanè pio Imperatore, complexæ sunt. Atque adeò istarum literarum impulsione denique redeuntem Athanasium benignè excepit Constantius, & Ecclesiam Alexandrinam denuo capessere iussit. Iam tum occubuerat Gregorius, ab ipsis Alexandrinis cæsus. Quocirca & Alexandrini, viso suo pastore, Deum laudibus extollere cœperunt. Verùm non longo temporis spatio interposito, vbi Constans extremũ vitæ diem obiit, rursus hi, qui Constantij animum, quò volebant, impellere potuerunt, reuocant eum in memoriam tum dissensionis cum fratre propter Athanasium susceptæ; tum quòd parum aberat, quin, ruptis naturæ vinculis, bellum inter ipsos mutuo ea de re concitassent. Quibus rationibus impulsus Constantius, iubet Athanasium non exsilio solum, sed etiam morte mulctari. Quare & Athanasius nullum locum tam munitum esse censuit, vti in eo tutus esse posset, præsertim cum Imperator mandatum dedisset, vt vel viuus adduceretur ad se, vel caput illius mortui apportaretur, essetque pollicitus amplissimam mercedem ei qui hoc præstare vellet.

Propter minaces literas fratris iterũ cogitur eum recipere Constantius.

Iubetur à Cõstantio occidi.

Post quæ etiam, quorumque occasione, quantæ in vniuersam vndique Ecclesiam ingruerint paulo pòst procellæ, nunc Mediolani, nunc Arimini, nunc Nicææ Thraciæ, nunc alibi ac alibi Arrianorum studijs, conciliabulis indictis, haud facile est persequi. Quis (inquit in Apologia sua ipse hic Athanasius) tantum sceleris dicendo poterit exprimere? Nam nuper cùm ecclesiæ pace fruerentur, Episcopus Romæ Liberius, & Paulinus primariæ vrbis Galliarum, & Dionysius primariæ vrbis Italiæ, & Lucifer primariæ vrbis insulæ Sardiniæ Episcopus, & Eusebius Episcopus etiam Italiæ, qui omnes, quoniam boni Episcopi erant, & veritatis præcones, sedibus patrijs abrepti sunt, inque exsilium acti, nulla alia causa culpáve contra illos allata, quàm quòd hæresi Arrianæ consentire, & calumniis eorum ac falsis criminibus, quæ contra nos confixerant, subscribere noluerunt. Sed longum est, vt dixi, hæc narrare singulatim. Tandem Constantius, cùm acce-

Varijs eo tempore turbæ in Ecclesia.

Plures Episcopi in exsiliũ acti, quia damnationi Athanasij subscribere nolebant.

pisset, Iulianum, quem Cæsarem totius Europæ declarauerat, res magnas per seditionem moliri; & contra eum exercitum cogere, supremum vitæ diem obiit. Qui Iulianus, quo omniū sibi conciliaret beneuolentiam, dum Episcopos, à Constantio ecclesijs eiectos, ad suas ecclesias redire iussisset, & Athanasius quoque Alexandriam rediit. Verùm haud diuturna fuit hæc quies. Etenim cùm Deo infestus tyrannus Iulianus de reliquo leges aduersus verum Dei cultum apertè promulgare cœpisset Athanasius, athleta veritatis, in aliud rursus discrimen venit. Nam dæmones, eius tum in concionando tum in precando vim non ferentes, suos ministros ad eum conuicijs lacerandum armant.

Redit vir sanctus Alexandriam.

ITAQVE & Iulianus dedit mandatū, vt Athanasius, non patria solùm, verùm etiam vita spoliaretur. Qui vbi intellexit quosdam ad se conquirendum missos, rectà in Thebaidem traiecit. Qui autem iussus erat vt eum occideret, factus de eius fuga certior, quantum potest, persequitur. Et quidem cùm quidam ex familiaribus Athanasij anteuertisset, diceretque hominem eum properè persequi, nonnulli qui comitabantur Athanasium, orabant, vt de via in solitudinem deflecterent. At ipse dat mandatum gubernatori, vt nauigium versus Alexandriam dirigat. Sic igitur illis ei, qui persequebatur, obuiam factis, venit homo ille, qui mandatum de Athanasio interficiendo acceperat, sciscitatúrque quantum inde abesset Athanasius. Cui Athanasius ipse respondet, eum non longè abesse, sicque dimittit: ipse autem redit Alexandriam; atque reliquo tempore, quo vixit Iulianus, ibi delituit. At verò sequuntur nunc tempora Iouiniani, ac deinde Valentiniani: sub quibus, vnà cum vniuersis Orthodoxis, vtcunque quietus fuit Athanasius. Post quos cùm Valens in eos, qui fidei consubstantialis adhærescebant, grauissimam persecutionis procellam excitasset, Alexandriæ quoque Edictum Ecclesiam magnopere conturbauit. Rursum igitur & Athanasius per quatuor menses latitauit. Ob cuius absentiam cùm populus seditionem conflaret, Imperator certior factus, per literas illis significauit, vt liceret Athanasio Ecclesiarum administratione animo securo & tranquillo potiri. Vnde & factum est, vti Ecclesia Alexandrina ad mortem vsque Athanasii deinceps quieta pacatáque consisteret: sicque post multa pro Ecclesia confecta certamina, cùm Episcopatum quadraginta sex annos non absque multis grauibúsque periculis,

Iterum quæritur ad mortem.

Occurrens illi qui eum quærebat ad mortem, nequaquam agnoscitur.

Fauore populi tandem relinquitur cōquiescere.

Obdormit in Domino.

culis administrasset, tandem decessit è vita, Gratiano secundùm & Probo Consulibus.

VITA S. ANTONINI ARCHIEPISCOPI

Florentini, Ordinis Prædicatorum, ex Vincentio Mainardo Geminianensi.

II. MAII.

ANTONIVS, siue Antoninus (ita enim, quòd statura pusillus esset, vocabatur) Florentiæ honestis parentibus Nicolao & Thomasia natus est. Hic vt primùm infantiam excessit, visus est longè plùs sapere, quàm puerilis ætas pateretur; ita vt diuertens quotidie ad Angeli Michaëlis templum, cognomento ad Hortum, atque ad Crucifixi imaginem procumbens, totius penè ciuitatis ora in se conuerterit. Annum agens sextum decimum, intra Prædicatorum Ordinem admissus est, studio literarũ & orationibus deditissimus, somni ac cibi parcissimus. Primus inter psallentium choros ita vigilias adamabat, vt, persolutis nocturnis laudibus, postquam non iacens, sed sic sedens, in parietem paululum caput inclinasset, aut in orationibus pernoctaret, aut certè lectioni, aut conscribẽdis libris, quos nobis tanta vtilitate reliquit, incumberet: quod, mirum profectò est, vt grauissimis morbis crebrò ad mortem confectus, herniosus, & in phthisim ineunte ætate inclinans, potuerit; præsertim cùm præfecturis plerunque fungeretur, quæ solum hominem videntur exigere. Nam vt primùm viri virtus illuxit, non permissus est intra cellulam latitare, sed modò hæc est illi, modò illa administratio domorum concredita. Itaque non in gurgustio aliquo, sed in theatris, vt ita dicam, Italiæ, tegendis cœnobiis est Præfectus. Romæ enim, Neapoli, Florentiæ, Senis, Caiettæ, Cortonæ, Fesulis Priorem egit, mox etiam prouinciæ Romanæ, ac Neapolitanę Vicarium generalem; pedibus vt plurimum se portans, dum prouinciam obiret.

S. Antonini patria & parentes.

Induit habitum Prædicatorum.

Frequenter ægrotat.

Nominis Monasteriorum [illegible] præfuit.

INSTITVTORVM sui Ordinis erat seruãtissimus. Carniũ edulio semper abstinuit, nisi interdũ à medicis cogeretur. Cilicio semper est vsus; zona quoque interdum ferrea ad viuam cutem încinctus. Humi accubans, aut tabulato illisus dormiuit: si quãdo molliusculè recubasset, eas delicias saccus paleis infertus exhibuerat: sed & frequenter intorto semet funiculo verberauit. Vt Sacerdotio initiatus est, quotidie &

Quotidie legit Missam, & etiam alterius Missæ [illegible].

ipse sacrificabat, & Sacrificio etiam alteri deuotus adstabat. Denique eò se humilitatis abiecit, vt præfectus cœnobijs, etiã culinam adiret, cacabos, ollas, ahena mundaret. Iam verò quo charitatis ardore flagrabat? Et consulendo enim, tum pœnitentes auditis eorum confessionibus expiando, sed & conciones ad populum habendo, in vinea Domini cultor indefessus desudauit. Atque interea Bartholomæo Zabarella humanis rebus exempto, complures in Florentinam ecclesiam inhiabant. Itaque certatim Eugenij quarti aures tundebant. Ita factum est, vt nouem totos menses animi penderet; cùm tandem probatis viris Antonini peritiam, integritatem, vsumque rerum ad memoriam reuocantibus (nouerat enim probè illum Pontifex) Archiepiscopum Florentinum, Senatu Cardinalium mirante quidem, sed tamen maximè probante, declarauit. Iter tã forte Antoninus arripuerat Neapolim, cùm in ipso itinere de Pontificatu intellexit: quod grauiter accipiens, fugam statim cœpit animo volutare. Sed frustra fit omne quod aduerso numine molimur.

Prouidetur ipsi absenti de Episcopatu Florentino.

ROMANVS enim Pontifex, cùm illum non flecti suasorijs literis, quas complures dederat, perspexisset; iam incalescens & commoto propior, iubet quosdam ex Præsulum ordine ad Antoninum scribere, vti se tandem, quò diuina vis vellet, trahi sineret, & quo plus reniteretur, eò sibi magis sciret præceptis Apostolicis atque anathematis alligandum. Ad hæc misit & diplomata Põtificia, vt mos est, ad ineundos Præsulatus. Tum verò Antoninus nullum esse reliquum perfugium ad euadendum videns, tandem, licet inuitus, & fermè eiulans, manus dedit. Qui quidem ad Pontificatum euectus qualem se præstiterit, non est nostræ facultatis exponere. Ita enim totos tredecim in Episcopatu exegit annos, vt in cæteris quoque Magnum Gregorium, qui tantundem Romanæ Ecclesię præsedit, sit visus imitari. Primùm omnium in familia modestiam præ se tulit. Plures enim quàm sex, eosque frugi ac temperatos, domi non habuit, qui vix obeundis negotijs possent sufficere, omni luxu, tam in victu suo, suorumque, quàm in amictu resecato. Noctu semper, antè etiam quàm cymbala principis templi reliquos excitassent, ad matutinas laudes vigilauit. Quas vnà cum suis Sacerdotibus postquam collectissimus in Deum persoluisset, reliquum quod supererat temporis, ad horam diei tertiam, aut lectioni sacræ, aut cudendis libris impendebat. Hora tertia sacrificabat; quod

Fugit eũ honorem, sed frustra.

Quomodo se in Episcopatu gesserit.

Vsque ad tertiã vacat pre

nunquam nisi coactissimus intermisit. Peracto Sacrificio, quod totum diei reliquum erat, in audiendis iis, qui multi, alius aliam ob causam, accessissent, absumebat. *Matin studiis deinceps publicis.*

NEMO erat tam vulgaris, cui ad eum non pateret aditus. Si minus re poterat, vel ipsa in audiendo patientia, vel in respondendo comitate, omnibus faciebat satis. Tanta verò prudentia, atque consilio pollebat, vt quòd consultor esset optimus, etiam ante Pontificatum Antoninus Consiliorum vocaretur. Clerum, quem in omne flagitiorum genus ferè prolapsum acceperat, in meliorem formam restituit. Complures quoque ciuium, ad fœnorum voragines præcipites, ad probata commercia reuocauit. Florentiæ Elizabeth tertium diui, Dominici Ordinem professa, quæ per septennium morbo intercutis laborauerat, ad Antonini pedes prouoluta, eius benedictionem flagitauit, accepit: ac dubium vtra prior in eam, salus, an benedictio, descenderit; quæ namque tumido corpore procubuerat degrauata, surrexit erecta cute leuissima. Quin & hoc quoque maius. Non contemnenda nobilitate sunt in Florentina vrbe Fulicarij. Ex iis cuidam filiolus vnigenitus, vnicè dilectus, exspirauit. Armatus fide, ad Antoninum aduolat: vt sibi viuum restitueret, flagitabat. Quid hic faceret Antoninus? Miseratus hominem, obortis lacrymis orauit: mox blandè affatus patrem, Ne te, ait, plangore ampliùs conficias. I domum, ini cubiculum, filium ad vitam reuocatum amplexare. Adfuit dicto fides. Rediit, iniit, viuentem est filium amplexatus. Si quando aliquid Christi nomine adiecto peteretur, nunquam denegabat: si domi non haberet, à proximis mutuo capiebat: qui si recusassent, vestes, caligas, calceos, domesticam supellectilem tribuebat. Neque tamen inter tot miserantis dulcedines defuit ei, cùm res posceret, animi magnitudo.

Sanat quandam laborantem morbo intercutis.

Excitat puerum mortuum.

Sæpè proprias suas vestes dat pauperibus.

OCTOVIRI Magistratus Florentiæ duos fortè sacerdotes in crimine deprehensos clangentibus tubis deduci ad Præsulem imperarunt. Antoninus mirum quàm molestè tulerit. Cùm ad eos irrupisset, temeritatis grauissimè coarguit, tum esse illos anathemate illaqueatos: summum Pontificem adirent, ad eum esse rem deuolutam. Erant Octouiri, quanquam lapsi non tamen ingenio perdito. Vbi Antistitis constantiam cognouerunt, conscientia ducti supplices literas, quibus expediri se petebant, ad Pontificem dedêre. Qui cùm se totum relaturos ex curia putarent, ecce Pontificiis literis iubentur,

Vide quàm seuerus fuerit pro immunitate ecclesiastica homi..., ... meritissimus.

iubentur, vti Antonium conuenirent, ac vltro supplices facti culpam, pro Canonum institutis, anathemate soluerentur. Antistes, quoniam publicè peccauerant, zona collo indita, ad fores templi iussit procedere, atque ibi, spectante populo, conuerberatos terga, vinculo excommunicationis liberauit. Quæ res vix dici potest quatum omni sexui, omni ordini terrorem; præ sui magnitudine, incusserit, vt quacumque transeuntem illum cognouissent, passim currerent, ac flexo poplite mares, feminæ, plebei, , nobiles ad benedictionem Præsulis curuarentur. Iam tempus appetebat, vt, quod in lacrymis seminarat, in exsultatione meteret. Itaque cùm annos tredecim Florentinæ ecclesiæ præfuisset, ad quam quinquagesimo & septimo ætatis anno fuerat euectus, in morbum incidit. Correptus febricula, sacro Eucharistiæ, mox etiam extremæ Vnctionis clypeo munitus, sexto Nonas Maij, anno à Natali Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, amicus ille Deo ad vitam perennem euolauit, in Diuorum numerum postea relatus ab Adriano sexto, anno ab excessu suo sexagesimo quarto.

Vnctus sacro oleo, feliciter migrat ad Christum. Adscribitur Sanctis.

DE INVENTIONE S. CRVCIS

ex Ordinario nouo.

III. MAII.

POST insignem victoriam, quam Constantinus Imperator, diuinitus accepto signo Dominicę Crucis, ex Maxentio reportauit, Helena, Constantini mater, in somnis admonita, conquirendæ Crucis studio Hierosolymam venit: vbi marmoream Veneris statuam, in Crucis loco à Gentibus collocatam ad tollendam Christi Domini passionis memoriam, post centum circiter octoginta annos euertendam curauit. Quod item fecit ad præsepe Saluatoris, & in loco resurrectionis, inde Adonidis, hinc Iouis sublato simulacro.

Collocata statua prostrata ad tollendam memoriam Saluatoris.

ITTAQVE loco Crucis purgato, altè defossę tres Cruces erutæ sunt, repertusque seorsum ab iis Crucis Dominicæ titulus: qui cùm ex tribus, cui effixus fuisset, nō appareret, eam dubitationem sustulit miraculum. nam Macharius Hierosolymorum Episcopus, factis Deo precibus, singulas Cruces cuidam feminæ graui morbo laboranti, admouit: cui cum reliquę nihil profuissent, adhibita tertia Crux, statim eam sanauit. Helena salutari Cruce inuenta, magnificentissimam ibi ex-

Ex inuentis simul tribus Crucibus vnica, quæ fuerat Christi, sanat ægrotantem.

struxis

struxit ecclesiam, in qua partem Crucis reliquit thecis argenteis inclusam, partem Constantino filio detulit, quæ Romæ reposita fuit, in ecclesia S. Crucis in Hierusalem ædificata in ædibus Sessorianis. Clauos etiam attulit filio, quibus sanctissimum Iesu Christi corpus fixum fuerat. Quo ex tempore Constantinus legem sanciuit, ne Crux ad supplicium cuiquam adhiberetur: ita res, quæ antea hominibus probro ac ludibrio fuerat, venerationi & gloriæ esse cœpit. *Pars Crucis in Ierusalem reposita, pars Romã allata.*

VITA S. MONICÆ MATRIS DIVI
Augustini, ex eiusdem Confeßionum Libro nono.

IIII. MAII.

ACCIPE cõfessiones meas, & gratiarum actiones, Deus meus, de innumerabilibus etiam in silentio. Sed nõ prætenibo de illa famula tua, quæ me parturiuit, & carne, vt in hanc temporalem, & corde, vt in æternam lucem nascerer. Tu creasti eã, nec pater nec mater sciebat, qualis ex eis fieret illa. Nec enim tantam erga suam disciplinam matris diligentiam prædicabat, quantam famulæ cuiusdã decrepitæ, quæ patrem eius, infantem portauerat: cuius rei gratia, & propter optimos mores, in domo Christiana satis honorabatur. Vnde etiam curam dominicarum filiarum diligenter gerebat, & erat in eis coërcendis, cùm opus esset, sancta seueritate vehemens. Nam eas, præter illas horas, quibus ad mensam parentum alebatur, etiamsi exardescerent siti, nec aquam bibere sinebat, addens verbum sanum: Modò aquam bibitis, quia in potestate vinum non habetis, cùm autem ad maritos veneritis, aqua sordebit, sed mos potandi præualebit. Educata itaque pudicè ac sobriè, vbi plenis annis nubilis facta est, tradita viro seruiuit veluti domino, & sategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas. Ita autem tolerauit cubilis iniurias, vt nullam de hac re cum marito haberet vnquam simultatem. Expectabat enim misericordiam tuam super eum, vt in te credens castificaretur. *S. Monica egregiè instituitur à quadam vetula.* *Prohibetur iuuencula bibere extra tẽpus refectionis, & quare.*

ERAT verò ille præterea, sicut beneuolentia præcipuus, ita ira feruidus. Sed nouerat hæc non resistere irato, non tantum facto, sed ne verbo quidem. Iam verò retracto & quieto, cùm oportunum videret, rationem facti sui reddebat. Denique cùm matronæ multæ, quarum viri etiam mansuetiores erant, plagarum vestigia dehonestata facie aliquando gererent, *Insigni artificio vtitur iã nupta erga maritũ iracundum.*

rent, cumque mirarentur illæ, scientes quòd ferocem coniugem sustineret, nunquam fuisse auditum, aut aliquo indicio claruisse, quòd Patritius ceciderit vxorem, aut quod à se inuicem, vel vnum diem domestica lite dissenserint, & causam familiariter quærerent, docebat illa institutũ suum, quod suprà memeraui. Quæ obseruabãt, expertæ gratulabantur; quæ non obseruabant, subiectæ vexabantur. Socrum etiam suam, primò susurris malarũ ancillarũ aduersus se irritatam, sic vicit obsequiis, perseuerans tolerãtia & mansuetudine, vt illa vltro filio suo medias linguas famularum proderet, quibus inter se & nurum pax domestica turbabatur, expeteretque vindictam.

Nota.

Vincit longa patientia infensam sibi socerum.

SED & hoc quoq; illi bono mãcipio tuo, in cuius vtero me creasti, Deus meus, munus grande donaueras, quòd inter dissidentes atque discordes quaslibet animas, vbi poterat, tam se præbebat pacificam, vt cùm ab vtraque parte multa de inuicem audiret amarissima, qualia solet eructare turgens atque indigesta discordia, quando præsenti amicæ, de absente inimica, per acida colloquia, crudelitas exhalatur odiorum, nihil tamen alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret. Denique etiam virum suum, iam in extrema vita tẽporali eius, lucrata est tibi, nec in eo iam fideli planxit, quòd in nõdum fideli tolerauerat. Erat etiam serua seruorum tuorum. Quisquis enim horũ nouerat eam, multum in ea laudabat, & honorabat, & diligebat te, quia sentiebat præsentiam tuam in corde eius, sanctæ conuersionis fructibus testibus. Fuerat enim vnius viri vxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suam piè tractauerat, in operibus bonis testimonium habebat. Nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties abs te deuiare cernebat. Postremò nobis, Domine, omnibus, qui ex munere tuo sinis loqui seruis tuis qui ante dormitionem eius in te iam consociati viuebamus, percepta gratia baptismi tui, ita curam gessit, quasi omnes genuisset, ita seruiuit quasi ab omnibus genita fuisset.

Tandem lucratur virum suum infidelem Christo.

1. Timo. 5.

Humiliter seruit suo filio, & aliis eius spiritualibus filiis.

IMMINENTE autem die quo ex hac vita erat exitura, prouenerat, procurante te occultis tuis modis, vt ego & ipsa soli staremus incumbentes ad quendam fenestram illic apud Ostia Tyberina, vbi instaurabamus nos nauigationi. Colloquebamur ergo soli valdè dulciter, & præterita obliuiscentes, in ea quæ antè sunt, extenti, quærebamus inter nos apud præsentem veritatem, quod tu es, qualis futura esset vita æterna Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor ho

Cõtemplatur cum filio suo de æterna illa felicitate.

cor hominis adscendit, Dicebamus ergo: Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasiæ terræ, & aquarum, & aëris, sileant & poli, & ipsa sibi anima sileat, & transeat se, non se cogitando, Nónne hoc est, Intra in gaudium Domini tui? Et istud quando? An cùm omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur? Dicebamus talia, & si non isto modo, & his verbis: tamen Domine, tu scis, quòd illo die, cùm talia loqueremur, & mundus iste nobis inter verba vilesceret, cum omnibus delectationibus suis. Tunc ait illa: Fili, quantùm ad me attinet, nulla re iam delector in hac vita. Vnum erat propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, vt te Catholicum Christianum viderem priusquam morerer: cumulatiùs hoc mihi Deus meus præstitit, vt te etiam, contempta felicitate terrena, seruum eius videam. Ad hæc ei quid responderim, non satis recolo.

Cupit dissolui & esse cū Christo.

TVM verò interea, vix intra quinque dies, aut non multò ampliùs, decubuit febribus. Vbi cùm ægrotaret, quodam die defectum animæ passa est, & paululum subtracta est à præsentibus. Itaque nos concurrimus: sed citò reddita est sensui, & adspexit adstantes me & fratrem meũ & ait nobis, quasi quærenti similis. Vbi eram? Deinde nos intuens mœrore attonitos, Ponetis hîc, inquit, matrem vestram. Et ego quidem silebam, & fletum frænabam: frater autem meus quiddam locutus est, quo eam non peregre, sed in patria defungi tanquã feliciùs optaret. Quo audito, illa, vultu anxio, reuerberans eum oculis, quòd talia saperet, atq; inde me intuens, Vide, ait, quid dicit. Et mox ambobus, Ponite, inquit, hoc corpus vbicunque. nihil vos eius cura conturbet: tãtùm illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei, vbicunque fueritis.

Aegrotat.

Petit sui memoriam post mortem fieri ad altare.

ERGO die nono ægritudinis suæ, quinquagesimo & sexto anno ætatis suæ, trigesimo & tertio ætatis meæ, anima illa religiosa & pia corpore soluta est. Cuius cùm ecce corpus elatum est, imus & redimus sine lacrymis. Nam neque in iis precibus, quas tibi fudimus, cùm offerretur pro ea Sacrificium pretij nostri, iam iuxta sepulchrum posito cadauere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego fleui, sed toto die grauiter in occulto mœstus eram. Scio misericorditer operatam, & ex corde dimisisse debita debitoribus suis, dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte, Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in iudicium. Et credo, iam feceris quod

En apertissimè Sacrificiũ pro defunctis.

quod rogo: sed voluntaria oris mei approba Domine. Et inspira Domine Deus meus, inspira seruis tuis, vt, quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam.

Pater S. Augustini vocatur Patricius.

VITA S. GOTHARDI EPISCOPI

Hildemensis, ex ea quæ est per eius contemporaneum.

IIII. MAII.

S. Gothardi genus.

BEATVS Pater noster Gothardus, Episcopus in Bauaria, apud Altahense monasterium natus est. Parentes germanè Christiani fuêre qui cùm eum feliciter enutriuissent, in cœnobio eodem curarunt sacrarum literarum studiis adhibendum. In hoc ergo monasterio puer Gothardus & à parentibus piè oblatus, & à Fratribus religiosè susceptus, quendam literaturæ, Deo donante, accepit haustum sanè laudabilitèr. Per id tempus beatus vir Christianus, Patauiensis Episcopus, hoc monasterium ceu beneficiarius gubernabat, totum ibi tum potiente Henrico Duce. Vnde cùm Altahenses Fratres pueri Gothardi egregiam indolem perspexissent, retulerunt de eo ad Christianum Episcopum. Is verò, vt erat vir prudentissimus, gratias egit Deo, puerumque è monasterio accitum, triennio secum habere voluit comitem itinerum suorum, donec, Fratribus Altahensibus ad peragenda diuina ministeria eum repetentibus, Subdiaconum eum ordinauit, sicque à se dimissum illis restituit. Atque ita factum est, vt breui tempore monasticæ vitę disciplinam perfectè assecutus, Diaconus quoque ordinatus sit.

Educatur laudabiliter in monasterio Altavensi.

PORRO anno nongentesimo octogesimo tertio, Othone secundo Imperatore ex hac vita sublato, post multa apta & inepta, quæ, quòd Chronicis continentur, hîc referre nolumus, Otho tertius coronatus est, atque in omni Ecclesiastica pietate auito more progredi cœpit. Cuius quidem hoc initiò non obscurum fuit argumentum, quòd septimo regni sui anno Altahense monasterium, consilio Episcoporum, in monasticæ religionis statum curauit restituendum. Fuitque tùm illi monasterio præfectus Abbas vir venerabilis Erchambertus, cuius industriâ cultus diuinus ad Regulæ S. Benedicti præscriptum ibi fuit religiosè constitutus. Eius igitur saluberrima adhortatione, Gothardus cum aliquot eius loci Fratribus, mona

Moritur Otho secundus Imperator.

Reformatur monasterium Altahense.

monachus effectus est, cùm iam, vt ipse sæpe nobis indicauit, annum ætatis ageret primum & tricesimum, plerisque aliis, vt satis constat, ex illo cœnobio discedentibus. Verùm enimuero idem ipse Abbas, exacto in monasterij administratione triennio, vel ob incommodam valetudinem, vel ob tædium curarum, Abbatiæ illius gubernatione se abdicauit, & secretioris vitæ solitudinem expetiit, soli Deo vacare desiderans. Iis diebus mortuus est Henricus Baioariæ Dux, successitque ei pius Henricus, filius eius. *Nota ætatem auctoris.*

QVI cernens monasterium Altahense rursus spiritali Patre & Pastore destitutum, diuini cultus feruore eum incitante, Gothardum tunc sacerdotio initiatum Abbatem illic instituere voluit, sed is biennio iustas prætexens causas, ei assentiri noluit. Aiebat enim, se sedem & locum Pastoris sui, ipso adhuc viuente, sibi vendicare non debere. Sed tamen postquam Abbas & à Fratribus, & ab Episcopis reuocatus, redire prorsus detrectauit, eisque potestatem fecit, quemcunque vellent, in suum locum surrogandi, adhuc tandem Gothardus tum Antistitum auctoritate, tum Fratrum vnanimitate victus monasterij regimen, ita vt Dux cõstituerat, in se recepit, moxque totum se Christi seruitio alacriter impendit, actiuamque tramitem solicitè complexus est, in eo studio annis octo ibidem sine intermissione perseuerans. Atque interim nihilo minùs labore manuario multiplicia quoque Fratribus atque necessaria emolumenta comparauit. Nam in monte qui *Heslingeberg* vocatur, firmum castellum, & in eo templum elegantissimum, cum congruis ædificiis exstruxit, & circũquaque, maximè in saltu Boëmico, qui illi regioni propinquus est, ad triginta, & eo ampliùs mansos, ad Fratrum vsus informauit, priùs suo & Fratrũ labore exstirpatis syluis & vepribus. Atque interea, anno à Christo incarnato millesimo secundo, Otho tertius, Imperator, excessit è vita, substitutusque est ei Henricus Dux Bauariæ, omni pietate conspicuus. *Rursum idem monasterium aliquo modo mutat.* *Constituitur in eo Abbas sanctus Gothardus.* *Moritur Otho tertius.*

EA autem tempestate in monasterio * Herfeldensi Abbas Bernharius laxiùs habebat Fratres sui monasterij, quã posceret disciplina monastica, ita vt instar Canonicorũ res proprias sibi vsurparent. Itaque Rex sapiens paulo post, Abbate illo defuncto, Gothardum ei, sic suadentibus Episcopis, Patrem gubernatoremque præfecit, solerter eum admonens, vt in omnibus, ita vt Dei timor, & monastica disciplina posceret, fas prouideret. Perductus igitur est eò Gothardus à Vuilligiso Archiepi *Cõmendatur S. Gothardo & Abbatia Herfeldensis.*

chiepi

chiepiscopo Moguntino. Et principio quidem, iuxta Canonis monastici præcepta, duriora & asperiora eis proposuit; cùm ecce illi, paucis exceptis senibus & pueris, quam primùm omnes inde abierunt, per loca diuersa dispersi. Attamen postea saniori vsos consilio, eorum ope, qui remanserant, eiusque industriam, comitatem, & humanitatem iam experti erant, quosdam quidem celerius, alios tardius, sed pene omnes tamen ad ouile vir beatus reuocauit; atque sic in eo monasterio Deo digne, & coram hominibus laudabiliter vixit. Commendata autem sunt ei etiam alia duo monasteria, Degerense & Cremense, quæ pari studio in Dei famulatu gubernauit.

Itē duo alia monasteria, Degerense & Cremense.

QVIN & inter hæc, anno à Christo nato millesimo vigesimo secundo, felicis memoriæ Bernuuardo, nostræ Hildemensis ecclesiæ venerabili antistite, ex hac vita migrante, beatus Gothardus, licet multum reluctatus, tandem Hildesiam venit, Pontificalibus infulis decoratus Nonis Decembris. Qui cùm nostri cœnobij disciplinam hactenus probè obseruatam (Deo sint gratiæ) comperisset, statim in Dei cœpit laudes, eamque omni studio augere & amplificare conatus est. Foris quoque in cleri & populi gubernationem, Episcopo digna sollicitudine & attentione solerter incubuit. Sed & nihilo minùs seipsum in solita vitæ sanctitate continuit, in vigiliis, orationibus, continua & propè incredibili ieiuniorum frequentatione, largissimis eleemosynis, summaque vitæ grauitate, & Dei timore. Thesaurum ecclesiæ, quem ibi copiosum inuenit, non minùs decenter quàm vtiliter augmentauit: & quicquid in templorum structuris, non intra primariam dumtaxat vrbem suam, sed in aliis quoque suæ diœcesis locis dirutum & ruinosum, aut vetustate confectum reperit, summa celeritate instaurauit, atque in melius restituit: ac sic tandem plenus bonorum operum migrauit ad cælos. Ad cuius sepulcrum nouimus complures cum oblationibus aduentare, ac deinde à variis afflictionibus, molestiis, & morbis, virtutū eius meritis celeriter liberari.

Fit Episcopus Hildemensis.

Passim restituit omnes ecclesias sua diœcesis.

VITA S. IOANNIS APOSTOLI ANTE *portam Latinam, ex Io. Maldonato Hispano.*

VI. MAII.

IOANNES Apostolus ab Epheso iussu Domitiani fratris Titi secunda persecutione, quam ipse post Neronem exercuit, ad vrbem Romam perductus, præsente senatu, ante portā Latinam

Latinam in feruentis olei dolium missus est, agente hoc impio illo principe, qui Christianorum infestissimus persecutor fuit. Sed Apostolus tam liber à pœna inde exiuit, quàm à corruptionibus carnis erat immunis. Tum in Pathmos insulam relegatur, vbi Apocalypsim vidit. Ad commendandam igitur ipsius memoriam, & pro fide constantiam Apostolicam, Ecclesiam eius nomen referentem, Christiani ante portam Latinam præclaro miróque opere construxerunt.

VITA SS. CLETI ET MARCELLINI,

ex Io. Maldonato Hispano.

CLETVS Romæ Aemiliano patre natus, Lino in pontificatu successit. Quinque & viginti presbyteros iussu Apostoli Petri ordinauit. Primus in literis adiecit, salutem & Apostolicam benedictionem. Sunt qui Clementem confestim Petro subiiciant: Lino & Cleto silentio pressis: sed Hieronymi testimonio refelluntur: qui Clementi quartum à beato Petro locum reddidit. Martyrio tandem post immensa pietatis opera consumptus est, Vespasiano & Tito imperantibus. Marcellinus post Caium pontifex creatus, quo tempore crudelissimo Diocletiani edicto latè ferrum, & omnia fœda supplicia per Christianorum capita Romæ forisque euagata sunt, tormentorum metu thura deorum focis imposuit. Pertæsus tamen illico ignauiam suam, Sinuessæ in concilio centum octaginta antistitum veniam flens promeruit. Rediénsque ad Diocletianum impietatis arguit, quòd malos genios adorare perpulisset. Diocletianus verbis irritatus, extemplò iussit, Marcellinum ad supplicium trahi. Qui cùm duceretur, Marcellum presbyterum monuit, vt corpus sineret inhumatum iacere, quia Christum viuens abnegasset. Ita Marcellinus iacuit inhumatus, donec post sex & triginta dies Marcellus per quietem monitus, via salaria sepeliuit.

S. Marcellinus pontifex creatur.

Eius verba morientis, ad Marcellum presb.

VITA S. STANISLAI EPISCOPI

Cracouiensis, & Martyris, ex ea quæ est apud R. P. Laur. Surium.

VIII. MAII.

S. Stanislai parentes & patria.

STANISLAVS in Cracouiensi territorio ex honestis parentibus ortus (qui de Raba & Scipenavv veri hæredes fuère) postquam primis literarum rudimentis satis imbutus fuit, in ipsa iuuentute in Gallias ad Academiam Parisiensem, liberalibus disciplinis operam nauaturus, ablegatus est. Vbi cùm septennio moratus esset, multumque tum in Iure Pontificio, tum in Theologia profecisset, Lambertus Cracouiensis Episcopus, qui etiam Sula dictus est, fama eius percepta, illum ad se accersitum Cracouiensis Ecclesiæ Canonicum instituit: vbi, sicut inter reliquos eius ecclesiæ Canonicos Stanislaus haud aliter atque stella matutina in medio nebulæ emicuit. Vnde & Lamberto abeunte è vita, anno Christi millesimo septuagesimo secundo, Cracouiensis ecclesiæ creatur Episcopus.

Creatur Episcopus Cracouiensis.

Quo quidem suscepto curæ pastoralis ministerio, gregi suo custodiendo accuratè inuigilabat, adeò vt ipsum quoque Boleslaum Regem, cùm vita & moribus flagitiosus esset, sedulò admoneret. Sed & hic vir sanctus, cùm Cracouiensis ecclesiæ prouentus augere vellet, prædiũ ad Vistulæ ripam emit, Dicebatur id Petrauinum, à * Petro milite, cui pro illo iustum persoluit pretium. Et quam diu ille quidem superuixit, sine vlla interpellatione possedit id prædium Episcopus. Vbi autem Petrus in humanis esse desiit, fratres eius, vel cognati propinquiores, tanquam legitimi successores, cœperunt appellare Episcopũ de restituenda ipsis hæreditate. Rex autem Boleslaus in sanctum virum malè erat animatus, sed necdum tamen ea maleuolentia in apertum proruperat. Cognati interim Petri sustinebant vnum atque alterum annum, vel eo etiam ampliùs, donec Regis ira in Episcopum sese palàm ostenderet.

Auget res sua Ecclesia.
** Petrico.*

[illegible]

Experitur Regem à se reprehensum vdde sibi in causa quadã iniquum.

ITAQVE Rex incitauit eos, vt Episcopum ad ipsum citarent. Faciunt illi sic. Sistitur vir sanctus: causa ventilatur. Tandem Regis & Iudicum ea fuit sententia, vt Episcopus ea possessione cederet, nisi aut vẽditorem adduceret, vel certè testes idoneos. Quibus approbatis, iussus est ad futurum colloquium apud Petrauinum cũ testibus comparere. Iam aduentabat dies quo testes producturus erat Episcopus: sed illi, mandato & timore tyranni absterriti, nec adesse, nec testimonium dicere ausi fuère. Sentiens ergo seruus Christi humano se auxilio destitui; fide Christi confirmatus, dixit eis qui ipsi aderant piis & religiosis viris: Fratres & commilitones mei, vos scitis istuc negocium esse Dei & Ecclesiæ: illi ergo causam hanc

com

committamus, atque toto hoc triduo in ieiunium, vigilias, & preces incumbamus. Et ecce imminente iam tertio die, Episcopus cum suis Petrauinum intrauit, diuina celebraturus. Aderat illic quoque Rex, & milites, & multa populi frequentia, qui ad colloquium confluxerant. Diuino peracto ministerio, Episcopus, ita vt erat põtificalibus indutus, egreditur ad fores ecclesiæ, vbi Petrus erat humatus; iubet terram eiici, & sepulcrum aperiri: Pontificali deinde pede cadauer tangit; dicitque clara voce: In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, surge Petre: surge, surge, sta in medio, & dans honorem Deo, redde testimoniũ veritati. Et (ô rem miram!) mox coram omnibus surgit Petrus, & manum illi porrigente Episcopo, viuus prodit è sepulcro, abitque cum eo ad Consilium.

Triduano ieiunio commẽdat causam suam Deo.

Impetrat vt mortuus resurgat, & testimoniũ pro se dicat.

PORRO cognati eius, & omnes qui antè nouerãt eum, his rebus visis, nec spiritum vltrà habebant. Monuit autem deinde Petrus cognatos, vt eo nomine agerent pœnitentiam; quòd viro sancto multos labores attulissent: quod si non facerent, multis eos suppliciis afficiendos. Vnde & Rex Boleslaus, & eius assessores, tanti testimonij assertione conuicti, dederunt Episcopo vel inuiti iustitiæ palmam. Quibus ita gestis, beatus Stanislaus, comitantibus eum turbis, reduxit illum ad tumulum, necnon eius animam precibus Domino commendauit, atque ita cum comitibus suis domum reuersus est, gratias agẽs omnipotenti Deo. Residebat frequenter in ecclesia sua, orationi & lectioni vacans: assiduè verò etiam parœcias diœcesis, prout poterat, visitabat. Eos qui in Clero numerabantur, & Ecclesiastico fruebantur beneficio; sedulò perurgebat, vt decor honestatis, pudor castitatis, & bonæ conuersationis fama in eis redoleret. Quòd si qui fuissent planè incorrigibiles, eos & beneficio priuabat, & è sua diœcesi expellebat. Et si autem iustus & seuerus esset, attamen peccatores clementer admittebat ad agendam pœnitentiam, & eorum confessiones recipiebat. Viduas & pupillos suæ ditionis, memoriæ suæ haud secus atque libro inscriptos habebat, eosque suis eleemosynis tum palàm tum occultè sustentabat. Atque hac nimirum ratione vir sanctus vitam exegit suam, magno interim martyrij flagrans desiderio.

En preces prò defunctis.

Clericos incorrigibiles priuat suis beneficiis.

ET quidem Boleslaum Regem valde sibi infestum sentiebat: qui sanè propter sceleris immanitatem, quam exercuit in martyrem & Episcopum Stanislaum; cognominatus est Prauus; propter multam verò liberalitatem, Largus, ob insi-

Nota de Rege Boleslao, qui pœnas vitium sacrum abscidit.

nem denique in rebus bellicis fortitudinem, Audax. Et videtur ille quidem virtutis quædam habuisse fundamenta ab initio; sed corruit structura factorum eius vsque in abyssum. Hic, vt fines regni sui, quos ab obitu magni Boleslai, proaui sui, amiserant maiores eius, posset recuperare, suo stipatus exercitu, exteras peragrauit nationes, & aduersum rebelles multa suscepit & commisit prælia. Iam decimus & septimus voluebatur annus, quò rarus in patria, continenter in castris, perpetuò apud hostes morabatur. Commixtus inter Gentes, didicit opera eorum, & seruiuit immunditiis eorum. At verò sanctus Stanislaus videns se crudelem hominem paternis commonitionibus non posse reuocare, sed instar truculentę belluę innocentum cruore velut ebrium, maritalis quoque tori iura violare, & neque Deum timere, neque homines vereri, denique iustitiam proculcari & opprimi, adscendit ex aduerso; futurúsq; mox Christi hostia, velut agnum mansuetum sese obtulit mactandum & immolandum. Præmissa namque monitione ex præscripto disciplinæ Ecclesiasticæ, primò illi comminatur regni excidium & amissionem, deinde anathematis mucrone ferit obstinatum, & ab Ecclesię arcet ingressu, cùm ecce Rex impius, velut alter Pharao, magis etiam induratur.

Dissoluitur Rex impius ad omnia flagitia.

S. Stanislaus eum excommunicat.

ETENIM cùm vir sanctus in ecclesia S. Michaëlis de Rupella diuina celebraret mysteria (ô nefas!) iubet crudelissimus tyrannus Antistitem ab ara abstrahi. Et quidem parent ilico satellites. Verum quoties irreum irruere conantur, toties repulsi corruunt: tertiò denique prostrati, mansuescunt. At tyrannus stans ante fores templi, acriter obiurgat; moxque irruens in Christum Domini, ipse manus iniicit violentas. Ilico irrumpunt etiam satellites, dominum suum secuti, frustatimque cæsum sanctum Pontificem discerpunt, Regéque iubente, foras proiiciunt canibus deuorandum. Sed omnipotens Deus, ad declaranda beati viri merita, & cælestes & terrenos subitò custodes apponit. Nam cominus à quatuor Vistulæ partibus visæ sunt quatuor aduocare aquilæ, locúmque cædis circumuolantes, à sacri corporis contactu abigere volucres, cæterásque carniuoras feras. Cuius stupendi miraculi nouitate perplures animati, sparsas membrorum particulas auidè colligunt, inde ad locum passionis eius accedunt, & magno præpotentis Dei miraculo, corpus paulo antè miserandum in modum dissectum, vident integerrimum, nullis cicatricum vestigiis in illo apparentibus.

Trucidatur vir sanctus immaniß[i]me.

E[illegible] in[illegible] m[illegible] aculum.

DENIQVE multis conditum aromatibus absportant, & ad eiusdem basilicæ S. Michaëlis aditum reponunt: vbi cùm vir sanctus humatus esset, iugis lampadum splendor ab eius monumento non recessit. Quæ cùm audisset Boleslaus, tantæ gloriæ beati Pontificis & inuidit, & simul ingenti timore correptus est. Iam Gregorius Septimus Pontifex Maximus, in Regē, & sceleris administros excommunicationis pronunciauerat sententiam; scripserat etiam in vltionem tam immanis parricidij, simul vniuersum Poloniæ regnum Interdicto teneri, Boleslaum & vniuersam Poloniam regio honore priuauerat, omnes Principes & subditos ab obedientia illi præstanda absoluerat. At verò Boleslaus triennio mansit peruicax: post quod, permultis inter se eius necem aut certè captiuitatem conspirantibus, iam Deo & hominibus iuxtà inuisus, in Hungariam fugit: vbi anno secundo exsilij sui inaudito languore percussus, miserrimè decessit è vita. Porrò beatum Stanislaum in Sanctos retulit Innocentius Quartus Assisij, anno Christi supra millesimum ducentesimo quinquagesimo; vbi etiam tunc quidam defunctus meritis Stanislai rediit ad vitam.

Item miraculum aliud.

Totum regnū Poloniæ subjicitur Interdicto.

Adscribitur S. Stanislaus Catalogo Canonizatorū.

VITA S. VVIRONIS EPISCOPI SCOTIÆ, *ex ea quæ est apud R.P. Surium.*

VIII. MAII.

SCOTIA, fertilis Sanctorum insula, produxit scilicet & beatum VVironem, non infimæ sanè conditionis parentibus ortum. Is postquam adoleuit, literis discendis adhibitus, ante ætatem animo & moribus planè virilis esse cœpit. Creuit interim annis, sed plus animo. Non fatigabatur vigilijs, pascebatur precibus, ieiuniis lætabatur. Proponebat sibi sanctos Patres, præsertim Patricium, Cuthbertum, Columbanum: imò verò, diuino eum incitante amore, etiam peregrinandi laborem alacriter eorum exemplo suscipere volebat. Interim ecclesia regionis illius Pastore orbata fuit, cùm ecce mox vno omnes animo VVironem sibi pastorem deposcunt. Erat verò eius insulæ consuetudo, vt primò eligerent incolæ Episcopum, deinde electum Romam mitterent, summi Pontificis manibus consecrandum, atque ita demum rediturum ad sedem suam. Abit igitur Romam, non terrenæ dignitatis am-

S. VVironis natales.

Electus Episcopus mittitur a suis Romam.

bitione; sed diu cupitæ peregrinationis desiderio impulsus. Comes illi & itineris & voti accedit Plechelmus sacerdos, nec ætate maior, nec meritis multo minor. Erat ambobus cor vnum, & anima vna in omnibus. Qui cùm per Angliam iter facerent, diuinitus illis adiunctus est & Otgerus Leuita. Tum verò iter optatum securiùs vir sanctus cum sociis prosequens, Christo duce, prospero cursu mare emensus, tandem Romam peruenit.

Iungũtur ipsi S. Plechelmus & S. Otgerus.

Vbi cùm Pontifex nomen & patriam, animíque propositum ex illo percunctatus esset; ille osor falsi primò exponit causam aduentus sui, & cur à suæ regionis hominibus eò missus sit: deinde animi sui votum expromens, quanta potest instantia petit vt suum velit præbere assensum. At Pontifex nihil motus eius precibus, populo Dei potiùs consulere voluit, & eius electioni suffragari. Inuitum igitur diúque reluctantem Episcopum illum ordinat, eundem honorem etiam impertiens Plechelmo, sancti viri socio, sua auctoritate præcipiens beato VVironi, ne se vlli peregrinationi daret, donec esset reuersus ad suos. Cuius præcepto vir sanctus obtemperans, repetit Alpium iuga, & traiecto demum mari, in patriam incolumis, magna suorum gratulatione, peruenit. Claruit autem inde bonorum operum, & optimæ conuersationis egregiis exemplis, respondebántque eius mores & vita doctrinæ. Et quamuis non segniter vitæ semina spargeret in populos, manebat tamen semper illi peregrè proficiscendi desiderium, hominibus quidem occultum, sed notum Deo, qui etiam sua gratia illi præstò fuit, vt posset quandoque voto potiri suo. Vnde & oblata opportunitate, rursus assumens Plechelmum coëpiscopum, & Otgerum Diaconum valde religiosum, posthabitis deliciis opibúsque, iter ingressus est, peragratisque vicinarum regionum finibus, ad mare Gallicum peruenit: vbi nauem offendens, prospero cursu in oppositum euasit littus. Porrò vlteriùs proficiscens, cùm incertus adhuc esset quò potissimùm se conferret, licet diuinum sibi nihil ambigeret adfuturum auxilium, iam tamen apud se planè decreuerat non redire ad patrium solum.

Frustrà petit à summo Pótifice demissionem à suo Episcopatu.

Præclarè suos gubernat.

Studio peregrinandi venit in Gallias.

Venit interim in Franciam; & à Pipino Duce Francorum, cùm is didicisset VVironem & Plechelmum, insignes viros, in regno Francorum peregrinari velle, illorúmque sanctitate totam patriam illustrari cœptam, celeriter accitus est, & vnà cum socijs honorificè susceptus. Cognita quoque causa

ad

aduentus eorum, beatum VVironem mox inter suos habere voluit, quem omnes inprimis colerent ac reuererentur: eiúsq; sanctitati se suósque commendans, summa veneratione, vt patronum, illum prosecutus est. Locum etiam à mundi strepitu & turbis remotum illi attribuit, quo liberiùs cum suis illic posset rerum cælestium contemplationi vacare. Is locus vulgò Mons Petri dictus est, in quo oratorium in honorem beatissimæ Virginis Mariæ constructum est, itemque S. Petri monasterium præclaro opere, quod vsque in præsens perdurat. In hunc ergo locum, qualem diu concupierat, vir sanctus ingressus, se suosque multis imitandos exhibuit, vigilijs, precibus, ieiuniis sese macerans, sibi parcus, aliis largus. Populo tum doctrinâ, tum vitâ præluxit. Dux quoque Pipinus tantæ eum venerationi habuit, vt tanquam Præsuli animæ suæ, vitæque patrono, propter eximiam sanctitatem, sua illi peccata confiteri solitus sit, nec erubuerit ad faciendam confessionem detractis calceis eum adire, eiúsque oris imperio parêre. Sæpius etiam volebat eum interesse communibus consultationibus maiorum: erat enim consilio maturus soli Deo placere desiderans.

Accipit cum suis a Pipino Principe locũ habitationis iuxta Ruremondam.

Pipinus vtitur eo confessario.

QVIBVS atque alijs virtutum ornamentis indies auctus, ad multã peruenit ætatem. Aduentabat interim diu exspectatus dies, iam laborum propinquabat terminus, gaudium instabat præmiorum, cùm ecce modica febre correptus, non multo postea, carnis occubitum cum vitæ sempiternæ ortu commutans, felicem Christo reddit spiritum. Sacrum corpus eius intra oratorium supradictum beatissimæ Matris Dei conditum est. Celebratur autem solennitas eius 8. Idus Maij. Ad sepulchrum quoque eius plurima diuinitus conferuntur beneficia, præstante Domino nostro Iesu Christo. De quo ita D. Ioannes Molanus in suo Indiculo, S. VViro, inquit, Episcopus cum Plechelmo & Otgero ex Scotia venit ad Pipinum Francorum Ducem, qui eos summa veneratione excoluit, & locum habitationis dedit in Petri monte, apud Ruremondam, vbi ad sepulchrum eius diuina gratia multa præstitit sanitatũ beneficia. Corpus translatum est Traiectum ad primariam basilicam. Ecclesia enim Traiectensis, Nortmannorum persecutionem declinans, in dicto S. Petri, siue, vt nunc loquuntur, S. Odiliæ monte aliquandiu resedit. Qua occasione corpus sanctum ad se recepit, & festum eius duplex celebrat die octauo Maij.

Transit S. VViro ad Christum.

Qua occasione eius sacrũ corpus deuenerit Traiectum.

VITA S. PETRI ARCHIEPISCOPI

Tarentasij, ex ea quæ est per Gaufridum Abbatem Altæ-cubæ.

VIII. MAII.

S. Petri parentes.

VENERABILIS Petri parentes prædium proprium in Viennensi incoluêre diœcesi, quod postmodum idem ipse, priori mutato nomine, S. Mauritij nuncupauit. Eo tempore Cistertiensis monasterij vinea ad illas etiam partes dilatauit palmites suos, quos reuerendissimus Archiepiscopus Guido, in summum Pontificem Calixtum postmodum assumendus, feliciter plantauit in monasterio Bonæuallis. Cuius cœnobij primus Abbas Ioannes, multiplici præditus sanctitate, Pontifex demum factus est Valentinus, & maximè post gloriosum ab hac vita discessum miraculis claruit. Parentes quoque Petri, à primordijs monasterij, multa cum deuotione colebant. Quorum primogenitus, Lambertus nomine, literarum studiis traditus, in puerili erudiebatur ætate. Petrus verò secundus natu, officio fuerat alteri deputatus: fraterna tamen æmulatione, vel potius insp ratione diuina, ipse quoque ad eadem studia vehementer adspirans, proficiebat eatenus, vt mirari inciperent qui videbant puerum. Denique Psalmos omnes Dauidicos sic apprehendit, sic tenuit, vt anno primò *corde tenus vna die psalleret vniuersos. Eo tempore iam liberorum procreatione completa, vitam in seculo eremiticam præoccupare parentes, abstinentiæ dare operam, ampliùs solito eleemosynas exercere cœperunt.

Diuina inspiratione dat se studiis literarum.

** pro memoriter.*

Parentũ eius domus tota patet pauperibus & Religiosis.

DEPVTAVERANT molliora fulcra pauperibus, ipsi in palea recubantes. Et cùm tota domus xenodochium videretur, assignata insuper erat pauperibus & peregrinis propria cella seorsum; Religiososque non modò suscipere, sed expetere satagebant. Maximè verò Carthusiensibus & Bonæuallensibus congrua ferebant cibaria, & salutis consilia ab iisdem referebant. Cilicio pater vtebatur ad carnẽ, quod sub vestibus sibi cõgruis occultabat: ambo pariter magis ac magis colebãt pietatem. Iam Petrus iunior (nam & genitor ipso nomine vocabatur) Pythagoricæ literæ biuium, & ambiguum adolescentiæ tempus attigerat, cùm ad prædictũ Bonæuallis cœnobium se contulit, ibi se offerens Deo, sub Regula & Abbate fideliter seruiturum. Lambertum quoque germanum suum ab eodem conuersionis suæ initio secum traxit. Qui nimirum

Ingreditur S. Petrus monasterium Bonæuallense.

&

& ipse laudabiliter conuersatus in cœnobio quod Casiriacum dicitur, Abbatis denique officio strenuè functus est, & in eo defunctus. Nec longè post, cùm Petrus noster tyrocinij sui tempus expleuerat, reuerendissimus Abbas Ioannes, intelligens quoniam vas electionis erat iste, per diuersos eum gradus ad officia diuersa promouit, semper inueniens quanto perfectiorem, tanto humiliorem.

Fungitur diuersis officiis ac tandem etiam mittitur ad fundandum monasterium Stamediense.

INTEREA tempus adfuit, vt nouus eligeretur Abbas cum nouo Fratrum examine in nouo Stamedij monasterio ordinandus. Votis communibus, & Abbatis Ioannis arbitrio, Petrus eligitur, ad locum mittitur arduum, locum aridum, locum arctum. Inter excelsas rupium fauces, sicut cernere est, sibi suisque cœnobium, xenodochium aliis cõstruebat, vbi & pane arcto, & aqua * graui, incondito & vix salso olere vescebatur. Dedit tamen Dominus benedictionem, & illustratus est locus ædificiis, donatus pascuis, agris, vineis, licet remotis. Iam mundo cœperat innotescere, iam lucere in operibus suis, vt glorificaretur Pater cælestis in eo. Ad meditandum enim cum Isaac Patriarcha egrediebatur in agrum, & sapientiam concupiscens, mandata seruabat: vnde & videns eum Rebecca, de silit de camelo. Siquidem Tarentasiensis ecclesia virum sibi à Dño præparatum considerans, mox ab Idraële recessit. Occuparat ille prædictã ecclesiam, nequiter nequitiùs detinuerat, ambitiosè ingrediens, & perniciosè progrediens: propter quæ & arbor inutilis Apostolica falce præcisa est; & Dominus Petrus Stamadiensis ad regimen ecclesiæ Tarentasiensis electus; cæterorum omnium votis conuenientibus; solis non suis. Nullatenus enim potuit ad consensum electionis induci, donec Conuentum Cistertij Capituli generalis, eiusdem ecclesiæ Clerici præstolantes, illic cum intercepêre, vbi subterfugium deinceps non haberet. Ibi auctoritate totius Ordinis est oppressus, maximè verò sancti Bernardi Claræuallis, & venerabilium Patrum suorum Cistertiensis & Bonæuallensis Abbatum, à quibus angariatus, & manualiter Clericis assignatus, obtemperauit inuitus.

**breui.*

Passim volat sanctitatis eius fama.

Eligitur Episcopus Tarentasiensis.

SIC igitur promotus est in Tarentasiensem Archiepiscopum venerabilis Petrus, sed parum motus à forma vitæ in qua fuerat conuersatus. Mansit habitus humilis, victus tenuis, somnus breuis. In ecclesia sua residens nouus Pontifex inuenit, quod vehementer doluit, negligenter in ea fieri opus Dei. Episcopi & Clericorum incultæ vel ruinosæ domus pristinos habi

Inuenit statũ ecclesiæ suæ valde miserum.

habitatores negligentiæ arguebant. Parochiales ecclesias, & decimationes diœcesis, ex magna parte viri potentes laici, vel ab eis alij, possessione sacrilega detinebant. Sacerdotum vita minùs probabilis, & sibiipsis plurimum noxia, & plebibus perniciosa exsistebat. Itaque his, & huiusmodi rebus intendit & superintendit Episcopus, suum sibi nomen imponens. Denique, quod vix fuerat sperandum, de ecclesia sua magnos & nobiles viros amouit Clericos seculares, & pro eis introduxit Canonicos regulares. Ordinatos autem Canonicos in disciplina morum diligenter instituens, egit, vt diuina officia digniùs & honestius celebrarent: nec non & cæteros Sacerdotes corripuit & correxit. Ecclesias necessariis vtensilibus, palliis, libris, & vestibus competenter ornauit, nullamque penè capellam in toto Episcopatu sine argenteo calice dereliquit. Siquidem vbi aliam comperit non suppetere facultatem (siquidem valdè inops est regio) ex singulis domibus oua singula per hebdomadam colligi & venundari fecit, donec ad precium calicis peruenirent. Domus eius omni tempore xenodochium fuit, maximè tamen ante messem, mensibus tribus, quando maximè solent, illis præsertim in montibus, illis in rupibus, alimenta deficere: singulisque annis statuerat agapen fieri generalem, & quotidie multitudinem vndique concurrentium, pane refici & pulmento.

Submouet dissolutos clericos seculares, & introducit monachos.

Nota mirum studium sancti viri, vt vbique essent calices argẽtei.

IN Alpe quoque, cui nomen Columna Iouis, xenodochium inops, & penè nullũ reperiens, efficacem adhibuit operam & impensam, vt ædificiis dilatatum, prædiis & animalibus locuples transeuntium necessitati subsidia opportuna ministraret. Sic & in monte qui meritò dicitur Læsionis, licet extra prouinciam suam constituto, viam vix cõmeabilem, multo labore rupibus scissis, ex magna parte correxit, & hospitalem in eo domum cum Fratribus religiosis instituit. Tertium quoque in * Iurensibus solis xenodochium ordinauit. Denique iam vndique ad eum, & vbique confluere cœperat innumerabilis multitudo, animarum & corporum remedia quæritans, tangi postulans, flagitans benedici. Quare per vias difficiles, cum vno tantum comite, cæteris ignorantibus, exiit, fugiens seculum, & ipsius honores: tandemque perueniens ad cœnobium quoddam sui ordinis Cistertiensis in Germania constitutum, inter eos intrans & exiens, vt simplex monachus habitauit. Veruntamen disponente eo, à cuius facie nullus absconditur, inuentus est, agnitus est, sicque non multo pòst ecclesiæ suæ

Restituit xenodochium quoddam penè desolatũ.

** Virensibus.*

Latitat in Germania omnibus ignotus.

redditus

redditus, & reductus ad suos. Sed & hic ille est, qui inter Principem suũ Comitem Hymbertum, & Hildefonsum Comitem Tholosanum, in regione Gratianopolitana eo tempore dominantem, non solum multis incendiis, sed & homicidiis * guerram diutius agitatam, multo labore sedauit.

*bellum.

QVIN etiam in diebus eiusdem Præsulis, vicinas prouincias, & Romani Imperij ex maxima parte ecclesias, schismatica rabies occupauit. Solus ipse ex Metropolitanis, vel prope solus, regionum illarum schismaticis palam restitit. Nihilominus tamen deuotus eum colebat Imperator officiis, non minori ei reuerentia obsequens, quàm Catholicos persequens cæteros circumquaque. Vnde & idem vir sanctus à Catholico Papa reuerendissimo Alexandro tertio accersitus, per Italiam & Tusciam magnificè consolabatur Catholicos, & schismaticorum facies confusione replebat. Atque adeò etiam specialiter in diebus suis ad Reges Francorum & Anglorum sibi reconciliandos fuit delegatus. Iam tricesimum tertium annum in Pontificatu vir beatus impleuerat, cùm accedentem ad cœnobium Bellæuallis, in Chrysopolitana diœcesi constitutum, ardor febrium violentus inuasit. Et ecce, non multò post, omnibus rite completis, in medio psallentium & orantium filiorum, feliciter est appositus ad patres suos. Tertio demum die ab Archiepiscopo Chrysopolitano, per ipsius opem & operam, iam Catholico, cum Abbatibus plurimis, coram sacro altari B. Mariæ sepultus corpore, virtutibus viuere comprobatur. In cuius transitu annus erat millesimus centesimus septuagesimus primus. Dies natalis eius octauo Idus Maij, translatio est tertio Idus Septembris.

Palàm & ferè solus restitit eius tẽporis schismaticis.

Mittitur ad reconciliãdos inter se Regẽ Franciæ & Regem Angliæ.

Obdormit in Domino.

DE ROGATIONIBVS.

Ex serm. qui est Tomo 10. D. Augustini, adiectis nonnullis ex aliis de eorum origine.

Est ser. 191. de tempore.

SVAVIS Dominus & mitis, fratres charissimi; diues est & pius, affluens & benignus dat, & non improperat; imò tunc thesauri domus eius tristitiam patiuntur, quando delectabilia sunt fastidia petitionum. Vnde & ille ipse dicit: Petite, & accipietis; pulsate, & aperietur vobis. Nulla est pompa in ianua eius; imò ipse est ostium & ianua, qui sustinuit crucis ignominiam: si accedat pupillus parua manu pulsare ianuam, nunciant eum Angeli Domino. Sed & interim opponit etiam

Dolet Dominus, quando nihil ab eo petitur.

Lucæ 11.
Qui sint tres panes quos petere debemus.
Genes. 18.

idem Dominus parabolam hominis, cuius hospes improuisus aduenit, & hospes hospitem excepit. Passus est verecundiam, abiit continuo ad domum diuitis magnam. Non sine sacramento tres petit panes, quia vnus hospes erat gratia pietatis, sed substantia trinitatis. Nonne vnus hospes erat in tribus qui venit ad patrem Abraham? Hospes & amicus, pransor & mansor, & omnia illi in Trinitate sunt exhibita humanitatis obsequia, quia Trinitatis gloria refulget. Trimum attulit vitulum pater, tres mensuras similaginis conspersit futura mater, paritura filium, pro quo pater mactaret agnum, & ipsa corpus Christi in Trinitate iam fecerat sacramentum. Ita & iste amicus, veniente hospite, pergit ad domum diuitis, & trium panum allegat necessitatem.

Docemur operari dum tempus habemus.

PVLSAT & nullus respondet de ianitoribus, quia omnes tenuerat somnus: non Angeli, non Archangeli, non Prophetæ, non ministri: & ille pulsit, quamuis nemo respondeat. Quamquam pater familias ad importunitatem pulsantis respondit illi de interioribus sacris, de throno quietus: Quid pulsas sine tempore, qui piger fuisti cum tempore? Dies fuit, & in lumine non ambulasti: nox superuenit, & pulsare cœpisti; excusat tempus, quod improbus quærit affectus; iam pueri quiescunt, & non est dignum vt propter te iniuriam patiantur: antequam venires, diutius vigilauerunt, modo pro tempore quieuerunt: non est qui possit tibi dare responsum.

Ioan. 10.
Misericordia Domini tamen nullus est finis.
Matth. 11.
Apoca.

Et ille, Domine, à te peto, ad te pulso, imo te pulso: tu es ianua, tu surge, da mihi misericordiam, qui non es dedignatus de luto limi formare viscera mea: ministerio non indiges, quia omnia potes: sed si pueri tui dormiunt, tu non dormis, qui custodis Israël: gratis peto, sub gratia mendico, non sub lege præsumo: sed si Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, sed tua gratia non habet finem. Quò euenerunt pueri tui, Prophetæ tui, & ego noui, sed tu Domine, qui es initium & finis, primus & nouissimus, noli ad me tædiare nouissima hora noctis petentem, qui nocte media captiuam duxisti captiuitatem.

Itaque de his, pie lector, sed tamen & commendat Christus fide Centurionis, qui per alios accedebat.

QVID faciet Pater familias tanti perseueratoris voce constrictus? Non excitat Prophetam, non immittit Angelum, non Archangelum, ipse surgit, & dabit illi quantum desiderat. Bene pertinax ille petitor, & nocturnus mendicator ad hospitem proprium repedauit: diues factus refecit, nec hospes ab hospite infectus discessit. Quis est iste hospes, rogo fratres, qui in nocte venit, & imperatum hospitem inuenit, imò

nit, imò ideo nocte venit hospes in perpetua & deficiente paupertate? In nocte venit hospes, gratia in summa ignorantia, in magna egentia: immittit tristitiam, quando dicit nocturnus petitor, In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine. Et iterum, Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus, quoniam proximus est. Ideo hospes superuenit improuisus subitò, cùm quispiam tædio afficitur pressurarum. Superuenit illi orandi desiderium, flendi arripiens votum. Illa hora hospes venit gratia, vt compungat conscientiam, ne in sua moretur egentia. Sed eat & petat ad diuitem, non sui meritis, sed meritis hospitis venientis, & accipiat tres panes, vt Patre & Filio & sancto Spiritu possit & ipse pascere cæteros indigentes. *Psalm. 117. & 33.*

ATQVE hæc sunt, fratres charissimi, quorum nos præsentes dies admonent, hoc est, instantiæ precum & solennium orationum. De cuius quidem solennitatis origine ita scribit D. Gregorius Turonensis ante annos ferè mille: Magnæ, inquit, facundiæ beatus Auitus refert in quadam Homilia, quam de Rogationibus scripsit, has ipsas Rogationes, quas ante Adscensionis Dominicæ triumphum celebramus, à Mamerto, Viennensis vrbis Episcopo, cui & hic eo tempore præerat, institutas fuisse, dum vrbs illa multis terreretur prodigiis. Nam terræ motu frequenti quatiebatur, sed & ceruorum atque luporum feritas portas ingressu, totam, vt scripsit, vrbem nihil metuens oberrabat. Cumque hæc per anni circulum gererentur, appropinquante Adscensione Maiestatis Dominicæ, indixit populis ieiunium, ostendit orandi modum, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationem. Atque exinde cessantibus terroribus, per cunctas prouincias dispersa facti fama, cunctos Sacerdotes imitari commonuit, quod sacerdos fecit in fide. Quæ & vsque nunc in Christi nomine per omnes ecclesias in compunctione cordis, & contritione spiritus, celebrantur. Sed & meminit etiam harum Rogationum Sidonius lib. 5. epist. 14.

Præsentes dies cur dicti Rogationum. *Greg. Turon. lib. 2. histor. c. 34.* *Quæ prima earum origo.* *En Rogationum vsus celeberrimus.*

VITA S. GREGORII EPISCOPI

Nazianzeni, Scriptoris Ecclesiæ. ex ea quæ est per Gregorium Presbyterum.

I X. M A I I.

S. Gregorij parentes & patria.

EGREGIVS ille Gregorius cognomentum à Theologia consecutus, patriam quidem secundam Cappadocum prouinciam habuit vrbem Nazianzum, parentibus autem ortus est nobilibus: ex quibus pater, excussa Hypsistariorum superstitione, sincerus diuinæ gratiæ discipulus eluxit, ouis quidem primùm, postea verò peritus quoque ecclesię Nazianzenæ pastor, mater autem & ipsa sacra, & à progenitoribus sacris originem traxit. Porrò eorum filius egregius hic noster, cùm primū ætate adoleuisset, mox literarum amore succensus, Cæsaream profectus est, inde in Palæstinam, hinc Alexandriam, quæ ad Pharum, sita est, idque vt multas vrbes, multorumque hominum prudentiam cognosceret. Quibus ex vrbibus cùm plurimū vtilitatis percepisset, Athenas tādem, literarum parentem, petit. Non multū tempus fluxerat, cū Basilius Magnus Byzantio eiusdē eruditionis gratia Athenas appulit. Iraque & vitæ consuetudinem, & contubernij necessitudinem hi contraxerūt, præclarum amicorū par. Nam & vna eademque fide collustrati erāt, & pari virtutis amore flagrabant, pari animi promptitudine sapientiæ aruum proscindentes. Atque in tota quidē Grammatica nihil omnino eos fugit, nō meliorum scientia, non historiæ copia, nō forensis dictionis puritas.

Adhibitus literis, varias visit vrbes.

Viuit coniunctißimè cum S. Basilio Magno.

QVINETIAM numerorum supputationes, & Geometriæ æquitatem, astrorumque situm ac motum, velut noui Moyses aut Danieles, edocti sunt, ita tamen, vt non tam ab illis diducerentur, quàm, quod ait Scriptura, intellectum omnem in captiuitatem redigerent in obsequium Christi. Ac per omnia, vt ita loquar, tam meliora quā deteriora grassati sunt, vt cum iudicio ea partim fugere, partim amplexari possent. Atque interea Basilius, præclarè negociatus, domum se recepit; cùm Gregorius à studiosa Atheniensium iuuentute consertis, vt dici solet, manibus retinebatur, vt docendi prouinciā subiret, ac sophisticam cathedram acciperet. Et ille quidē, ne in ipsorum gratiam nihil facere velle videretur, aliquātisper mansit. Verùm haud multo interiecto tempore, cùm omnes amicos, quos in ea vrbe habebat, exorasset, suæque ad parentes profectionis necessitatem ipsis probasset, ita demum tricesimo iam anno in artium studijs exacto, patriæ sese restituit. ac primùm diuino Baptismo tingitur, vi & facultate iam antè collustratus. Deinde, vt parentum & amicorum, qui ipsum verba facientem audire gestiebāt, cupiditati satisfaceret (neque enim id

Nota vsum Astrologiæ.
2. Cor. 10.

Post triginta annos in studiis exactos, redit in patriam.

id ipse affectabat) hoc quoque munere fungitur. Verùm cùm iidem auctores quoque ipsi esse inciperent, vt publicis domesticisque malis (sic enim rerum terrenarum splendorem voco) seipsum inuolueret, ipse contrà sibi consulebat, monachus esse potius habens, quàm mundanus; & pauper, quam quæstuarius. Atque in iuuenili ætate huiusmodi erat Gregorius.

SED & posteaquam pater filium, quem inuitum, ægréque cedentem, Presbyterũ creauerat, Præsulem quoque instituere aggressus est, quid fecerit, audite. Ab ecclesia clàm se proripit: atque in Pontum profectus, cum egregio illo Basilio philosophatur: vbi porrò commorantes, vitæ monasticæ leges piis, Deoque deuotis hominibus ferebant. Interea autem Basilius quidem Cæsariensium gubernacula tenebat; inuidia autem dominandique cupiditate gliscentibus, Cappadocia, quæ ante id tempus pro vna agnoscebatur, in duas partes diuisa est, ac Tyanensis ciuitas à Cæsarea distrahitur, eique opponitur. At verò magnus Basilius suis oppidis spoliatus, Episcopum Sasimis constituere proponit. Nemo porrò ei Gregorio commodior videbatur. Ac proinde, consilio cum ipsius patre habito, inuitum hominem ac repugnantem electioni admouet, negociumque conficit. Ferunt autem eum, nec oblationem, nec ordinationem, nec quicquam eorum, quæ apud Episcopos in instituto sunt, Sasimis peregisse, verùm simulatque Episcopus designatus est, fugam animo concepisse. Hic verò pater multum quidem diuque eum, vt Sasima teneret, obsecrauit. Cùm autem, quod proponebat, assequi nequiret, hoc secundò egit, vt pro se ille Ecclesiæ Nazianzenæ curam administrationemque susciperet. Itaque assiduus ipsi adhærebat, præclarissimè curans tum ipsius canitiem iam ad centesimum annum accedentis, tum Ecclesiæ negocia administrans.

Requisitus ad Pontificatum fugit in Pontum.

Vocatur ad secundum Episcopatum, sed item frustra.

Tandem vtcunque adiuuat patrem suum Episcopum iã senẽ.

VERVM enimuero cùm Gregorius Pater (sic enim ipse quoque vocabatur) ex hac vita migrasset, ex ecclesia rursum se proripuit; Seleuciamque profectus, in sanctissimæ Teclæ cœnobio commoratus est: vt videlicet, interim dum ipse abesset, Episcopus alius Nazianzenæ vrbi præficeretur. Sed Nazianzum reuersus, eodm statu omnia reperit. Et quidem inter hæc, Arriana hæresi iam pridem Ecclesiam opprimente, exortum est quoque velut ex hydra quadam nouum caput, hostium scilicet Spiritus sancti, cuiusmodi contentio magis etiam Byzantij vigebat ac dominabatur. Protinus igitur Gregorius, Basilio, aliisque compluribus Episcopis ab eo obnixe conten-

Depugnat constanter contra inimicos Spiritus sancti.

contendentibus, Constantinopoli adfuit; Dauidis cuiusdam more ad prœlium se comparat; argumentis firmis ac solidis Philistæa dogmata fundit, quotidie nouam copiarum accessionem faciens. Sed & cùm nondum hoc malum integrè sedatum erat, exortus Apollinarius Syrus nouam hæresim in lucem effert, humanitatem Christi nequaquam veram esse sentiens. Rursus igitur difficili certamine constrictus tenebatur Gregorius, arguens, increpans, obsecrans, alios in fide retinens, alios eò, vnde exciderant, reducens. Huiusmodi porrò certaminibus clarissimè perfunctus, iam apud omnes clarus erat. Quo & factum est, vt Petrus, magnæ vrbis Alexandrinæ Episcopus, ad Gregorium scripserit, Constantinopolitanæ ecclesiæ Præfecturam ei confirmans, ei nimirum, qui labores antè impenderat, quàm perueniret ad dignitatem.

Eligitur Episcopus Constantinopolitanus.

SVB id tempus ex omni Romanorum imperio, præterquam ex Ægypto & Occiduis partibus, sancta Episcoporum centũ & quinquaginta Synodus coacta est: quæ & ipsa eum Episcopum constituit, sententiæ suæ ducem habens magnum illum Antiochensium Pastorem Meletium. Atque hæc quidem ita se habebant, cùm interim adfuêre Episcopi tum ex Ægypto, tum ex Macedonia: qui, quoniã Gregorius citra eorum sententiã throno impositus fuerat, electioni obsistebant. Tum verò vir beatus in medio Concilio stans, Viri collegæ, inquit, quòd si ego vobis vllo modo dissidij causa sum, Ionam Prophetam non supero; proiicite me in mare: libenter perpetiar, si quidem hac ratione concordia vestra resarciri possit. Atque ita in Cappadociam perrecturus, è Concilio excessit. Et quidem, eo adhuc Constantinopoli agente, Nectarius quidam Ecclesiæ ipsius à Synodo Episcopus constituitur: ipse autem, cùm clerum ac præstantissimum quemque ex populari multitudine aduocasset, eosque, vt fidei depositum seruaret, admonuisset, multas denique lacrymas omnibus extorsisset, postquã duodecim (vt ferunt) annos Byzantij egerat, itineri se dedit, tandemque Arianzum peruenit. Cappadociæ autem is locus est, quem ex paterna hæreditate ad se deuolutum possidebat. Vbi cùm nonnihil temporis quietus egisset, vitamque philosophiæ operâ purgasset, speculationique animum impensiùs addixisset, in extrema tandem senectute caducam hanc vitam cum æterna permutauit.

Opponũt se ei Episcopi ex Ægypto & Macedonia.

Libenter cedit Episcopatu.

Philosophans in Arianzi tandem feliciter obit.

DE

DE V. BEDA PRESBYTERO, *ex Ioane Tritthemio de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

X. MAII.

BEDA Monachus & Presbyter monasterij sanctorũ Petri & Pauli Apostolorũ, quod est in Anglia, Ordinis S. Benedicti, vir in diuinis Scripturis studiosissimus, & valde eruditus, atque in secularibus literis peritissimus, Philosophus, astronomus, calculator, & poëta insignis, Græci sermonis non ignarus, ingenio præstans, eloquio non curiosus, dulcis tamen & compositus, multa scripsit volumina, in quibus acumen ingenij eius comprobatur. Hic cùm esset septem annorum, curâ propinquorum datus fuit educandus Benedicto Abbati, ac deinde Ceolfrido dicti monasterij Muramutha, cunctumq́ue ex eo tempus vitæ in eiusdẽ monasterij habitatione peragens, omnem meditandis Scripturis operam dedit, atque inter obseruantiam disciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere, dulce habuit. Nonodecimo ætatis suæ anno Diaconatum, tricesimo Presbyteratus gradum, vtrumque per ministerium Ioannis Episcopi, iubente Ceolfrido Abbate, suscepit.

V Beda Monachus Ordinis S. Benedicti.

Semper aut dicit, aut docet, aut scribit.

SANE huius opuscula, etiam adhuc eo viuente, & semper noua scribente, tantæ auctoritatis erant, vt ordinatione Præsulum Angliæ, in ecclesiis publicè legerentur. Vbi cùm in Homiliarum impositione nomen, ex more, auctoris venerabilis Bedæ Presbyteri scriberent, aliter eum, cùm viueret, prædicare non valentes, obtinuit vsque in hodiernũ diem titulus semel à principio attributus, vt Beda venerabilis potiùs dicatur quàm sanctus. Viuentẽ enim aliter nuncupare, etsi sanctus fuerit, non licebat. Sũt qui alias rationes huius tituli, Venerabilis, fingant: alij ex inscriptione Epitaphij, alij cæcum fuisse Bedam somniantes. Sed errãt, quoniam Beda nec cæcus fuit, nec sepulcro eius tale Epitaphium inscriptum nouimus. Moritur sub Leone Imperatore, anno Domini 372. ætatis suæ anno 72.

Vnde natũ sit quod vocetur Venerabilis.

Errant qui Bedam putãt fuisse cæcum.

VITA SS. GORDIANI ET EPIMACHI *ex Io Maldonato Hispano.*

X. MAII.

IVLIANVS apostata inter alios Christianos Ianuarium quẽdam presbyterum comprehẽdit, & Gordiano vices Impera-

torias agenti, custodiendum tradidit. Gordianus Ianuarium de Christo audiens disserentem, ex animo credidit, & baptizatus est, cum vxore Marina & familiaribus circiter quadraginta quinque. Quod Iulianus accipiens, Ianuarium proscriptione damnauit. Gordianum Clementiano eius loco vicario suffecto, puniendum tradidit. Qui Gordianum videns Christum intrepidè fatentem cædi plumbatis primò iussit: mox capite truncato, necari. Corpus à christianis sublatum, in via Latina cum corpore Epimachi, qui paulò fuerat antè martyrio admotus, sepultum est.

DE ADSCENSIONE DOMINI, *partim ex D. Leone, partim ex D. Chrysostomo.*

** D. Leo ser. 1. de Ascensione. Quare Ascensio dilata ad quadraginta dies.*

POST beatam & gloriosam Resurrectionē Domini nostri Iesu Christi, qua verum Dei templum Iudaica impietate resolutum, diuina se in triduo potentia suscitauit, quadragenarius hodie, dilectissimi, sanctorum dierum expletus est numerus, sacratissima ordinatione dispositus, & ad vtilitatem nostræ eruditionis impensus; vt, dum à Domino in hoc spatio mora præsentiæ corporalis extenditur, fides resurrectionis documētis necessariis muniretur. Mors enim Christi, multorum discipulorum corda turbauerat, & de supplicio crucis, de emissione spiritus, de exanimati corporis sepultura, grauatis mœstitudine mentibus, quidam diffidentiæ torpor obrepserat. Vnde beatissimi Apostoli, omnesque Discipuli, qui & de exitu crucis fuerant trepidi, & de fide resurrectionis ambigui, ita sunt veritate perspicua roborati, vt, Domino in cælorum eunte sublimia, non solùm nulla afficerentur tristitia, sed etiam magno gaudio replerentur. Et reuera magna erat & ineffabilis causa gaudendi, cùm in conspectu sanctæ multitudinis, super omniū creaturarum cælestium dignitatem humani generis natura conscenderet, supergressura Angelicos Ordines, & vltra Archangelorum altitudines eleuanda; nec vllis sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura, nisi æterni Patris recepta concessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cuius natura copulabatur in Filio.

Magna fidelibus hodie causa gaudij.

Quia igitur Christi adscensio nostra est prouectio; & quò præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis; dignis, dilectissimi, exsultemus gaudiis, & pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solùm Paradisi possessores firmati

sumus, sed etiam cælorum in Christo superna penetrauimus, ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quàm per diaboli amiseramus inuidiam: ita vt quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate deiecit, eos sibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocarit.* Certè Christus adscendens in cælum, nostræ naturæ primitias obtulit Patri, & oblatum donum miratus est Pater, quod & tanta dignitas offerebat; & quod offerebatur, nulla macula fœdabatur. Nam & suis manibus suscepit oblatum, & suæ sedis fecit esse participem, &, quod plus, ad partem suæ dexteræ collocauit. Sed & cognoscamus, quis est ille qui audiuit, Sede ad dexteram meam? Quæ natura est, cui Deus dixit, Esto meæ particeps sedis: illa natura est, quæ audiuit, Terra es, & in terram ibis. Non autem ad omnem gloriam cælos transisse suffecerat, non cum Angelis stare, sed cęlos transiuit, supra Cherubim adscendit, vltra Seraphim eleuatur, nec antè stetit, nisi sedem Dominicam meruisset.

Plus per Christum adepti sumus, quàm per diabolum amisimus.

** D. Chrysostomus.*

VIDE quo spatio cælũ separatur à terra, imò terra quanto ab inferis abest, & ipsum cælũ quanto ab altiore cælo separatur; & de altiore cælo ad Angelos quantum spatij est, ad superiores etiam potestates, ad ipsam quoque Dominicam sedem. Super hæc omnia natura nostra eleuata est, vt homo, qui loco tam humili tenebatur, vt descendere non posset vlterius, ad tam excelsam sedem eleuaretur, vt altiùs non posset adscendere. Et hæc ostendens Paulus, dicebat: Qui descendit, ipse est qui adscendit. Et iterũ: Descendit ad inferiora terræ, & adscẽdit super omnes cælos. Discite igitur, quisnã adscendit, & quæ natura eleuata est. In hoc enim cupio remorari sermonẽ meum: vt humani generis cõmemoratione, diuinam clementiam cũ omni admiratione discamus, quæ summũ honorem, magnamque gloriam nostræ naturæ largita est, quæ omnibus hodierna die meruit excelsior reperiri. Hodie Angeli atque Archangeli naturam nostram in sede Dominica immortali gloria fulgentem viderunt. Et quidem sacramentum salutis nostræ, quam pretio sanguinis sui vniuersitatis conditor æstimauit, à die corporalis ortus, vsque ad exitum passionis, per dispensationem humilitatis potissimùm impletũ est: adeò vt licet multa etiã, in forma serui diuinitatis signa tunc radiauerint, sed tamen propriè illius temporis actio ad demonstrandam suscepti hominis pertinuit veritatem. At verò post passionem, ruptis vinculis, quæ vim suam in eum, qui peccati erat

Eleuata ad dexterã Dei ipsa nostra natura.

Nota insignes Antitheses.

Ephes 4.

Magna Dei clementia, infimam naturã fieri summã.

** D. Leo ser. 2.*

nescius, incedendo perdiderat, infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transiuit in gloriam quã Dominus Iesus Christus in multis manifestisque documentis, multorum declarauit adspectibus, donec triumphum victoriç, quem reportarat à mortuis, inferret & cœlis.

Opera Christi post resurrectionẽ aperte fuerũt ad demonstrandã ipsius diuinitatem.

ITAQVE, dilectissimi, sicut in solennitate Paschali resurrectio Domini fuit nobis causa lætandi: ita adscensio eius in cœlos, præsentium nobis est materia gaudiorum, recolentibus illam diem, & ritè venerantibus, qua naturæ nostræ humilitas in Christo super omnem cœli militiam, super omnes Ordines Angelorum, & vltra omnium altitudinum potestatem, ad Dei Patris est prouecta consessum. Quo ordine operum diuinorũ nos fundati, nos ędificati sumus: vt mirabilior fieret gratia Dei cùm remotis à conspectu hominum, quæ meritò reuerentiam sui sentiebantur indicere, fides non deficeret, spes non fluctuaret, charitas non teperet. Magnarum enim hic vigor est mentium, & valde fidelium hoc lumen animarum, incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu, & ibi figere desiderium, quò nequeas inferre conspectum. Etenim vnde hæc pietas in nostris cordibus nasceretur, aut quomodo quisquam iustificaretur per fidem, si in ijs tantùm salus nostra consisteret, quæ obtutibus subiacerent? Vnde & illi qui de resurrectione Christi videbatur ambigere, nisi in ipsius carne vestigia passionis & visu explorasset, & tactu, Quia vidisti me, inquit Dominus, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.

Fides est donum Dei & lumen.

Item est non apparentiũ.

VITA S. MAMMERTI EPISCOPI VIENnensis, ex Breuiario item Viennensi.

XI. MAII.

MAmmertus vir præcipuæ sanctitatis & doctrinæ fuit tẽporibus Archadij & Honorij quãdo Turonensis episcopus sanctus Martinus defunctus est. Inter huius episcopatum & beati Martini obitum septuaginta anni cucurrerunt. Tempore huius episcopatus Clodoueus rex Frãcorũ primus Christianus factus est: quẽ beatus Remigius Remorũ episcopus cũ exercitu baptizauit. Vt autem de huius sancti viri operibus ad laudem dei omnipotentis pauca referam: huius temporibus in Viennensi vrbe prodigia & terræmotus metuendo ordine patuerunt. Quod vt clarius fiat legẽtibus, beati Auiti sermone

lucidius pandetur. In homelia enim quam ad populum prima die rogationum idem ſanctus epiſcopus protulit, his verbis cur beatus Mamertus rogationes inſtituerit, refert. Currit, inquit, tramite vitali non per Gallias tantummodo, ſed pene per orbem totum rogationis obſeruantię flumen irriguum: & infectam vitiis terram vberi fluxu annuæ ſatisfactionis expurgat. Peculiarior nobis tamen in hac ipſa inſtitutione ſeruitij & gaudij cauſa eſt. quia quod hinc modo ad cunctorum vtilitatem defluit: ex noſtro primitus fonte manauit. Iacet hic pontifex in eccleſia apoſtolorum foris murum ciuitatis, in dextera parte altaris. A' trāſitu igitur ſancti Martini Viennenſis epiſcopi, vſque ad tranſitum beati Mammerti colliguntur anni trecenti triginta octo. Permanſit hic in epiſcopatu vſque ad tempora Valentiniani & Marciani Auguſtorum: quando ſacra illa ſynodus Calcidonenſis ſexcentorum triginta epiſcoporum, agente Leone pontifice celebrata eſt. quando Euthicetis error confutatus eſt. Huius temporibus & epheſina prima ducentotorum-epiſcoporum: quādo Neſtorius duas perſonas in domino Ieſu Chriſto prædican, ſanathematizatus eſt.

VITA S. EPIPHANII EPISCOPI CYpri, *Scriptoris Eccleſiæ, partim ex hiſtoria Tripart. partim ex R.P. Surio.*

XII. MAII.

QVo tempore Eugenius tyrannus ad pedes Imperatoris Theodoſij à militibus capite ſectus eſt, eo quoque tempore fuit Epiphanius Cypriorum Epiſcopus: ad cuius ſepulchrum hactenus dæmones expelluntur. Is profecto cùm ſubſtantiam propriam, neceſſitatem ſuſtinentibus erogaſſet, & multis quoque offerentibus ei pecunias, manu largiſſima diſpenſaret, cōtigit, vt, pecuniis deficientibus, Oeconomus eccleſiæ murmuraret. Quo facto, aſſiſtens quidam in domo, in qua habitabat Oeconomus, ſacculum multarū pecuniarum dedit, & ita diſparuit, vt nec qui dediſſet, nec qui miſiſſet, cognoſceretur. Sed & hunc, cùm iter ageret, quidam pauperes ſtudentes arte deludere, vt ſibi aliquid daret, vnus eorum ſupinum ſe proſtrauit in terram, alter ſtabat quaſi mortuum deflens, nec habens vnde eum ſepelire potuiſſet. Et quidem Epiphanius ſuperueniens, orāuit, vt ſub quiete dormiret, & ſepulturę neceſſaria præbuit, ſimúlque conſolatus eſt flentem, dicens: Quieſce fili à lacrymis: non enim fletu reſuſcitari poterit.

Hiſt Tripart. lib 10 c. 48.

S. Epiphanij magna liberalitas in egenos.

En orationē pro defuncto

A T verò ille, cùm discessisset Epiphanius, cœpit pulsare socium vt resurgeret. Quòd cùm semel & secundò fecisset, dicens; Surge, vt hodie de tuis laboribus epulemur: & ille penitus non sentiret, cognoscens verè mortuum, cucurrit ad Epiphanium, flens, & petens vt suum socium suscitaret. At ille consolatus est, ne grauiter ferret quod euenisset, non tamen defunctum suscitauit, credibile, vt non facilè Dei ministri deludantur. Atque hæc quidem de beato viro Historia ecclesiastica, quæ Tripartita vocatur. Quæ quia duriùs perstringit ea quæ ipsi cùm beato Ioanne Chrysostomo Constantinopoleos Episcopo intercessêre, audiemus deinceps narrantem * de eius vita eius discipulum. Cùm (inquit ille) audiuisset Theophilus velle Imperatricem mittere Ioannem in exsilium, hoc ipse quoque mirandum in modum est machinatus. Scripsit autem Theophilus ad Epiphaniũ fictas literas aduersus Ioannem. Accidit verò vt Epiphanius vellet etiam pro re alia nauigare ad vrbem regiam. Cùm autem de Ioanne audiuisset à Theophilo, multo magis studuit eò venire. Me igitur accepit, & Isaac: & nauigauimus Constantinopolim.

Verè moritur, qui se finxerat mortuum, vt deluderet sanctum virum.

** Vide apud Surium hoc loco: simul & confer v tam sancti Chrysostomi.*

P O R R O cùm venissemus in ciuitatem, erat de Ioanne magna perturbatio, quoniam multùm amabatur à ciuibus. Erant autem quædam monasteria & martyria, quę, quia accipiebant annonas ab Imperatrice, Ioannem minimè accipiebant. Nobis autem ingressis in vnum ex illis monasteriis, coëgerunt Epiphanium vt ordinaret (quoniam ita opus erat) eum qui præesset responsis ecclesiæ: quod etiam fecit. Audiuit autem Ioannes, & scripsit Epistolam ad Epiphanium, quæ ei attulit molestiam. Similiter Epiphanius quoque respondit ad ea quæ scripta fuerant. Audiuit autem Imperatrix Ioannem irasci Epiphanio. Quæ cùm accersiuisset Epiphanium, dixit ei: Pater Epiphani, totum est meum Romanorum imperium: & totum Sacerdotium ecclesiarum, quæ sunt sub meo Imperio, est tuum. Quoniam Ioannes, qui est alienus à dignitate Sacerdotij, insolenter se gerit aduersus Imperatores, & dicunt eum habere aliquam hæresim, præter nostram: ea de causa, multis ab hinc diebus in animo verso facere de eo Synodum, & eum, tanquam indignum, abdicare à Sacerdotio. Cùm autem Imperatrix hæc diceret, ira, tota quanta erat, commouebatur.

Venit Constantinopolim eo tempore quo disputabatur de S. Ioanne Chrysostomo.

Solicitatur ab Imperatrice, vt condemnet S. Ioannem.

S E D & rursus ei dixit, Cùm tua hîc sit cum Deo paternitas, non opus est vt aliis Patribus molestiã exhibeamus: sed quem tibi Deus reuelauerit, eum fac Episcopum, hunc autem expelle

ab

ab ecclesia. Sed dixit Epiphanius Imperatrici: Si eius, quam dicis, hæresis reus est, & conuincitur Ioannes, nec se fatetur peccasse, indignus est Sacerdotio; & si quid iubet vestrum Imperium, faciet vester seruus: si autem pro vestra iniuria quæris Ioannem expellere ex Ecclesia, seruus tuus Epiphanius in hoc non assentietur. Est certè maximè Imperatorum, iniuria affici, & ignoscere, quandoquidé vos quoque habetis Imperatorem in cœlis, cui assiduè peccatis, & is vobis remittit. At verò rursum Imperatrix Epiphanio: Si fueris impedimento, Pater Epiphani, quo minùs mittatur Ioannes in exsilium, aperiá templa idolorum, & faciam vt homines ea adorent, & faciam vltima peiora prioribus. Cúmque hæc acerbè diceret, ex eius oculis fluebant lacrymæ. Ei verò dixit Epiphanius: Ego quidem, ô filia, sum innocens ab hoc iudicio. Quæ cùm dixisset Epiphanius, accepit me, & egressi sumus ex aula Imperatoria. Peruasit verò fama per totam ciuitatem, dicentium: Magnus Sacerdos Epiphanius, Episcopus Cyprorum, ingressus est ad Imperatricem, & fecit vt in exsilium mitteretur magnus Ioannes. Sibi quoque persuasit Ioannes, quòd eius exsilio fuisset assensus Epiphanius. Accepta igitur charta, scripsit ad Epiphanium: Sapiens Epiphani, assensus es meo exsilio? In tuo throno non sedebis ampliùs. Ad Ioannem autem rescripsit Epiphanius: Athleta Christi, verberare, & vince: in locum autem, ad quem fuisti relegatus, non venies. Atque hęc quidem scripsi, ô fratres ne quis hoc probrum conferat in Epiphanium.

Respondet S. Epiphanius Imperatrici vt decebat.

En quid possibilis.

Falsò spargitur S. Epiphanium cõspir. ss. contra S. Ioannem.

INGRESSIS autem nobis in aulam Imperatoriam, iussit Epiphanius valere Imperatores, vt nauigaremus in Cyprum. Vbi & interrogatus Epiphanius ab Archadio Imperatore, quot annos esset natus, dixit: Centum & quindecim. sic autem dixit: Fui Episcopus cùm essem sexaginta annos natus: fui verò in Episcopatu quinquaginta quinque annos, & tres menses. Eo verò die, quo fuit nobis adscendendum in nauem, tunc eum interrogauit. Denique cùm nauem adscendissemus, & nauigaremus in Cyprum, sedit Epiphanius in concauo nauis: vbi post preces cœpit flere, & nobis dicere: Aliquando, ô filij, cùm essem in loco deserto, & Christo preces peragerem, vt liberarer ab omnibus insidiis aduersarij, me inuasit multitudo dæmonum. Qui cùm me dilacerassent, & pedibus arripuissent, attraxerunt in terram. Nonnulli autem ex ipsis mihi plagas quoque attulerunt. Hoc verò fecerunt mihi decem diebus. Nec ampliùs vidi dæmonem in propria persona, omnibus diebus

Præfuit S. Epiphanius ecclesiæ suæ 55. annis.

mulier admodum venerabilis, matrimonio iuncta clarissimo Duci Pipino, quorum tres illi summa digni memoria liberi, Grimoaldus videlicet, & duæ sorores eius, Gertrudis & Beggha. Atque hic quidem ille venerabilis Modoaldus. Qui cum liberalibus studiis, & spiritualibus disciplinis erudiendus traditus esset à parentibus, tantam breui tempore geminæ consecutus est scientiæ efficaciam, vt omnes gloriâ anteiret. Videres eum crebris ieiuniis & vigiliis voluptatem carnis frangere, pro honoribus suimet abiectione delectari, paupertatem pro diuitiis amplecti, conuentui nobilium consortia seruorum Christi, & humilium, præponere. Vnde animus eius, aut circa ecclesiam, aut erga pauperum curam semper occupatus erat, adeò & iam remotiora sibi loca quærere quoque modis omnibus elaborat: vt quanto occultius, tanto liberiùs pulcherrimæ Rachelis amplexibus possit inhærere.

Eius sanctissima adolescentia.

VERVM quia non est in hominis potestate via eius, è contrà vir beatus Liæ laboriosæ in nocte huius vitæ nolens iungitur, dū scilicet primoribus regni, & maioribus palatij, quasi vtilis in verbo, prouidus in consilio, diuinâ prouidentiâ, licet repugnans socius accitur. Clarebant tunc temporis in palatio viri strenuissimi, iidemque religiosissimi, inter quos eminebat Pipinus Dux clarissimus & maior domûs sub Clotario, Dagoberto, & Sigeberto potentissimis Regibus. Qui sapientissimus Dux, quia sanctarum scripturarum scientiâ minus eruditus erat, prudentes quosque viros negotiorum suorum socios assumebat. Nam & Arnulphum Metensium Pontificem, qui ante Pontificatum hanc eandem dignitatem irreprehensibiliter administrauerat, & postmodum, eo defuncto, beatum Cunibertum Coloniensem Antistitem, pari sanctitatis fama illustrem, in hac negotiorum administratione curabat adhibere participem. In quorum numero dum beatū quoque Modoaldum adsciuisset, mirum quanto æquitatis & sanctimoniæ decore aula illa regia vbique resplenduit. Intereà venerandus Antistes Sebaudus ecclesiæ Treuirensis rebus humanis excessit. Cui successor non impar sanctitate, dum ab omnibus quæritur, ecce concurrunt pariter omnium vota. Rex & Dux ille æquissimus Pipinus, aliique Optimates, Clerus & populus, omnis sexus & ætas, vnanimi exclamant consonantia: Modoaldum Pontificem non tam eligunt, quam à Deo iam dudum electum, & sibi promissum, exigunt.

Cogitur inuitus versari in aula, tamquam vtilis in consilio.

Contemporaneus fuit & collega S. Cuniberti.

Eligitur Episcopus Treuirensis.

AD cuius laudem diceret alius quicquid animo occurrisset,

ſet, ſpiritum cæleſtibus iugiter inhærentem, indefeſſis cum orationibus vacantem, dies ieiuniis, noctes continuaſſe vigiliis diſſereret, rectè & compoſitè de ſingulis virtutibus, de benignitate, de parſimonia, de animi puritate, profunderet in laudando quicquid ingenij, quicquid eloquentiæ vnquam hauſiſſet. Sed hāc compoſitam narrationem præripit nobis ſupereminēs meritum excellentiſſimi Præſulis, qui ita vniuerſis has virtutes habebat, vt in ſingulis emineret, ita in ſingulis eminebat, vt in omnibus æquè reſplenderet. Certè Pater vigilantiſſimus, tanta docendi perfectione, tanta magiſterij arte ſuos inſtituebat, vt quaſi illa prophetica menſa intus labrum reflecteret, id eſt, ad cor ſermonem reuocaret. Qui dum domus Dei decorem diligeret, ſuper ripam Moſellæ, Oratorium in honore beati Symphoriani martyris exſtruxit, opere quidem exiguum, ſed quod nobilius eſt, clariſſimis virtutum gemmis multo ſplendidius. Ibi quippe congregationem ſanctarum virginum inſtituit, quibus etiam, ad regularis vigorem diſciplinæ ſeruandum, ſororem ſuam prǫfecit nomine Seueram, quæ & ſecundum nominis ſui conuenientiam, digna præſidentis animi ſeueritate erat.

Virtutes in eo omnes ſumme.

Exo. 25.

Conſtruit ſacellum in honorem S. Symphoriani, vbi & inſtituit monaſterium virginum.

NIHIL enim illius ſeueritate iucundius, nihil iucunditate ſeuerius. Lætitia illius triſtis, triſtitia ſuauis. Inculta veſtis oculi demiſſi, inceſſus grauis, cibus tenuis: ita ſanè, vt, cum omnia Deo digna faceret, nihil tamen dignum ſe feciſſe crederet, comiteſque ſuas plus exemplis doceret, quam verbis. Poſt cuius felicem tranſitum, inſignis athleta Modoaldus, cùm iam deſideraret & ipſe diſſolui, & eſſe cum Chriſto, carnis oblitus & toto ſpiritu in cœlum ſuſpenſus, fatiſcentibus membris quaſi iam renouatis, nouos ſuperaddebat cruciatus, ipſum modicum, quod ſupererat, vitalis caloris quaſi extinguens. Cuius ardentiſſimo labori cùm etiam moleſtia corporis ex voto acceſſiſſet, ecce appropinquante hora, ſumptis viuificis Chriſti Sacramentis dilectos filios læto vultu deoſculans, inter verba orationis in pace requieuit: cuius corpus in dilectam ſibi eccleſiam defertur, quam ſuprà diximus ab eo fundatam, & in honore beati Symphoriani martyris dedicatam. Vbi in teſtimonium ſanctitatis eius miracula quotidie coruſcare videntur, eiuſque depoſitio 4. Idus Maias, cum feſtiua totius regionis exſultatione, celebratur.

Munitus viuificis Sacramentis, quieſcit in pace.

VITA S. RICTRVDIS MARTIANENSIS
ex Hugbaldo Monacho Elnonensi.

XII. MAII.

RICTRVDIS, deuota Christi ancilla grata Deo, & chara hominibus, patrem habuit Ernoldum, virum nobilem, & * Lichiam genitricem, ex bellicosa Vasconum gente. Fuit autem temporibus Clotarij Regis, atque etiam huius filii Dagoberti. Porrò Rictrudis puella bonæ indolis, ad nubiles iam perducta annos, cõspicitur, amatur, atque appetitur à Franco quodam Adalbaldo præclaris & iustis orto natalibus: cuius mater Gereberta, filia fuit sanctæ Gertrudis, in monasterio quod Hamaticum dicunt quiescentis, quod ipsa construxerat: fueratque is Adalbaldus à puero optimis institutus disciplinis, nec vulgarem gratiæ locum in Regis aula obtinebat: Dignus planè vir, qui Rictrudem haberet coniugem: cui etiam iuxta morem desponsa, & matrimonii lege sociata fuit, licet quidam virginis cognati id molestè ferrent. Nati quoque eis sunt filij, & in iis primogenitus Maurontus, postea Abbas & Leuita factus, & tres filiæ sanctæ virgines: Clotsendis, post obitum matris, eius monasterij moderatrix, Eusebia, bona Dei cultrix, & Adalsendis. Quos parentes eorum, cùm essent iusti, tum per seipsos, tum per familiares ipsis Dei seruos, in timore Domini erudierunt & educârunt, ab infantia cælesti benedictione auctos. ** Lucia. S. Rictrudis nobilissimi parentes.* *Nubit cuidã Adalbaldo.* *Eius sancta proles.*

ET Maurontus quidem patrem spiritualem habuit venerabilem Deoque dignum sacerdotem Richarium, qui per sacrum Baptisma eum Christo regenerauit, Clotsendem verò egregius Pontifex Amandus, & sacris manibus è fonte salutari suscepit, atque in omnibus Deo dignam reddidit, nec non & Eusebiam Mathildis Regina, Dagoberti coniunx, ex sacro fonte suscepit. Potestque non immeritò de hac progenie dici illud Sapientiæ: O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! At verò interea accidit vt Adalbaldus à pago Austrebatensi, vbi multæ ei erant possessiones, in Vasconiam triste suis iter susciperet. Ecce autem malignorum hominum, quos aiunt fuisse quibus illud coniugium displicuerat, vir pius insidiis appetitur, vulneratur, perimitur. Sed planè non est ita mortuus, sed viuit feliciter in Deo. Citò autem tristissimæ rei nuncius perfertur ad Rictrudem: quæ mox gemino dolore corripitur, videlicet quòd & charissimo se sentiret orbatam coniuge *Huius vitam vide suprà 16. Aprilis.* *Sap. 4.* *Occiditur sanctæ feminæ maritus.*

iuge, & proles ſuas, tum etiam cognatos videret eius nece grauiſſimè diſcruciari. Tandem autem luctu illo ſopito, cum ſeruis Dei ipſi familiaribus, præſertim autem cùm Amando ſanctiſſimo Præſule, de ſuo ſtatu deliberat.

Suadetur ipſi inſtanter a Rege vt iterum nubat.

S E D ecce antiquus ſerpens, inuidiæ ſtimulis percitus, tam ſalutare propoſitum modis omnibus impedire conatur. Commouet Regis animum, vt perſuadeat, illi denuo nubere cuidam ex optimatibus ſuis. Qua id reſpuente, multa adhibet blandimenta Rex, ſed fruſtra. Blanditiis ſuccedunt terrores & minæ, ſed tantundem efficiunt apud animum in Deo bene firmatum. Tandem tamen vſa conſilio ſanctiſsimi Amandi, ad tempus diſsimulat immutabile animi ſui propoſitum, ſpondetque Regi, ſe ex eius conſilio facturam, quod ſibi conducibilius videretur. Quem in modum cùm Regi perſuaſiſſet ſe ipſius dictis parituram, in prædio ſuo, in villa * Baireio, opiparum & regia maieſtate dignum apparat conuiuium. Inuitat Regem cum optimatibus, & inter epulas ſermonibus ſale conditis omnes exhilarat. Denique poſtquam, repreſſa fame, eſſent iam conuiuæ comiter accepti, ſurgit matrona venerabilis à menſa, & non trepidè, ſed conſtanter, primum ſciſcitatur ex Rege, num illius bona venia liceat ipſi in ædibus ſuis quod velit agere. Rege annuente, quippe qui putaret illam, ſumpto poculo, vt plerique ſolent, & ſe & conuiuas ad potitandum inuitaturam, è ſinu ſuo profert velum ab Amando Pontifice conſecratum, qui etiam hoc ei conſilium dederat, &, inuocato terribilis Dei nomine & auxilio, ſuo illud capiti impoſuit.

** Baireio. Nota ciuilem & pium dolũ.*

In medio conuiuii ſibi ipſi ſacrũ velum imponit.

E T quidem Rex ira permotus, ingratas relinquens epulas, abſceſsit è conuiuio. At illa, iactans cogitatum ſuum in Dominum, totam ſe illius arbitrio permiſit & commiſit: facultatibusque & poſſeſsionibus prudenter diſtributis, precioſis quoque abiectis veſtibus, quibus fuerat vſa in matrimonio, vnà cum eis omnibus ſe exuit huius mundi impedimētis. Impoſuit autem capiti tetrum quendam amictum, vt interioris hominis luctum & pœnitentiam deſignaret. Sed &, vt quondam expertas corporis voluptates & moleſtas inde dæmonum profligaret vexationes, in preces cōtinuas & immodica propè ieiunia incubuit, carnem aſpero etiam cilicio domans. Porrò locum, vbi ſpiritalibus daret exercitiis operam, cum conſilio & auxilio dicti Antiſtitis Amandi valde ſibi congruum delegit, nempe monaſterium, quod Mattianas vocaut

Domat ſe ieiuniis & cilicio.

Degit in monaſterio Martianis.

ab eodem

ab eodem Antiſtite ad fluuium Scarbum exædificatum, cui diſponendo & conſtituendo vir ſanctus Abbatem præfecerat ſanctum Iouatum. Et Amandus quidem monachos illic haberi voluit, ſed ſanctus Iouatus ſanctimoniales ibi congregauit. Hunc ergo locũ Dei famula Rictrudis expetijt, & beato Amando non ſolùm conſentire, ſed etiam inter Regem & ipſum pacem conciliante, cum maieſtatis Regiæ priuilegio obtinuit, vt illic ſe totam rebus diuinis manciparet.

VBI, vt omnibus palàm innoteſceret à quanta perfectione ſuam inchoaſſet cõuerſionem, poſt abiectas à ſuis humeris oneroſas prædiorum & facultatum ſarcinas, poſt nuncupatum Deo continentiæ votum, poſt acceptum monaſticæ religionis habitum, non cõtenta ſe ſolam Deo offerre, etiam tres filias, quas iam ſuprà memorauimus, illi obtulit, vt perpetuam ſeruarẽt virginitatem. Quin etiam vt perfectiſsimam ſe exhiberet illius imitatione, qui dixit, Non veni facere voluntatem meam, alterius regimini ſe ſponte ſubdidit, famularum ſe famulam exhibens, nec vnquam extra monaſterij ſepta progreſſa eſt, cunctis bonorum operum ſe exemplum præbens in humilitate, in patientia, in obedientia, in ieiuniis, in vigiliis, in orationibus perpetuis. Et ne ſim longior, vt filia lucis ſemper ambulauit in luce, ſicque in ſanctarum virtutum ſtudio perſeuerans, cùm ad annos perueniſſet quatuor & ſeptuaginta, quarto Idus Maii corpuſculum terræ, ſpiritum verò reddidit cælo. De cuius ſanctitate ne quiſquam poſsit ambigere, multa diuinitus coruſcant virtutum & miraculorum ſigna ad eius ſacras reliquias.

Offert ſimul Deo ſuas tres filias.

Migrat in cælum.

DE S. SERVATIO EPISCOPO Tungrorum, ex D. Gregorio Turonenſi, adiunctis nonnullis ex D. Ioan. Molano.

XIII. MAII.

FVIT Seruatius eximiæ ſanctitatis Epiſcopus in Tungris oppido. Hic, cum rumor erat Hunnos in Gallias velle prorumpere, vigiliis ac ieiuniis vacans, crebro lacrymarum imbre perfuſus, Dei miſericordiam deprecabatur, ne gentem incredulam in Gallias venire permitteret. Quin & ſentiens per Spiritum ſanctum pro delictis populi hoc ſibi non fuiſſe conceſſum, conſilium habuit petendi vrbem Romam, ſcilicet, vt adiunctis ſibi Apoſtolicæ virtutis patrociniis, quæ humiliter à

Lib. 2. hiſt. Fran. c. 4. & 5.

Obnixè precatur vir ſanctus ne dominus permittat vaſtari Gallias.

ter à Deo flagitabat, facilius obtinere mereretur. Vbi cùm ad B. Petri Apostoli tumulum deprecaretur, in multa abstinẽtia, maximaque inedia se consumens ita vt biduo triduoque sine vllo cibo & potu permaneret, nec esset interuallum aliquod quod ab oratione cessaret, iamque per multorum dierum spatia in tali afflictione moraretur, fertur hoc à B. Petro Apostolo accepisse responsum: Ecce enim apud Domini deliberationem prorsus sancitum est, Hunnos in Gallias aduenire, easque maxima tempestate debere populari. Igitur sume consilium, accelera, ordina domum tuam, ecce enim migrabis à corpore, nec videbunt oculi tui mala quæ facturi sunt Hunni in Galliis. Quo à sancto Apostolo pontifex responso suscepto, iter accelerat, Galliasque velociter repetit: veniensque ad vrbem Tungrorum, valeque dicẽs clericis ac reliquis ciuibus, denunciat cum fletu, quia non visuri essent vltrà, faciem eius.

Declarat ipsi S. Petrus Domini setẽtiã.

Pronuncians de sua morte, paulo pòst moritur.

At illi cum eiulatu magno & lacrymis prosequentes, supplicabant humili prece, dicentes, Ne derelinquas nos, Pater sancte; ne obliuiscaris nostri, Pastor bone. Sed cùm cũ fletibus reuocare non possent; accepta benedictione cũ osculis, redierunt: ipse verò ad Traiectensem vrbem accedens, modica pulsatus febre, recessit à corpore; ablutusque à fidelibus, iuxta ipsum aggerem publicum est sepultus. * Circa cuius sepulcrum quamuis nix defluxisset, nunquam tamen marmor, quod superpositum erat, humectabat. Sæpius etiã deuotio studiumque fidelium, Oratorium construebat de tabulis ligneis læuigatisque; sed protinus aut rapiebãtur à vento, aut sponte ruebant, idcirco fortasse, donec veniret qui dignam ædificaret fabricam in honorem Antistitis gloriosi. Procedente enim tempore, adueniens in hanc vrbem Monulphus Episcopus, templum magnum in eius honorem construxit, composuit, ornauitque, in quod multo studio & veneratione trãslatum corpus magnis virtutibus pollet. Hæc Gregorius Turonensis.

** Idem Greg. de gloria Confessor. c. 72.*

Construit ipsi magnificum templum S. Monulphus.

SEQVITVR nunc ex Indiculo D. Io. Molani. Multum (inquit ille) inter Galliæ Episcopos laudatur à Sulpitio Seuero Seruatius noster, aut Seruatio (vt ipse loquitur) Tungrorum Episcopus, qui Arimini minis & terriculis Arrianorum non cessit, sed contra eos fidei professiones edidit. Sed & Athanasius, magnus ille fidei confessor, præclarè eius meminit hac occasione. Magnentius legatus mittebatur à Constantio ad Constantem fratrem. Is tyrannus Constantẽ occidit, &. Occidentis imperium anno 350. Augustoduni occupauit. Accusatus est

Testimonium de eo Seueri Sulpitij.

est statim Athanasius, quod cum Magnentio egerit de interficiendo Constante. Vnde ad Constantium Apologiam scripsit, in qua inter testes innocentiæ suæ primum nominat Seruatium Episcopum, qui ad Constantem aliquando à Maxentio pro legato missus fuerat. Natalis Seruatij celebratur 13. Maij. *Itē S. Athanasij in sua Apologia.*

DE S. PACHOMIO ABBATE, *ex Sozomeno lib. 3. hist. Ecclesiast. cap. 13.*

XIIII. MAII.

QVo tempore monasticam degebant vitam Pambo, Heraclides, Cronius, Paphnutius, Pontubastes, Arsisius, Magnus Serapion, Pityrion qui Athenis vixerat, fuit tunc & Pachomius, qui præses fuit eorũ qui vocantur Tabennesiotæ; quibus quidem habitus erat & vitæ institutio à reliquorum monachorum disciplina in quibusdam discrepans; in [illegible]tis autē contēplatione aciem mentis defigens, animumq; sic tum ad rerum terrenarum despicientiam, tum ad cælestium indagationem excitans, vt, cùm è corporis custodia migraret, aditum ad cælum haberet perfacilem. Isti ad exemplum Heliæ Thesbitis pellibus se induebant, vt singuli ex pelle corpori circumiecta virtutem Prophetæ semper in memoriam reuocantes, strenuè contra cupiditates venereas confligerent, atque studio, quo ad eius vitam imitandam incendebantur, & spe similium præmiorum consequendorum inducti, multo alacriori animo se à voluptate temperarent. Fertur item eos indumenta alia, quàm quibus monachi Ægypti vti solebant, sibi comparasse, quæ specimen darent seuerioris cuiusdam viuendi disciplinæ: neque tamen temerè & inconsultò à cæterorum monachorum habitu variasse. *S. Pachomius Præses eorũ qui vocantur Tabennisiotæ.* *Tabennesiotæ vestiebantur pellibus, & quare.*

TVNICIS se induebant manicis carētibus, quo docerent, se manus habere ab iniuria & contumelia facienda penitus alienas: caput integumēto, quod cucullum appellare solent, operiebant, quo ostenderent, se vitam perinde simplicem atque sinceram degere atque pueros lacte nutritos, quorum caput, quod in membris obtinet principatum, eiusmodi tiaris obuoluitur, vt ei tum tegatur ab æstu & frigore, tum vndique foueatur. Habebant præterea cingulum & humerale, quorum altero lumbos circumdantes, humeros & brachia altero amicientes, significarunt, se ad Deo seruiendum, & ad ea opera exsequenda quæ ab eo præcipiuntur, paratos esse. Et *Itē de forma eorũ vestimētorũ, & quid in singulis significent.*

quidem non ſum neſcius de his aliter ab aliis, idque pluribus verbis, cõmemoratum eſſe: ſed tamen mihi hæc ſolum dixiſſe ſat eſt: Pachomium verò aiunt primùm in ſpelunca vitam monaſticam coluiſſe, eique ſanctum Angelum viſum eſſe, præcepiſſeque vt adoleſcentes monachos in vnum cogeret, atque vnà cum illis ætatem ageret. Nam cum in monaſtico viuendi genere præclarè exercitatum eſſe, & ob eam cauſam debere præeſſe monachorum conuentibus, vt multis prodeſſet, eoſque educaret legibus, quas eſſet ipſe daturus.

S Pachomius viuens in ſpelũca, iubetur ab Angelo docere & alios.

DEDIT autem illi Angelus tabulam quam monachi adhuc ſeruant. In qua inerat ſcriptum, quod copiam faciebat ſingulis tantum comedendi, bibendi, operandi, ieiunandi, vel ſecus, quantum natura ferret. His tamen qui largiùs poſſent comedere, opera laborioſiora ſimul impoſuit, faciliora autem, & minùs moleſta, his qui corpora ieiuniis & abſtinentia caſtigarent. Præſcripſit autem præterea, vt multas ædiculas extruendas curaret, & in ſingulis vt tres monachi habitarent, in vna tamen domo vt omnes cibum caperent, vt ſcerentur cum ſilentio, & ad menſas ſederent vultu operto, ad eum finem, vti nec viderent vel ſeipſos mutuò, vel aliud quicquam præter menſas & appoſita cibaria: vt nullus peregrinus vnà cũ illis epularetur, niſi dumtaxat illac iter faciens exciperetur hoſpitio. Si quis cũ ipſis habitare cuperet, vt primò omnium ad triennium grauioribus laboribus exerceretur, & ita eorum cõuictus particeps fieret. Vt veſtiretur pellibus, & caput tiaris laneis tegeret. Has autem tiaras tanquam punctis purpureis notari iuſſit. Quin etiam, vt tunicis lineis & zonis vterentur, mandauit; vt item cincti in tunicis ſimul & pellibus dormirent, idque ſedendo in ſellis ita conſtructis, vt vtrimque circumſeptæ, ſtratum cuiuſque in ſe continerent.

Nota: & comedendo & ieiunando ſummodo ſeruitur Deo.

Vult ſuos probari per triennium.

VT præterea primo hebdomadæ & vltimo die ad diuinorum myſteriorum communionem altari accedentes ſoluerent zonas, & pelles deponerent. Vt duodecies in ſingulos dies orarent, & ſub veſperum itidem: toties etiam noctu, & hora nona ternis vicibus. Cùm cibum caperent, vt ante ſingulas preces Pſalmum cantarent. Poſtremò, vt totus conuentus in quatuor & viginti claſſes diſtribueretur, & ſingulæ ſingulis literis Græcis vocarentur. Atque his legibus ſuos diſcipulos inſtituit Pachomius, vir cumprimis benignus, & Deo valde charus, adeò, vt prænoſceret futura, & perſæpe cum ſanctis Angelis in colloquium & congreſſum veniret. Degit autem ætatem in Tabenna

Alia quædam eius inſtituta minus principalia.

Perſæpe loquitur cum Angelis.

Tabenna insula Thebaidis: vnde Tabennesiotæ ad hoc tempus vsque nominantur: atque his legibus vitam instituentes, sunt maximam famæ celebritatem consecuti, eorumque ita creuit multitudo, vt viri ad septem millia vnà ætatem traducerent. Nam conuentus eorum qui insulam Tabennam incolebant, quibus cum vixit Pachomius, circiter mille & trecentos numero habebat: cæteri autem in Thebaide & Ægypto habitabant. Vna autem est viuendi ratio ac disciplina omnibus, & omnia omnium communia, ita tantùm, vt conuentum, qui est in Tabenna insula, matris loco ducant.

Colligit monachos ad mille trecentos.

VITA SS. VICTORIS ET CORONÆ, *ex Io. Maldonato Hispano.*

XIIII. MAII.

VICTOR in oppido Ceraso Burgensis ditionis natus, postquam sacras sufficienter literas calluit, & in sacerdotalibus ministeriis aliquandiu se exercuit; cupiens illecebras mundi declinare, in eremum Ognæ secessit, & septem perpetuos annos inter spelæa ferarum, hymnis diuinisque laudibus intentus, peregit. Eadem tempestate, Mauris Hispaniam ferè totam possidentibus, Cerasum grandis ciuitas, ad Christianos desciuerat, & septennio toto, quo Victor latuit, obsidionem Maurorum tolerauerat. Quare visus angelus adesse Victori, eiusmodi vocibus eum excitauit. Eia age Victor, rumpe moras, patria te vocat, vt longa eam obsidione soluas. Septem iam annos Mauri circumstant, muri nutant: oppidani commeatibus, post alia incommoda, destituti, deditionem moliuntur. Propterea, tu patriam liberabis, teque martyrio consignabis. Venit Victor Cerasum, vixque agnitus, tandem in Maurorũ castra penetrauit. Cùm igitur Mahumeticam Victor superstitionem in castris hostium insectando, quàm plurimos adiunxisset Christo: & pios qui apostatauerant, reduxisset, Gaza Maurorum rex, vnus ex septem, qui bellum illud gerebant, non passus ea fieri impunè, Victorem capi, & ad se trahi præcipit. Victor primo statim occursu regem à lepræ morbo liberauit: & cùm inuitaretur magnis promissis ad deserendum Christũ in Mahumeticã sectã inuectus est, Rex bene quãtũuis meriti Victoris pronitatus audacia, rapi iussit in carcerem: & ibi quòd nihilominus plebem acquireret magnã, tandẽ iugulari. Rogauit Victor lictores ac carnifices, vt cruci prius affigerent,

S. Victor in eremum secedit.

Angeli vox ad eum.

Eius miracula quam plurima.

Eius martyrium.

rent, quod illi tam fecere libenter, quàm strenuè. Triduo viuus pependit in cruce, plurimos conuertendo, & miracula non vulgaria prorsus edendo. Nam & cuidam spuenti se, mortem ante reditum in vrbem denunciauit, quæ mox subsequuta est. Sed tandem cruce demissus, caput vno ictu amputatum, manibus excepit, gestánsque illud, viam in oppidum Cerasum direxit. Ibi oppidanos truncato capite alloquutus, vaccam pauxillo, quod solum supererat, saturatam frumento, dimitti per totam ciuitatis, persuasit. Quam hostes iaculis confecerunt, erumpénsque triticum conspicientes, diffisi victoria, protinus abierunt. Victor designato loco, in quo erat sepeliendus; animam vinculis carnis absoluit, & ad æthera misit. VICTOR alter in Syria sub Antonio Cæsare cum verbera, eculeum, vngulas, ardentes laminas sustinuisset, Corona virgo exclamauit, martyrem cohortando; quòd duas videre se diceret, coronas, cælo labentes, alteram sibi, alteram ipsi Victori. Quare comprehensa, & ad duas hinc inde demissas arbores illigata, in duas partes secta est. Victor securi percussus.

Victor alter & Corona martyrio donantur.

MARTYRIVM S. DYMPNÆ FILIÆ Regis Hyberniæ, ex eo quod edidit Petrus Canonicus S. Autberti Cameracensis.

XV. MAII.

S. Dympnæ genus.

FVIT in Hybernia Rex Gentilis; qui licet vanis idolorum cultibus deseruiret, tamen opum gloria omnibus gloriosior apparebat. Erat autem ei vxor, quam vehementi diligebat affectu, quippe quæ eximia esset pulchritudine. Atque hi filiā genuerunt decoris venustate matri valde consimilem, meritis & nomine Dympnam, vt ipso vocabuli præsagio postmodum Deo digna iudicaretur. Quæ in domo patris nobiliter educata, cùm annos pueritiæ transegisset, mox chorearum assultus, & ioculatorias cantilenas, & quæ illa ætas expetit, & poscit simul celsitudo regalis, mente despiciens, occultè baptismum suscepit, & se corde & corpore Christo deuouit perpetuò seruituram. Interea mater eius Regina defuncta est. Post quod, quia non reperiebatur alia decore similis, cœpit Rex, molliter blandiendo, puellæ omnem mundi gloriam promittere, si eius matrimonio cõsentiret. Sed audiens hoc virgo Christi, respõdit illud se nunquã facturam; abominabile enim, inquit, prorsus est, vt filia maculet torum patris. Cumque ille vehe

Occultè suscipit Baptismum.

Petita à proprio patre ad

vehementiùs instaret precibus, & illa fortiùs negaret, tandem Rex iratus dixit, eam vel ingratis acquiescere oportere. Tunc verò illa, quasi obtemperatura, quadraginta dierum petiuit ad cautelam inducias; atque interim ornamenta, & cætera quæ spectabant ad cultum puellarem, sibi dari deposcit, perinde ac si nitidiùs accurata patri vellet gratiosior apparere.

incestas nuptias, petit inducias, quò euadat.

ERAT tunc temporis in Hybernia eximiæ sanctitatis & doctrinæ sacerdos, nomine Gerebernus, qui occultè in illa gentilitate, quos poterat, ad Dominum conuertebat; Reginæque defunctæ Christum colentis Cõfessarius fuerat; ipsam quoque Dympnam pridem baptizauerat; denique & à quo Regina defuncta, & Dympna eius filia, Sacramentum Eucharistiæ recipere consueuerant. Quem accersens secretè beata virgo, quemadmodum pater suus in horrendæ turpitudinis baratrum ipsam demergere constituisset, ei cum multis lacrymis explicauit. Tunc vir sanctus consuluit virgini, vt ad partes fugeret alienas, & pauper spiritu, Christum pauperem sequeretur. Nec mora. Cùm horam fugæ opportunam, nacta esset virgo sancta, adiunctis sibi sancto Gereberno, & ioculatore patris sui, cum eius vxore, vt sub ioculatorum specie secretiùs proficisci posset, perueniens ad portum, nauem conscẽdit, ac nõ multò pòst, auris ac ventis prosperantibus, ad quoddam castrum, quod Antuerpia dicitur, Cameracensis diœcesis, applicuit. Inde per nemora deuia, ad pagum, cui nomen Ghele est, peruenêre. Porrò pagum circumeuntes, vnicam repererunt ecclesiam, in honorem B. Martini, in qua etiam Dympnæ sacrum corpus iam requiescit: à qua non longè, in loco qui Zammale appellatur, construendum sibi habitaculum elegerunt. Exstirpatis igitur arboribus & spinis, domicilium sibi congruum exstruxerunt, in quo tribus mensibus commorantes, & ieiuniis & orationibus vacantes, vitam quodammodo angelicam ducebant.

Parat fugam, assumens secum venerabilem sacerdotem Gerebernum.

Venit in Ghele, vbi & habitaculum sibi construit.

INTEREA Rex, pater virginis, qui filiæ nuptias cum gaudio exspectabat, audiens fugam eius, turbatus est valde; ac demum scissis vestibus, post gemitus & dolores diu repetitos, ambitiosæ militũ stipatus, filiam suam per seipsum requirere deliberauit. Itaque perquirens eam per ciuitates & montium solitudines, cùm nõ inuenisset, mare adiit, & ad castrum, quod Antuerpiam nominant, peruenit cum multo comitatu. Vbi moram faciens aliquantisper, legatos mittit per adiacentes prouincias, si fortè de filia sua rumorem aliquem percipere

Insequitur eam impius pater.

posset. Proficiscentibus igitur diuersis per loca diuersa, quidam illorum ad villam rurensem, cui *VVesterloo* nomen est, peruenerunt; & ecce, cùm manè hospiti expensas soluerent, ille nummos illorum inspiciens ait: Habeo nummos istis valde consimiles, quorum pretium penitus ignoro. Et requisitus ab eis, à quo talem pecuniam recepisset, ipse, nesciens cur hoc peteret, respōdit: Virgo alienigena, adspectu & corpore pulcherrima, propè in deserto habitans, quæ de Hybernia huc aduenit, pro emendis alimētis id genus nummos mihi semper mittit. Quò cùm illi se adduci curassent, sanctam virginem protinus cognouerunt inter cæteros procul stantem: & Antuerpiam statim regressi, visa & audita Regi cum gaudio retulerunt.

Tandem inuenitur virgo sacra.

TVNC Rex spiritu reuiuiscens, iter cum suis arripuit ad locum in quo virgo sanctissima habitabat. Quam cùm reperisset, eam affari cœpit blandissimè, dicens: O vnica filia mea, desiderium meum & dulcedo! Ad quæ cùm vellet, virgo respondere; beatissimus Gerebernus, responsionem eius anteuertens, Regem dura seueritate redarguit, eum sceleratissimum clamans. Tum verò Rex, & qui cum eo erant, sanctum Gerebernū amouentes à virgine, mox peremerunt. Deinde verò Rex iterum conuersus ad virginem, acriùs quoque instare cœpit, minas etiam addens. At illa, Pœnas, inquit, omnes læta mente parata sum pro Domino meo perpeti; cùm Rex, quasi demens effectus, cùm nullus eorū, qui erant in Regis collegio seu sodalitio, crudele præceptum exsequi auderet, ipsemet gladio, quo fuerat accinctus, sacrum caput præclaræ virginis amputauit. Cuius diuersa miracula longum esset narrare. Certè obsessi à dæmonibus, quotidie per eam liberantur, cùm ad eius venerabile templum in Ghele adducuntur, vbi mortem perpessa est, & corpore requiescit.

Trucidatur beatissimus Gereuernus.

Item & sanctissima virgo, & quidē ab ipso suo patre.

VITA S. INDALENTII ET SOCIORVM
ex Io. Maldonato Hispano.

XV. MAII.

CVM apud vrbem Romam sapientissimi viri Indalentius, Torquatus, Secundus, Cthesiphon, Eustachius, Cæcilius, & Hesychius ab Apostolis sacerdotium suscepissent, profecti quò Christianam Hispaniæ pietatem traderent, vrbi tandem Accitanæ appulerunt. Vbi delusa tum fortè gentilitas Ioui, Mercurio, ac Iunoni festum agebat rituale. Conspecti igitur à

cœtu

cœtu illo deuio, & de religioso Christianoque cultu cogniti, infesto sunt protinus mucrone petiti, & ad flumen vsque fugati. Iam impia manus illa pontem transcendebat, sanctos viros læsura: cùm repente structuræ opus antiquæ, quod nullo dissoluendum quo videbatur, corruit: sanguinariúmque populum fluminis alueo demersit. Sancti cantantes, equum & ascensorem proiecit in mare: incolumes euasêre. Cæterùm quamuis horum sanctissimorum pontificum calendis Maij natalitium vbique penè gentium celebretur, hodie tamen pridie calendas Maias Burgensis ecclesia speciatim agit Indalentij solennia, quo scilicet die reliquiarum eius particeps facta est.

VITA S. VBALDI EPISCOPI EVGVBIni in Italia, ex ea quæ est apud R.P.L. Surium, To. 7.

XVI. MAII.

BEATVS Vbaldus Eugubij natus, nobilis quidem fuit genere, sed nobilior vitæ integritate. Hic cùm etiamnum infantulus esset, patre orbatus est, ac deindeà patruo suo Vbaldo, cuius nomẽ acceperat, viro religioso, disciplinâ ordinis Ecclesiastici imbuendus, traditus est Priori ecclesiæ sanctorum Mariani & Iacobi martyrum; vbi literarum studiis applicatus, diuinas Scripturas didicit. Sed accedente maiori ætate, & maturiori iudicio, vt vidit eius loci Fratres parum conuenienter viuere Regulæ & Instituto suo, ad ecclesiam S. Secundi se contulit, atque illic aliquamdiu honestissimè versatus est. Vbi vidẽs beatæ memoriæ Ioannes Grammaticus, Eugubinæ ciuitatis Episcopus, adolescentis religiosam & bene moratam conuersationem, ad suam ecclesiam eum conatus est reuocare, atque adeò paterna beneuolentia eius grauitati congratulans, crebrò illum apud se detinuit. Quin & postquam excessit adolescentiæ annos, & morum grauitas mirè eum omnibus commendaret, in ea quam diximus ecclesia beatorum martyrum Mariani & Iacobi Prior creatus est, omnibus sua vota in eum studiosè conferentibus.

S. Vbaldi clari natales.

Viuit aliquãdiu honestissimè ad S. Secundum.

Creatur Prior in Ecclesia SS. Mariani & Iacobi.

QVAE functio etsi per se honorifica satis esset, attamẽ loci eius Clerici moribus erant deprauatis. Annua mercede conductus erat, qui horis diuino officio persoluendo deputatis campanas pulsaret; Clerici verò in suis manebant ædibus propriis, comessationibus & somno dediti, ita vt tota ecclesiastici cultus obseruantia in solo ferè campanarum strepitu relicta

Inuenit Clericos valde dissolutos.

videretur. In claustrũ patebat aditus omnibus, tum viris tum feminis: neque porta vnquam claudebatur. Itaque primò ex omnibus Clericis illis, diuino fretus auxilio, tres sibi adiũxit, quos comiter & benignè adhortando eò perduxit, vt ad præscriptionem Canonis cum ipso viuerent, eique arctiùs adhærerent. Postea verò profectus est ad cœnobium B. Mariæ Portuense, vbi obseruabatur honestè Apostolicę institutionis Canon seu Regula, tribus mensibus Fratrum illorum disciplinæ se subiiciens, idque vt veritatis discipulus effectus, absque errore postea doceret alios. Qua sanè spe sua non est frustratus. Nam inde discedens, Regulam secum attulit: eámque fratribus proponens, Deo bene fauente id consecutus est, vt, cum eam iussisset ab omnibus obseruari, ab eo tempore cuncti sic se gererent, vt illa mandabat, eiq; se religiosè conformarent.

Singulari prudentia eos Clericos reformat.

ACCIDIT tum res luctuosa, Eugubina ciuitate maxima sui parte conflagrante, &, tremendo Dei iudicio, etiam ipso beati viri cœnobio funditus pereunte. Cuius rei dolore non mediocriter pressus, ad Priorẽ eremi fontis Auellanæ Petrum Ciriminensem abiit, cuius tum mira vitæ sanctitas & fama passim celebris habebatur. Indicauit autem ei, quòd & Prioratu se abdicare, & locum mutare constituisset. Sed ille blanditer eum obiurgãs, docuit, pios tamquam aurum in fornace probari tentationibus, prorsus autem graui culpa ipsum se obstricturum, si curæ suæ commissos fratres illo tam tristi rerum statu derelinqueret. Credidit ergo homo Dei Vbaldus tãti viri sermonibus; ocyúsque non sine multa animi alacritate rediẽs, tum combustam ecclesiam, diuinitus adiutus, cœpit instaurare, tum etiam rerum amissarum damna, vicinis incitantibus, egregiè reparare; idque adeò, vt incendium illud non aliquod attulisse detrimentum, sed magnum potiùs emolumentum, & religionis incrementum comparasse videretur. Per id tempus excessit è vita beatæ memoriæ Perusinus Episcopus. In cuius locum cùm electus esset Vbaldus, ille fugam capessens, tantísper in eremo delituit, donec alius subrogaretur. Fuit verò etiã alterius ciuitatis electus Antistes; sed Romã profectus pedes, ad Honorium Pontificem, quatuor sibi adiunctis clericis, multa instantia & per se, & per quosdam Cardinales amicos suos egit, vt ab eo munere absolueretur.

Conflagrat funditus ipsius cœnobium.

Alacriter accingit se ad ecclesiã suam restaurandã.

Bis studiosè declinat episcopatum.

ITAQVE diuina moderatione reseruatus ciuibus suis, rediit Eugubiũ. Cuius vrbis Episcopus Stephanus cùm decessisset, & inter se nõ cõuenirẽt eius loci Clerici de Præsule eligẽdo,

do, Vbaldus Dei seruus cũ quibusdam abiit Romam, vt è Romana ecclesia quempiam eligerent, quem Romanus Pontifex ipsis Antistitem consecraret. Sed Pontifex diuinitus instigatus, Vbaldum eis nominauit Episcopum, iussitque vt illũ ipsi quoque eligerent. Nec verò mutauit in illo honor optimos superioris vitæ mores, sed cum augmento dignitatis creuit etiã probitas omnis. Victus eius modicus erat, & omnis tamen inanis gloriæ expers. Cùm enim de omni genere ciborum quamuis parcissimè ederet, vt * cenodoxiam abstinentibus insidiãtem euitaret, pane sicco & arido magis vtebatur, vt & corpusculum reficeret, & tamẽ escarum illecebris non caperetur. Vestitus ei erat tenuis & mediocris. Lectulum eius ornabat pauca palea, saccus paruus, & sic satis vile & exiguum operimentum. Tam autem illi erant preces assiduæ, vt omni tempore & quolibet loco sibi oratorium constitueret. Vixit vsque ad Alexandri quarti tempora in Episcopatu, tanta vitæ sanctitate & patientia præditus, vt etiam ab ipsis familiaribus suis sibi irrogatas iniurias placidissimè toleraret. Exclusus enim aliquando fuit à ianitore suo, & etiam ostio in fronte percussus, sed eam iniuriam voluntaria obliuione contriuit.

Tãdem tamẽ constituitur Episcopus Eugubinus.

** Id est, inanem gloriam.*

Eius victus & vestitus.

Patientissimè fert iniuriam sibi à proprio famulo illatã.

Sic & reparabatur aliquando murus vrbis Eugubinæ, iuxta vineam beati viri; cùm quippiam illic moliebãtur cementarij, quod vineæ Episcopi detrimentosum fore videbatur. Prohibuit igitur modestè ne pergeret in illo iniurioso opere. Ille autem qui præerat structuræ, prohibitionem eius paruipendens, atque insuper scelerate eum impellens, in calcem liquidam deiecit. Qua ille calce totus tinctus, surrexit; humiliterque tacens, sedatissimo animo domum reuersus est, perinde ac si nihil perpessus esset. Multas quoque vir sanctissimus afflictiones perpessus est, & morbos graues. Bis crus fregit; & semel brachium. Ex carne quoque illius, præcipuè verò ex pessimo lateris vlcere, sanies intolerabilis effluebat; nec tamen id impedimento sibi esse voluit, quo minus exerceret Episcopi munus. Qui, morte propius accedente, cùm corpus planè viribus destitueretur, tandem Ecclesiasticis perceptis Sacramentis, orans & psallens, 17. Cal. Iunij spiritum Domino reddidit, apportatus in ædem beatorum martyrum Mariani & Iacobi. Dilata autem est sepultura eius ad aliquot dies, idque tum propter ægrorum, qui frequentes eò aduentabant, curationem, tum propter multorum deuotionem. Post quod, corpus eius, suauissimo fragrãs odore, ab aliquot Episcopis honorificè

Item ab alio quodã, & quidem maximam.

Obdormit in Domino.

mandatum est sepulturæ, in canonica sua, iuxta muros ciuitatis, vbi vsque in præsens quiescit prorsus incorruptum, & infinitis clarens miraculis.

VITA S. DVNSTANI ARCHIEPISCOPI Cantuariensis, ex ea quæ est per Osbernum Monachum.

XIX. MAII.

Claruit hic Osbernus anno Christi 1020.

S. Dunstanus prænunciatur antequam natus.

BEATVS Dunstanus ex nobilissima gentis Anglorum prosapia originem ducens, eo nobiliùs in huius mundi lucem prodiit, quo sub materni sinus ipso adhuc angustia clauso, diuino miraculo designatum est, præclarum mundo per eum lumen oriturum. Iam adolescentiæ decus Dunstanus induerat, & ipse humilis atque submissus omnibus, rogatur à suis, quatenus in sortem Domini transeat, &, in quibus seruiat Christo, sacros Ordines suscipiat. Annuit ipse petentibus: atque vt liberiùs oratorium frequentare, luminaria accendere, manibus sacerdotum ac leuitarum aquam fundere, vinum & aquam in Eucharistiam corporis Christi subministrare, legere atque cantare in officio diei ac noctis posset, minores gradus suscepit. Videres igitur illum omnia mundi oblectamenta calcare, ludicra iuuenum fugere, maiorum colloquiis delectari, in fouendis pauperibus assiduum esse, & ad quęque pietatis opera solicitiùs inuigilare. Sed & audita inter hæc fama venerabilis Athelmi Cantuariensis Archiepiscopi, fratris scilicet patris sui, eum adire, atque cum eo habitare disposuit. Verùm cùm elapso aliquanto tempore Pontifex in moribus adolescentis omnia, quæ veræ religioni congruerent, perciperet, & ex dono gratiæ Dei, qua fuerat adspiratus, Deum multa suæ maiestatis opera per eum in futuro facturum præuideret, ipsum ad solatium Regis Ethelstani secum duxit, & ei magno affectu fouendum commendauit, Quem ipse benigna mente suscipiens, iuuenem dulciter amplexus est, donec quidam, prouectibus eius inuidentes, eum sinistris artibus vti, ac mansuetum ad omnes habitum eius, hypocrisi, & quorumque simplicium deceptioni magis quàm alicui religioni inseruire, conuiciari cœperunt.

Initiatus minoribus Ordinibus, mox sanctissime viuit.

Degit in curia Regis.

QVOD Dunstanus aduertens, & ne in peius proficerent, nonnihil metuens, malignorum hominum iracundiæ cessit, & ad cognatum suum Elphegum, VVentanum Episcopum, cognomine Caluum, profecturus, curia regali discessit. Erat

autem Episcopus idem magnæ in Christo religionis. Egit igitur industria qua vigebat, vt Dunstanus monachus fieret, & deinde etiam ad sacerdotij gradum fuerit prouectus. Cæterùm post aliquantos nouæ conuersionis suæ dies, Glasconiam Dunstanus perrexit, & ibi iuxta Ecclesiam sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ sibi domunculam fecit, adeò paruulam, vt mirum habeant, qui eam nouerunt, qualiter ibi viuus homo degere potuerit. Ipsemet enim eam mensus sum, & nihil vltra quatuor pedes in longitudine, nec plus quàm duos ac semis habet in latitudine: altitudo staturam hominis concipit: in medio ostij fenestra est. Illic ergo conuersari, orare, psallere, nonnulla quę loci angustia patiebatur, manibus operari, & vni Deo vt placeret, per omnia, & in omnibus operam dare visus est. Vnde complures vtriusque sexus homines, tam diuites quàm non omni ex parte locupletes, ad eum properare, cum de salute consulere, ab eo de via vitæ festinabant informari. Ipse autē singulis, prout quisque opus habebat sua verba dispertiens, quemque ad voluntatem Dei instituebat.

Monachus factus, paulo post se abdit in angustissimū recessum.

Omnibus ad se venientibus dat consilia salutis.

SED & post hæc de possessionibus, quas sui parentes, de hac vita ad Christum migrantes, ei, quem vnicum genûere, dimiserant, solicitus tractabat. Et his quidem qui Deo sub patrocinio beatæ Mariæ in eius ecclesia seruiebant vel seruituri erant, propinquiores terras perpetuo iure possidendas donauit, remotiores verò ad opus quinque ecclesiarum, quas construere disposuerat, iuxta locorum positionem dandas reseruauit. Quæ nimirum ecclesiæ postmodum institutæ, ac subsequenti tempore intantum sunt mobilibus ac immobilibus rebus illius instantia auctæ, vt in singulis multiplex monachorum cœtus, ad nutum Patris Dunstani, sub regularis vitæ custodia militaret. Interea sublato de hac vita Rege Ethelstano, successit ei in regnum Edmundus frater eius. Qui post aliquot consecrationis suæ dies, cùm missis nunciis rogaret Dunstanum venire ad se, Dunstanus Regi quasi præcellenti, secūdùm Apostoli præceptum, obediendum esse perpendens, Regem adiit, &, salua in omnibus reuerentia Ordinis sui, eius imperio se subiecit. Itaque ipse suo consilio regni negotio disponebat, ipse lites & contentiones, si quando oriebantur, destruebat: ipse pacem & concordiam inter omnes nutriebat, manusque habebatur à cunctis. Quæ omnium bonorum hostis attendens, ita malitiosè quosdam contra virum Dei inflammat, ita primò clàm, postea palàm, in detractionē eius, illorum

Distribuit bona sua paterna ad vsus diuersarum Ecclesiarum.

Regit aulam Regis Edmūdi.

illorum ora relaxat, vt Dunſtanus non ſolùm priſtino honore priuaretur, ſed & curia depelleretur.

Expulſus aula ab æmulis, mox in eandē honorificè reducitur.

SED haud diutinus fuit iſte hoſtis triumphus. Etenim non multo pòſt, Rex ex præſenti mortis periculo, emendationis ſponſione ereptus, Dunſtanum cum honore & reuerentia reduci pręcepit, ac inſuper acta coram eo pœnitentia pro iniuriis quas ei intulerat, ei locum, in quo natus fuerat atque nutritus, perpetuo iure poſſidendum dedit, eo pacto, vt, quod arbitrij eius tenor magis eligeret, inde potiſſimū ordinaret. Pro quibus Deo & Regi Dunſtanus gratias agens, & Glaſconiam in dominium ſuum accipiens, in augmētum maioris eccleſiæ fundamenta iacere, clauſtra & officinas conſtruere, & quęque poterant eſſe monachis accommoda, inibi cœpit ædificare. Poſt quæ, plurimis Fratribus ſibi ſociatis, loci ipſius Abbas effectus eſt. Sed & Regi in palatio occiſo cùm ſucceſſiſſet in regnum Edredus frater eius, & ipſe quoque Dunſtanum non minori cæteris Regibus amore percoluit. Poſt quem Eduinus, filius Edmundi Regis, cùm obtinuiſſet regnum, mox illud totum innumeris oppreſſionibus conturbare feſtinauit. Quin & matrem (proh deteſtabile malum!) totius regni Anglici auctricem & nobilitatricem, Eccleſiarum conſolatricem, & ſuſtentatricem oppreſſorum & inopum, Edginam dico, in immenſum afflixit, ac vaſtatis rebus ad eam pertinentibus, ab eo ſtatu, in quo eſſe ſolebat, ſæuus & crudelis deiecit.

Conſtruit monaſteriū Glaſconienſe.

Eduinus Rex, filius Edmundi, crudeliſſimus ſimul & ſpurciſſimus.

ERAT in illis diebus mulier quędam ex magna & alta progenie nata, filiam adulteram ſecum habens, ad quas ille impudico deſiderio feruens, indecenti amplexu, nunc hanc nunc illam deſtringebat. Atque adeò die quo in Regem eſt conſecratus, à loco conuiuij, in quo cum Archiepiſcopis, Abbatibus, totiusque regni Principibus ſedebat, iam pranſus exſilit, & relictis omnibus, in camerā, vbi præfatæ feminæ erant, ſolus ſecedit, capitique corona ſublata, ſe inter illas medium iecit. Vnde cùm Dunſtanus ex præcepto Odonis Archiepiſcopi, & aliorum, ignominioſas mulieres deteſtatus, eum violenter ad conuiuantes reduxiſſet, hoc effecit apud Regem muliebris ignominia, vt cuncta, quæ in monaſterio Dunſtani habebantur, diripi ac deuaſtari, & ipſum à regno eliminatum, in exſilium pelli iuberet. Itaque Dunſtanus in Flandriam venit: vbi cùm Principis terræ notitia potitus fuiſſet, magni habitus eſt, & ab eo valde dilectus. Ac denique quoniam virtutis virum eſſe cognouit, Gandaui eum vt conuerſaretur rogauit, vt p[illegible]te loco.

En verum Epiſcopum.

Agit S. Dunſtanus exſul Gandaui.

loco, qui præcipua religione in omni ſua ditione eo tempore præditus eſſet. Venit ergo Dunſtanus ad locũ,ibique in omni ſanctitate degens, omnibus eſt charus factus & admirabilis.

VERVM inter hæc miſertus eſt Deus genti Anglorum. Nam excitati quique potentes à terminis fluminis Humbræ, vſque ad terminos Thamiſiæ, impium Eduinum vltra Thamiſiam fugauerunt, & Edgarem fratrem eius ibi Regem fecerunt. Qui mox, miſſis in Flandriam viris, Dunſtanũ patriæ cum honore reſtituit, ac ſe, ſuaque omnia, eius ſapientiæ atque conſilio diſponenda commiſit, deinde & VVigornienſis quoque eccleſiæ Epiſcopatum eum ſuſcipere petiit. Sed & poſtea,defuncto Eduino Rege, etiam Eccleſiæ Londonienſis, nec non & tandem quoque ſedis Cantuarienſis,totius Britanniæ primatis, honorem accipere eſt coactus : pro cuius Apoſtolatus ſtola beatiſsimorum Apoſtolorum Petri & Pauli limina etiam vir beatus petiit. Aucta eſt autem tunc religio per Angliam , intantum vt quadraginta & octo monaſteria monachis vel ſanctimonialibus inſtituerentur , coöperantibus ſimul B. Dunſtano in hoc viris venerabilibus Oſvvaldo,qui primò VVigornienſis, poſtea fuit Epiſcopus Eboracenſis, & Athelvvoldo Epiſcopo Vvintonienſi.Migrauit autem vir Domini Dunſtanus ad Chriſtum, plenus operibus bonis in medio filiorum ſuorum, cùm illud ipſis poſtremum dixiſſet : Si, quò vado vultis venire, via,qua inceſsi,non pigeat vos ire.Sepultus eſt verò in quo ipſe diſpoſuerat loco, vbi quotidie diuinum Officium à Fratribus celebrabatur, qui fuit ante gradus quibus ad altare Domini adſcendebatur. Vbi quòd iuſtæ petitiones alicuius coram eo fuſæ haud inefficaces exſiſtant, ipſi,qui eius beneficia experiuntur,ſingulis diebus cõfirmant.

Expulſo è ſuo regno impio Eduino, vir ſanctus reuocatur in Angliam.

Fit Archiepiſcopus Cãtuarienſis.

Inſignis ſententia eius morientis.

VITA B. PETRI CELESTINI,

ex ea quæ eſt per Petrum de Aliaco Cardinalem Cameracenſem.

XIX. MAII.

FVIT vir laudabilis re ac nomine Petrus, natus Abrutij in partibus Apuliæ, ex parentibus mundana generoſitate humilibus ſed Chriſtiana virtute nobilibus, Angelerio & Maria. Hic factus adoleſcens, valde eremiticæ vitæ feruebat amore. Sed quia eo tempore nullus erat in patria ſeruus Dei, cum quo ſui conſilij exſequendi congruum poſſet habere

B. Petri patria & parentes.

ſubſidi

subsidium, vltra vicesimum suæ ætatis annum illi satisfacere distulit, donec tandem cuidam socio suo cordis secretum aperuit. Quid, inquit, facimus? Exeamus de patria nostra, & relictis parentibus, rebusq; omnibus, nudum sequamur Christum, & ad ei seruiendum liberius, longinquam solitudinem adeamus, atque tamen, vt nihil temere aggrediamur, primo Romæ Sedem Apostolicam consulamus. Quibus suasionibus acquieuit ille, & cœperunt pariter ambulare. Sed expleto vnius diei itinere, malè tenax ille propositi, pœnituit. Et quidem tunc Deus, viarum Petri custos, propositum itineris Romani distulit, sed non multo pòst ostendit illi locum, in quo saxum magnum inuenit, sub quo & fodit paruam, in qua tegeretur, foueam, quæ vix ad ipsum erigendum atque extendendum poterat sufficere, & ibidem trium annorum spatium in magna vitę austeritate peregit. Quibus tribus annis ibi peractis, suadebant illi, qui eius nouerant sanctitatem, vt ordinem susciperet Sacerdotalem. Cuius rei causa Romam pergit, ibiq; Dei Sacerdos efficitur: ac deinde ad mõtem Muronis accedit, ibi quãdam cryptam inueniens, in qua ei habitare complacuit.

Paret relinquere seculũ

Degit triẽnio angustissime sub quodam saxo.

IBI ergo vir sanctus per quinquennium manens, ab eo, cuius omne datum optimum est, plurima recepit munera gratiarum, tamen se magis ac magis humilians. Nam & indignum se peccatorem existimans, cogitauit relinquere Missæ Officium, tractare formidans tanti mysterij Sacramentum. De quo vt salubre posset accipere consilium, Romæ Sedem Apostolicam adire disposuit. Sed ecce, appropinquante die quo debebat iter arripere, de nocte venit ad eum in visione quidam Abbas, nuper defunctus, qui & primò illi religionis habitum contulerat; Quem ille per Deum adiurans, cùm, quid sibi agendum sit, humiliter postulasset, ipse ei Missam cum timore & tremore dicere persuasit, & ita disparuit. Eodem quoque die quidam sanctus monachus, cui confiteri consueuerat, idem, quod Abbas in visione dixerat, consulens, eum ad sacri mysterij celebrandi traxit fiduciam. Atque interim peracto, vt dictũ est, in monte Muronis quinquennio, quia adiacentes syluæ destructę fuerant, & ab hominibus cultę, maiorem solitudinem cupiens vir sanctus, ab eo loco ad montẽ Magellæ se transtulit, vbi sub quadam magna crypta habitare decreuit. Vbi sanè, vt orationi ac contemplationi vacaret liberius, carnem suam miris modis spiritui seruire cogebat. Semper, nisi in Dominicis diebus, ieiunabat, specialiter tamen se-

Ex humilitate patitur quosdam scrupulos conscientia.

Confortatus à Domino.

xta

xta feria, in pane scilicet & aqua. Annis singulis Quadragesimas obseruabat quatuor, in quibus vno tantum insipido ferculo vtebatur. Et in tribus earum in pane & aqua ieiunans, quandoque solis foliis caulium absque pane, quandoque solis crudis fructibus vescebatur.

Non raro victitat solis crudis herbis, simul & vestitur horrido cilicio, & catena ferrea.

CILICIIS de pilis equorum reticulatis & nodosis vtebatur, ad nudam carnem catenam ferream, vel quādoq; ferreum circulū ferens, atque ita super terra ac nudis tabulis vel cancellatis craticulis dormiens. Vnde factum est, vt tanta ad eum multitudo Fratrum suo subdenda magisterio confflueret, vt ad eorum conuenientem habitationem varia oportuerit loca cōstruere. Quę cùm pauperrima essent, non desinebat vir sanctus Fratrum paupertatē sua visitatione consolari, & beatę paupertatis Christi eis documenta atque exēpla proponere. Sed & ne pusillus grex, quē sic ouili Christi aggregauerat, dispersus periret, cùm audisset vir Dei omnes ordines per Apostolicam Sedē non approbatos debere cassari in generali Cōcilio Lugdunensi, tunc sub Gregorio Papa decimo celebrando, ipse, vt pius & verus Pastor, licet debilis & confractus, pedibus eūdo assumptis secū duobus Fratribus, iter illud longum & asperum, cum magno vitæ suæ periculo, arripuit. Sed Dei auxiliante gratia, illuc perueniēs, vltra quàm sperabat, in oculis Summi Pontificis gratiam inuenire meruit, & priuilegium cōfirmationis sui Ordinis, sub B. Benedicti regula impetrauit. Et extunc & deinceps multa loca & monasteria, etiam quędā quæ monachorum nigrorū fuerāt, suo Ordini mancipauit: creuitq; adeo eius sancta religio, vt in breui triginta sex loca Domino dedicârit, in quibus fere sexcēti Fratres ei oblati, cū multa deuota familia, variis virtutum & bonorum operum exercitiis insudabant.

Multi sub eo colliguntur Fratres.

Proficiscitur ad Concilium Lugdunense, pro cōfirmatione sui Ordinis.

TANTA autem ad eum populorum frequentia concurrebat, quòd non erat ei omnibus loquendi facultas: sed vt eius visione consolarentur, locum aliquem eminentiorem adscendebat, vt data ab eo benedictione, recederet: vbi quandoq; plures infirmi & dæmoniaci eius precibus & meritis sanabantur. Quam popularis frequentiæ molestiam cùm ferre diutius non posset, assumptis secum paucis Fratribus, secessit ad locum secretissimum S. Bartholomæi de Legio, vbi credebat se ab hominibus ignoratum iri. Sed multo plus etiam ibi quàm antea à populo quæsitus & frequentatus, virtuosæ lucis suæ opera mundo declarare compulsus est. Igitur rursum assumpto secum vno socio, ad montis Magellæ verticem veniens,

Conuenitur ad eum vndique pro benedictione.

Fugit ad locum quendā inaccessibile.

niens, descendit ad quandam cryptam, ad quam sine periculo non poterat haberi accessus: ibique ad honorem S. Ioannis Euangelistę constructo oratorio, pro se & duobus sociis cellas ædificans, per plures annos mansit. Sed nec sic omnino latêre potuit. Itaque cùm maior illuc hominum multitudo concurreret, & eorum laboribus parceret atque periculis, redire disposuit ad montem Muronis, vbi primo suæ conuersionis tempore manere consueuerat. Vbi cùm per anni & mensis vnius spatium habitasset, placuit diuinæ prouidentiæ eum de cella extrahere, & ad noui certaminis campum dirigere. Nam cùm Sedes Apostolica post obitum Nicolai Papę Quarti, propter Cardinalium discordiam, biennio & amplius viduata pastrore, vacasset, & ipsi apud Perusium congregati, iterum de celebranda electione tractarent, vnus eorum, qui primæ vocis honore fungebatur, Fratrem Petrum de Murone in Summum nominauit Pontificem. Ad quam vocem cæteri stupefacti, inspirante ac instigante Spiritu sancto, eum concorditer elegerunt.

Eligitur in Summum Pontificem.

Et quidem ipse, facta hac tam mira electione, latéter cum vno socio fugam capere attétauit. Verùm subita populi multitudine circumuentus, non potuit. Quin & Reges Siciliæ & Hungariæ veloci cursu mox ad eum peruénerunt. Igitur in ciuitate Aquilæ, vocato Cardinalium cœtu, Pater sanctus in festo Decollationis S. Ioannis Baptistæ, coronam, aliaque Apostolica suscepit insignia; & quia in terris habitans, iam cælestis erat; in sua coronatione, Deo, vt credimus, inspirante, Cęlestini nomen accepit. Deinde verò, cùm ad preces Regis Siciliæ venisset Neapolim, ibi cùm sua curia aliquamdiu residens, fecit ordinationem vnam duodecim Cardinalium, inter quos ex suo Ordine duos Fratres elegit, vt cú illis in Pontificio spirituale haberet consortium. Sed audi rem miram. Ita vir sanctus anachoreticæ sublimitatis perfectione erat inflammatus, vt etiam in Papali camera & Augusto palatio cellam ligneam, angustúmque sibi & eremiticum voluerit fieri habitaculum. Ibi ergo assiduę cogitare cœpit, qualiter huiusmodi Pontificali honore, velut importabili onere, deposito, ad antiquam solitudinem repedaret. Atque adeò cùm, peritorum consilio iure, ac sine animæ suæ discrimine, id fieri posse comperisset; ita in hoc animum firmauit, vt ab illo proposito nullis eum amouere potuerit. Nec multa mora. Cùm anno quasi dimidio Sedi Apostolicæ præfuisset, tandem in vigilia sanctæ

Ad preces regis Siciliæ venit Neapolim.

Assiduè cogitat de deponendo Papatu.

sanctæ Luciæ, celebrato Fratrum suorum consistorio, ibi liberè cessit Papatus oneri & honori; & depositis Pontificalibus insigniis, ad pedes eorum, quibus præfuerat, humiliter prosternitur.

INTER cuius exsecutionem facti & ipsius laudem, ne quisquam dubio mentis iudicio fluitaret, ecce miraculum, quod prima die post eius renunciationem Dominus per eum facere dignatus est. Nam cùm post eius Missam quidam claudus membris contractis sese ad pedes ipsius prosterneret, accepta ab eo benedictione, sanus erectus est. Sed & simul audi quàm indignam pro his exceperit procellam. Ille namque Bonifacius, qui ei in Sede Apostolica successerat, cùm licentiam redeundi ad cellam suam ab eo, pedibus eius prostratus, reuerenter & humiliter postulasset, terribilibus ei verbis negauit: timebat enim ne fortè vir sanctus à deuoto sibi populo, tanquam summus Pontifex coleretur, maximè quòd in dubium vertebatur, vtrùm ipse Papatui resignare potuerit. Sed & tandem quoque eius iussu missus est vir sanctus ad castrum Fumonis, & fortissima turri reclusus, adhibitis sex militibus, & aliis triginta satellitibus, ad eius custodiam. Quo carcere cùm decem mensium spatio arctatus fuisset, ecce milites ad sui custodiam deputatos ad se vocans, eisque dissolutionem sui corporis imminere prædicens, non multo post cum flatu tenuissimo emisit spiritum. De cuius canonizatione cùm longa fuisset facta disceptatio, tandem per Clementem Papam Quintum sanctorum Confessorum Catalogo annumeratus est, anno Domini millesimo trecentesimo decimo tertio. Fuitque eius festiuitas instituta 14. Kal. Iunij qua die in Christi quieuit pace.

Postridie quà deposuisset Papatum, sanat quendam claudum.

Custoditur à suo successore in fortissima turri.

Migrat ad Christum.

VITA S. IVONIS PRESBYTERI, ADuocati pauperum, ex ea quæ est apud R.P. Surium.

XIX. MAII.

TEMPORIBVS nostris, in quos fines seculorum deuenerunt, nouam quandam stellam creauit Deus in firmamento, nempe sanctissimum Iuonem Presbyterum & Confessorem, è Britannia minori ortum, cuius præclaris meritis cælestis gratulatur Ierusalem. Fuêre autem illi parentes nobiles: pater Ahelorus dicebatur, filius Cancieri militis: matri Azonis nomen fuit. Editus autem in hanc lucem est beatus

S. Iuonis nobilis prosapia, & mira natiuitas,

Iuo in pago quem vulgò Martini appellant, non longè ab hac vrbe Trecorensi. Qui quàm Deo charus futurus esset, eius etiam genitrici dormienti diuinitus est reuelatum: adeòque à primis ætatis annis vsque ad supremum vitæ diem conuenienter doctrinæ Apostolicæ sobriè,& iustè, & piè vixit in hoc seculo. Vbi ad quartumdecimum plus minus ætatis annum peruenit, diuinis literis cupiebat institui. Itaque Parisios profectus est, causa amoris Christi libenter carens parentum amicorumque solatiis. Neque verò bonis literis oscitanter incubuit: sed cùm diligentem illis nauasset operam, neque contemnendos in iis fecisset progressus, vt sacræ Theologiæ & iuris Pontificij grauioribus studiis sese traderet, Lutetia Aureliam se contulit: vbi sanè vino & lautioribus ferculis, vitæque huius oblectamentis & deliciis, quantum potuit, sibi interdixit, corpusque suum variis modis macerauit. Ac denique cùm in his studiis iam diu versatus esset, à quodam Redonensi Archidiacono accitus est, vt iudicis Ecclesiastici officio apud illum fungeretur.

Proficiscitur Parisios studiorum gratia.

Accitur apud Archidiaconum Redonensem.

Psal. 105.

ET quidem ille memor illius, Beati qui custodiunt iudicium, eam functionem gratis in se recepit: nec tamen committere voluit, quin sacræ Theologiæ prælectioni quotidie simul interesset, & corpus suum multiplici quoque abstinentia adhuc affligeret. Orphani omnes afflicti, & calamitosi homines, eius fouebantur humanitate & patrociniis: eos, qui in carceribus tenebantur, hortabatur ad patientiam: & cùm proferenda ab ipso esset in iudicio sententia, sine lacrymis id non faciebat, nec tamen propterea minùs Ecclesiasticam tuebatur libertatem. Sed & interim fama eius ad Trecorensis Episcopi aures perlata, ab eodem quoque generalis est Iudex siue Officialis, vt vocant, institutus. Sed neque sic tamen immemor fuit eorum quæ antè diximus: imò verò ad subliminiora pietatis studia se accingens, ibat de virtute in virtutem. Siquidem officium hoc cùm aliquandiu strenuè & fideliter esset exsecutus, cuperetque totum se dare contemplationi rerum diuinarum, & viuendi perfectiorem sectari modum, eo tandem se abdicauit: atque ad ecclesiam de Lohaneto, cuius erat moderator, se contulit, totumque se diuinis mancipauit rebus.

Fit Officialis Trecorensis.

IBI tum vestes molles & delicatas, quibus pro ratione sui status antea fuerat vsus, ilico abiecit, pannoque colorio siue albo, eoque rudi, & exigui precij, contentus, instar pauperum monachorum sculponeis vtebatur. Carnem edomabat cilicio, quod

Vixit in summo rigore & abstinentia.

quód indusio crassissimo tegebat, ne sub cuiusquam conspectum veniret. Ieiunia omnia ab Ecclesia instituta & indicta ita obseruabat, vt pane & aqua contentus esset. Escis delicatis semper abstinebat, rudi cibario pane & pulmento vilissimo vescens. Sed & accidit etiam quodam tempore, vt in cubiculo suo septem dies solus maneret, perpetuò in precibus perseuerans, neque vllum sumens cibum corporeum. Sic etiam quodam die illo Sacrificium offerente, cùm ex more sacram hostiam eleuaret, globus igneus magni splendoris ipsam ambiebat hostiam; caliceque eleuato, ac rursus deposito, repentè disparuit. Somni erat parcissimi, raro, vel nunquam illi indulgens, nisi vel lectione vel itinere fatigatus. Cubebat autem vel in nuda humo, vel glebis, crassis nodosisque virgis vel stipitibus constratis, mollissimum capiti ceruical supponens; nempe aut Biblia sacra, aut saxum prædurum. Hospitalitatis verò erat præcipuè studiosus, ita vt raro, vel numquam à mensa sua pauperes & hospites abesse voluerit. Ex quo benignitatis fonte manauit quód etiam alienigenas pauperes, item mala affectos valetudine, & deformes, haud secus atque fratres suos humaniter excepit, familiaremque se illis exhibuit, & ad mensam suam sibi assidere voluit, de cibis suis illis apposuit, lectos apparauit, propriis manibus illorum pedes abluit. Eiusmodi autem pietatis officiis certas assignarat ędes, in quibus iis semper vacare posset.

Apparet super eũ globus igneus.

Humanissimus est in pauperes.

VNDE etiam quodam tempore cùm viro Dei non nisi vnus esset panis exigui pretij, & multi ad eum confluxissent pauperes; illo vno pane, diuino implorato auxilio, omnibus fecit satis. Sic & iniunxit etiam quandoq, duobus familiaribus suis, vt quandam cistam frumentariam in suos & pauperum Christi vsus seruarent. Qui cùm postea eam apertam viderunt, parumque in ea esse frumenti; ad beatum virum id referunt: qui sic eis respondit: Facessat timor: Deo benignè nobis opitulante, satis habebimus. Et ecce, redeunt ad cistam, & eam conspiciunt frumento plenam. Pupillos autem & orphanos egregiè tuebatur, & eorum causa diuersis in locis adibat iudicia, patronum se illis exhibens: immo verò suis impendiis illorum causas defendebat apud iudices. Atque inde adeò factum est, vt in illa regione meritò appellatus sit Aduocatus pauperum. Fuit verò etiam insignis concionator, & verbi Dei zelosus in primis seminator: neque in vna tantùm sua parœcia ipsius curæ commissa, sed & in tota illa regione.

Vnico paruo pane plurimi d[i]uinitus saturantur.

Cur vocatus Aduocatus pauperum.

 Ibat

Ibat autem non sublimis equo, sed pedibus suis. Sedebat autem etiam quodam die vir sanctus ad mensam: superuenit autē quidā, vt videbatur, pauper miserabilis: quem ille comiter excepit, atque è sua scutella cibum capere voluit. Sed cùm pauper ille parum sumpsisset cibi, dixit: Dominus vobiscum: & ecce, qui visus fuerat, abiecto habitu, multa luce conspicuus cernitur, ita vt eius lumine tota illa splenderet domus; ac sic se eorum adspectibus subduxit. Sic etiam, alio die, sedente beato viro in sacrario Trecorensis ecclesiæ, columba quædam aduolauit mirè illustris, cuius splendore tota ecclesia, vnà cum sacrario, mirificè illustrabatur.

Aduolat ad eum calitus quadam columba.

SED ecce tandem, cùm iam multis ieiuniis, & intolerandis laboribus, cruciatúque multiplici vir beatus corpus suum valde extenuasset, cupiebat cum Apostolo dissolui, & esse cum Christo. Itaque diuinitus præstitum est illi, vt obitus sui tempus antè præsciret. Quæ etiam causa fuit, vt tum, cùm se sentiret plus solito viribus debilitari, perinde ac si rectè valeret, humi cubaret, substratis non multis paleis, versúsque ad crucis imaginem, quam perpetuò in suo asseruabat cubiculo, cum multis lacrymis & suspiriis Dominum precaretur. Quin etiam cùm extremæ Vnctionis Sacramentum percepisset, crucis signo se muniuit, spiritúmque suum præpotenti Creatori humiliter commendans, deinceps nihil locutus est. Tota autem nocte sabbathi vsque ad diem sequentem, oculis apertis & in crucis imaginem defixis, tacitus iacuit, cùm ecce, illucescente Dominico die, qui tunc fuit proximus ab Adscensione Christi, & incidit in decimum nonum Maij, spiritum reddidit: eiúsq; sacrum corpus in Trecorensi ecclesia humatum est. Infinita autem post eius obitum facta sunt miracula, Deo eius meritis eximia reddente testimonia: visitatúrque sepulchrum eius quotidie cum multa deuotione, etiam ab illis qui aliunde ex diuersis orbis regionibus ad illud confluūt, propter multa beneficia, quæ sancti viri meritis illic conferuntur. Porrò Clemens eius nominis sextus Romanus Pontifex, eum pro sancto habendū pronuncians, solenniter, vt vocant, canonizauit, anno Saluatoris Christi millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, die 19. mensis Maij.

En Sacramentum extrema Vnctionis.

Obdormit in Domino.

Refertur in numerum Sanctorum.

DE SANCTA PENTECOSTE, PARTIM ex D. Leone, partim ex D. Augustino.

HODIER

HODIERNAM solennitatem, dilectissimi, in præcipuis festis esse venerãdam, omnium Catholicorum corda cognoscunt. Nec dubium est, quanta huic diei reuerentia debeatur, quem Spiritus sanctus excellentissimo sui muneris miraculo consecrauit. Nam ab illo die, quo Dominus super omnẽ cœlorum altitudinem ad dextram Dei Patris consessurus adscendit, decimus iste est, qui ab eiusdem resurrectione quinquagesimus, nobis in eo, à quo cœpit, illuxit, magna mysteria in se continens, & veterum sacramẽtorum & nouorum: quibus manifestissimè declaratur, gratiam prænunciatam fuisse per legẽ; & legem impletam esse per gratiam. Sicut enim Hebræo quõdam populo, ab Ægyptiis liberato, quinquagesimo die post immolationem agni lex data est in monte Sina; ita post passionem, qua verus Dei Agnus occisus est, quinquagesimo à resurrectione eius die in Apostolos, plebémque credentium, Spiritus sanctus illapsus est, vt facilè diligens Christianus agnoscat, initia veteris Testamenti Euangelicis ministrasse principiis, & ab eodem Spiritu conditum fœdus secundum, à quo primum fuerat institutum. Nam sicut Apostolica testatur historia, dum complerentur dies Pentecostes, esséntque omnes discipuli pariter in eodem loco, factus est repentè de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispartitę linguæ tamquam ignis, sedítque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.

D. Leo ser. 1. de Pent.

Pentecoste qu. si quinquagesima dies à Resurrectione, quid significet.

Exod. 19.

Act. 2.

Apparet Spiritus sanctus in linguis igneis.

ATQVE ô quàm velox est sermo sapientiæ! & vbi Deus magister est, quàm citò discitur quod docetur! Non est adhibenda interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad vsum, non tempus ad studium, sed spirante, vbi voluit, Spiritu veritatis, propriæ singularum gentium voces, factæ sunt in Ecclesiæ ore communes. Ab hoc igitur die tuba Euangelicæ prædicationis intonuit, ab hoc die imbres charismatum, flumina benedictionum, omne desertum, & vniuersam aridam rigauerunt: quoniam ad renouandam faciem terræ, Spiritus Dei ferebatur super aquas, & ad veteres tenebras abigendas, nouę lucis fulgura coruscabant, cùm micantium splendore linguarum, & verbum Domini lucidum, & eloquium conciperetur ignitum, cui ad creandum intellectum, consumendúmque peccatum, & efficacia illuminandi, & vis inesset vrendi. Vbi quamuis, dilectissimi, valde fuerit in ipsa rei gestæ forma mirabilis, nec

Significatur tuba prædicationis Apostolicæ, & efficacia illuminandi frigidos.

concentu.

Apparuit Spiritus sanctus, non tamen ipsa diuina essentia.

dubium sit in illo omnium humanarum vocum exsultante * concentu, maiestatem Spiritus sancti fuisse præsentem: nemo tamen existimet, in iis, quæ corporeis visa sunt oculis, diuinam eius apparuisse substantiam, Natura enim inuisibilis, & Patri Filióque communis, qualitatem muneris atque operis sui qua voluit significatione monstrauit: proprietatem verò essentiæ suę in sua Deitate continuit: quia sicut nec Patrem nec Filium, ita nec Spiritum sanctum humanus potest visus attingere. In Trinitate enim diuina nihil dissimile, nihil impar est: & omnia quæ de illa possunt substantia cogitari, nec virtute, nec gloria, nec æternitate discreta sunt.

D. Aug. ser. item primo de Pentecoste.

M A G N A autem gratia, & duplex planè gaudium: Nimirum abeuntem Christum non amisimus, & simul venientem Spiritum possidemus: videlicet illum retinemus fidei merito, hunc sanctificationis accessu. Cùm abiero, inquit Christus, ad Patrem, mittam vobis Paracletum. sicque credimus ad Patrem peruenisse Filium, cùm videmus ad Apostolos descendisse Paracletum. Credimus namque eum regnare in cœlis, quem cernimus munera sancta donare in terris, sicut scriptum est per

Psal. 67.

Prophetam: Adscendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Victor vtique muneratur, victor dona largitur. Vnde & Saluator, victor diaboli, post triumphum, discipulos, quos liberauit à captiuitate, etiam benedictione ditauit. Liberauit autem nos, cùm ad resurgendum per se ipsum tartara nobis aperuit, ditauit nos, cùm ad regnandum per Paracletum nobis cælestia reserauit. Quibusdam enim quasi profectuum gradibus tunc de morte ad vitam didicimus remeare: modò autem de terris ad cœlos docemur adscendere, sicut scriptum est: Ipse vos docebit omnia. Quid enim docet Spiritus sanctus? Vtique hoc nouit docere quod sanctum est. Et quid docet nos Paracletus? Illud vtique docet quod dicit Saluator: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: cùm venerit autem ille Spiritus veritatis, ipse vos docebit omnia.

Passione Domini liberamur, missioni Spiritus sancti ditamur.

Ioan 14.

B O N V S itaque magister est Paracletus, quia dicit quæ Christus dicenda seruauit. Hoc enim docet Spiritus sanctus, quod Dominus docendum habere se dixit. Necesse est igitur vt vnius sit substantiæ & naturæ cum Christo, quem videmus vnius cum Christo esse doctrinæ. Et ideo, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, vt Spiritum sanctum promereri & accipere possimus. Et quidem si hunc mundum relin-

Quomodo quisque Spiritum san-

relinquimus, nos similem Paracletum, sicut Apostoli, id est, Spiritum veritatis, quem mittet nobis Pater, accipiemus: quoniam non est personarum acceptio apud Deum Patrem, sed omnino promissa Apostolorum nobis proficiunt, si opera, & desideria, & actus gerimus, quos Apostoli fecerunt.* Tum etiam his, aliisque documentis, quibus innumerabiliter diuinorum eloquiorum coruscat auctoritas, ad venerationem Pentecostes vnanimiter incitemur, exsultantes in honorem sancti Spiritus, per quem omnis Ecclesia Catholica sanctificatur, omnis anima rationalis imbuitur. Qui inspirator fidei, doctor scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, & totius est causa virtutis. Gaudeant, inquam, fidelium mentes, quòd in toto mundo vnus Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus, omnium linguarum confessione laudatur, quodque illa significatio, quæ in specie ignis apparuit, & opere perseuerat & munere, ac demum quod Spiritus veritatis facit domum gloriæ suæ, luminis sui nitore fulgere, & in templo suo nec tenebrosum aliquid vult esse, nec tepidum.

ßum possit promereri.

Rursum D Leo.

Magna nobis huius causa gaudij.

VITA B. AVSTREGISILI ARCHIEPIscopi Bituricensis, ex illa quæ est per eius contemporaneum.

XX. MAII.

BEATVS Austregisilus apud vrbem Bituricensem, patre Gundino natus, facultatibus fuit quæ ad vitam degendam abunde sufficerent. In pueritia literis discendis admotus est: sed cùm ei corporis vires accreuissent, parens eum adduxit ad Guntrannum Regem, vt ei suam nauaret operam. Itaque tempus non exiguum in eius Regis aula exegit, prudenter se gerens in iis quæ ex officio ei facienda incumberent. Et erat sanè Regi gratissimus, eique manus abluenti offerebat linteum quo eas extergeret; quo factum est vt eum Mapparium id temporis vocitarent. Et erat quidem habitu adhuc secularis, sed eleemosynis, precibus, vigilijs, die noctúque gnauiter tamen incumbebat. Cœperunt autem illi molesti esse parentes de ducenda vxore. At ille pudicitiæ studio & amore differebat semper. Crescebat interim in amore Dei, & bonis operibus quotidiana adiiciebat incrementa, valdéque cupiebat in Clerum adscribi, sed cuius operâ id à Rege impetraret,

S. Austregisili genus.

Viuit in aula Regis sanctissimè.

Multo studio agit vt possit fieri clericus.

necdum compertum habebat. Erat autem apud Regem id tẽporis, inter alios aulæ proceres, vir præstantissimus, idemque prudentissimus, Æthereus nomine, cuius fidei arcana sua omnia Rex committere non dubitabat, qui tunc dignus quidem Episcopatu, postea Lugduni, quæ est Galliæ nobilissima ciuitas, Episcopus ordinatus est, qui & Austregisilũ in primis charum habebat. Quare & eum rogauit Austregisilus, vt ageret apud Regem, quo eius permissu liceret ipsi in Clerum transire. Egit itaque ille cum Rege, & Rex assensit. Acceptis autem inde literis, abiit Austregisilus Antissiodorum, vbi à B. Aunario Episcopo decisa cęsarie, Clericus effectus est, & ordinatus Subdiaconus. Deinde autem ad memoratum Æthereum profectus est, qui iam Lugduni factus Episcopus, eum cum ingenti gaudio accepit, Presbyterúmque & Abbatem B. Nicetij Episcopi & Confessoris ordinauit.

Fit Abbas ad S. Nicetium.

QVIN & in amoris testimonium & augmentum, de rebus ecclesiæ quendam locum, quem Albianum vocant, ei attribuit. Atque interim cùm iam Dominus, quemadmodum decreuerat, manifestum vellet reddere seruum suum, eo tempore quo erat cum beatissimo Æthereo Episcopo in villa quadam Gebennensis territorij, iuxta locum haud procul ab ea villa aberat castellum quoddam desertum. Erant verò illic etiam ecclesiæ quædam, sed propè semirutæ. Ibat ergo B. Austregisilus ad eum locum orandi causa. Vbi cùm neque custodem vllum, neque Clericum reperisset vigilantem, patentibus ostiis, sed sacrario obserato, Missam in ecclesia celebrare voluit. Deerat autem aqua qua manus ablueret, & quam Sacrificio misceret. Itaque dixit amico suo Marculpho, id temporis Lectori, nunc verò Abbati eius basilicæ, vbi corpus eius humatum est: Perquirito pauxillum aquæ, vt hîc Missas celebremus. Et quidẽ quæsiuit ille, sed nihil inuenit. Sed tamen reuersus ad eum in ecclesiam, vidit ostia sacrarij aperta, quæ antè clausa conspexerat: simúlque cùm ingressus esset, inuenit ipsum virum Dei stantem & coram se habentem duas crateras, alteram vino, alteram aqua plenam: quæ res non mediocri eum admiratione & pauore affecit. Iámque tempus aderat, quo ad sublimiorem honoris gradum eum Dominus subuehere voluit. Itaque mortuo Bituricensi Episcopo Apollinari, in eius locum, omnium vnanimi consensu, Rege quoque annuente, suffectus est Austregisilus: quam functionem duodecim annis præclarè administrauit, quemadmodum & ab

Nota ætatem Auctoris. Dominicus ei celebraturo Missam patescit ecclesia, & adfertur aqua.

Creatur Episcopus Bituricensis.

ab Angelo ei fuerat antè prædictum.

Per quod tempus mulier quædam in eiusdem ciuitatis suburbio iam diu laborabat membrorum ariditate, neruorúmque contractione, ita vt membrorum ferè omnium officio esset destituta, aliorúmque manibus ad loca necessaria eam deportari oporteret. Quæ cùm se petiisset à vicinis ad virum Dei deferri, tulerunt illi eam ad altare: vbi cùm eam cóspicatus esset vir sanctus, diuinum officium in ecclesia persoluturus, audiuissetque eam dicentem sibi, Sancte Austregisile adiuua me, ita ait, Domini virtus & pietas sanare te potest: sublatisque ad cœlum oculis & manibus, Extende, inquit, ad me manum tuā. Qua respondente se id facere non posse, ipse, manu eius apprehensa, primò digitos, deinde cætera eius membra extendit; tádémque in pedes erectam, integerrimæ sanitati restituit, dixitque illi: Vide ne in pristina relabaris vitia, & deterius aliquid tibi accidat. Ferebatur enim mulierem illam ante morbum impudicè & luxuriosè vixisse. Longum est autem omnia beati viri miracula annotare, cùm eius precibus permulti ex diuersis sint erepti morbis, complures capite dānati, & in carceres coniecti, magno miraculo à vinculis absoluti, ad Ecclesiam, nullo resistente, confugerint, innumeri pauperes, viduæ, orphani, eius benignitate & eleemosynis sint sustentati. Obiit autem tandem plenus dierum in confessione bona: cuius intercessione vtinam consequamur, vt, si meritis eius æquari nō possumus, saltem imitatores esse conemur, præstante illo qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus vnus per infinita secula.

Sanat quandam contractam.

Experiuntur eius beneficiū etiā alij multi, & inter cæteros etiam capti.

VITA S. BERNARDINI, ORDINIS SANcti Francisci, ex ea quæ est apud R. P. L. Surium.

XX. MAII.

In Senensi vrbe, quæ virginis ciuitas dicta est, ex nobili familia Albizeschorum ortus Tollus est, vir humanus, & bonę existimationis. Is in iuuentute ad Massanam vrbem se contulit. Erat tum illic miles generosus Bindus nomine. Qui vt vidit Tolli mores, Neram filiam suam illi despondit, atque ex his natus est Bernardinus. Nera obiit, cùm Bernardinus esset trimulus, Tollus autem pater eius, cùm esset sexennis. Itaque eius curam suscepit Diana matertera. In cuius etiam ædibus cùm casu aliquando paruum esset relictum panis, atque illum

S. Bernardini parentes.

Piissima eius conuersatio adhuc pueri. ipsum pauperi mendicanti Diana dari nollet, dixit pius: Quæso demus pauperi: malo enim hoc pauperem refici quàm me. Quin &, etiamsi annis tener, ad honorem tamen beatissimæ Deiparæ Mariæ diebus Sabbathi ieiunauit, & quàmdiu laicus fuit, illud ieiunium nunquam intermisit. Porrò cùm ad tertium decimum ætatis peruenisset annum, à necessariis amicis Christophoro & Angelo Albizeschis fratribus Senas accitus est.

VENIT autem ad eandem vrbem quoque non multo pòst *Nota ætatem Auctoris.* Ioannes Spoletanus, totius honestatis speculum, & moralis philosophiæ præceptor egregius, qui licet grandæuus, est tamen etiamnum superstes. Itaq; integerrimus adolescens Bernardinus mox ad illum se contulit; hæsitque apud illum annis aliquot, & mirabiles habuit in literis progressus, ita vt ab eodem Ioanne quondam etiam præceptore meo, crebrò audierim, è suis scholis nunquam quemquam Bernardino doctiorem prodiisse, simúlque tam omni honestate præditum. *Etiānū puer habetur flagellum lubricorum.* Vnde etiam factum est, vt si fortè pueri & adolescentes inter se de rebus parum honestis verba miscerent, viso Bernardino, mox dicerent: Facessant hi sermones; ecce enim Bernardinus adest. In iuuentute autem sua, cùm adhuc laicus esset, vt posset sua pietatis studia augere, adscribi voluit in spectatæ religionis Sodalitatem, quam vulgo vocant Confraternitatem disciplinatorum B. Mariæ, quæ est in domo hospitali de la Scala. Qui nimirum vetustus ille locus est, ex quo complures sancti viri prodiere: puta Ioannes Columbinus, Frāciscus Vincentinus, beatus Petronius de Petroniis, Andreas de Galleranis, aliique permulti sublimes contemplatores, & innumeri ferè religiosi.

Et ad quid prosint Sodalitates seu Confraternitates. Accepit habitum Fratrum Minorum.

QVA sub disciplina cùm Bernardinus egregiè se aliquandiu exercuisset, & præcipuè in peste illa grauissima, anno 1400. ardentissimam charitatem, seruiens in eodem hospitali ægrotis, ostendisset, accepit, tandem ab admodum Reuerendo Patre Ioanne Pistorio habitum monasticum in cœnobio Senensi Franciscanorum, anno scilicet Domini millesimo quadringentesimo quarto, ætatis suæ vigesimo secundo, tota ciuitate Senensi multum inde & ædificationis & admirationis capiente. Sed non diu tamen pòst, sentiens Bernardinus se illo in loco non posse Deo tranquillo animo seruire, quòd homines seculares quotidie eò aduentarent; ex cōsilio memorati Patris excessit è patria sua, ciúsque fretus benedictione,

ad eos Obseruantes commigrauit qui in Columbarij antiquo monasterio degebant, quod situm erat haud procul Senis in obscuro nemore. Morabantur illic sanè viri admodum religiosi & sancti: in quorum etiam ideo sodalitatem cupidissimè se recepit. Primo anno probationis nihil p orsus habere voluit præter cucullum, subligaculum, & cingulum nodosum. Nullumque tam molestum aut vile fuit opus, quod ipse suis manibus non libenter exsequeretur. *Cômigrat ad mo[...]erium Columba[...]j.*

INSERVIEBAT ægrotis Fratribus, ferebat suis humeris emendicatas panis & vini eleemosinas, nudis interim incedens pedibus etiam longissimo itinere. Inter quæ etiam, eunte illo quandoque cum Fratre per plateas vrbis Senensis, petulantes pueri à tergo illudebant ei, & in eius nudos calcaneos lapillos iactabant. At ille, ne semel quidem respiciens, nec quicquam omnino commotus, pergebat itinere suo, perinde ac si surdus & insensilis esset. Porrò anno probationis exacto, ipso Natiuitatis beatissimæ Mariæ solenniter professus est, ac deinde etiam coactus fuit Sacerdotio initiari, atque adeò primum sacrum & primam concionem habuit item in eiusdem matris Dei natalitio die. Post quæ cum à Præfecto domus Hospitalis S. Honofrij, quod est extra muros Senarum, petijsset locum aliquem, in quo pro se & fratribus suis paruam habitationem exstrueret, concessit ille de Pontificis Maximi & domus Hospitalis consensu: atque ibi Bernardinus monasterium condidit, quod vsque in præsens illic cernitur, commoda structura, cum eleganti templo, & aliis ædificiis. *Patientissimè fert contumelias puerorũ sibi illudentium.* *Fit Sacerdos.* *Construit nouum monasterium.*

ATQVE huius cœnobij primus ipse Guardianus seu Præfectus fuit, gnauiter portans onera die ac nocte, potiusque in se recipiens quàm in alium transferens labores. Apportabat ligna lapides, calcē, nihil parcens tenero corpusculo suo. Libens quoque exibat ad petendas eleemosynas. Crebrò totas noctes duxit insomnes, in secreta quædam loca sese abdens, atque illic vacans deuotioni suæ. In adhortationibns autem suis, publcisque concionibus magno semper studio excitabat auditores, vt se gratos exhiberent passioni & morti Saluatoris, deuotionemque & reuerentiam præstarent sanctissimo nomini IESV, extra quod non est aliud nomen in quo oporteat nos saluos fieri. Sed & solebat quoque sub finem concionum suarum populo tabellam spectandam proponere, idque in primis religiosè ac pie in qua pictum erat dulcissimum nomen IESV literis aureis, Solis radiis vndique cinctum *Ipse fert propriis humeris lapides & similia.*

Singulariter est deuotus nomini IESV.
Circumferuntur eius conciones per omnes prouincias.

cinctum. Vnde & præpotens Deus mira per eum operatus est. Peroptabant singuli eius habere conciones: & beatiores se existimabant, si daretur copia eas describendi.

LIBELLI eius per regiones omnes spargebãtur, per Hispaniam, Galliam, Angliam, Hyberniam, Scotiam, Germaniam, Hungariam, Cyprum, Asiam, Græciam. Vbiuis locorum eius fiebat mentio, & se longè lateque diffuderat fama eius, quam & Dominus præclaris miraculis confirmauit: ita scilicet ille sancti Spiritus perfusus rore, in nouæ lucis euectus est montem. Ea tempestate tota Italia planè iacebat obruta vitiis & flagitiis. Mundus plenus erat veneficiis & incantationibus. Rarò festis diebus ibatur in templum vt Missa audiretur. Properabant omnes ad loca vbi alearum feruebant iactus. Et his omnibus malis multa fomenta præbebat schisma, quod tum in ecclesia ad annos quadraginta durauerat. Quæ conspiciens Bernardinus, valde miserabatur pereuntis mundi pericula. Itaque fiducia sua in Deo collocata, ibat per regiones & ciuitates, annunciabat hominibus virtutes & vitia, gloriam & pœnas sempiternas. Vnde & tanta diuinæ gratiæ largitate perfundebatur, vt diligeretur ab omnibus, & honoraretur, & cum multa reuerentia exciperetur, & auscultaretur haud secus atque quidam Christi Iesu Apostolus.

Ecclesiæ status tunc deploratissimus.

Multũ effomat sua concione vniuersam Italiam.

CERNERE tum erat feminas mũdi pompis & vanitatibus hactenus deditas ponere torques & catenas aureas, abijcere specula & vnguenta, negligere capillorum compositionẽ. Instrumẽta omnium ludorum vetitorum; tabulas lusorias, taxillos, laruas & id genus alias mundi vanitates maximo numero ad sanctum virum adducebant, vt faceret de illis pro suo arbitratu. Ille verò in foro igne exstructo ea omnia combussit. Feminas in lupanaribus flagitiosè viuentes, ad pœnitentiam suis sermonibus permouit, quibus ad contrahenda matrimonia è communi ærario dotes liberaliter tribuebantur. Vsurarij, piratæ, & latrones, ad meliorem frugem se recipientes, agebãt pœnitentiam, restituebantque malè parta, quorum summa nonnunquam excedebat mille ducatos aureos. Adeò tũ Princeps mundi huius extrudebatur è regno suo. Ac præterea Frãciscanorũ viginti parua monasteria, in quibus per totã Italiam plus minùs centum viginti Fratres tantum morabantur, cùm hæc obseruantia sub Bernardini initiis instaurata est, sub finem vitæ eius intantum aucta fuerunt, vt trecenta numerarentur, & in iis Fratres amplius quinquies mille.

En necessariam restitutionem.

Ex viginti monasteriis sancti Francisci efficit vt fiant trecenta

QVIN

QVIN & fama virtutum eius magis magisque sese in regiones omnes diffundente, tres celeberrimæ Italiæ ciuitates eum sibi Episcopum obnixè petierunt, Senæ Ferraria, & Vrbinum, non mediocriter eo nomine instantes apud Eugenium Quartum. Sed Christi seruus apud Pontificem quanta potuit maxima cura, humilitate, & studio se excusauit. Cuius humilitas cęteræque virtutes quàm Deo fuerint gratiæ, vt cętera omnia miracula, quæ multa sunt & varia, breuitatis studio omittam, vel tunc satis superque ostensum est, cùm in ciuitate Aliqua in præsentia Alphonsi Siciliæ & Arrogonensis Regis ipso concionante, supra caput eius stella inirè elegans & suculenta visa est, atque adeò perstitit, donec tandem non absque magna plebis admiratione euanuit. Denique feliciter vir sanctus è corpore excessit vicesimo Maij, anno Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, cùm in vespertinis precibus Fratres concinerent illam ad Magnificat Antiphonam, Pater manifestaui nomen tuum hominibus, &c. Vixit in terris annis sex & sexaginta: ex quibus quadragita multo labore Dei verbum prædicauit passim per regiones omnes, nullo vmquam tædio retardatus. Porrò inscripsit cum Catalogo Sanctorum Nicolaus Quitus, anno salutis millesimo quadragentesimo quinquagesimo.

Recusat triũ ciuitatũ Episcopatus.

Miraculum de stella super caput eius.

Discurrit vir sanctus prædicando per 40. annos.

VITA S. BAVDELII MARTYRIS EX *Io. Maldonato Hispano.*

XX. MAII.

APVD Nemausum Galliæ ciuitatem Baudelius martyrio affectus est. Nam cùm super caput sancti Euurtij Ecclesiam cõsecrantis, lucem cælitus effusam, & Dei manum desuper benedicentis vidisset, ad martyrium illico animatus est Audiens itaque Gothorum rabiem in Gallia perstrepere, Nemausum accessit, & gentilium frequentem conspicatus turbam, peculiari suo ritu sacrificantium, acerbè nimis coarguit. Quare detentus dirisque suppliciis afflictus, fustibus cæsus ac in eculeo suspensus cum immobilis Christianæ pietatis assertor, persisteret, bipenni nouissimè percussus est. Lac manasse pro sanguine, angelosque Psallentes auditos, cum decollaretur, affirmant. Laurum etiam è tumulo exortam, annos durasse quam plurimos, cuius tactu morbi curabantur.

S. Baudelius quomodo ad martyrium animatus.

VITA

VITA S. DESIDERII EPISCOPI VIENnensis, ex Breuiario item Viennensi.

XXII. MAII.

S. Desiderij genus & educatio.

HIc vir sanctus Desiderius Augustodunensi ciuitate ex nobili prosapia oriundus, a pueritia literarum studiis traditus, superna donante gratia, inter sui tēporis scolares in seculari duntaxat scientia factus est præcipuus. Deinde Viennam expetens, & beato Naamato eiusdem vrbis Archiepiscopo adhærens diligenter ab eo quasi filius a patre enutritur doctrinisque ecclesiasticis imbuitur. Huic autē sancto Naamato in episcopatus regimine successit sanctus Philippus: cuius tēporibus, monasteriū sancti Andreę à Remila Eugenia Ansemundi ducis filia in Vienna inferius construitur. Atque sub testamento matri ecclesiæ traditur. Nam aliud monasterium sancti Andreæ superius in colle ciuitatis sitū iam erat: quod beatus Leonianus temporibus sancti Auiti eiusdem vrbis episcopi fundauerat. Vbi eadem ipsa Remila sub disciplina regulari nutrita fuerat. Sancto Philippo successit Euantius, Euantio verò sanctus Virus. Horum ergo quatuor archiepiscoporum temporibus in ecclesia Viennensi sanctus deguit Desiderius: acceptoque ibidem diaconatus officio inter cleros deo seruire studuit in bonis operibus. Sancto autem Viro de hac vita migrante in eius locū Desiderius leuatur archiepiscopus: sancto Gregorio magno doctore tūc tēporis sedi appostolice præsidēte. Eodē itaque tempore Brunechildis impiissima regina regnum Burgundionū obtinebat: Arrianæ hæresis fautrix famosissima. Cuius maritus rex Sigebertus dum mortuus fuisset, eadem Brunechildis legitimo spreto matrimonio: nepotem eius Merouеum filiū Chilperici regis maritum accepit. Quod audiens Chilpericus, eundem filium suum captum & tonsuratum presbyterúmque ordinatū monasterium intrare coēgit. Beatus autem Desiderius episcopus, eandem Brunechildem tam pro isto incestuoso matrimonio, quàm pro aliis prauitatibus suis, zelo diuino succēsus arguere cepit. Protinus illa nimio furore inflāmatur: & contra Desiderium inardescit, & in insula Leuisio nomine, exilio pertrahi cōpellit. Cui deus clementer affuit: & mirabilia precibus sancti operatus est. Iubet persecutrix simulās se super eum pietate motā fore, ad propriā sedem

Diaconus factus, postea episcopus.

Brunechildis impietas & incestus.

Arguitur à S. Desiderio

In exilium mittitur S. Desiderius.

sedē redire, cùm iam in exilio constaret eum per annos quatuor detentum fuisse. Illico plebs Viennensis pastori suó aduenienti procul ab vrbe obuiam ruunt: eúmque præcedentes ac subsequentes in voce exultationis & iubilationis ad sedem propriam deducunt. Nec tamen pestifera illa persecutrix, serpentino repleta veneno destitit dolos & consilia perquirere, quibus illum posset occidere. Quendam itáque iudicem in supradicta vrbe constituit: qui miseriarum suarum voluptatibus deseruiret. Cumque iudex ille vt sacrum dei pontificem ad iracundiam prouocaret: quadam die duodecim seruientibus sanctæ ecclesiæ comprehensis carcere eos mancipari prçcepit. Orante pro eis beato Desiderio episcopo: sanctus Seuerus qui iam longo tempore ex hac vita migrauera quadam nocte inter cathenarum pondera carceris medius astitit: eosque foribus reseratis cùm eorum vinculis exire compulit atque liberos abire imperauit. Post hæc Brunechildis prçfata nimio inflammata furore, seruum dei conatur occidere. A tribus itaque impiis comitibus Beffano scilicet & Gasifredo atque Betone, Pontifici dei etiam intra fores ecclesiæ iuges insidias iubet parari, & vbicumque posset comprehendi. Protinus eum præcipit interfici. Cùm ergo hostes in territorio Lugdunensi iuxta flumen cuius vocabulum est calarona astantes eum conspicerent: & cum occidere vellent, & multi ex ipsa plebe cum nimio fletu testarentur talia se nulla ratione velle admittere: tunc sanctus dei poplite fixo in terram atque oratione completa, caput obtulit indubitanter, ostendens se velle suscipere ictum ferientis. Subitò vnus ex satellitibus impiorum, proiecto grandi lapide, caput collisit pastoris. Moxque vno tantum lapidis ictu sanctum virum in terram cadere coegit. Sed dum diuturno spacio placita deo anima nullatenus vellet propriam relinquere sedem, perfidus ille apprehenso ambabus manibus stipite, ceruicem tanti confregit pastoris. Tali ergo martyrio beati Desiderij anima migrauit ad dominum. Corpus autem eius in Pristiniaco vico Lugdunenses sepelierunt: vbi Dominus cuius esset meriti multis demonstrare cepit miraculorum signis. Clotharius siquidem rex, Francorum, eandem Brunechildem apprehensam & sibi præsentatam tam pro isto quàm aliis sceleribus suis iudicantibus Francis, indomitis equis præcepit religari, & membratim discissam: horribili nece fecit interimi.

Illi redeunti obuiamitur.

Miraculum

Illi parantur insidiæ.

Eius martyrium, mors & sepultura.

VITA

VITA B. GVIBERTI FVNDATORIS ac Patroni Monasterij Gemblacensis, ex Sigeberto.

XXIII. MAII.

B. Guiberti patria & parentes.

INSIGNIS Pater Guibertus in pago Germiensi feliciter natus, hominibus illius temporis ad exemplum creditur esse datus. Cuius auum Redingum & auium Gislam, patrem quoque Lietaldum, & matrem Osburgam, omnes, qui huius antiquitatis retinent notitiam, fatentur longam antiquæ nobilitatis traxisse lineam, quorum latè pullulante prosapia, se penè tota nobilitari gaudet Lotharingia. Hic, fratribus eius de carnalis posteritatis prouentu cogitantibus, solùs spiritualis generationis hæredes suspirabat. Militabat interim mundo, specietenus, sed quantum patiebatur huius negotij vsus, à militiæ vitiis erat extraneus. Denique postquam diu sub chlamyde militaris habitus latuit, quia lucerna diutius latere non debuit, nodum diuini seruitij à se quantocyus dissoluit, & militiæ secularis cingulum deposuit, sed & insuper de proprietate hæreditatis suę fundum, Gemmelaus dictum, delegit, & Deo, & Apostolorum Principi Petro, sanctoque Exuperio martyri glorioso, ad construendum in eorum honorem monasterium deuotissimè delegauit. Ad quod opus felici auspicio inceptum, animabatur etiam nobilissimæ & Christianissimæ auiæ suæ Gislæ pia conniuentia: quippe quæ salubri reperto consilio, omnes res hæreditatis suæ, quas sibi vir suus Redingus dotis gratia impenderat, vel quas ipsi pari æquitatis industria addiderant patrimonio suo, ad præsidium Deo placitæ constructionis, contulit legaliter charissimo nepoti suo.

Abiecta militia seculari parat se ad construẽdum monasterium Gemblacẽse.

Adiuuatur pium eius propositum à sua pia auia Gisla.

AD hæc non parum solatii diuinitas fideli suo Guiberto contulerat, quod in omnibus doctorem & patronum quendam venerabilem virum Erluinum nomine præuiderat, qui & ipse canonicam, quam viuebat, regulam ad monasticam vitam conuerterat. Is itaque pio patrono nostro in omnibus vtilium rerum consiliis exsequendis, in ecclesia ædificanda, & officinis claustri construendis, in Fratribus ad ouile Dei conuocandis & regendis, aderat adiutor opportunus & vnanimis. Et quidem alij ad perfectionis culmen tendenti sufficere videtur à malo declinasse, mundi pompis abrenunciasse, sua omnia pauperibus erogasse: at Dominus Guibertus, quæ retrò sunt, oblitus, in anteriora magis se extendere nitebatur.

Colliguntur Fratres.

Atque

Atque interim qualitatem loci, vbi propositum suum securè exsequeretur, cautè despexit: scilicet vt nec indulgeret sibi disciplina remissior, nec pro intuitu etiam notæ nobilitatis malè blandiretur sibi honorificentia impensior. Itaque tandem columba Christi adiit arcam paratam à Deo multorum saluti, claustrum scilicet Gorziensis cœnobij. Erat enim ibi tunc magnus sanctæ religionis feruor, nec quisquam vel initium conuersionis se credebat arripuisse, cui non contigerat illa Gorziensi regula initiatum esse. Ibi ergo & noster patronus Guibertus seipsum, & omnes quos Christo lucrifecerat, venerandi Patris Agenoldi Abbatis manibus studiosè commisit, adhærens ei studiosius, & ab ore eius pendens intentiùs, vt pote qui ex doctrina eius non solùm ipse pasci habebat, sed insuper de micis ex ea collectis per se Christi pauperibus ferre satagebat.

Tradit se cũ suis erudiendum in Abbatia Gorziensi.

VBI licet non multo pòst ita profecisset, vt, dum ipse de singulorum virtutibus aliquid decerpit, quod sibi sit pro exemplo, ipse solus omnibus esset exemplo, timens tamen illud Apostolicum, Doctorem non debere esse neophytum, venerabilem, cuius suprà meminimus, Erluinum, communicato cum Fratribus consilio, Abbatem sibi delegit, ipse autem ad aluearium monachorum, scilicet Gorziam, est regressus, atque ibi ieiuniis, vigiliis, & orationibus vacabat. Interim crescebat Christi gloria, & illorum, per quos benedicebatur nomen Domini, multiplicabatur gratia, quando de Gẽmelaus, nouellæ constructionis cœnobio, boni odoris longè latéq; exibat fragrantia, cùm quidam, qui bona fidelis Christi serui Guiberti obliquo oculo limabant, aures Cæsaris aduersus eum appellãt, quod Gemmelaus regalem fiscum iniussu Regis, fundato ibi cœnobio, in sortem Ecclesiastici iuris iniustè trãsfuderit. Verumenimuero statim post & ipse quoque pius Rex regali censuit edicto, vt inconuulsa permaneret Gemblacensis cœnobij constructio. Insuper & permissa est quoque potestas aduocatum & regularem Abbatem cum imperio Regis eligendi, castellum construendi, mercatum, percussuram monetæ, & materiam faciendi. Sed & ipse locus ab omni omnium seruitio immunis est redditus, in ciuitate, in castello, in villa, super aquas, in pontibus, in omnibus imperij sui locis ab omni telonio & tributo est absolutus, sub solo Regiæ defensionis munimine subiectus. Quæ auctorizatio facta est solenniter Leodij, 12. Kal. Octobris, annò Dominicæ Incarnationis

Præficit suis Abbatem venerabilem Erluinum.

Per æmulos quosdã concitatus contra Gemblacẽsem Imperator, mox iterum pacatur.

Nota de priuilegiis huius monasterij.

946. regni Domini Othonis primi anno vndecimo.

QVIN etiam fuit vir Domini Guibertus dignus Apostolicæ prædicationis ministerio. Siquidem, cùm gens Hungarorum, tempore supradicti primi Otthonis aggressa Lotharingiam, deducta est à Duce Conrado vsque ad syluam Carbonarum, & virtute Dei apud Lobiense cœnobium ostensa, prohibita est vltra prodire, Hungaris transeuntibus eundo & redeundo per vicum Gemmelacensem occurrit vir Dei Guibertus, gladio verbi Dei accinctus, paratus etiam bibere calicem passionis. Nec destitit sanè illis idololatriæ spurcitia sordentibus pandere fidei dogmata, & regni æterni mysteria, donec aliquos eorum à regno diaboli abstraxit, eosque abiurantes sacramenta diabolicæ militiæ, transcripsit in nouum nomen militiæ Christianæ. Vnde & benedictus Deus, qui Guiberto sub signis suis militanti adfuit. Appositus autem est vir Dei ad patres suos, consummatus in virtutum gratia decimo Kalendas Iunij, in supradicto claustro Gorzia: vnde tamē, frustrà obsistere conantibus Gorziensibus, mox ad Gemmelacense cœnobium cum multa veneratione est relatus, * idque anno nongentesimo sexagesimo secundo, eleuatus ibidem anno millesimo centesimo decimo, ab Oberto Episcopo Legiensi siue Leodiensi, auctoritate Frederici Coloniensis Archiepiscopi, cum mirabili concursu & gaudio populorum, postquam Deus eū multis miraculis per annos duodecim clarificauerat.

Prædicat Guibertus infidelibus verbum Dei.

** Molanus.*

VITA S. ZENOBII EPISCOPI
Florentini, ex ea quæ est per Ioannem Archipresbyterum Aretinum.

XXV. MAII.

CLARAM beati Zenobij exstitisse progeniem, scriptorum vitæ eius literæ attestantur. Is Luciano patre, claro inter Florentinos ciue, & Sophia insigni femina natus, à teneris annis literarum studiis traditus, Grammaticam primùm & Poëticam, atque Dialecticam & Rhetoricam miro complexus est ingenio. Ac deinde cùm iam octauum decimum contingeret annum, etiam catechumenus, consentientibus parentibus, à B. Theodoro Episcopo Florentino statuitur, quo tempore Athanasius ingentes ab Arrianis pro fide persecutiones patiebatur, vnde & Zenobius, vt diuina informari

S. Zenobij genus & prima educatio.

mari disciplina cœptus est, illi toto incumbens animo, poëtica cuncta atque gentilia abiecit. Interea verò cùm vicesimum ætatis suæ annum ageret, parentes eius puellam præstantissimæ formæ & sanguine claram deligunt, quam magna cum dote Zenobio desponsare tractauerant. Quam rem vt Zenobius compertam habuit, protinus in Theodori Antistitis sinum gremiumque confugit, mentem suam ac desiderium seruiendi Deo, seque totum ei insinuans. Quocirca etiam Zenobium sanctus Antistes vnico ac singulari affectu diligebat, neque illum tempore vllo, quoad licuit, à suo latere diuelli passus est.

Fugit sibi præparatas magnificas nuptias.

Ac primùm quidem eum Clericum, deinde Canonicum Cathedralis ecclesiæ, postremò Subdiaconum ordinauit. Cuius vita cùm & religione in Deum, & charitate in homines indies excresceret, semperque seipsa fieret auctior, Archidiacono Florentino per id temporis vita functo, Zenobius, Theodoro Episcopo instituente, vicem illius sortitus est, anno ætatis suæ tricesimo secũdo: quo anno Synodus illa Episcoporum ferè omnium Arrianorum apud Ariminum celebrata est. Quo tempore, cùm penè omnes ecclesiæ toto orbe sub nomine pacis Constantij Regis Arrianorum consortio polluerentur, essetque multitudo non parua hæreticorum in ciuitate Florentiæ, vir Dei Zenobius, diuini verbi disseminator, & hæreticorum fortissimus oppugnator effectus, aduersus illos quotidianis vel prædicationibus, vel fortissimis disputationibus acriter insistebat. Verùm, anno post illius promotionem elapso, Cõstantius Arrianus Imperator moritur, & ad imperium Iulianus execrabilis tyrannus sublimatur. Tum verò Zenobij quoque summa virtus enituit. Nam illius perfidiæ impietatem, ingentemque nequitiam publicis & priuatis prædicationibus increpare non verebatur: & non modò commissas non perdebat oues, verùm etiam ex paganis & hæreticis plures quotidie Christi Ecclesiæ adiungebat.

Ordinatur Canonicus Florentinus.

Fortiter prædicat contra Arrianos.

Caeterum cùm per dies fama eius magis magisque inualesceret, mortuo iam tyranno, cùm & vir sanctus Ambrosius ad Episcopatum Mediolanensem esset assumptus, iussit Zenobium Damasus Pontifex ad se acciri. Qui, quoniam obedientissimus erat, vnà cum Ambrosio, qui erat ei singulari amicitia deuinctus, ad eum concitè properauit, ac non multo pòst, licet renitens ac diutius reluctans, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Sedis Apostolicæ Diaconus ab eodem instituitur.

Euocatur Romam a S. Damaso Papa.

Mittitur Legatus Constantinopolim. Hinc scilicet & cùm in Orientis partibus hæresis quædam exorta fuisset, ad illam sedandam, à Damaso Pontifice Zenobius Constantinopolim Legatus mittitur; hinc item & Theodoro Florentino Episcopo luce mortalium functo, cùm magna inter ciues hæreticorum factione de eligendo Antistite controuersia esset nata, ad eandem comprimendam Zenobius dirigitur. Et quidem, ô virum admirabilem! Nam mox à ciuitatis eius ingressu; à cunctis tam fidelibus quàm hæreticis, viris & mulieribus ad vnum mira concordia ipse fuit Episcopus acclamatus. Damasus quoque, re cognita, in eius loci Episcopum eum consecrauit, atque adeò totius Tusciæ Metropolitanum. At verò sanctus Zenobius, quanto magis à Domino exaltabatur; tanto studiosius seipsum humili cogitatione deprimebat.

Eligitur Episcopus Florétinus.

Sanctissimè viuit in Episcopatu. CORPVS etiam longa inedia, multis vigiliis, assiduis orationibus, hispidis hirsutisq; ciliciis sub clericali habitu maiori quàm vnquam castrigatione macerabat, priuatis lectionibus, confessionibus, consiliis, publicis prædicationibus, atque aduersus hæreticos publicis disputationibus incumbebat. Omnes denique cathedralis Ecclesiæ prouentus, præter exiguũ sui ac familiæ condecentem victum, in Christi pauperes distribuebat. Sed & parẽtibus suis à corpore migrantibus, quęcũque sibi hæreditario iure debebantur, vendita in pauperes erogauit, præter eas possessiones, quas apud Pastinianũ habebat, agri Florentini, diœcesis verò Fesulanæ locum. Quas vti non vendidit, ita amplo ibidem constructo cœnobio duodenarium in eo numerum monachorum instituit, qui septi claustris vitã sub Abbate cœnobiticam ducerent; ac sic tandem, cùm complures discipulos perfectę conuersationis ad Christum præmisisset, certus quòd talenta sibi credita minimè abscondisset, lætus mortem adspexit, annorum ferè nonaginta, 8. Kal. Iunij, anno ab Incarnatione Domini 424. Pontificatus Innocentij primi anno 8. Imperij verò Honorij & Theodosij anno 10.

Cõstruit monasteriũ Pastinianense.

Obdormit in Christo.

VITA S. AVGVSTINI PRIMI ARCHIEpiscopi Anglorum, ex hist. Ecclesiast. V. Bedæ.

Lib. 1. c. 3. & seq.

XXV. MAII.

ANNO ab Incarnatione Domini quingentesimo octuagesimo secundo, Mauritius imperium suscipiens, viginti annos

annos tenuit. Cuius anno decimo Gregorius Pontificatum Apostolicæ Sedis sortitus, anno quartodecimo eiusdem, aduentus verò Anglorum in Britanniam anno circiter centesimo quinquagesimo, misit seruum Dei Augustinum, & alios plures cum eo monachos timentes Deum, prædicare verbum Dei genti Anglorum. Erat eo tempore Rex Edilbertus in Cantio potentissimus, qui ad confinium vsque Humbri fluminis maximi, fines imperij tetenderat. Est autem ad Orientalem Cantij plagam Tanetos insula non modica. In hac ergo applicuit seruus Dei Augustinus, & socij eius viri, ferme quadraginta. Acceperunt autem, præcipiente B. Papa Gregorio, de gente Francorum interpretes, & mittens Augustinus ad Edilbertum, mandauit se venisse de Roma, ac nuncium ferre optimum, qui sibi obtemperantibus æterna in cælis gaudia, & regnum sine fine cum Deo viuo & vero futurum, sine vlla dubietate promitteret. Qui audiens, manere illos in ea, quam adierant, insula, & eis necessaria ministrari, donec videret quid eis faceret, iussit. Nam & antea fama ad eum quoque Christianæ religionis peruenerat, vtpote qui & vxorem haberet Christianam de gente Francorum, nomine Bertham. Quam ea conditione à parentibus acceperat, vt ritum fidei & religionis suæ cum Episcopo Luidliardo inuiolatum seruare, licentiam haberet.

Quo tempore S. Augustinus sit missus in Angliam.

En quantum donũ sit fides.

POST dies ergo aliquot venit ad insulam Rex. At illi diuina virtute præditi veniebant, Crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Saluatoris in tabula depictam; litaniasque canentes, pro sua simul & eorum ad quos venerant salute Domino supplicabant. Vbi cùm ad iussionem Regis residentes, verbum ei vitæ, vnà cum omnibus qui aderant eius omnibus, prædicarent; respondit ille, dicens: Pulchra sunt quidem verba & promissa quæ adfertis: sed quia noua sunt, non possum his assensum tribuere, relictis eis quæ tanto tempore cum omni gente Anglorum seruaui. Verùm quoniam huc de longè peregrini venistis, &, vt ego videor mihi perspexisse, ea, quæ vos optima creditis, nobis quoque communicare desideratis, nolumus molesti esse vobis, quin potiùs benigno vos hospitio recipere. Dedit ergo eis mansionem in ciuitate Dorouernensi, quæ imperii sui totius erat metropolis; eisque cum administratione victus temporalis, licentiam quoque prædicandi adiecit. At verò illi mox inceperunt Apostolicam primitiuæ Ecclesiæ vitam imitari: ora-

Ingrediẽs vir sanctus cum suis in Angliam prælata Cruce, & imagine Christi canunt Litanias.

Datur ei libertas à Rege prædicandi Christum.

tionibus videlicet assiduis, vigiliis, ac ieiuniis seruiendo, verbúmque vitæ, quibus poterant, prædicando, & cuncta huius mundi velut aliena spernendo. Nec mora. Crediderunt nonnulli, & baptizabantur, mirantes simplicitatem innocentis vitæ, ac dulcedinem doctrinæ eorum cælestis.

Conuertũtur per eũ nonnulli.

ERAT autem prope ipsam ciuitatem ad Orientem in honore S. Martini antiquitus facta ecclesia, dum adhuc Romani Britanniam incolerent, in qua Regina, quam Christianã fuisse prædiximus, orare consueuerat. In hac ergo & ipsi conuenêre primò, ibique psallere, orare, Missas facere, prædicare, & baptizare cœperunt, donec Rege ad fidem cõuerso, maiorem prędicandi per omnia, & ecclesias fabricandi vel restaurandi licentiam acciperent. Qui, vbi etiam ipse inter alios delectatus vita mundissima Sanctorum, & promissis eorum suauissimis, quæ vera esse miraculorum quoque multorum ostensione firmauerunt, credens, baptizatus est, cœperunt plures quotidie ad audiendum verbum confluere, ac, relicto gentilitatis ritu, vnitati se sanctæ Christi Ecclesiæ sociare. Atque interea vir Domini Augustinus venit Arelas, & ab Archiepiscopo eiusdẽ ciuitatis Æthereo, iuxta quod iussa sancti Patris Gregorij acceperat, Archiepiscopus genti Anglorum ordinatus est. Vnde reuersus in Britanniam, misit continuò Romam Laurentium Presbyterum, & Petrum Monachum, qui beato Pontifici Gregorio gentem Anglorum fidem Christi accepisse referrent, simul & de iis, quæ necessaria videbantur, quæstionibus eius consulta flagitarent, sicut & congrua quæstionibus responsa recepit.

Item & ipse Rex.

Ordinatur S. Augustinus in Archiepiscopum.

QVIN etiam idem Papa Gregorius Augustino Episcopo, quia suggesserat ei multam quidem sibi esse messem, sed operarios paucos, misit cum præfatis legatariis suis plures cooperatores, in quibus præcipui erant Mellitus, Iũstus, Paulinus, Ruffinianus, & per eos generaliter vniuersa quæ ad cultum erant, ac ministerium ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra, & vestimenta altarium, ornamenta quoque ecclesiarum, & sacerdotalia vel clericalia indumenta, sanctorum etiam Apostolorum ac Martyrum reliquias, nec nõ & codices plurimos. Ad hæc quoque anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo quarto, Augustinus ordinauit duos Episcopos, Mellitum videlicet & Iustum: Mellitum quidem ad prædicandum prouincię Orientalium Saxonum, quorum metropolis Londonia ciuitas est; Iustum verò in ipso Cantio, in ciuitate Dorouerni, quam gens

Mittuntur ei à S. Gregorio plures cooperatores.

gens Anglorum à primario quodam illius, qui dicebatur Rotschester, cognominat. Ac sic denique defunctus est Deo dilectus Pater Augustinus, & positum corpus eius foras iuxta Ecclesiam beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quæ necdum fuerat perfecta, nec dedicata. Vnde & mox, vt dedicata est, intrò illatum est, & in porticu illius Aquilonari decenter sepultum: in qua etiam sequentium Archiepiscoporum sunt corpora tumulata. Scriptum verò est in tumba eiusdem Epitaphium huiusmodi: Hîc requiescit Dominus Augustinus, Dorouernensis Archiepiscopus primus, qui olim huc à beato Gregorio Romanæ vrbis Pontifice directus, & à Deo operatione miraculorum suffultus, & Edilberthum Regem, & gẽtem illius, ab idolorum cultu ad fidem Christi perduxit, & completis in pace diebus officij sui, defunctus est septimo Kalendas Iunij; eodem Rege regnante.

Quiescit in Domino.

Eius Epitaphium.

VITA S. VRBANI PONTIFICIS ROmani, *ex Io. Maldonato Hispano.*

XXV. MAII.

VRBANVS pontifex Romanus, qui Calixto successit, vir * Quiritij sanguinis sanctitate ac doctrina singulari fuit. Multos ad veræ fidei cultum mortales traduxit, & in his Valerianum virum nobilem Cæciliæ sponsum, atque Tyburtium Valeriani fratrem: qui duo fratres constanter martyrium pertulêre. Fuit & Cæcilia eundem exitum sortita domo prius paterna Deo per Vrbanum dicata. Is fuit Vrbanus autor, fundos & prædia à cultoribus Christi recipiendi: vectigalia inde exacta, in sacrorum ministros diuidendi. Idem instituit, vt vasa, quæ pertinent ad sacra, fierent aurea, vel argentea: vel si minus facultates Ecclesiæ suppeterent, stannea. Demum ab Almachio vrbis præfecto tentus, cùm ab instituto Christi reuocari non posset, martyrio consumptus est, & via Tyburtina tumulatus.

** hoc est, Romanus, à Quirino scilicet, id est, Romulo primo rege.*

DE FESTO SANCTISSIMÆ TRINITATIS,

partim ex D. Augustino, partim ex D. Athanasio.

D. Aug. de fide ad Petrũ, lib. 1 c. 1.

FIDES quam sancti Patriarchæ atque Prophetæ ante Incarnationem Filij Dei diuinitus acceperunt, quam etiam

Fide: Trinitatis tra lite

etiam ab ipsis Patriarchis & Prophetis.

sancti Apostoli ab ipso Domino in carne posito audierunt & Spiritus sancti magisterio instructi non solùm sermone prędicauerunt, verùm etiam ad instructionem saluberrimam posterorum scriptis suis inditam reliquerunt, vnum Deum prædicat,& simul tamen Trinitatem, id est , Patrem & Filium & Spiritum sanctum;ita vt Trinitas vera non esset,si vna eadémque persona diceretur Pater & Filius & Spiritus sanctus. Si enim,sicut est Patris & Filij & Spiritus sancti vna substantia, sic esset vna persona,nihil omnino esset , in quo veraciter Trinitas diceretur. Et rursus , Trinitas quidem esset vera , sed vnus Deus Trinitas ipsa non esset,si,quemadmodum Pater & Filius & Spiritus sanctus personarum sunt ab inuicem proprietate distincti,sic fuissent naturarum quoque diuersitate discreti.Sed quia in illo vno vero Deo Trinitate,non solùm quòd vnus Deus est,sed etiam quòd Trinitas est , naturaliter verum est, propterea ipse verus Deus in personis Trinitas est,&in vna natura vnus est.

Sicut Deus in personis est Trinitas, ita in natura est vnus.

PER hanc vnitatem naturalem totus Pater in Filio & Spiritu sancto est:totus quoq; Spiritus sanctus in Patre & Filio. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est: quia nemo alium aut præcedit æternitate,aut excedit magnitudine, aut superat potestate:quia nec Filio nec Spiritu sancto,quantum ad naturæ diuinæ vnitatem pertinet,aut anterior,aut maior Pater est; nec Filij æternitas atque immensitas velut anterior , aut maior,Spiritus sancti immensitatem æternitatemque aut præcedere aut excedere naturaliter potest. Itaque quicumque vult saluus esse,ante omnia opus est vt teneat Catholicam hanc fidem: quam nisi quisque integram inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit.Fides scilicet Catholica hæc est,vt vnum Deum in Trinitate,& Trinitatem in vnitate veneremur,Neque confundentes personas , neque substantiam separantes.Alia est enim persona Patris,alia Filij, alia Spiritus sancti.Sed.Patris & Filij & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria,coæterna maiestas.Qualis Pater,talis Filius,talis Spiritus sãctus.Increatus Pater,increatus Filius,increatus Spiritus sanctus.Immensus Pater,immensus Filius,immensus Spiritus sanctus,Æternus Pater,æternus Filius, æternus Spiritus sanctus.Et tamen non tres æterni,sed vnus æternus, sicut non tres increati,nec tres immensi,sed vnus increatus,& vnus immensus.

Symbolum D. Athanasij.

Fides Trinitatis omnino ad salutem necessaria.

In Diuinis nihil est creatum.

SIMILITER omnipotens Pater,omnipotens Filius,omnipo

nipotens Spiritus sanctus. Et tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipoẽts. Ita Deus Pater, Deus filius, Deus Spiritus sanctus. Et tamẽ nõ tres Dij, sed vnus est Deus. Ita Dñs Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus. Et tamen non tres Domini: sed vnus est Dominus. Quia sicut sigillatim vnamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere, Catholica religione prohibemur. Pater à nullo est factus, nec genitus. Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus à Patre & Filio, nõ factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Vnus ergo Pater, non tres Patres, vnus Filius, nõ tres Filij, vnus Spiritus sãctus, nõ tres Spiritus sancti. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totę tres personę coęternę sibi sunt & coęquales: Ita vt per omnia, sicut iam dictum est, & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda sit: cui sit honor, potestas, & imperium in seculorum secula Patri & Filio & Spiritui sancto, Deo trino & vno.

Nullo modo licet dicere tres Deos aut tres Dominos in diuinis.

In Trinitate nihil est prius aut posterius.

VITA S. ZACHARIÆ EPISCOPI VIENnensis martyris, ex Breuiario item Viennensi.

XXVII. MAII.

TEMPORE illo quo post corporeũ saluatoris aduẽtum exortus in tenebris sol ipse iustitiæ, splendor fidei, illuminare occidentalium plagam ceperat, & in omnem terram Euãgeliorum sonus exiuit, in regionibus istis Apostolorum prędicatio declarauit, id est sub Traiano imperatore crudelissimo genere Hispano, primũ Crescentẽ Pauli discipulũ Vienna ciuitas Gallorũ habere meruit doctorem. Cuius fide ac virtute, plurimi de gentibus ad Christum conuersi sunt. Cúmque per aliquot annos ibi resideret: ordinauit pro se venerabilem virũ sanctum senem Zachariam episcopũ: Ipse verò in Galaciam rediens: persecutionem gentium expauescens: memorans saluatoris dictum, *si vos persecuti fuerint in ista ciuitate fugite in aliã*. Sanctus igitur Zacharias (vt diximus) ordinatus episcopus: verbum domini gentibus prędicabat, habitans extra mœnia vrbis in domo cuiusdam viduæ præfecti ancillæ Fuscinæ nomine iam Christianæ: Et veniebant ad eum plurimi ex populo: & docebat eos secretè dicens: *Credite in Iesum filium Dei*

S. Crescens Pauli discipulus.

S. Zacharias ordinatur episcopus.

Eius doctrina & progressus.

Domini nostri: quia ipse est creator & saluator omnium rerum. Et credentes baptizabantur. Igitur cum iam multos ad fidem Sanctæ Trinitatis instrueret: subitò à præside vrbis Pompeio rapitur, atque vinctus ad templum quod superiacet ciuitati perducitur. Cumque introgressus fuisset: videns ibi ante simulacrum Martis ornamenta aurea, subridens ait: *Ista ornamenta pauperibus melius poterant erogari: quam ante conspectum idolorum appendi.* Respiciénsque ad idolum dixit: *Destruat te dominus & saluator noster Iesus christus.* Ad hanc enim vocem subito locus in quo simulacrum erat non comparuit. Præses itaque & omnes templorum pontifices hæc videntes vehementer turbati, dixerunt ei. *Quis dedit tibi hanc potestatem, vt deos nostros destrueres?* Sanctus Zacharias respondit, *Filius dei qui seculum renouauit perditum* Et cum sacrificare deo Marti noluisset: sed prædicationibus & verbis præfectum & templorum pontifices confudisset, irati vehementer subitò iniicientes manus in eum & eiicientes extra ædem publicam, calcibus obtundentes, obseruabant eum. Ac mane facto, dum traheretur per portam triumphalem quæ nunc Gratiana appellatur, ad australem plagam prope vrbis mœnia, gratias agens & dicens *Domine ne statuas illis hoc peccatum*, omnes vnanimiter illum lapidibus obruunt. Sicque gloriosus vir exemplum beati protomartyris Stephani secutus, post mortem sui certaminis non est à pio Domino destitutus: qui dedit illi caput antiqui serpentis conterere; dum fideliter studuit in mandatis eius decertare. Et ideo sancto corpore relicto feris & auibus, abiit Pompeius. Paucis etiam id temporis Christianis: ipsisque propter gentilium furorem sanctum martyrem humare metuentibus, sed tamen diuina pietate & misericordia commoti, nocte in arca saxea recondunt vbi proprium cruorem fuderat in altam foueam: vsque in hodiernum seruatur.

Eius martyrium, mors & sepultura.

VITA S. GERMANI EPISCOPI PARIsiensis, *ex Fortunato Episcopo Pictauorum.*

XXVIII. MAII.

S. Germani genus.

BEATVS Germanus Parisiorum Pontifex, territorij Augustodunensis indigena, patre Eleutherio, matre Eusebia, honestis honoratisque parentibus procreatus est. Hic in-

tra

tra temi lustri spatium mox à beato Agrippino Diaconus instituitur, & sequenti triennio Presbyter. Dehinc etiam à venerabili Pontifice Nectario Abbas ad S. Symphorianum meritò dignus adsciscitur. Vbi quanta abstinentia vixerit, quantisque vigiliis continuando durauerit, nemo dignè enarrabit. Certè quibus illic eleemosynis profusus exstiterit, vel illa res vna testis est, quòd cùm iam reliquis rebus pauperibus erogatis, nec panis ipse resideret quatenus Fratres reficeret, insurgentibus aduersum se illis retrudens se in cellulam, amarè fleuit & doluit, donec inter hæc, ipso orante, quædam Anna nobilis matrona duorum cum panè saumariorum dirigit onera, sed & sequenti die, cum annona destinauit, plena nihilominus carpenti vehicula, ita vt exinde monachi, cùm satiarētur cibo, terrerētur quoque miraculo. Cuius bonis operibus inflammatus Episcopus, sanctum virum neque ista recusantem, quem etiam prædicabant dæmonia, in custodiam tamen trusit. Cui fateor, nutu diuino aperiebatur ergastulum; sed non hinc egrediebatur, nisi supplex & Episcopalis daretur benedictio. His itaque celeber intentus officiis, non desiit prædicandis manifestari miraculis. Sed & reuelationum suarum quoque nemo scrutator introëat.

Quæ in eleemosynas profuderat, impetrat cōpensari miraculo.

Retruditur iniustè ab Episcopo in carcerem.

ETENIM & ante quatuor ferè annorum curricula, ipsa etiam episcopatus sui causa ei non est abscondita. Nempe positus in sopore inspicit à quodam sene claues sibi portæ Parisiacæ porrigi. De quo interrogans, quid hoc fieret; accepit responsum, vt saluos eos faceret. Vnde & pòst, ciuitatis Episcopo decedente, dum præcellentissimo Regi Childeberto occurrisset, in eius electione mox effectum illa vox cælestis promeruit. Qui quidem ordinatus Pontifex, qualem quantumque se gesserit, hoc expedire lingua mortalis non sufficit, quoniam supra hominem fuit omne quod edidit. Cuius si exsequamur miraculorum singula quæ suis gestis in præsenti floruerunt vita, hæc sine fine sint cœpta, nec esset modus in pagina; quia quacumq; Pontificis se conuertit præsentia, nulla morborum generibus defuit medela. Porrò tanta virtus verborum ab ore eius rotabatur, dum prædicabat in populo, vt omni literaturæ nasceretur stupor, & in commune generalis compunctio, atque omnino ex ore dicentis crederes quòd verba sancto formarentur ab Angelo. Ad hæc & equitans in itinere, semper de Deo aliquid aut verbo contulit, aut cantauit,* Cursum nudo capite dicens, etiamsi nix aut imber vrgeret.

Eligitur Episcopus Parisiensis.

* *Id. est, preces horarias.*

Curat sibi semper aliquid legi ad mēsam. vrgeret. Quin & cùm venit ad mensam, confestim recitans adfuit minister diuina colloquia, vt inter cibi fercula animi pastus alimento plus saturaretur ennuiua? nullumque tempus interpolans erat, quo non aut aliis prodesset, aut non ipse proficeret.

Maiorē partē noctu plerunque ducit insomnem. DENIQVE cùm penè incredibiliter dicitur hoc quod scitur, tertia noctis hora ingrediens ecclesiam, non est egressus vlterius psallentium ab ordine, donec clarescente iam die, decantatus solenniter Cursus vniuersus consummaretur ex Canone. Tum verò si domum regrederetur fatigatus ætate vel frigore, aut illata eum diuersorum inquietabat sugestio, aut certè ab ipso requirebatur vbi præberet suffragium, vt prorsus ad requiem reclinanti vel paululum de querelis occurrentium afflictorum, vel pauperum, crux pararetur in lectulo; postponens suas iniurias, ne videlicet suggerentem premeret illata necessitas, paratus pro misericordia, semper currens pro venia Pater & pastor populi, ad se alienas causas transferens & querelas, aut pro parte mitigabat dolores compatiens; aut, quantum posset, ex toto curabat corde subueniens. *En verū pastorem.* In tantum autem sacris amplificatus prouectibus, etiam diem beati sui transitus prædixit, atque ita prorsus vt subdimus. Ante aliquot dies vocans ad se Notarium, imperat in cubiculo supra lectum suum scribere hoc tantummodo, Quinto Calendas Iunias, omnibus nescientibus quid hoc esset: quod pòst tamen eius discessus de seculo manifestauit. Neque enim hoc ei Dominus sibi familiari animæ abscondere pertulit. *Migrat ad Christum.* Denique eadem die, post peractum prælium, beatus migrauit ad Christum, ferè octogenarius, per orbem mirandis actibus Apostolis aggregandus.

VITA S. MAXIMINI EPISCOPI Treuerensis, ex ea quæ scripta est per Lupum.

Floruit ... Lupus anno 18.

XXIX. MAII.

S Maximini præclarissimi natales. MAXIMINVS, vrbis Aquitanicæ Pictauorum indigena, clarissimis est ortus natalibus. Siquidem antiquam prosapiam à Maioribus Senatorij Ordinis deductam, eius parentes sortiti, Maxentium atque hunc Maximinum felici auspicio procreârunt. Quibus nobiliter educatis, sacris quoque pariter literis instructis, sicut processu temporis Pictauorum ecclesia Maxentium sibi vendicauit Pontificem, ita Maximinus;

minus, diuino instinctu, genitale solum relinquens, atque in Belgicam Galliam commigrans, in Treuirorum vrbe spectati præsulis Agritij magisterio se informandum submisit, ac tandem Agritio decedente, à vicinis Episcopis Pontificali est excellentia sublimatus. Quo quidem officio quàm strenuè sit functus, summi auctoris Hieronymi testimonio, qui aut contemporalis ei, tametsi puer fuit, aut proximè illius ætatem accessit, licet agnoscere. Nanque is in præclaro Chronicæ opere, cùm à secundo anno Constantini, Constantij, atque Constantis Augustorum, Arrianam impietatem præfati Constantij Regis fultam præsidio, declarasset, paucis interiectis, sexti anni res memorabiles notaturus, Maximinus, inquit, Treuirorum Episcopus clarus habebatur.

Creatur Episcopus Treuirensis.

VBI sanè, si quis inspiciat insaniam Arriani Principis tum quam maximè efferbuisse, facilè intelliget, persecutionibus, quæ vulgò veris importabantur Præsulibus sanctum quoque Maximinum alacriter participatum. Atque adeò hic est, à quo (vt idem B. Hieronymus inquit) Athanasius quoque Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, cùm à Constantio quæreretur ad pœnam, honorificè est susceptus. Atque ô virum beatissimum, summisque Principibus Ecclesiæ meritò coæquandum! Qui quanto studio pro conseruanda integritate fidei excubarit, etiam tunc demonstrauit, cùm Agrippinæ Sinodali euocato conuentu, Euphratam Episcopum hæretica prauitate corruptum, cum his qui frequentes, conuenerant, Pontificibus, gradu mouit, Ecclesiastica vsus censura. Sed & audi miraculum. Erat ei solennis consuetudo, Sanctorum lustare memorias, eorumque opem summis precibus flagitare. Cuius rei gratia cùm Romam tenderet, opinatissimum Confessorem Martinum conuenit, sicque iuncti Summi Pontifices, diuinis rebus intenti, laborem itineris non sentiebant. Illis itaque in vlteriora progredientibus, ecce fortè asellum, qui sarcinas beatorum ferebat, vrsus offendit, eumque protinus deuorauit. Hîc verò Maximinus in nomine Domini feræ imperauit, vt, quia iumentum non abegerat, sed consumpserat, ipsa iumenti onus assumeret. Et mira res est. Illa euestigio successit oneri, & quoad reuersi ad locum, qui Vrsaria villa dicitur, deuenirent, subuectioni mansuetissimè est famulata: ibi demque à sancto viro pristinam vagandi potestatem recepit, licentia quenquam lædendi tantum erepta.

Habere meretur hospitem magnum illũ Athanasium

Deponit Euphratã Episcopum Arrianum.

Proficiscens cum S. Martino. Romã, vrsum cogit ad sui obsequium.

QVIN etiam, quia boni suo semper delectantur consortio, S.

tio, S. Maximinus B. Martinum Treuirorum vrbem secum coëgit inuisere, atque ita suo populo duplicata benedictionis reuexit commercia. Ibi quoque Martinus spiritualem sibi filium Lubentium Maximino erudiendum commisit. Cuius ille parens voluntati, & eum sacris instruxit literis, & imposito quoque gradu Presbyterij, in vico, cui Cubrino vocabulum est, præfecit. Ipse autem piè memor propinquorum, patriam repetiuit: suorumque vsus contubernio, non multo pòst ibi vita excessit, sanctorumque laborum suorum fructum cumulata mercede à Domino est consequutus. Porrò succedens in Episcopatum Paulinus, eum ab Aquitania, vbi situs fuerat, reuexit, apertissimè Deo pro Treueris contra Aquitanos crebris coruscationibus tonitruisque pugnante.

Decidit vr sanctus ex iuad vita.

DE S. PETRONILLA VIRGINE, *ex Ordinario nouo.*

XXXI. MAII.

PETRONILLA, S. Petri filia, virgo forma corporis eximia, sed animi pulchritudine multò præstantior fuit: quæ ægrota cùm esset, à beato Petro quæsitum est, cur, qui alienos sanaret, filiæ suæ sanitatem non restitueret? Respondit, Quia sic expedit ei. Verumtamen, vt nemini de sua potestate dubitandi locum relinqueret, eam surgere iussit è lecto, & conuiuis ministrare. Quæ paulo pòst in eundem morbum recidens, ex eo cùm aliquando conualuisset, eius fama commotus, ne visam quidem Flaccus Comes adamauit, enixéque contendit vt sibi daretur in matrimonium. Petronilla autem, intelligens virginitati suę, quam Iesu Christo dicarat, ab acerrimo humani generis hoste parari insidias, sumpto sibi tridui spatio ad deliberandum, totum illud tempus in ieiuniis & oratione consumpsit, assiduè petens à cælesti sponso, ne sancto proposito suo vim adferri pateretur. Itaque subuenit die tertio virgini Deus: nam eam diuini sponsi amore flagrantem, vbi Eucharistiã sumpsisset, ad cælestes nuptias euocauit Cuius corpus via Ardeatina sepultum, postea à Paulo primo Pontifice in basilicam Principis Apostolorum translatum est.

S. Petronilla, filia S. Petri Apostoli.

Petita ad nuptias, impetratis tridui induciis, mitterea migrat ad Christum.

VITA SS. CANTI, CANTIANI, ET CANTIANILLÆ Martyrum, ex D. Ambrosio.

XXXI. MAII.

HODIE beatissimorum Canti, Cantiani, & Cantianillæ naturalis est, quàm bene & iucundè tres martyres vno penè vocabulo nuncupantur. Nec mirum, si similes sunt nomine, qui sunt similes passione: *Si vna est illis apud homines appellatio, quibus apud Deum est vna vocatio.* Vniter enim vocati sunt à Domino, non interposito tempore aliter & aliter passi, sed omnes eodem ictu pariter martyrium pertulerunt. Quod quidem illis parentiua quadam à Christo affectione concessum est, vt congruerent meritis, qui vocabulis concordabant: & qui erant consanguinitate fratres, fierent etiam sanctitate germani: & quorum membra vnius coporis substantia vegetabat, eorum animas eiusdem fidei confessio coronaret. Refert autem de beatis supradictis historia, quod tẽpore passionis, cum eos persecutor inquireret, ascenso vehiculo iunctis mulabus eos secedere voluisse, & cùm nõ longè ab vrbis mœnibus iter agerent, vnum animal de subiunctis subitò corruisse, atque ita illos à persecutoribus cõprehensos tentos ad pœnam. Quod factum quàm gloriosum sit, & à diuinitate dispositum, debemus aduertere. Semper enim Deus quos eligit, hos victores subuectione sublimi in aulam regni cælestis inducit. Nam sicut Helias curru applicato quasi ascendit ad cœlum, ita & isti vehiculo admoto ad martyrium peruenerunt: & quadriga sicut illum euexit ad requiem, ita hos portauit ad gloriam. Et quamuis illa ignea quadriga fuerit, hæc tamen inferior non habẽda est quia illa vnum gestauit prophetam, hæc tres martyres sustentauit. Sed dicet aliquis: *Gloriosius est gestari quadriga ignea quàm terrena.* Nec hoc planè defuit sanctis viris. Nam sicut Heliam ignea quadriga portabat, ita & martyres fides ignea iam ferebat. Ferebat, inquã, illos Christus, qui lumẽ est, qui ignis est, de quo scriptũ est: *Dominus noster ignis consumens est.* Ergo cùm beatos, de quibus loquimur, persecutor vrgeret, vehiculum cõscenderunt. Qua causa? Vt fugerent? Absit. Non vt fugerent, sed vt ad martyrium citiùs peruenirent: non vt latitarent, sed vt Christianos se cũctis trãseuntibus manifestius approbarent. Cæterùm occultius inter plures in ciuitate latere potuerãt, tutius per diuersa singuli fugæ præsidium cõmendare. At verò vbiquis congregatione habita stratis vehiculis, apparatu disposito, per aggerẽ publicũ egreditur, illic nõ fuga dicẽda est sed profect⁹ est. Sancti enim viri, hoc facto velut in

Helia & horum Sanctorum comparatio.

triuum

triumphali curru positi contestabantur, dicētes: *Ecce persecutor, ecce proficiscimur, ecce præcedimus, quid resides? quid moraris Subsequere nostra vestigia. Nolumus enim videri inuiti ducti ad pœnam, qui præcedere nos profitemur ad gloriam.*

DE FESTO SACRAMENTI ALTARIS, *ex D D. Thoma, Ambrosio Hilario, Cyrillo Hierosol. & Chrysostomo.*

D. Thomas Aquinas opusculo 57. Singularissimum Dei beneficium Sacramentum Altaris

IMMENSA diuinæ largitatis beneficia exhibita populo Christiano, inęstimabilem ei conferunt dignitatem. Neque enim est aut fuit aliquando tam grandis natio, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Vnigenitus siquidem Dei Filius, suæ diuinitatis volens nos esse participes, nostram naturam assumpsit, vt homines deos faceret, factus homo. Et hoc insuper, quód de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem. Corpus scilicet suum, pro nostra reconciliatione, in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri; sanguinem suum fudit in pretium, simul & lauacrum: vt redempti à miserabili seruitute, à peccatis omnibus mundaremur. Quin etiam vt tanti beneficij iugis in nobis maneret memoria, corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum sub specie panis & vini sumendum fidelibus dereliquit. Atque ô Pretiosum & admirandum conuiuium, salutiferum, & omni suauitate repletum. In ipso namque panis & vinum in corpus & sanguinem Christi substantialiter conuertuntur, ideoque Christus Deus & homo perfectus sub modici panis specie continetur. Manducatur à fidelibus, sed minime laceratur: quinimo, diuiso Sacramento, sub qualibet diuisionis particula integer perseuerat. Sed & nullum etiam Sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur.

Nota: Christus manducatur, sed non tamen laceratur.

OFFERTVR in Ecclesia pro viuis & mortuis, vt omnibus prosit quod est pro salute omnium institutum. Suauitatem denique huius Sacramenti nullus dignè exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, & recolitur memoria illius, quam in sua passione Christus monstrauit, excellentissimæ charitatis. Vnde vt arctiùs huius charitatis immensitas fidelium cordibus infigeretur, in vltima cœna, quando Pascha cum discipulis celebrato transiturus erat

Sacrificium Altaris offertur pro viuis & defunctis.

erat de hoc mundo ad Patrẽ, hoc Sacramentum instituit, tanquam passionis suæ memoriale perenne, figurarum veterum impletiuum, miraculorumque ab ipso factorum maximum, & de sua cõtristatis absentia solatium singulare. * Sed tu fortè dicis: Iste panis est vsitatus. Sed nequaquam. Sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus, quo modo potest, qui panis est, corpus esse Christi, consecratione. Cõsecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: vbi venitur vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia.

* D. Ambros. lib. 4. de Sacramentis, cap. 4.

Sacramẽtum cõficitur verbis Christi.

IVSSIT Dominus, & factum est cælum: iussit Dominus, & facta est terra: iussit Dominus, & facta sunt maria: iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini, vt inciperent esse quæ non erant; quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur! Cælũ non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem: Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt. Ergo tibi vt respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem; sed post consecrationem dico tibi quòd iam corpus est Christi: ipse dixit, & factum est * Non enim humano aut seculi sensu in Dei rebus loquendum est; sed quæ scripta sunt, legamus; & quę legerimus, intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi vnitate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atque impiè dicimus. Ipse enim ait: Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate enim carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, verè caro est, & verè sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat planè his verum non esse, qui Christum Iesum verum esse Deum negant.

Nota à simili, quàm non sit sermo ille figuratus: Hoc est corpus meum, &c.

* D. Hilarius lib. 8. de Trin. ante med.

Ita Christus verè est in Sacramento, sicut est verus Deus.

* D. Cyrill. Hierosol. Catech. 5.

IPSA autem beati Pauli doctrina abunde sufficere videtur, vt certam nobis de diuinis mysteriis fidem faciat, quibus di-

gni redditi, concorporei, vt ita dicam, & consanguinei Christi facti sumus. Ipse enim clamauit, quòd in nocte qua tradebatur Dominus noster Iesus Christus, accipiens panem, & gratias agens, fregit, & dedit discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, & gratias agens, dixit: Accipite & bibite: hic est sanguis meus. Cùm igitur ipse de pane pronunciauerit, ac dixerit, Hoc est corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? Et cùm idem ipse tam asseueranter dixerit, Hic est sanguis meus, quis vnquam dubitauerit, vt dicat non esse eius sanguinem? Aquam olim in vinum conuertit in Cana Galilææ, quod habet quandam cum sanguine propinquitatem, & eum parum dignum existimabimus cui credamus quòd vinum in sanguinem transmutarit? Ad eas nuptias, quibus corpora copulantur, vocatus, præter opinionem omnium hoc fecit miraculum, & non multo magis sic eum corpus & sanguinem suum fruenda nobis donasse persuasum firmiter habebimus, vt ea cum omni certitudine tanquam corpus ipsius & sanguinem sumamus? Nam in specie panis dat nobis corpus, & in specie vini dat nobis sanguinem: vt, cùm sumpserimus, gustemus corpus & sanguinem Christi, facti eiusdem corporis & sanguinis participes.

Item sic Christus verè est in Sacramento, sicut in nuptiis erat verum vinũ.

D. Chrysost. hom. 60. ad populũ Antioch. Quàm bene præparatos oporteat accedere ad Altare.

IGITVR accedat nemo cũ nausea, nemo resolutus, omnes accensi, omnes feruentes & excitati. Nam si Iudæi stantes, & calceamenta in pedibus habentes, & baculos manibus gestantes, agnum cum festinatione comedebãt, te multò magis oportet esse solertem. Nam illi quidem in Palæstinam erant prodituri, & propterea viatorum figuram habebant, tu verò debes in cælum migrare. Quapropter in omnibus oportet te vigilare: nec enim parua pœna proponitur indignè sumentibus. Considera quantum aduersum proditorem indignaris, contra eos qui illum crucifixerunt: itaque considera, ne tu quoque sis reus corporis & sanguinis Christi. Illi sanctissimum corpus occiderunt, tu verò pollutâ suscipis animâ post tot beneficia. Nec enim satis fuit hominem fieri, colaphis cædi & crucifigi, verùm & semetipsum nobis commiscet, & non fide tantùm, verùm & ipsa re nos suum efficit corpus, Quò non oportet igitur esse puriorem tali fruentem Sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnẽ hanc diuidentem? os quod igne spiritali repletur? linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit? cogita quasi sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quod Angeli videntes horrescunt,

Nota.

En magna dignitas nostra.

eunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus vnum Christi corpus, & vna caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis pastor oues proprio pascit cruore? Et quid dico pastor? matres multę sunt, quæ post partus dolores, filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus: sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.

* Rursum D. Thomas Aquinas vbi supra.

CONVENIT itaque deuotioni fidelium solenniter recolere institutionem tam salutiferi, tamque mirabilis Sacramenti, vt ineffabilem modum diuinæ præsentiæ in Sacramento visibili veneremur, & laudetur Dei potentia, quæ in Sacramento eodem tot mirabilia operatur, nec non & de tam salubri, támque suaui beneficio exsoluantur Deo debitæ gratiarum actiones. Etsi enim in die cœnæ, quando Sacramentum hoc noscitur institutum, inter Missarum solennia, de institutione ipsius specialis mentio habeatur, totum tamen residuum eiusdem diei officium ad Christi passionem pertinet, circa cuius venerationem Ecclesia illo tempore occupatur. Vnde vt integro celebritatis officio institutionem tanti Sacramenti recoleret plebs fidelis, Romanus Pontifex Vrbanus Quartus huius Sacramenti deuotione affectus, piè statuit præfatæ institutionis memoriam prima quinta Feria post octauas Pentecostes à cunctis fidelibus celebrari: vt, qui per totum anni circulum hoc Sacramento vtimur ad salutem, eius institutionem illo tempore specialiter recolamus, quo Spiritus sanctus corda discipulorum edocuit, ad plenè cognoscenda huius mysteria Sacramenti: nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum à fidelibus frequentari.

Quare hoc Sacramentū specialem adhuc habeat memoriā præter eā quæ est Feria V. Cœnæ Domini.

FINIS MAII.

IVNIVS.

VITA S. CAPRASII ABBATIS
Lirinensis, ex ea quæ est tomo 7. R. P. Laur. Surij.

I. IVNII.

S. Caprasij nobilis prosapia, & mira eruditio.



VIT beatus Caprasius ingenuus ac spectabilis genere, sed &, quod laudabilius est, virtute mẽtis excelsus. A primæuo iuuentutis flore philosophiæ artibus imbutus, miro claruit ingenio: quam tamen mundanam tandem relinquens philosophiam, Euangelicam potiùs aggressus est disciplinam. Itaque in primis possessiones, & quæcunque in hoc seculo habere poterat, amore Christi contemnere, pauperibusque distribuere disposuit, omnia huius seculi concupiscibilia arbitratus vt stercora, vt Christum lucrifaceret. *Philip. 3.* Inde, vt soli Deo liberiùs vacaret, non solùm corde, sed & corpore ab hominum aspectibus & seculi conuersatione recessit, & in quadam arcta aridaque solitudine monasticam vitam ducere, solitariamque institutionem aggredi deliberauit. *Viuit solitarius.* In qua solitudine ad tantum virtutum apicem prouectus est, vt nõ solùm sibiipsi dux efficeretur, sed & essent qui eius exempla sectantes pariter & doctrinam, latam vitam & spatiosam, quæ ducit ad mortem, deserentes, arctam, quæ ducit ad vitam æternam, Christo auctore ingredi contẽderent. Sic scilicet eius magisterio se subdidit ille Christi præsul, virtute, sacerdotio, & nomine Honoratus, Lirinensis monasterij Pater, qui postmodum Arelatensi ecclesiæ præfuit Episcopus: cui etiã adhæsit pretiosissima illa gẽma, interno splendore perspicua, beatus Venantius, eiusdem S. Honorati frater: qui ambo præfatum sanctum senem Caprasium pro suo vitæ merito, & eximiæ sanctitatis prærogatiua, Domino sic ordinante, tanquam patrem & ordinatorem in Domino, atque custodem suæ adhuc teneræ ætatis, elegerunt. *Tradũt se in eius disciplinã S. Honoratus Arelatensis, & eius frater.*

VNDE & sanctus senex, videns prædictos egregios duos iuuenes Christum sitientes, patriam ac parentes pro Christo velle relinquere, eorum approbãs propositum, per terras mariaque eos assiduè comitatus est, licet iam esset ætatis grauitate confectus. Ac denique transcursis è Nicomedia immensis

terræ

terræ marisque spatiis, vir Domini Caprasius, cum duobus regalibus gemmis, Honorato scilicet & Venantio, Cisalpinam ingressus prouinciam, talibus lampadibus fidei igne fulgentibus, sanctã insulam Lirinẽsem illustrauit. Et ô felix virtutum magister, qui tantos ac tales meruit habere discipulos. Nempe quanti, quæso, putamus fuisse meriti, quantæ virtutis virum hunc, qui, vt ita dicam, magistrorum valuit esse Magister! Et quàm felix & beata habitatio illius sanctæ Lirinensis insulæ, quæ tam præclaris est munita patronis, per Dei prouidentiam ad multorum vtilitatem, de tam longinquis ignotisque regionibus adductis! Vir ergo Domini Caprasius feruidus erat charitate, humilitate deiectus, mitissimus pietate, in spe firmissimus, modestus in incessu, obedientia promptus, abstinentia singularis, contemplatione sublimis, longanimitate fortis, orationis instantia continuus, nihil in hoc seculo consolationis quærens, nihil desiderans nisi Christum. Sanè vir iste beatus pro virtutum magnitudine tantæ fuit opinionis & famæ, vt multi sanctorum Doctorum suæ tempestatis, eius dignæ conuersationi testimonium perhiberent, ac de ipso in suis tractatibus memoriam facerent.

Fũdatur monasteriũ Lirinense.

Catalogus quidam virtutum S. Caprasij.

ITA in primis præcipuus ille Lugdunensis ecclesiæ Antistes Eucherius in fine libri quem de Eremi laude conscripsit, cùm de sanctis Lirinẽsis insulæ loqueretur, hunc virum Dei inter reliquos præcipuè nominauit, ita dicens: Hæc videlicet Lirinensis sancta insula nunc possidet venerabilem grauitate Caprasium, veteribus sanctis parem, hæc nunc habet sanctos senes illos, qui diuersis cellulis Ægyptios Patres nostris Galliis intulerunt. Hæc ille. Ita & beatus Hilarius quoque in Sermone quem funebrem in S. Honorati laudem habuit, beatum Caprasium perfectæ consummatæque grauitatis fuisse, angelicaque in insulis conuersatione degisse, describit. Denique cùm beatus Caprasius annosus plurimum, grandæuusque esset atque decrepitus, & tempus suæ resolutionis instaret, apparuit ei sanctus Michaël Archangelus, atque suum felicem exitum post biduum imminere diuino nutu ei reuelauit. Porrò in eius extremis conuenerunt gloriosæ & inclytæ memoriæ Sacerdotes, Faustus scilicet, Theodorus, Maximus, & Hilarius, cuius mentionem iam fecimus: qui etiam Hilarius, beati viri Caprasij conscius meritorum, suæ Pontificalis dignitatis oblitus, ad eius pedes residens, ipsiusque se orationibus commendans; vt sui memor esset, grandi cum humilitate

Insigne de eo testimonium Eucherij Lugdunensis.

Item S. Hilarij Arelatensis.

tate efflagitabat: cuius etiã intercessionis opem & nos ardenter imploremus, auxilij eius beneficia poscentes; simul & illius vitam atque mores, pro nostræ modulo virtutis, imitemur. Ad gloriam Dei immortalis.

Implorat Auctor sancti viri opem.

VITA S. SIMEONIS MONACHI TREvirensis, ex ea quæ est per Euervvinum Abbatem, eius contemporaneum.

I. IVNII.

S. Simeonis genus.

VIR Dei Simeon patre Græco Antonio, matre Calabrica, in Sicilia ciuitate Syracusana progenitus, & nobilissimis & Christianis parentibus, Christianè est educatus. Cùm septem annorum esset, à patre, qui militaris erat, Constantinopolim deducitur, ibique eruditissimis viris sacris literis imbuendus traditur; cùm interea adultus videns quosdam ex nostris partibus desiderio infatigabili currere ad sepulchrum Domini, desiderabat & ipse pro nomine Christi peregrinus fieri: vnde & domum, patriam, parentésque relinquens, sanctorum gratia visitandorum locorum Hierosolymam venit, atque adeò cum quodam Hilario sanctissimo viro, qui hac de causa in Lycaonia habitabat, per septem annos quoque ductor peregrinorum fuit. Iam tunc eremiticam & solitariam vitam concupiscebat; sed quomodo inciperet, needum perspectum habebat. Igitur vitas Patrum frequenter legens, intellexit nullum in eremo sibi bene posse præesse, qui non priùs in monasterio didicerit subesse, nec perfectum aliquem fore in contemplatiua, qui exercitatus non fuerit in actiua. Qua consolatione accepta, Bethlehem natiuitate Christi præclaram ciuitatem adiit, séque in monasterium S. Mariæ admitti expetiit, quod & obtinuit.

Venit Hierosolymam, & fit ductor peregrinorum.

Fit monachus in monasterio S. Mariæ in Bethlehem.

VBI in omni monasterij districtione probatus, atque Diaconi officio functus, post duos annos ad aliud monasterium, quod est situm ad radices montis Sinai, secessit: vbi & ab Abbate receptus, per aliquot annos in seruitio Fratrum permansit. Interea verò Fratres aliquot eius monasterij pro necessitatibus loci, in Occidentales partes directi, moriuntur, & nihilominus tamen pecunia, cuius causa Fratres abierant, quæ de terra Richardi Comitis Normannici monasterio debebatur, ab ipso diligenter conseruatur: tantùm, vt aliquis fidelis mittatur Frater, qui eam ad monasterium perferat, mandatur. Nec mora:

morà: communi consilio id negocij famulo Dei Simeoni committitur, quippe qui pręter cætera instructus etiam esset Ægyptia, Syra, Arabica, Gręca & Romana eloquentia. Ea verò tempestate contigit Richardum Abbatem nostrum, deuotionis gratia, Hierosolymæ velle videre loca, & in diuinam dispositionem. Dum iter per Antiochiam haberemus, hic famulus Dei Simeon iunctus est nobis amicitia. Et quidem imus vnà pariter, sed peruenientibus nobis vsque ad ciuitatem Bellegradum, quæ est in confinio Bulgarorum atque Hungarorum, à ciuitatis Principe prohibitus est nobiscum transire. Igitur flens, & tamen Deo gratias agens, reliquit nos tristes atque flentes. Per multas denique angustias & latronum insidias reuertitur vsque ad mare. Quo transito, prosperè iter faciens, per Romam venit in Franciam, atque ita Rothomagum, quę ciuitas est Nortmannorum nobilissima, S. Audoëni quoque meritis præclara.

Ciuet quidam quod nescia idiomata.

Iussu sui Abbatis venit in Franciam.

Vbi cùm Richardum Comitem iam mortuum comperisset, & de pecunia & censu, qui de terra illius pro eleemosyna suo monasterio debebatur, nullus ei responsa redderet; mœstus aliquantulum non pro suo labore, sed quòd locus Sinai frustratus esset tanta vtilitate, toto corde conuersus ad Dominum, quid ageret, quærit consilium. Occurrit autem animo, vt Richardum Abbatem, nósque suos comites inuiseret: quod & fecit. Per longum autem tempus moratus est nobiscum irreprehensibiliter viuens; donec Archiepiscopus Poppo, sanctæ Treuirensis ciuitatis strenuus prouisor, gratia orationis, Hierosolymam venit, huncque famulum Dei eundo & redeundo secum conuiatorem habuit, qui etiam ei post reditum, in suo Episcopatu, si vellet, manendi facultatem præbuit, & libentissimè concessit. Ex reuelatione itaque Dei prospectans sibi locum idem famulus Christi, vbi solus posset vacare orationi, in turri, quæ antea Nigra porta vocabatur, paruulum tugurium expetiit, vbi Dominus Præsul, præsente Clero & populo, in festiuitate S. Andreæ illlum inclusit, & quasi mortuum, vt verè erat seculo, deuotissimè sepeliuit. Reclusus autem vir Dei, silentio & multis ieiuniis attenuauit corpus suum, aliquando solo pane, aliquando autem reficiens se aqua infuso legumine, ita tamen vt in nostra terra, propter infirmitatem stomachi, vsus sit semper modica etiam potione vini.

Venit Treuiros.

Solenniter in quodam reclusorio per Episcopum reconditur.

Sed nec defuerunt quoque graues tentatoris insidiæ. Per noctes enim audiebat rugitus leonum, vlulatus luporum,

grunnitus porcorum, cæterarúmque bestiarum duras infestationes, quæ quasi impetum facientes vt eum deuorarent, illud tugurium, &, vt verius dicam, sepulcrum immensis clamoribus replebant. Sed ipse corporalibus oculis antiquum hostem teterrimum & multiformem adspiciens; eum oratione & signo crucis repellebat. Vnde & inimicus, cùm nullatenus per se nocere illi posset, insidias aduersus Dei famulum per sua membra tetendit. Eo tempore exigentibus peccatis nostris, nimia aquarum abundantia excreuit. Eius mali causa Simeoni imputabatur ab omnibus, dicentibus eum maleficum esse, pro eius sceleribus hanc mundo cladem imminere: vt deponatur à Pontifice, populus quotidie acclamabat. Nec multo pòst, ex vrbe Conuersus agitur, tugurij fenestras obruunt, Simeonem lapidare contendunt. Vidimus, fateor, fenestram fractam: sed athleta Christi Simeon fundatus supra firmam petram, immobilis persistebat, atq; Deo gratias reddens, pro persecutoribus cum gaudio orabat. O quantas postea cruces, quantas ibi pertulit molestias! Solus hæc nouit scrutator cordium. Interea voluuntur anni, & vir Dei resolutionem præuidet corporis sui. Denique animam sanctam hora tertia, Calendis Iunij, benignissimo, cui semper seruierat, reddidit Creatori, anno millesimo quinto. Qui tantis mox coruscauit miraculis, vt* à Benedicto Papa Nono, Poppone Archiepiscopo petente, statim post mortem sit canonizatus.

Horrendas molestias diaboli pellit signo crucis.

Patitur & homines quosdam sibi valde infestos.

Migrat ad Christum.

** Hoc Trithemius.*

DE S. ERASMO EPISCOPO ET *Martyre, ex Ordinario nouo.*

II. IVNII.

ERASMVS Episcopus Imperatoribus Diocletiano & Maximiniano in Campania plumbatis & fustibus cæsus, resina quoque, sulphure, plumbo liquefacto, & feruenti pice, cera oleoque perfusus, inde tamen integer & inuiolatus euasit. Quo miraculo multi se ad Christi fidem conuerterunt. Itaque is iterum detrusus in carcerem, constrictus ferreis grauissimisque vinculis, inde ab Angelo mirabiliter ereptus est. Deinde à Maximiniano variis affectus suppliciis, tunicaque ærea candenti indutus, illa etiam tormenta diuina virtute superauit, atque in Campaniam profectus, plurimis & in fide confirmatis, & ad fidem conuersis, insignem martyrij palmam adeptus est.

Excarnificatur S. Erasmus variis tormentis.

Tandem gloriose complet martyrium.

VITA

VITA S. BONIFACII APOSTOLI
Germanorum, & Martyrii, ex illa eius solenni apud R.P. Surium.

V. IVNII.

CVM gens Anglorum, præ multis nationibus sanctorum virorum ferax & fertilis in primis esse cœpisset, inter illos etiam sanctum Bonifacium ceu luciferum quendam edidit. Qui magna parentum cura educatus, cùm magnarum virtutum, pro ætatis incremento, factus esset studiosus, atque adeò etiam verbi diuini, quantum ea permisit ætas, pater primò quidem obstupuit, deinde eum quoque obiurgans, nunc minis, nunc blandimentis, ad mundi huius curas conatus est pertrahere. At puer sanctus, quanto eum pater enixiùs reuocabat, tanto ipse proposito suo tenaciùs inhæsit: simúlque diuinæ moderationis iudicio factum est, vt pater repentino correptus morbo, à sua sententia discedens, puerum per idoneos homines ad monasterium, quod prisco vocabulo Adescancaster dicitur, mitteret, commendans eum VVolfhardo venerabili eiusdem monasterij Abbati. Vbi cùm incessabili sanctarum Scripturarum meditationi deditus, omnem regularis vitæ disciplinam sub eius, quem diximus, Abbatis gubernatione, annis non paucis sectatus esset, nec tamen illic propter doctorum virorum penuriam inexhausto suo sacras Scripturas cognoscendi desiderio posset satisfacere, permissu Abbatis & fratrum, ad monasterium quod hodiéque Nutscella dicitur, se contulit, & beatæ memoriæ VVinberti Abbatis, qui tunc illi præerat, magisterio se subdidit.

S. Bonifacius etiam num puer, frustra reuocatur a patre suo a studio literarum.

Venit ad monasterium Adescancaster.

IBI verò tum Grammaticæ & poësis, tum spiritualis etiam intelligẽtiæ optata eruditione potitus, adeò mox cœpit haberi celebris, vt, fama doctrinæ eius passim diffusa, alios etiam alliceret, vt se in eius traderẽt disciplinam. Verum enimuero, quia animo erat Deo deuotus & addictus, atque ab omnium hominum fauore abhorrescens, cœpit tractare seriò quemadmodum ad loca remota Christi causa emigrare posset. Qua in cogitatione cùm diu, & quidem accuratè versaretur, eam tandem supradicto Abbati aperuit, qui etiã, tametsi diu poscenti assensum negaret, ad extremum tamen, diuina agente prouidentia, preces eius admisit. Ita ergo peruenit ad locum qui antiquitus Anglosaxonum vocabulo dicitur *Lundenvvic*: nec multo pòst abiit in Dorstet: vbi aliquamdiu moratus, die ac

Mirabiliter proficit in omni genere scientiæ.

Impetrat à suo Abbate quo possit peregrinari.

nocte debitas Deo persoluit laudes. Ea tempestate inter Carolum Francorum Principem, Frisonúmque Regem Radbodum, hostilis orta dissensio, populos vtrinque perturbabat, & maxima pars Ecclesiarum Christi, quæ in Frisia ditioni Francorum subditæ fuerant, Radbodo persequente, & seruos Christi profligante, vastata & destructa erat, dæmonúmque cultus, extructis fanis, instauratus. Cuius rei indignitate permotus vir Dei, ab illis locis recessit, perueniensque *Trecht*, cùm aliquot dies ibi fecisset, vacua spiritali fertilitate arua relinquens, ad natale solum se recepit.

Vidēs se nullum fructum facere posse in Frisia & vicinis locis, redit in Angliam.

INTEREA monasterij sui Pater migrauit à vita, cùm ecce omnes eum vnanimiter precantur (per id autem tempus VVinfridus dicebatur) vt pastoris erga ipsos vice fungi ne recusaret. At ille animum suum illis expromens, ait se pro Christi amore, & aliorum salute, peregrinationes meditari. Quod vt illi audierunt, summa beneuolentia eius proposito assensêre. Quin, vt maior accederet auctoritas, etiam loci eius Reuerendum Episcopum Danielem adiit, petens ab illo, vt eius benedictione & literis commendatitiis, Romam iturus, frui mereretur: quod & Episcopus libenter annuit. Ea igitur benedictione fretus, mox valedicens Fratribus, dat se itineri, terrarum & maris longa spatia & ignotas vias emensurus. Collecti sunt autem ad eum vndique non pauci serui Dei, eodem spiritu feruentes, cunctique vno animo quotidie Sanctorum templa inuisentes, rogabant vt diuinitus adiuti, tutiùs Alpium iuga superare, & Longobardorum feros animos erga se lenes sentire mererentur. Nec sunt votis frustrati suis. Nam simulatque vir sanctus venerabilem Apostolicæ Sedis Præsulem Gregorium Secundum allocutus est, eique tum causam aduentus sui exposuit, tum Episcopi sui literas commendatitias obtulit; Pontifex sedulò cum illo deinceps sermones conferens, ilicque commorantem reuerenter tractans, quascumque petiit Sanctorum reliquias, illi donauit: tum etiam per omnem Germaniam prædicandi ei munus demandans, suas ei literas tradidit.

Parat se vt eat Romam.

A diungūtur ei multi s[...]

Ordinatur Apostolus Germaniæ.

QVIBVS literis acceptis, profectus est inde ad Longobardorum Regem Luitprandum. A quo honorificè susceptus, aliquamdiu apud eum hospitio vsus est. Porrò ab illo discedens, ardua & prærupta Alpium iuga transcendit, ignotósq; Baioariorum & Germaniæ fines perlustrans, in Thuringiam peruenit, accuratè explorans vbi postmodum sanctæ fidei mella

colli

colligere poſſet. Vbi cùm dies aliquot in Thuringia hæreret, omnes interim illius prouinciæ Principes verbis ſpiritualibus alloquens, ad ſanctam complectendam fidem & religionem inuitauit. Sacerdotes quoque, quos variis deditos flagitiis comperit, ſermonibus Euangelicis ad inſtitutionis Canonicæ normam correxit. Sed & audita Radbodi Friſonum Regis morte, qui per id tempus magnam in Chriſtianos perſecutionem exercuerat, multo affectus gaudio, in Friſiam nauigauit, ibique verbi Dei ſemina ſpargens, permultos ab errore idololatriæ retraxit. Quo tempore cùm venerabilis etiam VVillibrordus, Traiectenſis eccleſiæ Præſul buccinam cæleſtis doctrinæ in Friſia inflaſſet, eius ſtudiis S. Bonifacius mirificè gratulans & adhærens, triennio apud illum fuit, ſuam illi nauans operam, tam in idolorum fanis deſtruendis, quàm extruendis eccleſiis, cæteriſque rebus diuinis exequendis.

Aliquamdiu hæret in Thuringia.

Triennio verſatur in Friſia cum S. VVillibrordo.

POST quod temporis interuallum, venit vir Dei Bonifacius Amanaburgum, Deum vbique habens itineris ſui comitem. Sanè cùm vigilantem populum in Friſia Chriſto lucrifaceret, & [illegible] t eo, quem diximus, loco obtento, non paucos Fratres colligeret, & monaſteriũ ędificaret, iis valefaciens, in Haſſiam, ſiue Catthorum regionem, qui Saxonibus contermini ſunt, profectus eſt prædicandi cauſa: vbi ſimiliter multos conuenit, multaque hominum millia vndis ſalutaribus tinxit. Manabat interim longè lateque fama prædicationis eius, & credentium numero magnæ fiebant acceſſiones, templa inſtaurabantur, monaſteria conſtruebantur, cum vir beatus apud Thuringos & Catthos, ſiue Heſſos, vidit multam quidem exſtare meſſem, ſed operarios paucos, & qui tantæ credentium multitudini inſtituendæ non ſufficerent. Quare miſit in patriam ſuam, acciuitque non modò viros religioſos, & multa eruditione præſtantes, ſed etiam feminas: in quibus præcipui fuêre Burchardus, Lullus, VVilliboldus & VVinnibaldus eius frater, Vvitto & Gregorius: in feminis autem religioſis matertera ſancti Lulli, Cunigildis, & filia eius Bertgitis, item Cunitrudis, Tecla, Lioba, & Vvaltburgis ſoror Vvillibol di & VVinnibaldi: ex quibus S. Cunigildis & filia Bertgitis liberalibus ſcientiis eruditæ, apud Thuringos Magiſtræ ſunt conſtitutæ, Cunitrudis miſſa eſt in Boioariam, vt verbi diuini ſementem illic faceret, Teclam apud Moganum fluuium Kiſſingæ & Ochnofurti voluit manere, Liobam virginibus ſacris apud Biſchofeshemium præfecit.

Tēdit ad Heſſos & vicinos.

Plures euocat ex Anglia cooperatores ſanctos.

Constituta vtcunque fide in Germania, iterum redit ad Frisones.

Ac denique ad extremum sentiens vir sanctus verbi diuini semina, quæ intra Germanæ & Galliæ fines iactasset, in cordibus credentium iam germinare & crescere, nec ignorans corporis sui dissolutionem non longè abesse, constituit redire ad Frisones, quos olim quidẽ ad Christi religionem traduxerat, sed, fallente diabolo, quosdam ad Ethnicismi errores relapsos didicerat. Itaque nauim cum delectis ad illud iter sociis vir beatus ingressus, per Rheni alueum ad Frisonum regionem perlatus est. Vbi cùm circumquaque progrediens, verbum Dei cum multa fiducia prædicaret, ecclesiasque ingenti studio extrueret, tantam gratiam contulit ei Deus, vt inter breue tempus multa virorum ac mulierum millia cum suo socio Eobano baptizarit. Aderant verò etiam ei adhuc Presbyteri tres, & totidem Diaconi, puta Vvintrugius, Vvalterus, & Adalherus, Stircbaldus, Hamuntius, & Boso. Porrò Vvaccarus, Gundeharus, Vvilliherus, & Adolphus professione erant monachi, eumque sequebantur. Atque hi omnes, vnanimiter cum illo laborantes in prædicatione Euangelij, meruerunt etiam palmæ martyrij esse consortes.

Baptizantur ab eo intra breue tempus multa hominum millia.

Etenim cùm per latas Frisonum terras discurrissent, & ad Bortnam fluuium peruenissent, quod est in confinio eorum, quos vulgari idiomate vocãt ***Oester VVester reiche***, sanctus Bonifacius comitibus suis stipatus, iussit ibi tentoria figi, volens in eodem loco nuper baptizatorum sustinere aduentum, Confirmationis gratia: iam enim propinquabat dies eidem Confirmationi destinatus. Qui postquam aduenit, proh nefas, omnes illi qui haud aliter atque filij à patre exspectabantur, indigni percipere gratiam Spiritus sancti, quæ illo die per sacram Confirmationem illis offerenda erat, ex amicis in hostes, & ex neophytis in lictores mutati, cum ingenti strepitu armorum ad Sanctorum castra aduolant, cum gladiis & omnis generis armatura in eos irruũt, cruentisque manibus barbara feritate eos indignè trucidant. Tandem autem cum multa celebritate & gaudio perductum est corpus sancti Martyris in Fuldense monasterium, vbi optauerat sepeliri: quo in loco per merita eius multa congrua fide petentibus obtingunt beneficia vtriusque hominis. Vixit in Episcopatu annos triginta sex. Passus verò est cum sociis suis Nonis Iunij, anno peregrinationis suæ quadragesimo, Incarnationis verò Dominicæ septingentesimo quinquagesimo quinto.

En apertissimè Sacramentum Confirmationis.

Vir sanctus immaniter trucidatur.

Transfertur Fuldam.

VITA

VITA S. GVDVVALI ARCHIEPISCOPI
Britanni, ex ea qua est apud R. P. Laur. Surium.

VI. IVNII.

SANCTVS Gudvvalus in Britannia ortus, parentes & cognatos habuit generis nobilitate insignes. Qui vbi ad viriles peruenit annos, Leuita & Sacerdos ordinatus, cœpit prodere sapientiæ, à teneris annis acquisitæ, thesauros: quin & quosdam ita veri solis radiis inflammauit, vt ipsi quoque aliis & illustrandis, & inflammandis, idonei facti sint. Factus Episcopus, quo altiùs in populo Dei caput extulit, eo latiùs de se sparsit sanctæ conuersionis odorem: & quàm diu quidem Sacerdotio functus est, opus gratiæ suę per illum magnificè declarauit Spiritus sanctus, omni clero populoque lætante. Erat autem illi amplum patrimonium: sed ille fastidiens opes & copias omnes labentis vitæ, quicquid habuit facultatum, Ecclesiæ Christi elargitus est. Cernens etiam cura pastorali, ceu catenis quibusdam, seculo se illigari, cùm primùm potuit, illa se penitus expediuit. Itaque summo Pastori, & deinde idoneo substituto successori ecclesiam commendans suæ diœcesis, quoddam monasterium petiit: vbi & vitam monasticam, imò Angelicam, vixit. Erat autem monasterio illi propinquum mare.

S. Gudvvali genus.

Relicto Episcopatu, ingreditur monasterium.

IN cuius sinu rupem vastã exstare videns vir sanctus, quo secretiùs vni Deo vacaret, illuc quoque postea se contulit, discipulos illic colligens ad centum octoginta octo. Cui sanctæ multitudini cùm loci angustia ægrè sufficeret, vir beatus cum Deo tractans, magnaque Dei fretus potentia, cùm mare, suo more recedens, vasta illic arenarum spatia retecta relinqueret, virga, quàm manu gestabat, certa arenis vestigia imprimens, in Christi nomine præcepit vndis, ne illa vnquam transgrederentur. Vidisses ad eas voces sancti viri indomabile pelagus mitescere, suos cohibere impetus, tumores remittere. Et certè in hunc vsque diem leges sibi præfixas mare transgredi non audet. Iam vir sanctus mundo, & omnibus quæ hic mundus offerre potest, amicisque suis valefecerat, planeque mundo crucifixus erat, atque adeò etiam animam suam perfectè oderat, nec tamen his contentus, semper perfectiora meditabatur. Itaque, communicato cum Fratribus consilio, ex illa insula peregrè constituit proficisci.

Colligit discipulos ad centũ octoginta octo.

Ponit indomabili mari certũ terminũ.

Quærit cum suis sedes alias.

INTERIM septẽ apparauit nauigia, atque ea non multo

pòst

pòst cum omnibus Fratribus ingressus, dat se itineri, denique prospero cursu omnis ille Domini exercitus ad terras quasdam delatus est. Habuerat illic Meuorus quidam, Cristianæ religionis cultor, paternas sedes, sed qui indigenarum infestatione compulsus repetere natiuum solum, Corminiam pacis studio se suamque domum transtulerat. Qui vbi Patrem GudVValum in eius fines ingressum audiuit, magnas planè Deo gratias egit. Atque ita scilicet confirmatus est regius ille fiscus ecclesiæ ei, quam in sua peregrinatione hic inclytus Pontifex, præclarus Eremita, & cœnobitarum Dux egregius, fundauit: vbi quoque degens, magna de se præbuit virtutum exempla præsentibus, sicut & odorem suauissimum sanctæ famæ absentibus.

En tunc affectus erga monachos.

OBIIT autem vir sanctus octauo Idus Iunij, in insula Plet sacro eius corpore tumulato, vbi & multo tempore conditum mansit, multis coruscans miraculis, donec postea barbaris incursantibus, cùm cõplures Britanni, relictis auitis sedibus, in exteras regiones dispersi sunt, etiam Fratres monasterij supradicti, absportato sacro corpore, mare quod Britanniam à Galliis separat, transfretantes, in Franciam peruenére: eamque perlustrantes cum sacro pignore, vnde odores mirifici fundebantur, tandem ad Monasterioli castrum appulerunt. Vbi quia non eo, quo par erat, honore afficiebatur, Arnulphus inclytus Marchio Flandriæ, multorum saluti diuinitus destinatus, Blandinum illud transferendum curauit, vnà cum reliquiis nullo precio æstimandis egregij Confessoris Bertulphi: quæ translatio facta est 3. Nonas Decembris, Clotatio apud Francos sceptra regni moderante.

Migrat vir sanctus ad Christum.

Defertur eius sacrum corpus ad Castrũ Monasterioli, in Francia, & tandem in Gandauum.

VITA S. CLAVDII ARCHIEPISCOPI

Bisuntini, ex ea quæ est Tomo 7. R. P. Surij.

VI. IVNII.

BEATVS Claudius originem duxit ex illustri Salinensium Principum siue Palatinorum familia. In parentum suorum domo, vsque ad septimum ętatis annum in Dei timore accuratè nutritus, postea discendis literis admotus est, probatissimis traditus magistris: sub quibus ille non solùm disciplinas liberales breui perdidicit, sed etiam Scripta diuina & sanctorum hominum res gestas sedulò perlegit. Crescente verò fama sanctitatis eius, cùm iam vicesimũ ætatis attigisset annum,

S. Claudij illustres natales & insignis graditio.

annum, contempta militia seculari, Bisuntinæ Ecclesiæ factus est Canonicus, tãtumque breui temporis spatio, diuina illum adiuuante gratia, in sanctis operibus & sacra doctrina clarus euasit, vt in tota Burgundionum ditione nullus ei par inueniretur: id quod perspici facilè potest ex editis ab illo lucubrationibus, quæ vsque in præsens in Iurensi monasterio asseruantur. Quotidie autem, demptis Dominicis & solennibus diebus, non nisi semel edebat, crebrò noctes orando, legendo, meditando peruigil exigens. Atque interim anno duodecimo suscepti Canonicatus eius, Præsul Bisuntinus vitã cum morte commutauit, cùm, ecce, inter clerum & populum Bisuntinum de substituẽdo ei successore, non minima existente dissensione, vox cælitus audita est, iubens eos beatum Claudium creare Antistitem: quod factum est anno à Christo nato 626.

Fit Canonicus Bisuntinus.

Quotidie ieiunat, excepta diebus Dominicis, & Festis.

Diuinitus eligitur Episcopus.

QVI sanè factus Archiepiscopus, eandem quam priùs humilitatem & morum grauitatem, in omnibus semper seruauit, &, vt fidelis seruus & prudens, familiam Domini, & creditas sibi Ecclesias feruenti zelo gubernauit. Crebrò visitabat diœcesis suæ ecclesias, & ceu bonus pater familias, iuxta Domini sentẽtiam, de thesauro suo proferens noua & vetera, mellitissimis exhortationibus suis bonos & pios incitabat, vt ad meliora proficerent, lapsos verò & errantes solicitè admonebat, vt ad bonam sese frugem reciperẽt. Cæterùm, cùm annis septem eam gubernasset ecclesiam, diuino cũ amore magis ac magis perurgente, cunctis in sua diœcesi bene dispositis, Episcopatu se abdicauit, & ab Angelo admonitus, ad monasterium S. Eugendi, quod etiam Iurense dicitur, in Bisuntinæ diœcesis confinio situm, se contulit, atque illic habitum & institutum sancti Benedicti complexus est. Tantæ verò sanctitatis & perfectionis fuit, vt omnium, quæ in mundo sunt, oblitus, solo omnipotentis Dei flagraret amore. Vigilabat precibus, assiduus erat in ieiuniis, diligentem nauabat operam in sacris lectionibus & meditationibus. Ad diuina celebranda officia omnes ipse templi ingressu anteuertebat, postremus omnium è templo recedebat: quin & post annos quinque, eius monasterij Abbate ad Dominum migrante, venerabiles eiusdem cœnobij Patres illum vnanimiter elegerunt sibi Abbatem, quibus ille ægrè tandem assensus est.

Abdicato suo Episcopatu, fit monachus ad S. Eugendum.

Creatur eius monasterij Abbas.

TVM verò complures ad beatum virum confluxere, non modò Clerici, sed etiam nobiles & ciues, sanctitatis eius fama illecti, instanter ab illo monasticum habitum expetẽtes, quos

illic ad

ille admittens, ad perfectionis capessenda fastigia summopere prouehebat. Vbi cuiusmodi filios spiritales enutrierit, id nostram excedit dicendi facultatem; potest autem, quisquis eum inuisit locum, facilè id colligere ex multitudine sanctorum corporum, quæ illic venerationi habentur. Pauperibus Christi vir beatus, itemque superuenientibus hospitibus, omnem humanitatem præstandis eleemosynis exhibuit. Ornamenta ecclesiæ, libros, calices, cruces, candelabra aurea & argentea, pannos sericos, & alia ad diuinum cultum pertinentia, egregiè augmentauit: Sanctorum reliquias in thecis pretiosissimis reuerenter reposuit, monasterij domos & structuras, ita vt decuit, instaurauit, atque tandem anno quarto Childeberti Regis Francorum, cùm iam annis quinquaginta seruis Christi in hoc monasterio cum multa laude præfuisset, senex admodum sanctissimā animam reddidit Creatori. Eius corpus vsque in præsens in illa S. Eugendi ecclesia, cunctis aduentantibus, incorruptum & integrum monstratur, innumeris miraculis coruscans. Festum celebratur octauo idus Iunij.

Multa eius cura circa decorem domus Dei.

VITA S. NORTBERTI PATRIARCHÆ
Præmonstratensium, ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium.

VI. IVNII.

FVIT in diebus Henrici iunioris Cæsaris, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo decimo quinto, vir quidam nomne Nortbertus, natione Teutonicus, municipio Xanctis, quod antiquitus Troia dicebatur, genère de illustri prosapia Francorum & Germanorum. Hic cùm in aulis magnatum aliquamdiu celebris fuisset, primò quidem in Frederici Coloniensis Archiepiscopi, deinde & in aula Imperatoris, postea abiiciens pretiosum vestitum, vestemque pelliceam agninam induens, acceptis sacris ordinibus, primò in Sigebergensi monasterio diebus circiter quadraginta sacerdotij didicit vsum, certaque simul religiosè viuendi documenta: inde rediens ad patrium solum, contulit se ad ecclesiam vbi fuerat & erat Canonicus secularis. Vbi ieiunio & abstinentia se macerans, insistens insuper vigiliis & orationibus die noctúque, cùm per tres annos in eo habitu prædicasset verbum Dei opportunè, importunè, crebrescentibus tandem persecutionibus eorum, quibus verba veritatis erant molesta, venit ad Archiepisco

S. Nortberti patria & parentes.

Vale dicit mundo.

Prædicat verbum Dei magna cum instantia.

piscopum suum, & resignauit ei quicquid beneficiorum ac redditu͂um fuerat consecutus in ecclesia.

QVIN & venditis domibus, ac ceteris omnibus quæ iure hæreditario possidebat, cum omni supellectile, & pauperibus erogatis, spontaneam adiens peregrinationem, pede nudo cum duobus singularis propositi comitibus proficiscitur versus sanctum Ægidium. Quo cùm peruenisset, ibique, gratia Dei ordinante, qui sperantes in se non relinquit, Gelasium Papam, qui successit Paschali, inuenisset, confessus est ei voluntatem & propositum animi sui. Et papa quidem videns prudentiam eius, & Spiritum Dei habitantem in eo, voluit eum secum retinere: at ille rogans & obsecrans ne hac ipsum obedientia cogeret, exponebat qualiter se ipsum totum in aulis Regum ac pompis Pontificum lasciuiendo dissipasset, & quòd id, quò inuitaret, iuuentuti suæ, vel assumptæ pœnitentiæ minimè congrueret. Vnde tandem Pontifex, videns constantiam hominis, & deuotionem animi bonam, necnon & persecutionem quam pro verbo veritatis pertulerat, dedit ei licentiam & liberam facultatem prædicandi verbum Dei, non solùm vbi prius prædicauerat, verùm etiam vbicumque terrarum vellet & posset; hoc ipsum auctoritatis suæ literis ac sigillo firmans. Qua potestate accepta, cœpit etiam media horrendæ hiemis asperitate remeare.

Venit ad Pō-tificem Gelasium.

Nota de vita aulica.

Accipit potestatem prædicandi vbicunque terrarum.

PERTINGEBANT ei in itinere niues vsque ad genua aliquando, nonnunquam vsque ad femora, nec tamē vno saltem die eum poterant retinere. Cibus ab eo nisi Quadragesimalis & vespertinus, præterquam Dominicis diebus, minimè sumebatur. Piscibus autem seu vino rarissimè vtebatur. Ita peruenit primò Aurelianum; vbi se ei adiunxit Subdiaconus quidam, atque ita deinde Valencenas, vbi eis accessit dominus Hugo, Clericus tum Domini Burchardi Cameracensis Episcopi (is scilicet cui interroganti de Northberto responderat Burchardus: Iste, inquiens, quem sic vides, in aula Regis mecum pariter nutritus, homo nobilis, etiam Episcopatum meum, cùm ei offerretur, respuit.) Sanè in tanta admiratione & dilectione ipse cum suis deinde esse cœperunt, vt quocunque iter agentes se verterēt, cùm villis aut castris appropinquarēt, pastores, relictis gregibus, concito cursu præuenirent, & populis seruos Dei aduenire clamarent. Tunc vero campanæ pulsabantur, tunc cōcursus populi, omnis sexus, omnis ætatis, omnis conditionis cateruatim ad ecclesiam confluens, Missarum solēnia

Cibus eius nō nisi Quadragesimalis.

Nota.

libenter audiebat, & verborum exhortationes ac monita suscipiebat. Post sermonem autem, non modicam faciebat collationem de confessionis frequentatione, de agenda pœnitentia, de coniugiis, de proprietatibus; ita vndique pertranseundo, multos ab errore reuocans, multos retrahens à crimine, multos etiam discordantes ad concordiam reducens.

Hortatur passim homines ad frequentationē confessionis.

At verò interea contigit Gelasium Papam migrare à seculo. Cuius successor Calixtus, cùm, ad perficiendum quod cœperat prædecessor, Rhemis Concilium conuocasset, venit eò homo Dei, &, ne ab aliquibus oblatrantibus sana eius doctrina in aliquo posset infirmari, literas Apostolicæ auctoritatis quas à Papa Gelasio acceperat, iterum renouari postulauit. Quibus acceptis, cùm Dominus Papa eum venerabili Laudunensi Episcopo Bartholomæo commendasset, atque ille ei Lauduni obtulisset primò Ecclesiam beati Martini, quæ in suburbio sita est; deinde etiam quamcumque voluisset vel ecclesiam vel solitudinem, vel terram ad commanendum; victus tandem ipsius, & multorum aliorum tam religiosorum quàm nobilium precibus, elegit locum valdè desertum & solitarium, qui ab incolis antiquitus Præmonstratum vocabatur; in quo; si quando daret ei Deus colligere socios, se mansurum spopondit. Nec mora; transacta hieme: vt erat solitus, ad prędicandum exiens, mox Cameraci Euermodum, & Niuigellæ Antonium obtinuit, atque adeò sic intra Quadragesimam illam est adauctus, vt in septimana passionis ante Pascha cum tredecim reuersus, prædictum locum possederit.

Iterū confirmatur eius pium studium à Summo Pōtifice.

Venit ad locum dictum Præmōstratum.

Plures colligit socios.

Sed & non multo pòst, cùm Coloniæ humiliter pro construenda suis ecclesia sanctarum reliquiarum munera expetisset, diuinitus quoque ei reuelatum fuit sepulcrum S. Gereonis, quod eousque latuerat. Ex quo tempore factum est, vt plurimi in disciplinam eius vita & proposito, relictis omnibus, se conferrent. Atque adeò iam definito, ieiuniis quoque & orationibus quærebatur, vbi in supradicto deserto certum ad commanendum locum præpararent; cùm ecce apparuit cuidam visio manifesta & euidens. Nam ibidem vbi præsens sita est ecclesia, Dominus noster Iesus Christus tanquam pendens in cruce visus est, super quem septem solis radij mirabilis claritatis fulgebant, & à quatuor partibus multitudo magna peregrinorum cum peris & baculis properabat, ijque flexis genibus adorato suo Redemptore, & pedibus eius dato osculo, quasi per licentiam recedebant reuersuri. Quod verbum verum

Consecratur locus Præmōstrati cælesti visione.

Quid illa visio significabat.

rum fuisse, subsecuta actio quotidie declarat in his qui relictis omnibus vt peregrini veniunt; & professione facta, quasi osculo dato, ad obtinendas præliorum acies, ad diuersas nationes recedunt. Iuit quoque homo Dei deinde Romam: vbi à beatæ memoriæ Papa, accepta potestate de Institutione proposita, & statuto Ordine, cùm ad Præmonstratum reuersus esset, statim confirmauit quod priùs fecerat. Qui deinde cur vocatus quoque fuerit ad suscipiendam Ecclesiam Antuerpiensem, non est prætereundum.

Confirmatur Ordo.

Est Antuerpia oppidum amplissimum & populosum, in quo vnus erat tantùm sacerdos, qui curam totius populi ibidem commorantis gerebat. Sed præ nimia multitudine, & frequenti negligētia, non poterat: nec credebatur ei, eo quòd ipse copula carnali neptem suam manifestè sociam sui sceleris haberet. Vnde contigit vt hæreticus quidam Tanchelinus nomine illud aduenîens, in eadem gente locum suæ imposturæ inueniret. Erat is sceleratissimus, Deique & omnium Sacramentorum eius, totiusque religionis & Christianæ fidei hostis, ita vt ministerium Episcoporum & Sacerdotum nihil esse diceret, & sacrosancti Corporis & Sãguinis Domini nostri Iesu Christi perceptionem ad salutem perpetuam prodesse negaret. Itaque illum populum, cui iam per multa tēpora veritas horum nunciata non fuerat, in hos errores induxit. Credebant ei, & sequebantur eum circiter tria millia armatorum: nec erat Dux aut Episcopus, vel Princeps qui auderet ei resistere. Quæ detestanda hominis impostura, etiam post mortem eius exstirpari non potuit, licet duodecim Clericorum congregatio ab Episcopo in subsidium Sacerdotis, qui solus erat in Ecclesia S. Michaëlis, instituta esset, donec tandem Clerici, & charitate, & euidenti necessitate cogente, Patri Nortberto & Fratribus eius per manus Episcopi hanc ecclesiam cum quibusdam reddiribus dederunt, ipsi sibi in eodem oppido aliam ædificantes. Atque hæc de ecclesia Antuerpiensi.

Antuerpia oppidū ampl[issimum] & populosum.

Seducuntur Antuerpienses per quendā impium Tanchelinum.

Datur S. Nortberto & eius sociis ecclesia S. Michaelis.

Ad extremum Pater Nortbertus Archiepiscopus quoque creatus est Parthenopolis ciuitatis. Vbi cùm ob Ordinē suum, quem vbique propagare summopere studebat, multas fuisset passus contradictiones, atque adeò aliquoties etiam ipsas eleuatas sicariorum manus (à quibus tamē diuinitus semper fuit seruatus) tandem egregiè Fratrum numero multiplicato, nec non & Episcopatu sapienter & fideliter annis octo administrato, plenus Spiritu sancto, beato fine quieuit, anno Domi-

Fit Episcopus Magdeburgensis.

Obdormit feliciter in Domino.

nicæ

K 2

nicæ incarnationis millesimo centesimo trigesimo quarto, feria quarta Pentecostes, octauo Idus Iunij, Pontificatus Innocentij quinto, Regni Lotharij anno nono.

DE S. PAVLO ARCHIEPISCOPO *Constantinopolitano, ex Socrate lib. 2. hist. Eccles.*

VII. IVNII.

Quo tëpore hic S. Paulus vixerit.

CVM in vrbe Constantinopoli Alexander, illius ecclesiæ Episcopus, qui strenuè contra Arrium dimicauerat, viginti tres annos in Episcopatus administratione contriuisset, annósque vixisset nonaginta octo, excessit è vita. Quo tempore, qui fidē Consubstantialis tutabātur, Paulum creauerunt Episcopum: qui autem fauebant Arrianismo, ad Macedonium deligendum omni studio incubuerunt. Et quidem in ecclesia quæ * pacis nomen habet, quæque in proximo sita est illi quæ magna ecclesia dicitur, Paulus deligitur Episcopus: at verò non multo post Imperatori Constantinopolim aduentanti, electio Pauli non mediocrem bilem mouit, atque adeò cōcilio Episcoporum improbæ Arrij opinioni deditorum in vnum conuocato, Paulum Episcopatu abdicandū curat, Eusebiúmque Nicomedia eò traductum, Constantinopolis Episcopum renunciat. Quibus rebus confectis, cùm Imperator Antiochiā iter caperet, Eusebius acquiescere non potuit, sed omnem lapidem, vt in prouerbio est, mouit, vti, quòd animo instituisset: ad exitum perduceret. Concilium igitur Antiochiæ, quæ est in Syria, cogit, ecclesiæ scilicet dedicandæ nomine, quam Constantinus istorum Imperatorum Augustorum pater ibi ædificare cœperat; idque, si verum dicere volumus, vt fidem Consubstantialis prorsus labefactaret, euerteretque.

** Irenes.*

Expellitur Episcopatu.

Cogitur concilium Antiochiæ ab Arrianis.

IN isto concilio Episcopi nonaginta ex diuersis ciuitatibus conuenerunt. Verùm Maximus Hierosolymorum Episcopus, qui Macario successerat, ad illud neutiquam accessit, ratus, si accessisset, se cōpulsum iri Athanasij abdicationi subscribere. Quin etiam Iulius Romanus Episcopus neutiquam aderat, neque quemquam, qui eius locum suppleret, sed misit; idque cùm Canon Ecclesiasticus iubeat, non oportere absque sententia Episcopi Romani Decreta ecclesiis sancire. Cogitur itaque concilium præsente Imperatore Constantio. Vbi simulatque Eusebius ea quæ volebat confecerat, Legatum ad Iulium Episcopum Romanum oratum misit vt ipse in causa Atha-

En primatum Romanæ Sedis.

Athanaſij Iudex eſſe vellet, litiſque diiudicationē ad ſe tranſferret. Verùm ea quæ erant à Iulio de Athanaſio iudicata; ad aures Euſebij neutiquam peruenerunt. Nam paulo poſt dimiſſum concilium, exiuit è vita: quapropter & populus Conſtantinopolitanus Paulum in eccleſiam denuo introducunt, cùm eodem temporis momentō Arriani in eccleſia diuo Paulo dicata; Macedonium deligunt Epiſcopum, ex quo bello Chriſtianorum crebræ in ea ciuitate ſeditiones conflantur, multique etiam earum violentia protriti intereunt. Interim fama iſtarum rerum ad aures Imperatoris Conſtantij, qui tum Antiochiæ commorabatur, permanauit.

Iterū verſatus in ſuum Epiſcopatum reſtituitur.

MANDATVM igitur dat Hermogeni Duci, qui erat in partes Thraciæ miſſus, vt ab inſtituto itinere paulolum digreſſus; Paulum eccleſia expelleret. Qui ſanè Conſtantinopolim profectus, vniuerſam vrbem, dum Epiſcopum vi conatur eijcere, vehementer conturbat. Statim namque populi tumultus inſecutus eſt, paratique erāt Epiſcopum defendere; vt verò inſtabat Hermogenes, copiiſque militaribus Paulum exigere acriter nitebatur, multitudo bile percita, temere & inconſultò, vt in huiuſmodi ſeditionibus fieri ſolet, impetum in illum facit; ædes, in quibus erat, incendit, illum ipſum inde extractum interimit. Conſtantius autem Imperator de cæde Hermogenis certior factus, equo adſcenſo, Antiochia decedens, Conſtātinopolim rectà iter capit: Paulum eiicit è ciuitate: ipſam ciuitatem ablato frumenti congiario ſuper quadragies centena millia medimnorum, quod illi ab eius patre in dies ſingulos donatum erat, mulctauit. Nam ante illud tempus circiter octogies centena millia medimnorum erant ſuppeditata. Id temporis Conſtans Imperij partibus verſus Occidentem præfuit, cùm Paulus Epiſcopus Conſtantinopolis, Aſclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, & Lucius Adrianopolis, alius aliam ob cauſam accuſati, & eccleſiis ſuis eiecti, Romæ verſantes, Iulium Epiſcopum Romanum de ſuo ipſorum ſtatu certiorem faciunt.

Iubetur ab Imperatore iterū expelli.

Dux qui eū expellere nitebatur, à populo occiditur.

ILLE verò, quoniam Eccleſia Romana priuilegium præter cæteras obtinebat, in Orientem literas mittit, quo & ſuus cuique locus reſtitueretur, & eos qui illos temere abdicauerant, grauiter reprehenderet: quibus literis alioque epiſcopi confiſi, ad ſuas ipſorum eccleſias redeunt. Tum verò Conſtantius Imperator Antiochiæ commoratus, ſimul atque acceperat Paulum Epiſcopatus Conſtantinopolitam ſedem denuo occupaſ

Authoritate Pontificis Romani iterum [illegible] ſedem. Rurſus [illegible] Imperator.

cupasse;rem acerbè & grauiter tulit. Philippo igitur Præfecto, vtpote maiorem cæteris prouinciarum Præsidibus potestatē consecuto (secundus namque ab Imperatore nuncupatus est) mandatum scriptis proditum mittit, vt Paulum eiiceret ecclesia, Macedoniúmque in eius locum introduceret. Præfectus verò Philippus, populi tumultum veritus, Paulum astutè admodum aggreditur: Imperatoris voluntatem tacitus occultat: atq; simulata specie publicis ciuitatis rebus diligenter prouidendi, ad balneum publicum, quod Zeuxippus dicitur, rectà pergit: mittitque inde quendam qui Paulum honorificè accerseret, diceretque illum ad Præfectum venire debere necessario. Postquàm ille accitus venerat, Præfectus absq; mora Imperatoris mandatum ostendit: Episcopus sententiam, licet iniquè contra eum pronunciatam, æquo animo fert.

Is qui eum erat expulsurus, callidè rē aggreditur.

PRAEFECTVS autem tum eos qui circumsistebant, tū multitudinis impetum admodum reformidans (multi namque, rumoris suspicione commoti, ad publicum illud balneum concursarant) vnam fenestram balnei aperiri iubet: Paulúsque per eam in nauigium ad eam rem paratum demissus, cum festinatione in exilium mittitur, nimirum vt Thessalonicam, primariam Macedoniæ ciuitatem (in ea verò à maioribus suis oriundus erat) proficisceretur, inque illa vitam degeret, liberéque & securo animo ciuitates etiam adiret Illyrij, ad partes tamen versus Orientem non reuerteretur. Itaque non longo tempore pòst, Paulus Thessalonica decedere, & Corinthum peregere se simulans, recta in Italiam proficiscitur. Ibi ille & Athanasius vnà suam ipsorum conditionem Imperatori patefaciunt. Qui cùm scripsisset vt Paulo & Athanasio sua loca ac sedes restituerentur, nihilque proficeret (intestina namque seditio multitudinem sine intermissione implicatam tenuit) edicitur tandem Concilium generale, vt omnes Sardicam commeent, idque de sententia duorum Imperatorum. Itaque vndecimo anno post mortem patris Augustorum, Concilium Sardicense coactum est: Episcopi circiter trecenti, qui versus Occidentem habitabant, eò conueniunt, ex Episcopis autem qui Orientem incolebant, solùm septuaginta sex.

Iussus vir sanctus exsulare in Macedonia, non multo pòst aterum contendit in Italiam.

Cogitur Concilium Sardicense.

QVI postquam in conspectum Episcoporum Occidentem incolentium venire noluerunt, dixerúntque se non alia conditione in colloquium cum illis venturos, nisi Athanasium & Paulum è contentu expellerent: Episcopi Sardicæ coacti, primùm istos deserta causa condemnare, tum fidei Nicenæ decisionem

Constabilitur fides Consubstantialis.

sionem

sionem constabilire, postremò verbum Consubstantiale multò notius & illustrius efficere. Et talis quidem perturbatio atq; confusio statum Ecclesiæ id temporis occupauit. Statim verò pòst, Imperator, qui partium ad Occidentem vergentium dominabatur, ea quæ in Concilio Sardicensi acta erant, fratri suo Constantio significat, hortatúrque vt Paulum & Athanasium ad proprias sedes restituendos curet, vel, si hoc minùs præstaret, ipsum sibi hostem reddendum, nihilque aliud quàm bellũ expectaturum: atque ita Paulum honorificè Constantinopolim mittit.* Verùm enimuero paulo pòst Constantius Imperator, cuius animus facillimè huc illuc impellebatur, Arrianorum suasu Paulum iterum Constantinopoli exturbauit, & ad Cucusum, paruum oppidum, olim ditioni gentis Cappadociæ subiectum, nunc autem Armeniæ minori adiunctum, relegandum curauit. Atque adeò cùm ne hac quidem Pauli in solitudine commoratione contenti erant rerum omnium perturbatores Arriani, missis eò quibusdam suæ cruentæ voluntatis administris (quod etiam D. Athanasius in Apologia conscripsit) palàm quoq; curarunt strangulandum, Philippo Præfecto carnifice ad eam rem vsi.

** Hoc Theodor. li. 2. c. 5.*

Exsulat vir sanctus apud Cucusum.

Tandem & strangulatur.

VITA V. ROBERTI ABBATIS, ORDInis Cistertiensis in Anglia, ex ea quæ est apud R.P. L. Surium.

VII. IVNII.

VENERABILIS Abbas Robertus ex prouincia Eboracensi ortus, in ipsa pueritia puerorum leuitates & ludos deuitans, atque in literarum studiis proficiens, cuiusdam ecclesiæ Rector postea effectus est. Sed ea ecclesia & animarum cura tandem sese abdicans, in monasterio VVitebiensi (vulgo *de VVytebi*) habitum monasticũ petiit & accepit. Per id tempus Richardus, Prior monasterij S. Mariæ Eboracensis, cum duodecim sociis locum quendam, quẽ Fontes vocant, à Turstino Archiepiscopo accepit, & in Abbatem electus, monasterium construxit, in quo, Cistertiensium habitu suscepto, vitam illorum & mores æmulabatur. Nemo illic panem ociosus comedebat, neq; quieti indulgebat quisquam, nisi labore fatigatus. Nunquam ad satietatem refecti, nihilominus absque tristitia & murmure, cum omni alacritate, benedicebant Dominum.

V. Roberti iuuentus & prima studia.

Construitur monasterium ad Fontes.

Ad hanc ergo sanctam sodalitatem vir Domini Robertus, cùm priùs à suo Abbate copiam petiisset, sese adiunxit, eratque in labore strenuus, in lectione & meditatione assiduus, in oratione deuotus, consilio prouidus, sermone facundus.

Construitur & alterum, vbi V. Robertus constituitur Abbas.

ELAPSIS autem quinq; annis, cùm iam à Christo nato ageretur annus millesimus centesimus tricesimus septimus, nobilis quidam in Northumbria regione amplam possessionem largitus est, in qua Robertus creatus Abbas, assumptis secum vndecim fratribus, nouum monasterium construxit. Multa autem eius fuit abstinentia, ita vt à mensa nunquam satiatus surrexerit, & in Quadragesima pane & aqua vti consueuerit. Sed & accidit quodam Paschali tempore, vt, exstincto & prostrato appetitu, cibis appositis vesci non posset. Vbi cum frater, qui ministrabat ei, diceret: Quare non comedis Pater? ille respondit: Si haberem panem auenaceum butyro illitum, fortassis inde mihi vesci liberet. Attulit ergo frater ille panem eiusmodi: sed vir Dei animaduertens se pauxillum cōcupiscentiæ indulsisse, vehementer expauit, & seuerus ac rigidus in seipsum vindex gustare inde noluit, planéque ieiunus permāsit. Cibum autem illum iussit pauperibus ad monasterij fores dari, vbi tum erat iuuenis quidam splendida facie, qui cū vnà cum scutella accepit, & mox euanuit, ita tamen, vt, loquentibus illis de ablata scutella, subitò ea deciderit in mensam: erat enim Angelus Domini, qui eleemosynam viri Dei, à cœlo missus, accepit.

Putat vir sanctus se offendisse, quod sibi ægroto indulserit panē butyratum: ò tempora! ò mores!

Vide miraculum.

EST autem & istud dignissimum relatu. Matrona quædam admonita à seruo Dei, ad meliorem se frugem receperat; spretáque mundi pompa, & ornamentorum fastu atque vanitate, inter delicias domûs suæ vitam solitariam agere videbatur. Sæpius ergo dominam illam vir Dei inuisere, & ad meliora incitare consueuit; sed ea res Fratribus quibusdam prauarum suspicionum materiam præbuit, existimantibus familiaritatem illam ab impuro amore proficisci. Iam multorum aures illi infecerant; & tandem etiam ad S. Bernardum querimoniæ delatæ sunt. Ad eum ergo cùm venisset vir Dei, cuius & nomen & meritum in spiritu iam illi reuelatum erat, vocauit eum ad se secretò, dixitque ei, Frater Roberte, falsa sunt ea omnia quæ sinistra suspicio de te sparsit: atque in amoris argumentum dedit ei zonam suam, quæ meritis vtriusque multis postea ægrotis beneficium sanitatis attulit. Sanctus quoque Godricus viri Dei confessiones recipere solebat. Vnde & ad eum crebrò acce-

Vir sanctus iniustè diffamatur.

S. Bernardus diuinitus edocetur de eius innocentia.

cede

cedebat,& inter se de morbis vitiorum, virtutum remediis, itemque de secretis cælestibus, Angelicis visitationibus, & Sanctorum patrociniis conferentes,diem cum noctibus sæpe continuabant. Qui etiam Godricus eo tempore quo vir Dei migrauit è corpore,in cella sua manens,duos muros candidos vidit ad cœlum vsque porrectos. In iis autem tres Angelici spiritus visebantur, qui animam beati viri in specie globi ignei ad cœlos deferebant, atque ita scilicet in sinum Abrahæ Robertus, Christi seruus,deportatur, anno salutis millesimo centesimo quinquagesimo nono,septimo Idus Iunij.

Defertur anima V. Roberti in cælū inter tres Angelicos spiritus.

VITA S. MEDARDI EPISCOPI NOuiomensis,ex ea quæ putatur scripta per Fortunatum.

VIII. IVNII.

BEATISSIMVS Medardus,egregiæ vir sanctitatis, patre Nectardo,matre verò Protagia genitus,apud Salêtiacum,hæreditariam prædecessorum suorum possessionem, natus atque alitus est. Est autem prædium illud Salentiacus in Episcopatu Viromandensi, in regione Nouiomensi:Erat verò illi consodalis quidam Eleutherius nomine;quem &, cùm aliquando inuicem colloquerentur,Episcopum futurum esse prędixit:sicut etiam non multo pòst, cùm ætatis & morum sibi diuinitus adspirasset gratia,idem in Tornaco ciuitate,Pontificali,Deo annuente,sublimatus est cathedra: atque ita sanctus Medardus,quod prædixerat,probauit.Erat autem S. Medardo super egentibus cura non modica, adeò vt adhuc puerulus, multa sese domaret abstinentia, expensamque suam pauperibus distribueret,ac vestimenta sua indigentibus beneuolè largiretur, imò & vnum quoque aliquando equū ex iis quos seruandos habebat in pascuis. Vnde & Dominus etiam iam tum ipsum miraculis honorare non est dedignatus. De quibus vt pauca referam,primùm aquila adhuc puerum, ita alarū expâsione aliquando cooperuit,vt,cùm circumquaque pluuia grassaretur,ab inundatione ipse contingi non posset.Deinde & in quadam altercatione determinis agrorum,terminū designans, figuram plantæ pedis velut in cera ita incaute expressit, vt à nullo artificum expressius exsculpi aut signari possit: qui lapis penes nos exstat vsque in hodiernum diem. Atque hæc sunt

S Medardi patria & parentes.

Adhuc puer sibi subtrahit, & dat pauperibus.

Duo insignia miracula acta per eum adhuc puerū.

Nouiomum (quod castrum seu munitio habebatur) sano consilio sedem constituit Episcopalem. Ibi ergo sanctus Præsul Domini, suæ omnes pastoralitatis multa prædicationis instantia confortabat. Prædicabat instanter pœnitentibus remissionem peccatorum. Prædicabat omnibus regnum Dei appropinquare, citoque iudicium Dei futurum. Verum cum ecclesiam, quã Nouiomi cõstruxerat, felicissimè gubernaret, & suos quosque, prout diximus, ad æternam remunerationem confortaret, contigit S. Eleutherium Tornacensis ecclesiæ Pontificem, quem ipse, vt prælibauimus, in infantia sua futurum esse prædixerat Episcopum, hominem exuere.

Transfert vir sanctus sedem suam Nouiomum.

ITAQVE post eius lugubres exequias, cùm de Pontificis electione inuicem differerent, peracto triduano ieiunio, & solennibus hostiarum victimis Deo deuotè oblatis, subita sancti Spiritus inspiratione inflammati, vnanimiter etiam sanctum hunc Pontificem Medardum elegerunt. Id populus acclamabat, in hoc Rex ipse Proceresque palatij, præcipuè comprouinciales Episcopi, consentiebant. Denique vtrumq; ouile pastor egregius, consilio & auctoritate comprouincialium Episcoporum, tempore Hormisdæ Papæ sub S. Remigio, tunc temporis Rhemorum Archiepiscopo, assensu Regis & Curialium, ac vtriusque plebis acclamatione, tandẽ suscepit & vt vtrique, tamen ecclesiæ Cathedralis semper honor maneret, benignè concessit. Qui quidem vir Dei, quot & quanta in regione illa opprobria, quot & quantas perpessus sit iniurias, quoties cõminationibus iniuriatus fuerit Tornacensium, quoties pro incessabili prædicatione adiudicatus fuerit ad supplicium, Deo soli manifestum esse, nulli est ambiguum. Erat enim gens ipsa fera & indomabilis, cum multa obstinatione suorum defendens culturam deorum. Quibus ipse se viriliter iniiciens sanctus Episcopus, Euangelicas & Apostolicas institutiones imperterritè prædicabat, falsis simul eorum obiectionibus magnanimiter respondens. Aderat siquidem ei diuina semper gratia, quæ illum & ab infidelium protegebat incursu, & eorum quoque infidelium ad dulcisonam spiritualis doctrinæ institutionẽ emolliebat auditus. Vnde & factum est, vt paruo in tempore innumerabilis eorum multitudo ad fidem Catholicam conuerteretur, &, Deo præordinante, per inæstimabilem sancti huius Pontificis instantiam sacrosancti Baptismatis vnda, maxima ex parte sanctificaretur.

Commẽdatur ipsi & ecclesia Tornacensis.

Nota pro ecclesia Tornacensi.

Multas fert contumelias pro prædicatione fidei.

Plurimi per eum ad fidem conuertũtur.

SIC itaque sanctus Pontifex Medardus ferocem illam

Fran

VITA S. MARGARETÆ REGINÆ
Scotiæ, ex ea quæ est per Alredum Abbatem.

X. IVNII.

MORTVO Edmundo Rege, qui ab Anglis, propter insuperabilem fortitudinem, Ferrei Latens cognomen acceperat, Canutus Rex, Angliæ conquestor, filios eius Edmundum & Edouardum ad Regem Suedorum feriendos transmisit: qui pietate motus, eos ad Regem Hungarorum Salomonem vitæ reseruandos misit. Quorum Edmundo sine liberis decedente, Edouardus frater eius Agatham Imperatoris filiam duxit, ex qua sanctam Margaretam, postea Scotiæ Reginam, progenuit. Quæ cùm in primæua adhuc floreret ætate, vitam sobriam ducere, ac Deum super omnia diligere cæpit: vnde & tandem suorum magis quàm sua voluntate, imò Dei ordinatione, Regi Scotorum Malcolino in matrimonium collocatur. Vbi licet ea quæ mundi sunt, agere compelleretur, attamen mundi rebus & desideriis inhærere contempsit. In loco vbi nuptiæ eius fuerant celebratæ, in honorem S. Trinitatis nobilem ecclesiam construxit; eamque variis magni pretij ornamentis decorauit, in quibus ex solido auro & argento vasa non pauca fuisse constat. In aliis quoque quibusuis ecclesiis deuotionis suæ signa reliquit.

Confer hæc Lector cũ iis quæ sunt 5. Ianuar.

S. Margaretæ genus.

Contemnit ea quæ sunt huius mundi.

LIBEROS suos communi diligentia nutriri, & honestis moribus institui voluit. Regem ipsum ad iustitiæ, misericordiæ, eleemosynarum, aliarumque studia & actus virtutum instigauit, &, Deo coöperante, obtemperatissimum reddidit. Quo etiam cum magno comitatu aliquò proficiscẽte, omnes comites & satellites eius tanta seueritate coërcuit, vt nullus rusticos vel pauperes lædere auderet. Tanto autem faciliùs sancta Regina omnem mundi pompam spreuit, & peccatorum euasit maculas, quanto maiori cum tremore districtum iudicij diem sibi indesinenter repræsentabat. Vnde & crebrò confessarium suum rogabat, vt, quicquid in ipsius dictis & factis reprehensione dignum aduerteret, id ipsi indicare non dubitaret. Quod cùm ipse rarius, quàm ipsa vellet, faceret, importunam se illi ingerebat, suę salutis incuriosum vocitans. Multa etiam in gente illa Scotorum contra vniuersalis Ecclesiæ sanctam consuetudinem inoleuerant, quæ ipsa, Rege ipsi adiutore existente præcipuo, in concilio damnans, de regni finibus, Christo donante exstirpauit. Ad hæc quãdo prodibat in publi-

Grauiter hortatur maritũ suum ad opera pietatis.

Summè veneratur suum confessarium.

Nota de auctoritate Ecclesiæ.

in publicum, miserorum, orphanorum, viduarum greges quasi ad matrem piissimam confluebant, nec vllus ex eis sine consolatione ab illa recedebat.

Liberalissima est in pauperes & viros religiosos.

INTERDVM quicquid erat Regis proprium, egenis erogādum abstulit: quam pietatis rapinam Rex omnino gratam & ratam semper habuit, seque nescire simulauit. Innumerabiles captiuos, dato pretio, libertati restituit, quos de gente Anglorum hostilis Scotorum vis in seruitutem abduxerat: Eremitas, & separatis cellis vbique inclusos, suo aduentu & alloquio crebrius visitare consueuit: illorumque se precibus commendans, quicquid petiissent, deuota compleuit. Cùm principio noctis paululum quieuisset Ecclesiam ingressa, nocturnas preces, quas Matutinas vocant, primò de sacrosancta Trinitate, deinde de S. Cruce, tertiò de beatissima Maria, sola absoluebat. Illis finitis, Officium defunctorum incipiebat, ac deinde Psalterium integrum perlegebat. Finitis precibus, in cubiculum rediens, sex pauperū pedes lauit, eisque pecuniam dari iussit. Deinde parumper quieti ac sopori indulsit. Mane facto, surgens piissima Regina, nouem infantulos orphanos cibis mollioribus flexis genibus reficiebat, & cibos in ora eorum immittebat: ac præter hæc trecentos pauperes in aulam consuetudo erat introduci, vbi clausis ostiis, Rex ab vna parte, Reginaque in altera, Christo in pauperibus seruiebant.

En feruorem tantæ fœminæ in precibus.

O pietas singularis & humilitas.

SED & rursum hoc facto, Regina ad ecclesiam se conferens, prolixis precibus & lacrymis atque gemitibus seipsam Deo sacrificium immolabat, & ante summam Missam quinque vel sex alias Missas audiebat. Post quod, ante refectionem viginti quatuor pauperes, humiliter eis ministrando, reficiebat. Sumebat deinde cibum, tantùm vt vitam seruaret. Quadraginta quoque ante Pascha & Natalem Christi diem incredibili abstinētia se afflixit, ita vt propter nimium ieiunij rigorem, vsque ad finem vitæ suæ acerrimos passa sit stomachi dolores, nec tamen ægra corporis valetudo virtutem operis debilitare potuit. Habebat confessarium Turgotum, secundum Priorem Dunelmiæ. Illi sanè quadam vice ad se accersito vitam suam replicare cœpit, & ad singula verba lacrymarum flumina profundere. Cùmque de necessariis sermonem protraxisset, ita ait ad eum: Vale: ego post hac diu in hac vita non subsistam, tu verò paruo post me tempore viues. Duo autem sunt quæ à te postulo, vnum, vt, quoad vixeris, animæ meæ in Missis & orationibus tuis meminisse velis: alterum

Ieiunat duas Quadragesimas.

Confessarius eius Turgotus Prior Dunelmia.

En Missam pro defunctis.

rum, vt liberorum meorum curam habeas.

Et quidem dimidio post hæc anno, ingrauescente morbi molestia, rarò è lecto surgere potuit: quarto quoque ante obitum suum die, cùm Rex Malcolinus in expeditione esset, tristior solito effecta, assidentibus ait: Fortè hodie tantum mali regno Scotorum accidit, quantũ vix multis retro temporibus, cùm ecce post dies aliquot, eodem die quo Regina dixerat, Regem cũ filio Edouardo fuisse occisum cognouerunt. Tum verò illa Crucem Scotiæ nigram, quam semper in magna veneratione habuit, amplecti, exosculari, oculos faciemque crebrò illa signare curauit, dicens: Laudes & gratias tibi ago, omnipotens Deus, quòd me tãtas in exitu meo angustias perpeti, easque tolerãtem à quibusdam peccatorum maculis, vti spero, mundare voluisti. Nec multo post, anima sancta ad veræ libertatis, quem semper dilexerat, auctorem Christum migrauit, felicitatis eorum particeps effecta quorum virtutis est exempla secuta. Obiit verò 4. Idus Iunii, humata in Ecclesia sacrosanctæ Trintatis, quam ipsa construxerat, contra altare.

Absens cognoscit mortem mariti & filij.

Migrat ad Christum.

VITA S. BARNABAÆ APOSTOLI
ex Io. Maldonato Hispano.
XI. IVNII

BARNABAS Cyprius in actis Apostolorum tantopere commendatus, primus omnium propriũ vendidit agrum, & ad Apostolos pecunias detulit. Primus diuum Paulum Hierosolymam duxit, & cum eo apostolatum prædicandique munus Euangelij suscepit. Iam Barnabas & Paulus, vt cætera prætermittamus, per varias mundi regiones Dei verbum disseminauerãt, cùm insperato dissidium inter eos factũ est propterea quòd Ioannem cognomento Marcũ, qui cùm eorum esset discipulus, sine commeatu facesserat, recipiendum, redeuntique parcendum, Barnabas censuerat: & in suum acciuerat contubernium. Verum hoc dissidium non est sine mente diuina factum, vt tãtorũ virorum doctrina in plures populos emanaret. In vrbe Iconio, Barnabas & Ioannes euangelizabant: & ecce multam quandã ad noctem, vir splendicans, Ioanni ante oculos obuersatus est, corroborans scilicet in Christo, & Marcum hoc est expolitum nominans. Eadẽ nocte Christus Iesus Barnabæ oblatus, ad martyriũ est cohortatus, æterna præmia pollicẽdo. Illuxit, & alter visionẽ alteri referentes, silentiũ sibi mutuo iu

Dissidium inter Barnabã & Paulum.

Euangelizantibus Barnaba & Ioanne quid factum.

mansurus illic cum cæteris famulis Christi, & beato simul Frederico Episcopo strenuam nauaturus operam in habendis ad populum concionibus, vbicunque illi visum erit. Qua visione perterritus vir Dei Odulphus, nocte surrexit, &, relictis omnibus, Dominum est secutus: & post triduum Traiectum peruenit. Processit autem in occursum eius Fredericus Episcopus cum Clero, & tanti viri aduentu exhilaratus, cum multo gaudio & honore eum excepit: & post preces ad Dominum in templo fusas, in Australi parte Castri dedit ei hospitium satis commodum, cum adiuncto illi viridario.

Honorificè ei occurrit S. Fredericus.

AT verò ille mox talē se præbuit bonis consectandis operibus, vt tanquam lucerna coram Domino lucens, omnibus resplenderet, ita vt tam à Pontifice Frederico quàm fratribus Pater monasterij vocaretur.* Erat enim in vigilijs strenuus, in ieiunijs potens, in oratione sedulus, in sacra lectione studiosus, in eleemosynis largus, in curandis pauperibus celebris, in hospitalitate feruēs, in rebus ecclesiasticis distribuendis prudens: atque ab eius ore omnes cupiebant accipere consilium. Omnibus enim omnia factus erat cum Apostolo, vt omnes lucrifaceret. Porrò ea tempestate Frisones, malo dæmone id agente, tam malè de sacrosancta Trinitate plerisque locis sentiebant, vt Sabellij Arrijque hæreses ab inferis excitatæ viderentur. Qua re percepta, sanctus Episcopus animo commotus est, multumque flens, citò ad eos profectus est, & pagos atque villas, eos docens, peragrauit. At, prô dolor, neque per seipsum, neque per Archidiaconos suos, ferocem illam gentem corrigere potuit: & cùm animi dubius esset quidnam agendum foret, tandem, accepto consilio, Traiectum mittit Legatum, qui sanctum Odulphum rogaret vt, quanta maxima posset celeritate, ad ipsum in Frisiam contenderet.

Surius hoc loco.
Claret omni genere virtutum.
1. Cor 9.
Vita S. Frederici.
Frisones Arrian[illegible] & [illegible] quadam prædicatur eis vera.

ITAQVE eo nuncio accepto, vir Dei præ martyrij desiderio lætus efficitur: & tanquam ad epulas inuitatus, iucundo animo se dedit itineri, & Staueram, vbi Episcopus erat, peruenit. Quo viso, Episcopus mirificè lætatus, cùm eū osculatus esset, cum illo pariter totam regionem prædicando perambulauit. Erant enim ambo gladio spiritus, quod est verbum Dei, armati: populumque illum ferū & beluinū vitali alimonia pascentes, breui tēpore in agnos mutârunt, & ad Catholicam fidem reuocârunt. Quare & scripsit beatus Antistes in chartis de sancta Trinitate quædam, eaque misit sacerdotibus parœciarum diœcesis suæ: vt, si repullularent errores, crebrò

Tandem conuertuntur per S. Fredericum & S. Odulphum.
Nota diligenter.

L populis

populis prælegerẽtur palàm. Atque insuper ad placandã sacrosanctam Trinitatem, orationem de ipsa cõpositam pro salute plebis, quotidie ter, nempe manè, meridie, & vesperi, iussit recitari. Cæterùm beato Odulpho ex consilio cleri, & fidelium eius loci laicorum, quamuis inuito, Staurensem Ecclesiam curandam commisit, cuius etiã votis ipse vir sanctus tandem cessit, ea tamen conditione, vt liceat ei, aliquot exactis annorum curriculis, Traiectum reuisere, vbi se in Christi famulatu vitam finiturum promiserat: atque ita factum est, vt scilicet omnes ex eius sanctitate gaudio replerentur.

Committitur S. Odulpho Ecclesia Staurensis. Surius hoc loco.

SED nec inane fuit eius desiderium. Etenim cùm eo ministerio perfunctus esset, se recepit ad suos Traiectenses, Deum laudans, quòd eius fretus ope, tot animas lucratus esset. Et si autem iam longo fractus esset senio, attamen, animo vincens ætatem, nihil de Dei seruitio, & solitis pietatis exercitiis remisit. Perseuerauit enim in ieiuniis assiduis, in vigiliis Deo gratis, in sanctis precibus, in largissimis eleemosynis; sibi parcus, aliis omnibus pro Christi nomine largus. Claruit verò etiam prophetiæ spiritu. Quod vt certius testatiusque fiat, de pluribus vnum adferemus. Nempe cùm discessurus erat ab eo loco qui Staueren dicitur, ingens ad eum conuenit Frisonum multitudo. Ingẽs saxum ad domus eius ostium iacebat. Illud ergo digito demonstrans iisdem, Scitote, inquit, futurum esse, vt absque vllius hominis operá saxum istud in flumen deuoluatur: vbi etiam latitabit sub vndis, donec vos diuinæ pacis eritis beneficio destituti. Cùm autem videritis iterum illud absque humano opere ad littus emergere, non dubitetis me, licet iam exstinctum, vos reuisere, vobisque pacem à Deo impetratam apportare, mansuram apud vos, donec omniuaniis flagitiis eam rursum à vobis excludatis.

Clarus multis meritis, redit Vltraiectum.

Prædixit Stauerensibus futura.

ET sanè huius vaticinij & signi admirandi, permulti testes hodieque supersunt, qui se id suis oculis conspexisse asseuerant: saxumque illud ibidem in ecclesia immobile perdurat, vt credentium confirmetur fides, & increduli pudefiant. Aduentante autem tandem tempore quo vir beatus ad optatam cælestis patriæ gloriam erat transiturus, modica febre correptus, accitis Fratribus, indicauit eis diem obitus sui. Sub ipsam quoque mortis horam rursus Fratres sibi adesse voluit, & cum ipso cantare Psalmos pro exspectatione decessus sui. Denique omnibus ex ipsius præscripto ritè peractis, ad Dominum se cõuertens, nihilque trepidans ad mortem, sanctissima illa anima

Nota ætatem Scriptoris.

Plenus virtutibus migrat ad Dominũ

ma è corpore egressa est, simulque suauissimi odoris fragrantia illic diffusa est. Eius festus dies celebratur pridie Idus Iunij. Fiunt autem per eius merita, non solùm Traiecti, sed etiam in Staueren innumera miracula, præstante Deo vno & trino.

VITA S. ANTONII VLYSBONENSIS,

vulgo de Padua, Ordinis Minorum, ex ea quæ est per eius contemporaneum.

XIII. IVNII.

EST in Lusitaniæ regno vrbs, quam incolæ vocant Vlysbonam, in qua templum miræ magnitudinis exstructum est in honorem matris Dei Mariæ, in quo beati Vincentij martyris sacrum corpus honorificè asseruatur. Atque ad huius scilicet templi partem occiduam felicibus beati Antonij parentibus honestum habentibus domicilium, ex ipsis ille procreatus est. Qui in sacri baptismatis salutaribus vndis Fernandi nomen accipiens, ab ipsis propè incunabulis multa fuit morum probitate & integritate, ecclesiarum & monasteriorum crebrò terens limina, manusque suas libenter extendens ad pauperes. Pater eius vir nobilis fuit miles Alphonsi Regis, Martinus nomine, mater eius Maria. Sanè cùm accedentibus annis sentiret improbos corporis motus de carnis corruptione nascentes, nequaquam cessit petulantis ancillæ cupiditatibus, sed strinxit habenas, corpusque in seruitutem spiritus redigere nitebatur. Est extra vrbis Vlysbonæ muros monasterium Augustinianorum, quos Canonicos Regulares vocant. Ad quos vir Dei cùm, spretis mundi oblectamentis, tandem se contulisset, illorum habitum induit humiliter ac deuotè. Sed cùm biennium ibi mansisset, eo quòd amicorum crebra visitatione, quæ solet piis mentibus non parum importuna videri, nimium interpellaretur, impetrata, licet ægrè, recedendi copia à Superiori, non vitæ institutum, sed locum mutans, ad monasterium S. Crucis de Colimbria commigrauit: quo in loco egregiè scrutabatur profunda sermonum Dei, & contra errorum foueas diuinæ Scripturæ sententiis intellectum communiebat: simul etiam sanctorum Patrum monumenta, sedula lectione euoluebat.

S. Antonij genus, & quomodo primo vocabatur Fernandus.

Fit Canonicus Regularis.

SED neque hoc ei fuit ad virtutem satis. Cùm reliquias Sanctorum Martyrum quinque Fratrum Ordinis S. Francisci dominus Petrus Infans Lusitaniæ Regis filius, Marochio ad-

Accensus meritis quinque martyrũ Fra...

ciscanorum. transit ad Ordinem Minorum.

duxisset, & se illorum meritis à magnis periculis liberatũ per omnes Hispaniæ prouincias diuulgasset, Christi seruus Fernandus, audiens mira quæ per illos fiebant, multo cœpit flagrare desiderio, instar illorum, pro Christo hauriendi martyrij calicem, atque adeò etiam hac spe non multo pòst per fratres Franciscanos loci qui S. Antonius dicitur, Abbatis sui facultate vix extorta, habitum illius professionis accepit, vbi & se Antonium dici voluit. Paulatim autem crescebat quoque in eo sitis martyrij, & zelus fidei magis ac magis eum exstimulabat, nec illũ quiescere patiebatur. Itaque quemadmodum se facturos receperāt Fratres Franciscani, fecerunt ei copiam ad Saracenos proficiscendi, cùm ille, nullas sibi moras nectendas putans, celeriter abiit. Sed præpotens Deus hac in re illius propositũ planè retardauit, totius hyemis spatio graui eũ morbo affligens. Qua re compulsus ille, ad natale solum ob corporis curandam valetudinem se recepit, vbi tamen, cùm nauigando ad Hispaniæ littora nautas appulsuros speraret, ad Siciliam ventorum impulsu delatum se sensit.

Parat proficisci ad Saracenos, sed diuinitus impeditur.

Ex Sicilia venit Assisium ad Capitulum generale.

NON longè tum aberat dies in quem indictus erat Fratrum conuentus apud Asisium, quem Capitulum generale vocant. Quod vbi Messanæ ex Fratribus vir Dei resciuit, seipsum confirmans, eò, licet debilis & affecta valetudine, profectus est. Quo conuentu soluto, cùm ille, quem Ministrum vocant, commissos ipsi Fratres ad sua loca remitteret, solus Antonius à nemine expetebatur, quippe qui vt ignotus, ita parum vtilis aut idoneus existimaretur: atque ita solus in Ministri generalis manibus relictus est, donec Fratrem Gratianum, qui tum in Æmilia siue Romandiola Fratrum Minister erat, secretò rogauit seruus Dei, vt à Ministro generali ipsum acceptum, in Æmiliam perduceret, disciplinis regularibus illic erudiendum. Ita ergo Frater Gratianus eum secum in Æmiliam abduxit: vbi & venia impetrata, ad eremũ montis Pauli secessit, solitariam illic, quantum licuit, vitam ducens. Perstabat illic solus nocturnis horis in precibus, totúmque se diuinæ moderationi commendans, in cælestibus spei suæ ancoram solidissimè defigebat, nihil eum mouentibus crebris infestationibus dæmonum, volentium eum in sanctæ orationis studio perturbare. Tanta autem se inedia macerauit, vt, quemadmodum testantur ij qui id viderunt, hora refectionis ad Fratres rediturus, nutante præ nimia imbecillitate gressu, seipsum interdum sustentare non posset. Sic igitur vir ille

Negligitur ab omnibus tanquam parum vtilis, donec tandè adductus est in Æmiliam.

En ætatem Scriptoris. Viuit summa abstinentia.

ille Deo plenus non breui tempore ſub indocti perſona gratiæ lumen abſcondit.

SED non eſt paſſus Deus latêre eum ſemper. Multum iam fluxerat temporis, cùm Fratres pro ſacris accipiendis Ordinibus ad Forum Liuij, quæ eſt Æmilij ciuitas, confluerent, inter quos adfuit etiam Antonius. Vbi cùm Fratribus ex more congregatis, Miniſter loci ad Antonium ſe conuertens, iuberet vt apud Fratres dicat quicquid ſuggereret ſpiritus, ipſe (quippe qui peritior apud Fratres habebatur abluendorum culinæ vtenſilium, quàm Scripturæ ſacræ explicandæ, ſicut & mundabat quotidie culinæ res, Fratrumque domicilia) totis viribus primò in id incubuit, vt impoſitum munus liceret ſubterfugere. At vbi non potuit voto potiri ſuo, orſus ſimpliciter, Deo iam volente lucernam in conſpectum proferri, tanto in orationis progreſſu verborum ſplendore, tanta myſticarum ſententiarum altitudine vſus eſt, vt omnes affirmare non dubitarent, eiuſmodi ſermonem nunquam ſe antea audiuiſſe. Atque ex eo tempore per Miniſtrum generalem demandata eſt illi conciônandi prouincia, cultorque eremi deinceps miſſus eſt ad prædicandum verbum Dei. Qua auctoritate fretus, ad proximorum ſalutem totum ſe contulit, in concionibus ſuis adhibens eam iuſtitiæ æquitatem, vt, ſiue magnis ſiue paruis loqueretur, veritatis iaculis omnes feriret. Arguebat incredulos, obſecrabat pios, impios obiurgabat.

Vbi habebatur ab omnibus indoctus, ſubitò prædicat cum ſumma gratia.

Arguit omnes, tum magnos ſiue paruos ſumma conſtantia.

PERSONAS quaſdam ſublimes reprehenſione dignas tanta nonnunquam ſeueritate obiurgauit, vt plerique alij celebres concionatores, illum audientes, ad intrepidam illius conſtantiam trepidarent, vultuſque ſuos quodam puſillanimitatis rubore perfuſi obtegerent. Circuibat per vicos, caſtra, vrbes, & agros, & vitæ ſemina vbique largiſſimè ſpargebat: inter quæ Arimini multos quoque hæreſi correptos ad fidei integritatem reduxit, atque adeò etiam ipſum Boniuillum hæreſiarcham, quem triginta annis errorum tenebræ obcæcauerant, qui & deinde, vſque ad mortem, Eccleſiæ mandatis deuotus ſtetit. Scilicet hic eſt ille Antonius quem ſublimiter facundo ore Scripturæ myſteria depromentem, quadam vice Pontifex Maximus ſingulari quadam prærogatiua Arcam teſtamenti appellauit, qui & primus fuit Prælector in Ordine ſuo, conſentiente beatiſſimo Patre Franciſco, inſtitutus Bononiæ, vt præeſſet ſuis in Theologica facultate; idemque etiam in Æmiliæ prouincia permultis annis Fratrum Miniſtêr.

Conuertit quendam hæreſiarcham.

Vocatur vir ſanctus a ſummo Pontifice Arca teſtamenti.

ftet. Sed tandem in illo generali Capitulo quo beatissimi Patris nostri Francisci reliquiæ ad locum, in quo nunc asseruantur, translatæ sunt, qui fuit annus proximus ante obitum eius, ab omni Fratrum regimine prorsus absolutus est beatus Antonius, factáque ei est generalis potestas verbum Dei, vbicunque vellet, prædicandi.

Et quidem sicut eo tempore, quo conciones suas, quas de tēpore vocant, conscripsit, Paduæ moratus fuerat: ita & mox primo libertatis suæ cursu ad eos se conferre decreuit. Vbi cùm, hortante Episcopo Ostiensi, Conciones quoque de Sanctis conficere vellet, sacro tamen Quadragesimæ aduentante tempore illud opus intermisit, totúmque se ad docendum pro concione populū eius sermones mirificè sitientem applicuit: illisque quadraginta diebus quotidie concionatus est, ita certatim cunctis ad eum confluentibus, vt, cùm nimiam auditorum frequentiam Ecclesiarum ambitus non caperent, compulsus sit ad patentes sese campos transferre. Confluxit autem eò ex vicinis vrbibus, castris, pagis, innumera propè hominum multitudo. Surgebant intempesta nocte, & alij alios nitebantur anteuertere. Tabernas suas mercatores non volebant patere cuiquam ad emendas merces, nisi prius sancti viri concione absoluta: quin & feminæ quoque ex deuotione præcidebant forficibus particulas è tunica eius, pro reliquiis eas habituræ. O quot ille tum implacabiles inimicitias ad pacem reuocauit! quàm multos diuturna captiuitate miseros libertati restituit! quot ille res, per vsuras & nefariam vim aliis ereptas, restituendas curauit!

Ob concursum populi cogitur concionari in patentibus campis.

Plures conuertit ad meliorē vitam.

Tantam verò vtriusque sexus multitudinem ad confitenda peccata sua remisit, vt nec Fratres, nec alij Sacerdotes, qui non pauci eum comitabantur, illis audiendis sufficerent. Cœperunt tum primùm homines cateruatim sese verberando, & pia cantica deuotè depromendo, procedere: quæ laudabilis consuetudo, à tanto auctore profecta, deinceps suis est aucta incrementis. Quibus egregiis facinoribus, velut virtutum suarum coronide, clarus vir sanctus, hæresiarchis passim in publicis disputationibus ab eo palàm conuictis, vt Arimini, Tolosæ, & Mediolani (vnde & ab omnibus indefessus hæreticorum malleus dicebatur) demum cùm dies migrationis venit, suscipiens sacram Vnctionem, extensisque manibus, Psalmos, quos pœnitentiales vocant, cum Fratribus persle, gens, indè quasi dimidia elapsa hora, inter manus adstan-

Dicitur malleus hæreticorum.

Feliciter transit.

tium

tium, dormienti similis, leniter exspirauit, anno à Christi incarnatione millesimo ducentesimo trigesimo primo, tum in vita, tum post obitum miraculis celeberrimus.

VITA SS. VITI, MODESTI ET CRE- scentiæ, ex Io. Maldonato Hispano.

XIII. IVNII.

VITVS, Modestus & Crescentia sub imperio Diocletiani Siciliam inclyto martyrio decorarunt. Vitus namque puer adduci non potuit à patre Hyla senatorio viro minis aut verberibus, vt Deos, abnegato Christo, coleret: quare traditus est Modesto & Crescentiæ nutritoribus, si forte à veri Dei cultu, valerent ipsi ad idololatriam alumnum reuocare. Sed nutricij iam facti Christiani, cum Vito simul pro Christo cadere, exoptabant. Nullum erat morbi genus, quod Vitus nominato Iesu, non sanaret: nullus langor, cui non medicaretur. Quare à Valeriano præfecto Vitus accersitus, & altaribus admotus cum sacrificia contemneret, crudeliter cæsus est. Manus tamen & brachia carnificibus aruerunt, & præfecto manus etiam omnino torpuit. Atqui puer misericors precibus indulgens, sanitatem restituit, bonum ad exemplum Christi malo rependens. Adduxerant nutricij Vitum oraculo moniti, in aliā regionem, sed Diocletiani filius correptus à malo genio, cum clamitaret, nisi à Vito liberari non posse, quæsitus Vitus & reductus est. Qui manum super Diocletiani filium posuit, & cacodæmonem mox fugauit. Maxima tunc cura Diocletianum subiit, quonam pacto Vitum ad cultum Deorum pelliceret. Sed cùm frustrà blandimenta tentasset, in Clibanū ardentem cum Modesto & Crescentia misit, pòst leonibus obiecit: sed cùm omnia cœlo fauente frustrà fierent, suspensos in eculeo tandiu cædi præcepit, quoad animas efflarent.

S. Vitus à quibus institutus.

Eius sanctitas & martyrium sub Valeriano.

Diocletiani filium à cacodæmone liberat.

DE S. BASILIO EPISCOPO, ET CONfessore, Scriptore Ecclesiæ, ex Ordinario nouo.

XIIII. IVNII.

BASILIVS nobilis Cappadox, Athenis vnà cum Gregorio Nazianzeno, eius amicissimo, secularibus literis, deinde in monasterio sacris mirabiliter eruditus, eum breui cursum fecit ad omnem doctrinæ & morum excellentiam,

S. Basilij natalis & summa eruditio.

vt Magni cognomen inde inuenerit. Hic digressus à Gregorio, cùm ad prædicandum Iesu Christi Euangelium in Pontum accersitus esset, eam prouinciam à Christianis institutis aberrantem, ad viam salutis reuocauit, mox ab Eusebio Cæsareæ Episcopo, ad erudiendam eam ciuitatem adiutor adhibetur, in cuius locum etiam postea successit. Filium Patri consubstantialem esse in primis defendit, ac Valentem Imperatorem sibi iratum miraculis adeò flexit, vt incumbentem ad voluntatem eiiciendi ipsum in exsilium, à sententia discedere coëgerit.

Fit Episcopus Cæsariensis.

Nam & Valentis sella, in qua facturus decretũ de eiiciendo è ciuitate Basilio, sedere volebat, confracta est; & tribus ab eo calamis adhibitis ad scribendam exsilij legem, nullus eorum reddidit atramentum; & cùm nihilominus in proposito scribendi impium decretum persisteret, ipsius dextera, dissolutis neruis, tota cõtremuit. Quibus commotus Valens, chartam vtraque manu conscidit. Ea autem nocte, quæ ad deliberandum Basilio data est, Valentis vxor intimis est cruciata doloribus, & vnicus filius in grauem morbum incidit. Itaque his ille perterritus, iniquitatem suam recognoscens, Basilium accersit: quo præsente, puer cœpit conualescere; qui tamen, vocatis à Valente ad visendum puerum hæreticis, paulo pòst moritur. Abstinentia & continentia fuit admirabili. Vnica tunica contentus erat: in ieiunio seruando diligentissimus, in oratione assiduus, in qua sæpe totam noctem consumebat. Virginitatem perpetuò coluit. Primus duriorem illum antiquorum monachorum ritum ad meliorem formam redegit, magisque religioni congruentem. Multa præclarè scripsit, ac nemo, teste Gregorio Nazianzeno, sacræ scripturæ libros veriùs aut vberiùs explicauit. Obiit plenus virtutum, cùm tantùm spiritu viuens, præter ossa & pellem nulla præterea corporis parte constare videretur.

Pluribus miraculis terretur Imperator ne eum audeat in exilium eiicere.

Viri sancti eximij mores.

Migrat ad Christum.

VITA B. LANDELINI ABBATIS CRISpiniensis, *ex ea quæ est apud R P. Surium.*

XV. IVNII.

GLORIOSVS & Deo cumprimis charus Landelinus, ex nobilissimo Francorũ genere, in villa quam Vallem vocant, * ciuitate Cameracensi, temporibus Dagoberti inclyti Regis ortus est. Hunc, cùm bonæ indolis adolesceret, parentes eius

** D. M. N. Molanus habet, pago.*

eius beato Autberto Antistiti, qui eum de sacro fonte susceperat, literis inbuendum commendarum. Quod vbi quibusdam cognati eius innotuit, ab amore rerum cælestium conati sunt eum suis persuasionibus reuocare. Dicebāt autem: Præstat vt nobis obtemperans, relinquas monasterium, & fruaris mundi oblectamentis potiùs, quā hic instar mortui cuiusdā desideas. Si nobiscum abire volueris, suppeditabimus omnia quæ libita erunt animo tuo, efficiemúsque vt diuitiis & honoribus abundes. Quibus & id genus aliis blandis sermonibus persuaserunt ei quod volebant, ita vt à S. Autberto aufugiens, illisque se iungens, deinceps rapinis & cædibus deditus esset, instar prædonum. At verò pius pater Autbertus multo mœrore affectus, haud secus atque mortuum eum lugebat, donec tandem Landelinus, Maurosus iam dictus (scilicet ne nomen quandoque eum proderet) postquam dies multos in tam nefario opere perdurasset, videns quadam nocte animam cuiusdam complicis sui in tartarum abduci, tum & ab Angelo Domini super hac re admonitus, mox, relictis omnibus, pedes Cameracum festinat, & S. Autberti pedibus se aduoluens, orat pro admissis criminibus pœnitentiæ mulctam sibi irrogari.

B. Landelini parentes.

Relicto suo institutore sancto Autberto, fit socius prædonum.

Videns quendam suum socium ad infernum rapi, subitò conuertitur vnde aufugerat.

ET quidem pius pater, eius gratulans conuersione, suscepit pœnitentem; ille verò sub seculari habitu degens in monasterio, macerabat corpus ieiuniis, quod mundi illecebris contaminauerat: atque tandem diuturna excoctus pœnitentia, statuit mundi à se negocia omnino reiicere, vt posset liberiùs cælestia cogitare. Rogat igitur beatum Autbertum vt se tondeat, & militiæ cælestis chlamydem induat, cùm ecce lætatur sanctissimus Præsul, comamque capitis eius secat, à quo iam pridem cordis maculas detexerat. Tum verò ille hanc dignitatem adeptus, constituit Romam proficisci, vt post mundi relictam pompam, etiam peregrinationis labore se maceraret. Ad quod accepta beatissimi Antistitis benedictione, difficile emensus iter, tandem Romam peruenit, vbi nouerat quiescere iudices mundi: atque illic prędulcia sanctorum Apostolorum liminibus oscula figens, rogabat ad purum condonari sibi peccata & facinora sua. Deinde cùm desiderio suo fecisset satis, celeriter in Gallias rediit, nolens diu abesse à patrono suo. Cernens autem beatus Autbertus virtute & sanctitate eum iam præditum, Diaconum eum ordinauit: in quo ministerio ita pręclarè se gessit, vt nulli esset ambiguum, Dei gratia eum ad id muneris esse accitum.

Excoctus bona pœnitentia, tandem fit Clericus.

It Romam.

PRAESTITIT verò illi Deus tantum ardorem & compunctionem cordis, vt bonorum cœnobitarum vita minimè contentus, magis ac magis se extenderet in diuinum famulatum, & cum gemitibus & lacrymis crebrò se vigiliis, ieiuniis, orationibúsque affligens, vitam Sanctorum æmularetur, nec vllam suo corpori requiem indulgeret, inedia, nuditate, frigore, siti, multisque rebus duris & molestis se afficiens. Sed & non multi intercedunt dies, cùm ille secundò Romam petit, ac deinde expletis pro voto quæ illic facere constituerat, redit ad beatum Autbertum, & ab eo Presbyterij honore afficitur. Ad quem euectus honoris gradum, quantum sanctitate excreuerit, verbis explicari non potest. Valens enim sibiipsi cumulare labores, licet iam defesso esset corpore, tertiò se Romano dat itineri cum discipulis duobus Adelino & Domitiano, qui ei iamdudum in verbi Dei prædicatione adhæserant. Vnde adoratis Apostolorum liminibus, cùm feliciter rediisset ad sua, petita & impetrata copia & benedictione à beato Autberto, ad pagum Haynauum, locum adiit fluuio Sambre adiacentem, qui à riuulo in hunc fluuium decurrente Laubacus vocatur, atque illic sibi & discipulis monastica domicilia construxit: vbi quod ille tunc, Deo auxiliante, feliciter orsus est, à successoribus eius, quos eo in loco congregauerat, præclarè est consummatum.

Cõuititur ad summam perfectionem.

Fit Presbyter.

SED & aliud quoque monasterium ædificauit in pago quem Almani dicunt, qui à Laubaco tribus abest milliaribus, quod monasterium Principis Apostolorum sacra ornant pignora, & præclaræ eius virtutes communiunt: Quin & tertium condidit monasterium in Templutensi pago, quem Guaslarim vocant, quique octo distat milliaribus à Laubaco, primo suo monasterio, illud quoque, sicut & superiora, in S. Petri cælestis clauigeri honorem consecrandum curans. Et hæc quidem duo postrema monasteria egregiè ditauit: Laubias verò regiis quoque auxit muneribus, villarum atque seruorum magna copia efferens, quicquidque superiorum Regum liberalitate & munificentia passim per Francorum regna obtinuerat, id Laubiensi cœnobio conferens. Quibus ita gestis, locisque supradictis honorificè exstructis, Fratribusque illic Christo militantibus, rebus ad vitam necessariis affatim instructis: Dei omnipotentis, vt credimus, instinctu & prouidentia ad alium commigrauit locum, qui est iuxta Hoy fluuium, cui adiacet sylua * Ambidgis dicta: ibique cum suprà memoratis duobus disci-

Construit in Hannoniensi pago tres monasteria.

Prouidet ipsidem de vt. necessariis.

* Ambl agis.

discipulis suis exstirpare cœpit virgulta, sicque oratorium illic construxit in honorem sacratissimæ virginis Mariæ.

VBI cùm quodam die omnia circumquaque perlustrans, compertisset fontem ibi non haberi, vnde Fratres suis vsibus aquam necessariam haurirent, fusis ad Deum precibus, scipione suo semel percussit terrã, statimque fons mirè altus & dulcis erupit, vndis crispantibus largiter manans, quæ res quoque nomen loco dedit, Crispinio nimirum appellato. Iam verò & à beato Martino Romano Pontifice quoque ordinatus, vir sanctus, diuinæ prædicationis nomine Crispiniũ excolebat. Itaque nonnulli, eius audita sanctitate, è diuersis partibus ad eum confluxére; adunataque est hominum non parua multitudo in eodem loco. Quod videns vir Deo plenus, vtpote solitudinem omnibus mundi rebus anteponens, tandem haud ita procul ab eo loco recedens, solitarium sibi delegit habitaculum, in illo loco, vbi fons Crispinij in flumen influit, in honorem S. Petri condens ecclesiam. Vbi cùm omnipotens Deus eum iam remunerari vellet, ille, accersitis vndique Fratribus, indicat se è corporis ergastulo abiturum, atque adeò non multo post sacris sermonibus eos adhortatus, in cinere & cilicio iacens, animam bonorum operum floribus redimitam Christo reddidit, beatis Angelorũ spiritibus sociandam. Porrò discipuli venerabile corpus eius honorificè in eodem monasterio condiderunt: vbi eius meritis & intercessione, multa ac stupenda fiunt miracula.

Impetrat Fratribus à Deo fontem: simul & vnde dictum Crispinium.

Construit sibi paruum recluforium.

Transit ad Christum.

VITA SS. CYRICI ET IVLITÆ MAtris ex Io. Maldonato Hispano.

XV. IVNII.

IVLITA illustris fœmina ab Iconio Isauriæ ciuitate, cupiens Alexandri Imperatoris vitare sæuitiam, Tarsum venit cũ Cyrico filio trimo. Sed nihilominus ibi quòd Christiana esset, ad præsidem Alexandrum referente quidem Imperatorem tam feritate quàm nomine, vincta cum filiolo perducta est. Amplexus puerum Cyricum Alexander, oscula dabat, demulcensque blandiebatur: cùm mater interim, quòd sacrificare contemneret, flagellaretur. Sed puer ab Alexãdri nimium abhorrens illectu, matrem respiciebat, ac de eius dolore super modum anxiè lacrymabat. Verbera & cruciatus puero Cyrico intenduntur, si fortè tãtula posset ætas vel terrore moueri

Iulita cum filio suo apprehenditur. Cyricus puer verberibus petitur.

perdu

perdurabat tamen intrepidus & qua poterat voce Christum asserebat. Cumque crudelissimè cæderetur: carnificibus insultans Christianus sum, resonabat. Blandiri iterum ei præses occæpit: & collo humerisque imponere. Ille blanditias aspenatus, morsu præsidis scapulas appetiuit dentesque infixit. Quo dolore commotus, ac exasperatus Alexander, Cyricum ex alto præcipitauit, tribunalique cerebrum illisit. Iulita filium cernens ad cœlos præuolasse, gratias agebat Deo. Non ita tamen multò post iussa est & ipsa excoriari, piceque bullienti perfundi, demum capite truncari. Horum exemplum sequuti quadraginta quatuor Ethnici, qui se Christianos professi sunt, exquisitis torti cruciatibus, ab eodem Alexãdro post aliquot menses occisi sunt.

Eius obitus & matris Iulitæ.

VITA B. LVTGARDIS VIRGINIS

Brabantiensis, ex Thoma Cantipratensi, eius contemperaneo.

XVI. IVNII.

LVTGARDIS pia virgo ex illa quondam Tungrorum celeberrima ciuitate patre ciue, matre nobili, trahens originem; dum adhuc iuuencula esset, quantum illa ætas patiebatur, valde quidem ad nuptias inhiare videbatur. Cuius mentem cùm matris instantia modò minis, modò blandimentis emolliisset, vbi illa annos duodecim excessit, in monasterio quoque S. Catharinæ, quod est prope oppidum S. Trudonis in Hasbania, inter Deo sacratas virgines Ordinis S. Benedicti eam diuino seruitio mãcipauit. Vbi obtulit sanè seipsam quotidie Domino holocaustum gratuitum, corpus afficiens inedia & ieiuniis, & spiritum ab oratione non relaxans. Quin &, cùm moueretur miro commiserationis affectu erga ægrotos & debiles, contulit illi quoque Deus ita generatim gratiam curationum, vt si quid esset vitii in oculo, vel in manu aut pede, vel cæteris corporis membris, ad contactum saliuę vel manus eius protinus curaretur. Vnde &, quia talem lucernam sub modio latere par non erat, posita super candelabrum, facta est Priorissa in eodem beatissimæ Catharinæ monasterio, vno omnium consensu electa.

B. Lutgardis iuuencula inhiat ad nuptias.

Oblata tamen in monasterio, paulo post viuit sanctissime.

Fit Priorissa.

FVIT autem in illo loco annis circiter duodecim: eratque eodem tempore magister Ioannes Lyranus, Leodiensis diœcesis, vir eximia sanctitate. Qui non ignorans perfectissimum Lutgardis propositum, cùm admonuisset eam, vt, abdicato

Priorissæ officio, ad Aquirianum, Cistertiensis Ordinis monasterium, se transferret, illa à Deo quoque idem admonitia, parens supradicti magistri Ioannis admonitioni, Aquiriam se contulit, quod est monasterium in Ducis Brabantiæ regione. Et quidem cùm fama virtutum Lutgardis vndique increscerer, noua monasteria quoque in Galliis construebantur, simulque, si vel parum aliquid Gallicè didicisset, mirum in modum eam omnes sibi præfici cupiebant. At verò, quo pacto isthuc impeditum fuerit, iam explicabo. Vix annum ætatis quartum & vigesimum attigerat, quando venit in Aquiriam, & tamen, licet postea annis quadraginta inter sodales Gallicas vixerit, vix tantum potuit eius idiomatis perdiscere, vt esuriens, commodè posset Gallicè panem petere: atque hæc causa fuit cur permissa sit sponsa Christi in somno contemplationis quiescere.

Transfertur Aquiriam.

SED & imminente peste sæuissima Albigensium hæreticorum, beatissima virgo Maria apparuit ei vultu lugubri & obscurato. Cui compatiens in visione Lutgardis, cùm quæsiuisset ab ea quindã haberet, & vnde tantus esset faciei squallor, quæ alioqui plena esset omnis gratiæ, beatissima virgo respondit: Ecce ab hæreticis & pseudochristianis rursus conspuitur, rursus crucifigitur filius meus. Tu ergo assume tibi lamentum, & perpetuis septem annis ieiunato, vt sopiatur ira filij mei, quæ generatim vniuerso imminet orbi. Itaque toto septennio tale illa sibi indixit ieiunium, vt pane & cereuisia contenta esset, atque adeò quidem, vt, si aliquando superiorum voluntate coacta tentaret aliquid pulmenti ore haurire, nihil tamen inde vel ad fabæ vnius quantitatem potuerit deglutire. Sed & expletis septem illis annis, quibus non nisi pane & cereuisia vsa fuit, rursus ei per reuelationem mandatum est, vt pro cunctis peccatoribus aliud ieiunium susciperet. Quod & illa libens fecit, iterumque adeò alios septem annos solo pane & olere transegit. Porò eo tempore singulis Dominicis diebus, quemadmodum hortatur beatus Augustinus, Christi corpus percipiebat. Quod cùm Agnes Abbatissa, parum cauto vsa cõsilio, ei interdixisset pia Lutgardis, Ego quidem, inquit, mater charissima, libenter obediam tibi, sed certissimè præuideo, Christum hanc iniuriam in tuo corpore vlturum. Nec defuit dicto fides. Confestim enim Abbatissa intolerabili morbo afficitur, vt in ecclesiam ingredi non posset: nec cessauit dolor, per momenta increscens, donec

Apparens ipsi beata Maria, monet vt fortiter lugeat peccata hominum.

Toto septẽnio ieiunat in pane & cereuisia.

Abbatissa nõ permittens ei

nec indiscretionis suæ culpam agnosceret, & Lutgardem sineret pristino more suo vti. Nimirum dignus zelus Sponsi in improbos Sponsarum suarum perturbatores.

VT autem quibusdam Aquiriæ monialibus, quæ fortassis minùs dignè de illa sentiebant, Lutgardis meritũ innotesceret, insigne quoque hoc miraculum accidit, quod nunc commemoro. Consueuerat illa, vt dictum est, singulis diebus Dominicis corpus Christi percipere. Vbi cùm quadam vice euntem ad altare nemo licet debilem sustentaret, perspicuè visi sunt duo Angeli mediam eam tenere, & deducere ad altare. Quin & alias etiam manifestissimè visa est beatissima Dei genitrix, & sanctus Ioannes Baptista eam officiosè comitari. Afflictos & tentatos mira solicitudine consolari & confirmare nitebatur: qua in parte tantam gratiam Deus ei largitus erat, vt nullus ab ea vel afflictus, vel tentatione pulsatus, absque leuamento discederet. Anno vndecimo ante obitum suum, instar Patriarcharum Isaac & Iacob, ambobus est orbata luminibus. Qua in visitatione, luminis cælestis splendoribus etiam solito excellentius perfusa, tandem ad liberas auras supernæ Hierusalem exsultans & lætabunda euolauit, anno à Christi Incarnatione millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, decimo sexto. Kal. Iulij. ætatis suæ anno 64. sepulta ad dextrum chori latus, iuxta parietem, vbi orare consueuerat, celebri & honorato loco.

Sic frequentem vsum Eucharistiæ Deus punit. *Conspicitur B. Lutgardis media inter duos Angelos.* *Sub mortem fit cæca.* *Transit feliciter ad Sponsum.*

VITA S. BENNONIS EPISCOPI
Misnensis, canonizati ab Adriano Sexto, ex Hieronimo Emsero.

XVI. IVNII.

INTER claras Saxoniæ ciuitates est & ea quæ nunc vulgò *Heyldesheim*, olim Bennopolis dicta: hinc scilicet diuo Bennoni nostro nomen, hinc Bennopolitano cognomẽ est. Pater ipsius Comes fuit Saxoniæ, non longè à Goslaria habitans, mater Bezela dicta est. Ceterùm editus in hanc lucem humanæ salutis anno millesimo decimo, cùm annum ætatis ageret quintum, puerulus adhuc traditus est in obsequium sancti Bernvvardi, Benopolitani Episcopi, qui etiam ipse ex illustri Comitum sanguine procreatus, Bennonis nostri consanguineus fuit: qui ei mox præceptorem dedit VVirgerum, Præpositum monasterij S. Michaëlis, virum moribus ac-

S. Bennonis clarum genus.

literis apprimè decoratum. Sub cuius disciplina breui tantum profecit, vt optima puer indole ingentem de se mox spem polliceretur, atque adeò vt duodeuigesimo ætatis suæ anno sacrum susceperit habitum, in eo quod diximus monasterio Hyldesheimensi. Ferunt etiam nonnulli, in Francia Theologiæ studio dedisse operam, atque in ea facultate doctoralibus insigniis fuisse decoratum, qui honos tunc fuit omnium excellentissimus. Cui quidem opinioni non parum fidei præstat titulus Magistri, quem inter monumenta Goslariensis ecclesiæ adhuc hodie obtinet. Et quidem à tempore susceptæ religionis, vsque ad tricesimum vitæ annum, semper magis ac magis in religione proficiens, humilitate & patientia omnibus præluceens, volente & iubente Abbate suo Adelberto, sacerdotio initiatus est. *Ingreditur monasterium Hyldeshemense.*

QVOD munus postquam tanta aliquamdiu ibi dignitate gessisset, vt nunquam siccis rem diuinam oculis perfecisse visus fuerit, non multo pòst ecclesiæ Goslariensi in Magistrum ac Canonicum præfectus est. Vbi cùm decem & septem annos conuersatus esset, quibus se in omni genere virtutum spectabilem præbuit, egitque Canonicum ac Magistrum omnibus numeris absolutum, crebris vigiliis, frequenti inedia, assiduis orationibus, tum largis patrimonii sui eleemosynis, humanæ reparationis anno millesimo sexagesimo sexto, Pontificali veste induitur, inclytæ nostræ Misnensis ecclesiæ Præsul decimus. Quam ministrationē adeptus, mox animum adiecit ad visitandos singulos suę diœceseos pagos, & oppida; omnesque ecclesias, & earum Rectores, id quod etiam quotannis in propria persona vicatim ostiatimq; factitabat. Quin & vlterius quoque progressus est eius feruor. Notum est, Sclauorum ingentem multitudinem, gentili errore vagantem, in diœcesi olim Misnensi, tam vltra quàm citra Albim fluuium desedisse. Quos etsi Henricus tertius Imperator, non ita multo prius quàm Episcopatum Benno susceperat, tributarios Imperio fecerat, & ad suscipiendam Christi fidem magna ex parte compulerat, plurimi tamen ex eis retrospicientes, pagano ritu honorem, quem Christo debebant, idolis reponentes, relicta pietate fidei, antiquis se erroribus denuo inuoluerant. Quod videns simul & ingemiscens pientissimus Pater Benno, officij ac debiti pastoralis esse ratus est, & hic quoque cæcis lumen, ægris salutem, & errantibus viam ostendere. Cui tam sancto operi cum se totum deuouisset, & sapienter quidem *Nunquam dicit missam siccis oculis.* *Fit Episcopus Misnesis.* *Conuersi pridem Sclaui iterū redeunt ad gentilismum.*

dem primò lenia vulneribus fomenta adhibens, plures indies comitate sermonis sui ad Christum reduceret, insidiator diabolus molestè ferens inauctoratam sibi plebem mystica adspergi vnda (permittente Domino, quo virtus serui sui magis inclaresceret) aliud illi negotium fecit.

Plures vir sanctus lucratur Christo.

Et quidem omnium primùm tẽpestuosa ea reddidit tempora famosissimũ illud Saxonicum bellum, quod cum Henrico quartò magna vtrimque animi pertinacia gestũ est. A quo licet Benno noster innoxias habuerit manus, vicini tamen incendij flammas euadere nõ potuit, vel ob hoc etiam vnum, quòd & ipse ex primario Saxonum sanguine esset, qui Regi pen tus inuisus erat, siue (quod magis credam) quia Deus vas suum ita voluit tribulationum camino excoquere, & velut aurum in igne probare. Permisit enim, vt à prædicto Rege innocentissimus Præsul nullo suo delicto caperetur, & in exsilium mitteretur; vbi & cæteri seruabantur Principes: videlicet Magnus & Hermãnus, Saxoniæ duces, VVetzilo, qui & VVernherus, Magdeburgensis Archiepiscopus, Burchardus Halberstatensis, & VVernherus Merseborgensis Episcopi, Fredericus quoque Comes Palatinus Saxoniæ, & plerique alij primores viri, quorum omnium, propter implacabilem Regis iram, nulla erat saluris spes, nec alia quàm vel citæ mortis, vel perpetui carceris exspectatio. Cui malo alterum quoque eius tempestatis exitium accessit, eiusdem Henrici quarti cum Gregorio septimo calamitosa seditio, illa, inquam, cuius istæ breuiter videntur fuisse causæ. Defuncto Alexandro secundo, suffectus est ei Gregorius prædictus, cui Hildebrando antea nomen fuit: & quia inconsulto Cæsare, solis scilicet Romanis fauentibus, ad Apostolatus apicem conscenderat, hinc primum contra eum accusationis caput sumptum est.

Mittitur in exsilium.

Dissidet Papa grauissimè ab Imperatore, & quare.

Deinde verò inuidiam etiam Pontifici peperit, quòd duobus maximis vitiis exstirpandis, Simoniacæ videlicet prauitati, & lasciuiæ, tam constantem nauabat operam, concubinarios & Simoniacos omnes passim anathemate feriens: Sed & Cæsarem ipsum, ob easdem causas ad Synodalia responsa sæpè frustrà vocatũ, tandem ab Ecclesia Petri amputauit gladio, deinde regno etiam exauctorauit, adempta ei omni Regia administratione, & absolutis fidelitatis sacramento subditis. Qua in re confusus Imperator, habito apud VVormatiam concilio secum sentientium Episcoporũ, Pontificem vitæ verba deposuit: datæque sunt ad eum literæ conuiciis plenæ. In quibus tempo

Imperator excommunicatur, atque etiam exauctoratur regno.

temporum ardoribus continenter beatissimus Benno seruabatur in carcere, lugebatque peccata populi sui, donec tandem Imperator, vbi intellexit Principum animos sub religionis prætextu sensim ab eo deficere, dissimulato ad præsens odio quod contra Saxones alebat, captiuos eius gentis (inter quos & Benno erat) deditione absoluit, & ad sua impunè redire permisit. Itaque rediit & beatissimus Pater Bẽno ad ecclesiam suam Misnensem, sed desolatam iam & vastatam. Vbi cùm suos vtcumque consolatus esset, mox iter arripiens, Romam peruenit: atque interim Principes, religione tacti, magis etiam magisque colla cœperunt ab Imperatoris iugo retrahere, iamque non solùm clandestinis congressibus, verùm publicis etiã conuentibus, de subrogando alio Rege inter se tractabant. Quod vbi intellexisset diuus Benno, mox reditum ad ouile suum maturauit. *Dimittitur vir sãctus ab exilio, & redit ad suam ecclesiam, sed desolatam.*

DEDIT autem illi Dominus gratiam, & malorũ requiem, vt deinceps reliquos vitæ annos vsque ad decrepitam senectã in pace agens, restaurandæ ecclesiæ suæ tranquillam posset operam impendere: quod & sedulò perfecit, ac simul etiam Sclauos, de quibus priùs sermo fuit, ardentissimo studio ab antiquis erroribus ad Christi veritatem, pro antiquo voti sui desiderio traduxit, non sine maximis miraculis, quæ longum esset hic attexere. Obiit verò beatissimus Pater decimo sexto Cal. Iulij, anno salutis millesimo centesimo sexto, ætatis nonagesimo sexto, Episcopatus verò quadragesimo. Ad cuius sepulcrum confugientibus plurima præstantur beneficia. Quorum omniũ fides apud ecclesiã Misnensem literis, sigillis, testibus, & tabellionũ publicorum, vel Prælatorũ auctoritate amplissima, fulta est. Cuius deinde translatio ex loco humili, vbi olim se tumulari iusserat, ad mediũ ecclesiæ, vbi nunc tumba ipsius honorificè instructa cernitur, facta est circiter anno Domini millesimo ducẽtesimo septuagesimo, quo tempore casula qua indutus fuerat, & baculus pastoralis, tanquam recens deposita, secũ in sepulchro inuenta sunt, absque omni cinefactione. Denique relatus est in Sanctos per Adrianum sextum.

Egregiè ecclesiam suam restaurat.

Obdormit in Domino.

Eius translatio clara insigni miraculo.

VITA S. AVITI PRESBYTERI,

ex ea quæ est apud R. P. Laur. Surium.

XVII. IVNII.

AVITVS apud Aurelianos plebeio ex sanguine ortus, parentes habuit humili loco natos. Mater eius patriam

S. Auiti patria & parentes. habuit Virdunum, cui ingenuitatem virtus & meritum conciliauit: nam aliàs vt Aureliam proficisceretur, inopia & egestas eam compulit. Nupsit verò illic cuidam Belsicolæ, cui & peperit Auitum egregium filium, qui quandoque populo magnam esset salutem allaturus. Eo nascente, ingens lumen in cubiculo apparuisse, certa relatione compertum est. Creuit autem puer, & cùm infantiæ rudimenta excessisset, ad Miciacense monasterium deuotus aduolauit; depositaque coma, *Fit monachus.* monachum professus est. Vbi cùm nedum Abbati, sed etiam omnibus pura animi simplicitate obediret, monachi quidam fatuum eum appellabant, crebrò illi obtrectantes. Habebat verò pro more partem ciborum suorum clàm egenis impartiri, sæpe etiam sibi detractis vestibus, illorum tegere nuditatem. At verò Abbas, cæleste in illo lumen considerans, tacitus illum amare cœpit, construxitque ei cellulam intra vestibulum monasterij, procul ab aliis, idque ne eius ieiunandi & vigilandi assiduitas, à Fratribus ostentationi & arrogantiæ tribueretur. Sed & postquam omnes manifestis indiciis Dei ho- *Demandatur ipsi munus Cellarij.* minem eum esse cognouerunt, inuito Cellarij munus demandarunt. Qua in re, sicut non potuit recusare Abbatis imperium, ita &, cùm eam ministerij sarcinam in suos humeros recepisset, à familia crebris insidiis honesta eius simplicitas appetita & exagitata est.

Itaqve quadam nocte, cùm ex more Abbati incumbere volenti inseruiisset, cingulum cum clauibus colligatis, cautè *Fugit ad loca deserta.* ad eius caput deposuit; relictoque illo onere, ad Calauniæ loca abditissima secessit: vbi, cellulam è vilibus texens virgultis, multis diebus delituit, decem plus minùs milliaribus procul à monasterio. Non multum autem intercessit temporis, cùm vir sanctissimus Maximinus, qui per id tēpus Abbatis ministerio perfunctus erat, migrauit ad cœlos: cuius sacro humato corpore, mox monachi ad inquirendum Auitum simul omnes profecti sunt, tādemque repertum ad monasterium preci- *Eligitur Abbas.* bus flexum adducunt, sibique Abbatem, Pontifice iubente, cōstituunt. Tum verò ingrato sub fasce humilitas sublimata gemiscit. Nec multa mora. Rursum fugam meditans vir Dei, ter- *Fugit secundo.* rena fastigia respuens, vno tantùm puero comite contentus, vastas solitudines latitaturus expetit. Erat quidam eremi locus nemorosa fronde contectus, planeque abditissimus in Pictiacæ siluæ fundo, quem olim prisca manus construxerat, hederæque complexu horrebant culmina sensim diruta. Ibi ergo vlito

vltro sese in illud protrudit desertum; exiguamque ex corticum fragmentis domum prouidus Christicola sibi cõstruens, longè à villarum culminibus clandestinum amplectitur exsilium, & diu multumque etiam ruricolis ignotus, pomiferis dapibus, quas sylua ministrabat, sese sustentat: nec tamen potuit celari semper, cælesti scilicet virtute eum prodente.

QVARE & vndique ad eum deuoti confluunt populi, languentium turba eum certatim cupit attingere, immensa miseris stipatur sylua cateruis. Versari videtur in foro, qui priùs abditus delitescebat in solitudine. Morbus omnis depellitur, languores omnes curantur, tolluntur in cælum voces Deum laudantium, & gratias agentium, atque dicentium: Benedictus qui venit in nomine Domini, & illuxit nobis per sanctum Auitum. Sed cùm vir Dei immensa populi multitudine premeretur, voluit nocturnis horis clàm ad loca occultiora se transferre: sed tam populi precibus, quàm Præsulum auctoritate vix tandem potuit retineri. Construxit autem eo in loco insigne monasterium, in quo in hunc vsque diem priscorum Pauli & Antonij instituta inconuulsa seruantur. Nimis verò prolixi operis est, cuncta annotare, quæ tum Aureliæ, tum aliis diuersis in locis vir Dei effecit. Certè etiam eius vrbis Iudicum superba potestas, visis eius miraculis, adeò ei addicta fuit, vt ante omnia vincti, eo rogante, relaxati sint. Ad extremum vir beatus certaminis sui finem feliciter obtinuit, coniunctus Aniano; quorum scilicet circumsepta virtutibus vrbs Aurelianorum seruatur in medio.

Vndique confluit ad eum deuotus populus.

VITA SS. MARCI ET MARCELLIANI,

ex Io. Maldonato Hispano.

XVIII. IVNII.

MARCVS & Marcellianus Tranquillini Martiæque filij cùm Romæ in carcere tenerētur, Chromatius vrbis præfectus decollandos pronũciauit, ni dies intra triginta resipiscerent, abnegatoque Christo, sacrificarent diis. Quod parentes eorum & consanguinei percipientes, cum filiis ac vxoribus conuolarunt, obtestatique sunt pios fratres, vt Cæsaris Imperio consentientes, instanti se morte subducerent. Illi verò diui Sebastiani persuasione confirmati, martyrium intrepidè præoptabant. Diuino etiam Sebastiani eloquio quotquot aderant, & in his Chromatius præfectus afflati, Christum

Sententia in SS. Marcum & Marcellianum.

Miracula.

Deum crediderunt, & baptizati sunt. Zoe Nicostrati vxor, apud quem Marcus & Marcellianus vincti tenebantur, loquendi vsum sex ante annos amissum, recuperauit. Quare Diocletianus Imperator, exilio Chromatio multato, Fabianum quemdam eius in locum suffecit. Qui Marcum & Marcellianum minùs sacrificare volentes, grauissimis in carcere constrictos catenis diebus aliquot detinuit. Productos tandem ad stipitem ligari, mucronibúsque stimulari præcepit. Sed cùm in eo tormento diem ac noctem transegissent, psalmos modulantes ac hymnos, Fabianus audiuit, frustra ratus, in eos se tormenta denuo machinari, lanceis per latera iussit trãsuerberari.

VITA SS. IVSTÆ ET RVFFINÆ,

ex Io. Maldonato Hispano.

XVIII. IVNII.

IVSTA & Ruffina vitam agebant Hispali pudicè ac sanctè, mercimonio fictilium vasculorum victum quæritantes, pauperum mendicitatem sua illa tenuitate iuuantes, successiua tempora diuinis laudibus impendentes: cùm hostis ille humani generis truculentus ac ferus medius interuenit, honestúmque viuendi modum perturbauit, ac sustulit. Quædam siquidem matronæ Salambonem (sic Venerem Babylonij vocant) circumferentes, vas in eius sacrorũ vsum à sanctis fœminis postularũt. Illæ facere se nolle dixerunt, causantes, Deũ Christianos nõ lapides venerari. Pessimæ tũ fœminæ, dimisso simulachro, vasa pleráque confregerunt. Quare Iusta & Ruffina integerrimæ quidẽ matres familias factũ pessimũ improbãtes, idolũ confregerũt, ac omninò deformarũt, mediã in viã prouolutẽtes. Quod adeò plebẽ cõcitauit, vt cõprehensæ mox traherẽtur ad præsidẽ Diogenianũ. Qui Christianas esse cognoscens, eculeo extendi, ferreísque vngulis laniari præcipit: pòst retro carceri mancipatas, nouis exquisitísque modis cruciari. Productæ tandẽ ad præsidem, dijs supplicare litaréque iubentur. Illæ Christo eum honorem deberi contendunt. Cúmque per cautes & montium prærupta post iudicem nudis pedibus ductæ, non mouerentur: Iusta tandem in carcere vitam dedit. Corpus in puteum missum, à Sabino est episcopo sublatum, sepulturæque traditum. Ruffinæ pleno Deum ore fatenti gula est fracta, corpúsque combustũm. Sed à Sabino, ossa collecta, cum Iustæ reliquiis Hispali sepulta sunt.

Quomodo deprehensæ fuerint SS. Iusta & Ruffina.

Obitus earũ & sepultura.

VITA

VITA S. ROMVALDI, INSTITVTORIS *Ordinis Camaldulensium, ex B. Petro Damiano.*

XIX. IVNII.

ROMVALDVS, Rauennæ ciuitate oriundus, ex illustrissima Ducum fuit stirpe progenitus. Huic erat pater nomine Sergius. Qui dum aduersus quendam propinquum suum, pro possessione inimicitias exerceret, tandem, dum cominus hinc inde pugnatur, repentè manu Sergij inimicus & affinis occiditur. Cuius reatus tantam mox Romualdus pœnitentiam accepit, licet nullum perempto vulnus inflixisset, tantùmmodo scilicet quia interfuit, vt ad Classense monasterium beati Apollinaris, more homicidarum, permansurus, in luctibus properauerit. Vbi dum aliquamdiu cum quodam Conuerso quotidianum habuisset colloquium, qui eum admonebat secularem vitam postponere; ecce non multo pòst, monachorum pedibus prostratus, tradi sibi monachicum habitum instantissimè flagitat, atque adeò in eo monasterio transigit ferè triennium. At verò cùm ibi cerneret nonnullos per lata gradientes, remissiùs viuere, sibi autem arduam semitam, quam mens dictabat, arripere non licere; audiens quia in Venetiarum partibus quidam spiritalis vir esset, Marinus nomine, qui eremiticam duceret vitam; consensu ab Abbate & Fratribus impetrato, ad præfatum venerabilem virum nauigio discurrente peruenit, & sub illius regimine degere humillima deuotione instituit. Cum quo simul & cum Guarino quodam, nec non & Petro Duce priùs Dalmatico, Ioanne Gradenico item, & aliis nonnullis, cùm variè odorem virtutum suarum aliquamdiu disseminasset, atque iam reliquos Fratres Romualdus sanctæ conuersationis gressibus longè anteiret iuniore Othone Imperatore Classensem Abbatiam ordinare desiderante, regimen ibi animarum deinde accipere est coactus.

S. Romualdus nobilis Rauennas.

Accipit habitum monasticum in monasterio Classensi.

Viuit eremita.

Commendatur inuitus Abbatia Classensis.

REGEBAT itaque monachos sub districta Regulæ disciplina, neque alicui ab ea declinare licebat: non denique nobilis, non literis eruditus, per actus illicitos in dextram lænamque partem deflectere, vel à rectæ conuersationis audebat rectitudine deuiare. Quod Fratres serò considerantes, semetipsos primò accusant, quia hunc sibi præesse poposcerant; deinde etiam multis eum detractionum susurrationibus lacerant, & duris scandalorum aculeis vexant. Vnde & tandem Ro-

mualdus, videns & suam perfectionem aliquatenus minui, & illorum mores procliuiùs in deteriora conuerti, monasterium dimisit. Porrò cum Thamno & Bonifacio, viris clarissimis, Regis familiaribus, alijsque quibusdam conuersis Teutonibus, ad Pereum, vbi dudum habitauerat, rediit, ibique his & aliis multis Fratribus aggregatis, & per cellas singulas constitutis, tanto feruore eremiticæ conuersationis rigorem & in se, & in aliis tenuit, vt illorum vita omnibus, ad quos fama eorundem peruenire poterat, mirabilis haberetur. Quis enim non obstupesceret? quis non immutationem diuinæ dexteræ prædicaret, cùm vidisset priùs homines sericis, immo deauratis vestibus indutos, crebris obsequentium cuneis constipatos, omnium deliciarum affluentiis assuetos, nunc vno birro contentos, inclusos, discalceatos, & tanta abstinentię ariditate contusos? Faciebant autem omnes opera manuum, alij scilicet cochlearia, alij nebant, alij retia nectebant.

Redit cum multis aliis nobilibus ad locum pristinæ solitudinis.

Nota.

Omnes operantur manibus.

Dvm moraretur autem Romualdus adhuc in Pereo, Imperator Ottho monasterium ibi, ad honorem sancti Adelberti, eo suggerente, construxit, cui contigua Classensis cœnobij prædia contulit, & ea sibi ex fiscali possessione in Firmensis monarchiæ partibus recompensauit. Abbate quoque illic ex Romualdi discipulis constituto, & Fratribus congregatis, cœpit eos sub magna Romualdus tenere custodia, & docebat eos sub Regulari viuere disciplina. Post quod, cùm, nauim adscendens, ad ciuitatem Parentium transfretasset, tribúsque annis in eius ciuitatis finibus habitans, in vno monasterium construxisset, in duobus verò inclusus mansisset, misit deinde nuncios ad Camerinæ prouinciæ Comites. Qui, audito nomine Romualdi, nimio repleti gaudio, cuncta suæ ditionis obtulére prædia, non modò syluarum & montium, sed, si sibi etiam placeret, agrorum. Postremò repertus est in eorum possessione locus eremiticæ conuersationis satis congruus, is nimirum qui antiquitus Vallis de castro vocabatur: vbi, constructis cellulis, mox habitare cum suis discipulis vir venerabilis cœpit. Ad hęc in eisdem quoque partibus monasterium condidit puellarum. Quin & dimissis in Valle de Castro nonnullis de suis discipulis, ad regionem se vrbis veteris conferens, in possessione Phalulphi Comitis etiam monasterium construxit. Tantus namque in sancti viri pectore faciendi fructus ardor incanduerat, vt effectis nunquam contentus, dum alia faceret, ad facienda mox alia properaret, adeò vt putaretur totum mundum in eremum

Construitur insigne monasterium.

Item aliud.

Item tertiũ, & quartum, & quintum.

Magnum viri sancti feruor

mum velle conuertere, & monachico Ordini omnem populi multitudinem sociare.

Sic & monasterium non longè à Massiliano castro construxit: hic in faucibus Callentium montiũ aliquamdiu mansit, ac deinde in Petranum montem, non longè à monasterio sancti Vincentij, quod iuxta Caudilianum constitutum est fluuium, etiam commigrauit: sic denique & montem Sytriæ habitaturus adscendit. Vbi quot contumelias, quot scandala à suis discipulis passus sit, non est nostræ facultatis euoluere. Certè hoc in loco, in Sytria dico, vir venerabilis per septem annos inclusus mansit, & silentium continuum inuiolabiliter tenuit, tacente lingua, & prædicante vita. Viuebat autem, vergente iam senectute, mirabiliter distinctè, videlicet, cùm iam & ipsi perfecti viri solent remissius viuere, & aliquid sibi de sui propositi rigore laxare. Nam per vnius Quadragesimæ spatiũ, nihil aliud neque in cibo, neque in potu penitus habuit, nisi de modica farina, & paucis herbis sorbitiunculam, ex qua ad imitationem Hilarionis vixit. Quinque verò hebdomadibus nihil aliud comedẽs, ad modicum se infusi ciceris adstrixit. Post quæ, cùm iam finem suum imminere conspiceret, tandem ad monasteriũ, quod in Valle de Castro construxerat, rediit, ibiq; appropinquantem obitum indubitanter exspectans, cellam sibi cum oratorio, in qua recluderetur, & silentiũ vsque ad mortem seruaret, mandauit. Vixit autem vir beatissimus centum viginti annis, ex quibus viginti expendit in seculo, tres duxit in monasterio, nonaginta septem in eremitico transegit proposito, atque nunc inter viuos cælestis Hierusalem lapides ineffabiliter rutilat, sicut Deus per multa miraculorum signa ostendit. Obiit verò decimo tertio Calendarum Iuliarum.

Silet per integrum septẽnium, simul & viuit austerissimè.

Venit ad monasteriũ Valtis de Castro.

Transit feliciter.

VITA SS. GERVASII ET PROTHASII
Martyrum ex Io. Maldonato Hispano.

XIX. IVNII

POSTQVAM Vitalis Geruasij & Prothasij pater martyrio est affectus, & Valeria mater simul è vita migrauit: filij diuenditis facultatibus, mendicos refecêre, sesque penitissimum intra cœnaculũ abdidêre, conspectũ hominũ fugitantes. Inde tamen posteà, decem reuolutis annis, ad martyrium sunt

SS Geruasij & Prothasij vita anachoretica post parẽtum obitum.

extracti. Astasius siquidem exercitum ducens in Marcomanos, cùm Mediolanum ingrederetur, templorum obuios habuit sacerdotes, obsecrantes ac obtestantes, vt Geruasium & Prothasium perderet, aut sacrificare compelleret, qui Deos non modo contemnerent, sed & ad solita illos reddenda facerent responsa inutiles. Astasius vocatis fratribus dixit, expedit, vt more maiorum litetis, quo bello suscepto propitij aspirent dij. Cui Geruasius retulit. A Deo victoria, prospérque belli euentus flagitandus est, non à simulacris futilibúsque statuis. Iræ impatiẽs Astasius Geruasium iussit tamdiu plumbatis cædi, quoad animam exhalaret. Accersitum tum Prothasium commonefecit, vt ad exemplum fratris, fieri Biothanatos,* subterfugeret. Ille nullum, inquit, mortalium timeo, qui habeam patronũ Christum. Tu miser homo es, qui me virum imbellem, quando perdere studes, timere conuinceris, & truncos ac lapides colis, qui sibi nequeunt prospicere, nedum tibi patrocinari. Deum adora Christum, si vera vti victoria vis. Eiusmodi multa cùm liberè Prothasius effunderet, atque deos surdos identidem ac mutos compellaret, minas nec minus Astasij pili non faceret, capite damnatus ac morte multatus est.

Eorum cum Astasio colloquium.

**hoc est violenta morte mori.*

VITA S. PAVLINI EPISCOPI NOLAni, *partim ex Ordinario nouo, partim ex Diuo Gregorio,*

XXII. IVNII.

PAVLINVS Nolæ Episcopus, eruditus studiis humanitatis, doctus etiã diuinis literis, multa eleganter & ornatè scripsit, versibus, & soluta oratione. Huius viri charitas præcipuè celebratur, * cùm sæuientium VVandalorum tempore fuisset Italia in Campaniæ partibus depopulata, multíque essent in Africanam regionem traducti. Tunc enim vir Domini Paulinus, cuncta quæ ad Episcopij vsum habere potuit, captiuis indigentibúsque largitus est. Cui cùm iam nihil omnino superesset quod petentibus dari potuisset, quodam die quædam vidua aduenit, quæ à Regis VVandalorum genero filium suum in captiuitatem fuisse ductum perhibuit, atque à viro Dei eius pretium postulauit, si fortè illius dominus hoc dignaretur accipere, & hunc concederet ad propria remeare. Sed vir Dei magnopere petenti feminæ quid dare potuisset inquirens, nihil apud se aliud nisi se inuenit, petentique fe-

** D. Greg li. 3. Dialog. cap. 1. Omnia sua largitur vir sanctus in vsus pauperum & captiuorũ.*

minæ

minæ respondit, dicens: Mulier quod possim dare, non habeo, sed memetipsum tolle, seruum me iuris tui esse profitere, atque vt filium tuum recipias, me vice illius in seruitiũ trade. Quod illa ex ore tanti viri audiens, irrisionem potiùs credidit quàm compassionem. At ille, vt erat eloquentissimus, atque apprimè exterioribus quoque studiis eruditus, dubitanti feminę persuasit, vt audita crederet, & pro receptione filij sui in seruitium Episcopum tradere non dubitaret.

En diuinam prorsus charitatem.

PERREXERE igitur vterque ad Africam, nec non & procedente Regis genero, qui eius filiam habebat, vidua rogatura se obtulit, ac, vt ei filium donaret, petiit. Quod cùm vir barbarus typho superbiæ turgidus, gaudioque transitoriæ prosperitatis inflatus, non solùm facere, sed etiam audire despiceret; vidua subiunxit, dicens: Ecce hunc hominem pro eo vicarium præbeo, solummodo pietatem in me exhibe, mihique vnicum filium redde. Qui cùm venusti vultus hominem conspexisset, quam artem nosset, inquisiuit. Cui vir Dei Paulinus respondit, dicens: Artem quidem aliquam nescio, sed hortum bene excolere scio. Quod vir gentilis valde libenter accepit, atque ita suscepit seruum, & roganti viduæ reddidit filium. Quo accepto, cùm vidua ab Africana discessisset regione, Paulinus excolendi horti curam suscepit. Vbi cùm idem Regis gener crebro hortum ingrederetur, suúmque hortulanum subinde quædam requireret, & sapientem valde hominem videret, amicos cœpit familiares deserere, & sæpius cum suo hortulano colloqui, atque eius sermonibus delectari. Cui Paulinus quotidie ad mensam holera virentésque herbas deferre consueuerat, &, accepto pane, ad curam horti remeare. Cúmque hoc diutius ageret, quadam die suo domino secum secretius loquenti ait: Vide quid agas, & VVandalorum regnum, qualiter disponi debeat, prouide; quia Rex citius & sub omni celeritate est moriturus.

Offert se seruum vt liberet alium, fingens se hortulanum.

Prædicit mortem Regis VVandalorũ.

QVOD ille audiens, quia ab eodem Rege præ cæteris diligebatur, ei minimè tacuit, sed quid à suo hortulano, sapienti scilicet viro, agnouisset, indicauit. Quod dum Rex audisset, ilico respondit: Ego vellem hunc, de quo loqueris, hominem videre. Cui gener eius venerabilis Paulini temporalis dominus, respondit, dicens: Virentes herbas mihi ad prandium deferre consueuit. has itaque ad mensam eum deportare facio, vt quis sit, qui mihi hæc est locutus, agnoscas. Factúmque est. Et dum Rex ad prandendũ discubuit, Paulinus ex suo opere

olera quæque & virentia delaturus aduenit. Quem cùm Rex subitò conspexisset, intremuit, atque insuper accersito eius domino, sibi per filiam propinquo, ei secretum, quod prius absconderat, indicauit, dicens: Verum est quod audisti. Nam & nocte hac in somno sedentes in tribunalibus contra me iudices vidi, inter quos iste etiam simul sedebat, & flagellum, quod aliquando acceperam, eorũ mihi iudicio tollebatur. Sed percunctare quisnam sit: nam ego hunc tanti meriti virum, popularem, vt conspicitur esse, non suspicor. Tunc Regis gener secretò Paulinum tulit, & quisnam esset, inquisiuit. Cui vir Domini respondit: Seruus tuus sum, quem pro filio viduæ vicariũ suscepisti. Cúmq; instanter ille requireret, vt non quis esset, sed quis in terra sua fuisset, indicaret, atque hoc ab eo iteratione frequentis inquisitionis exigeret, vir Domini, constrictus magnis coniurationibus, iam non valens negare quid esset, Episcopum se fuisse testatus est. Quod possessor eius audiens, valde pertimuit, atque humiliter obtulit, dicens: Pete quod vis, quatenus ad terram tuam à me, cum magno munere, reuertaris. Cui vir Domini Paulinus ait: Vnum est quod mihi impendere beneficium potes, vt omnes ciuitatis meæ captiuos relaxes. Qui cuncti protinus In Africana regione requisiti, cum onustis frumento nauibus, pro venerandi viri Paulini satisfactione, in eius comitatu laxati sunt.

Videtur à viro barbaro in somnis.

Cogitur fateri quis sit.

Pro eius veneratione plurimi captiui liberantur.

POST non multos verò dies VVandalorum Rex occubuit & flagellum, quod ad suam perniciem, dispensante Deo, pro fidelium disciplina tenuerat, amisit. Sicque factum est, vt omnipotentis Dei famulus Paulinus vera prædiceret, &, qui se in seruitium solum tradiderat, cum multis à seruitio ad libertatẽ rediret. Porrò de eius morte apud eius ecclesiam scriptum est, quòd cùm dolore esset lateris tactus, sicque ad extrema perductus, dum eius omnis domus in sua soliditate persisteret, cubiculum, in quo iacebat æger, facto terræmotu, contremuit, omnésque qui aderant, nimio terrore concussit: sicque sancta illa anima carne soluta est.

Obdormit in pace.

Li. 4 c. 19.

VITA S. EDILTRVDIS REGINÆ ET *virginis, ex V. Beda lib. 4. Hist.*

ACCEPIT Rex Egfridus coniugem nomine Ediltrudam, filiam Annæ Regis Orientalium Anglorum, cuius sæpe mentionem fecimus, viri bene religiosi, ac per omnia mea

S. Ediltrudis coniux.

mente & opere egregij: quam & alter ante illum vir habuerat vxorem, princeps videlicet Australium Siruiorum, vocabulo Tombert: sed illo post modicum temporis, ex quo eã accepit, defuncto, data est Regi præfato. Cuius consortio cũ vteretur duodecim annis, perpetua tamẽ mansit virginitatis integritate gloriosa, sicut mihimet sciscitanti (cũ, hoc an ita esset, quibusdam venisset in dubiũ) beatę memoriæ VVilfridus Episcopus referebat, dicens, se testem virginitatis eius esse certissimum, adeò vt Egfridus promiserit se ei terras ac pecunias multas esse donaturũ, si Reginæ posset persuadere eius vti cõtubernio, quia sciebat illam nullum plus illo diligere. Nec diffidẽdum est, nostra etiam ætate fieri potuisse, quod æuo præcedente aliquoties factum, fideles historiæ narrant, donante vno eodemque Domino, qui se nobiscum vsque in finem seculi manere pollicetur. Nam etiã signum diuini miraculi, quo eiusdem feminæ sepulta caro corrumpi nõ potuit, indicio est, quòd à virili contactu incorrupta perdurauerit.

Seruat in cõiugio virginitatem.

S. Cæciliam dicis, & simi les.

Matth. 28.

QVAE multum diu Regem postulans, vt seculi curas relinquere, atque in monasterio tantùm vero Regi Christo seruire permitteretur, vbi vix aliquando impetrauit, intrauit monasterium Ebbæ Abbatissæ, quæ erat Amita Egfridi Regis, positum in loco quem Coludi vrbem nominãt, accepto velamine sanctimonialis habitus à præfato Antistite VVilfrido. Post annum verò ipsa quoque facta est Abbatissa in regione quæ vocatur Elge: vbi constructo monasterio, virginum Deo deuotarum perplurium mater virgo & exemplis vitę cælestis esse cœpit, & monitis. Quę, ex quo monasteriũ petiit, nunquam lineis, sed solùm laneis vestimentis vti voluit, raròque in calidis balneis, præter imminentibus solenniis maioribus, verbi gratia, Paschæ, Pentecostes, Epiphaniæ, lauari voluit: & tunc nouissima omnium, lotis prius, suo suarumque ministrarum obsequio, cæteris quæ ibi essent famulabus Christi. Raró etiã præter maiora solẽnia, vel arctiorem necessitatem, plus quàm semel manducauit semper, si non infirmitas grauior prohibuisset. Ex tempore quoque matutinæ synaxeos vsque ad ortum diei in ecclesia precibus intenta semper perstitit.

Tandem, consentiente marito, ingreditur monasterium.

Nunquã vtitur lineis.

Seruat quasi cõtinuum ieiunium.

QVIN etiã sunt qui tradunt, quod per prophetiæ spiritum, pestilentiam illã, qua ipsa esset moritura, prædixerit, & numerum quoque eorũ qui de suo monasterio hoc essent de mundo rapiendi, palàm cũctis præsentibus intimauerit. Rapta est autem ad Dominum in medio suorum, post annos septem ex

Transit ad Christum.

quo

quo Abbatissæ gradum susceperat: & æquè, vt ipsa iusserat, non alibi quàm medio eorum, iuxta ordinem quo transierat, ligneo in locello sepulta: cui deinde successit in ministerium Abbatissæ, soror eius Sexburga, quam habuerat in coniugem Earcombertus Rex Cantuariorum. Interim tamen, cum * sexdecim annos ibi esset sepulta, placuit eidem sorori Abbatissæ leuari ossa eius, & in locello nouo posita in ecclesiam transferri. Vnde iussit quosdam è Fratribus quærere lapidem, de quo locellum in hoc facere possent. Qui ascẽsà naui (ipsa enim regio Elge vndique est aquis & paludibus circundata) venerunt ad ciuitatulam quandam desolatam, non procul inde sitam, quæ, lingua Anglorum Grandacestir vocatur, & mox inuenerunt iuxta muros ciuitatis locellum de marmore albo pulcherrimè factum, operculo quoque similis lapidis aptissimè tectum. Vnde intelligentes à Domino suum iter esse prosperatum, gratias agentes, retulerunt ad monasterium.

* decem.

Inuenitur miraculose precisus locellus in quo sit condenda.

E T ecce cũ corpus sacræ virginis ac sponsæ Christi, aperto sepulcro, esset prolatum in lucem, ita incorruptum inuentum est, ac si eodem die fuisset defuncta, siue humo condita: sicut & præfatus Antistes VVilfridus, & multi alij, qui nouêre, testantur, sed & certiori quoque notitia medicus Cinfridus, qui & morienti illi, & eleuatæ de tumulo, adfuit, referre erat solitus. Sed & linteamina omnia, quibus inuolutum erat corpus, integra apparuerunt, & ita noua, vt ipso die viderentur castis eius membris circumdata. Ferunt autem, quia cùm tumore ac dolore maxillæ siue colli premeretur, multum delectata sit hoc genere infirmitatis, ac ideo solita sit dicere, Scio certissimè, quia meritò in collo pondus langoris porto, in quo iuuenculam memini me superuacua monilium põdera portare. Contigit autem etiam tactu indumentorum eorundem, & dæmonia ab obsessis fugata corporibus, & infirmitates alias aliquoties esse curatas. Lauarunt autem virginis corpus, & nouis indutum vestibus intulerunt in Ecclesiam, atque in eo quod allatum erat sarcophago posuerunt: vbi vsque hodie in magna veneratione habetur.

Nota insigne miraculum in eius sacro corpore & vestibus.

Item alia.

VITA V. MARIÆ OEGNIACENSIS,

ex ea quæ est per Iacobum de Vitriaco Cardinalem.

XXIII. IVNII.

FVIT in Episcopatu Leodiensi, in oppido quod Niuella dicitur, puella quædam vita & nomine præclara Maria, quæ

V. Mariana-tales.

quæ mediocribus orta parẽtibus, licet diuitiis & multis rebus temporariis abundaret, nunquam tamen ab ineunte ætate eius animus talium rerum amore illectus est. Quod parentes eius videntes, & puellam deridentes, cùm esset annorum quatuordecim, iuueni cuidam eam nubere voluerunt. Itaque illa iuncta viro est. Sed hac occasione separata à parentum conuictu, tanto etiam maiori feruore inflammata est, atque ita corpus suum castigauit, & in seruitutem redegit, vt non raró, cùm iam magnam noctis partem laboribus manuum impendisset, deinde an preces admodum prolixas incumberet, quod porrò reliquum erat noctis spatium, id quoties liceret, in asseres, quos clàm in extrema lectuli parte absconderat, se eponens, exiguo somno transmitteret. Quo pacto cùm aliquandiu cum marito suo Ioanne in matrimonio vixisset, respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, ita vt quàm hactenus vxorem habuerat Ioannes, eam deinde ex instinctu diuino cœperit habere Mariam commendatam. Eam siquidem ex diuina visitatione gratiam idem Ioannes adeptus est, vt non solùm deinceps cõtinentem & planè angelicam duxerit vitam, sed sociam etiam suam in sancto proposito & religione imitatus sit, omnia sua pro Christi amore in pauperes erogans, immo verò pro Christi amore sese penitus vnà abijciens, leprosis etiam quibusdam apud Niuellam eo in loco, quem *VVillebroke* dicunt, aliquandiu cum ipsa inseruiuit.

In matrimonio vixit sanctissime.

Vnà cũ marito dat se totam fouendis pauperibus & leprosis.

VIDEBANT verò hæc dæmones & inuidebant: videbant seculares & cognati, & frendebant dentibus in eos, & quos antea erant venerati diuites, iam Christi causa pauperes sua sponte effectos irridebant & aspernabantur. Sed non timuit ancilla Christi, proposito sibi gaudio, ad crucis contumelias cum Christo suo vltro accedere. Certè tantam compunctionis gratiam in torculari crucis percepit, vt per dies & noctes perpetuos aquarum exitus deducerẽt oculi eius: vnde & lacrymæ eius ne hærerent in maxillis, vel etiã in ecclesiæ pauimento pulueri mixtę sordes efficerent, pãno lineo, quo caput suum tegebat excipiebatur, multisque eiusmodi pannis seu velaminibus vtebatur, cum humectata lacrymis sicca flagitarent. Ad hæc etiã tanta ieiunandi gratia Christi ancilla prædita fuit, vt diebus illis quibus eam ad cœnam perinde atque ad medicinam accedere oportebat, semel, idque modicè, in æstate quidem ad vesperam, hieme verò prima noctis hora ederet: sed neque vinum bibebat, neque carnibus vescebatur, pisci-

bus au

bus autem raró, & non nisi minimis. Fructibus verò arborum, herbis, & leguminibus vtcumque sustentabatur, panem nigerrimum atque asperrimum multo tempore comedens, cuius nimia duritia & asperitate fauces eius adeò lacerabantur, vt sanguis inde manaret. Triēnio perpetuo à festo S. Crucis vsque ad Pascha solo pane & aqua vsa est, nec tamen vllum inde vel valetudinis, vel laboris manuari accepit detrimentum.

Triēnio perpetuo à festo S. Crucis vsque ad Pascha ieiunat in pane & aqua.

SOLEBAT autem peregrinationis siue orationis causa quotannis visitare ecclesiam beatissimæ Mariæ Oegniacensem, siue de Oegnies, vbi magnam obtinebat à matre Domini consolationem. Ea autem Ecclesia, ab eo loco in quo ipsa morabatur, ad duo milliaria aberat: & nihilominus, etiamsi acrius horrebat gelida hiems, nudis pedibus, sine vlla sui læsione, ad ecclesiam illam vsque ingrediebatur. Porrò vim & efficaciam precum eius, sæpe experti sunt non solum homines in subsidium, sed etiam dæmones ad tormentū, quos adeò exagitabat & peturgebat, & quasi quibusdā vinculis implicatos ad se pertrahebat, vt precum eius flammis & incendio ad ipsam venire compellerentur. Ac denique cùm multo tempore in eo loco, quem diximus *VVillebrock* appellari, seipsam Domino immolasset, è vicinia proximi oppidi, quod Niuella dicitur: hominum ad ipsam cum deuotione confluentium frequentiam diutius ferre non potuit. Quocirca & ad ostensum sibi in spiritu locum, quem Oegnies vocant, tandem commigrauit. Vbi cùm prædixisset se ab hac luce migraturam, locum etiam in ecclesia, vbi post obitum humanda esset, mihi secretò ostendisset (in qua parte, licet plerique aliter vellent, etiam sepulta est) ad vltimum anno incarnati Verbi millesimo ducentesimo tertiodecimo, nono Calendas Iulij, pretiosa Christi margarita Maria, anno circiter tricesimo sexto ætatis suæ ad Regis sempiterni palatium introducta est.

Potentissima est contra dæmones.

Migrat in Oegnies.

Nota fidem Scriptoris.

DE NATIVITATE S. IOANNIS Baptistæ, ex DD. Maximo, Ambrosio, & Augustino.

XXIIII. IVNII.

S. Maximus hom. 1. de hoc festo.

FESTIVITATEM præsentis diei, fratres charissimi, venerandi Ioannis Baptistæ genuina natiuitas consecrauit: qui idcirco in hoc seculum superna dispensatione directus est, vt non solum ipse prophetali sublimaretur gloria, sed & omnium

nium etiam per eum prophetarum præconia firmarentur. Nec immeritò illum præcipuo honore nũc veneramur, qui speciali quadam gratia ob hoc redemptorem mũdi nouissimus prophetauit, vt ostenderet eum primus. Hic enim solus est Prophetarum, qui Dominum nostrum Iesum Christum, quē alij in longa tempora futurum præscierant, propriis occulis videre meruit, & annũciare præsentem. Hic enim est ille, quē, inspirante Deo, præscius annunciat Isaias, dicens: Vox clamantis in deserto: Parate viā Domini. Et sanè, fratres charissimi, an non cõgruè beatus Ioãnes prædicatus est vox, qui cęlestis verbi & præco mittebatur & testis? Hic est ille, cuius per Angelũ Gabrielem prænunciatur natiuitas, & nomen, & meritum. Hic est qui iudicio cælestis sententiæ cunctis mortalibus anteferțur, dicente Domino: Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Vbi pulchrè simul dictum est, Inter natos mulierum: nimirum quia ille adhuc omnimodis maior erat Ioanne, qui de virgine nascebatur.* Peperit autē, inquit Scriptura, filium Elizabeth, & congratulabantur vicini. Ecce habet sanctorum editio lætitiam plurimorum, quia commune est bonum. Iustitia enim communis est virtus: & ideò in ortu iusti futuræ vitæ insigne præmittitur, & gratia secuturæ virtutis exsultatione vicinorum præfigurante signatur.

Quare specialiter celebretur hæc natiuitas.

Isaia 40.

Matth. 11.

** D. Ambro. lib. 2. in Lucam.*

Natiuitas S. Ioãnis magnam nobis affert lætitiam.

SED & mirè sanctus Euangelista narrandum putauit, quòd plurimi infantem patris nomine Zachariam appellandum putarunt: vt aduertas matri non nomen alicuius displicuisse degeneris, sed id ei sancto infusum Spiritu, quod ab Angelo antè Zachariæ fuerat prænunciatum. Et quidem ille mutus intimare vocabulum filij nequiuit vxori, sed per prophetiam didicit Elizabeth, quod non didicerat à marito. Ioannes, inquit, est nomen eius: hoc est, non ei nos nomen imponimus, qui iam à Deo nomen accepit: habet vocabulum suum quod agnouimus, non quod elegimus. Zacharias quoque nutu interrogatur. Sed quia incredulitas ei affatum eripuerat & auditum, quod voce non poterat, manu & literis est locutus. Scripsit autem dicens: Ioannes est nomen eius. En & hic quoque nomen non imponitur, sed astruitur. Meritóque continuo resoluta est lingua eius, quia quam vinxerat incredulitas, fides soluit. Quin & Zacharias cũ impletus est Spiritu sancto, & prophetabat, dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, &c. Vide quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis: nõ solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit: hic

Nomē Ioannis à Deo ipso inditum.

Magna Dei bonitas declaratur erga Zachariã, patrem S. Ioannis.

dit: ille siquidem dudum mutus prophetat. Nemo ergo diffidat, nemo, veterum conscius delictorum, præmia diuina desperet. Nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum. Et tu puer, inquit, Propheta Altissimi vocaberis.

PVLCHRE enim, cùm de Domino prophetaret, ad Prophetam sua verba conuertit, vt hoc quoque esse beneficium Domini designaret, ne, cùm publicè enumeraret sua, quasi ingratus tacuisse quæ acceperat beneficia videretur, quæ agnoscebat in filio. Sed fortasse aliqui, quasi irrationabilem mentis excessum putent, quòd octo dierum alloquitur infantem. Verùm si teneamus, intelligemus profectò quòd potuit vocem patris natus audire, qui Mariæ salutationem, antequam nasceretur, audiuit. Sciebat profectò alias esse aures Prophetæ, quæ Spiritu Dei, non corporis ætate, reserantur. Habebat intelligendi sensum, qui exsultandi habebat affectum. Simul illud aduerte, quàm paucis Elizabeth, quàm multis Zacharias prophetet; & vterque tamen sancto repletus Spiritu loquebatur: sed disciplina seruatur, vt mulier discere magis, quæ diuina sunt, studeat, quàm docere.* Denique intellige, ô homo, mysterium; Ioannes homo est, Christus Deus: humiliter homo vt exaltetur Deus, secundùm illud quoque quod de Domino ipse Ioannes dixit: Illum oportet crescere, me autem minui. Vt humiliaretur homo, vt pararet vias Domini, rectas faceret semitas eius, vt mutaret praua in directa, & aspera in vias planas, vt denique, faciendo dignos fructus pœnitentiæ, humiliaretur sub potenti manu Dei, hodie natus est Ioannes, quo incipiunt dies decrescere: sicut è diuerso, vt per Christum & in Christo in homine cresceret & exaltaretur Deus, tunc ille natus est, quandò dies incipiunt crescere.

Quomodo alloquatur pater infantem octo dierum natum.

** D. Aug. serm. 21. de Sanctis.*

Nota piam contemplationem.

VITA S. ROMVLÆ VIRGINIS, EX D. Gregorio Hom. 40. in Euangelia.

XXIIII. IVNII.

QVOTIESCVMQVE, fratres, aliquos in hoc mundo abiectos adspicitis, nolite despicere. Pauper cùm reprehensibilis cernitur, moneri debet, despici non debet: si reprehensionis nihil habet, venerari etiam summopere, sicut intercessor, debet. Rem, fratres, refero, quam bene is qui præsto est frater & compresbyter meus Speciosus nouit. Eodem tempore quo monasterium petij, anus quædam Redempta nomi-

Pauper nunquam debet despici.

nomine, in sanctimoniali habitu constituta; in vrbe hac iuxta beatæ Mariæ virginis ecclesiam manebat. Hæc illius Erundinis discipula fuerat, quæ magnis virtutibus pollens, super Prænestinos montes vitam eremiticam duxisse ferebatur. Huic duæ in eodem habitu discipulæ adhærebant, vna nomine Romula, & altera quæ nunc adhuc superest, quam quidem facie scio, sed nomine nescio. Tres itaque hæ in vno habitaculo commorantes, morum quidem diuitiis plenam, sed tamen rebus pauperem vitam ducebant. Hæc autem, quam præfatus sum, Romula, aliam quam prædixi condiscipulam suam magnis vitæ meritis anteibat. Erat quippe miræ patientiæ, summæ obedientiæ, custos oris sui ad silentium, studiosa valde ad continuæ orationis vsum.

S. Romula institutis, & singulares virtutes.

SED quia plerumque hi, quos iam perfectos homines æstimant, adhuc in oculis summi opificis aliquid imperfectionis habent, sicut sæpe imperiti homines necdum perfectè sculpta sigilla conspicimus, & iam quasi perfecta laudamus, quæ adhuc artifex considerat & limat; ita & hæc, quam prædiximus, Romula, ea, quam Græco vocabulo medici paralysim vocant, molestia corporali percussa est, multísque annis in lectulo decubans, penè omnium iacebat membrorum officio destituta: nec tamen hæc eadem eius mentem ad impatientiam perduxerunt. Nam ipsa ei detrimenta membrorum, facta fuerant incrementa virtutum, tantòque solicitiùs ad vsum orationis succreuerat, quanto & aliud quodlibet agere nequaquam valebat. Nocte ergo quadam eandem Redemptam quam præfatus sum, quæ vtrasque discipulas suas filiarum loco nutriebat, vocauit, dicens: Mater veni, Mater veni. Quæ mox cum alia eius condiscipula surrexit, sicut vtrisque referentibus, & multis aliis res eadem claruit, & ego quoque eodem tempore agnoui. Cumque noctis medio, lectulo iacentis assisterent, subitò cælitus lux emissa, omne illius cellulæ spatium impleuit, & splendor tantæ claritatis emicuit, vt corda assistentium inæstimabili pauore perstringeret, atque, vt post ipsæ referebant, omne in eis corpus obrigesceret, & in subito stupore remanerent. Cœpit namque quasi cuiusdam magnæ multitudinis ingredientis sonitus audiri, ostium cellulæ concuti, ac si ingredientium turba premeretur.

Immittitur ei à Domino paralysis.

Cōpletur eius cellula cælesti lumine.

ATQVE, vt dicebant, intrantium multitudinem sentiebant, sed nimietate timoris & luminis videre nil poterant, quia earum oculos & pauor depresserat, & ipsa tanti luminis,

Sentiuntur multi cælites ad eā intrantes.

claritas reuerberabat. Quam lucem protinus miri odoris est fragrantia subsecuta; vt earum animum, quia lux emissa terruerat, odoris suauitas refoueret. Sed cùm vim claritatis illius ferre non possent, cœpit eadem Romula assistentem sibi & trementem Redemptam, suorum morum magistram, blanda voce consolari, dicens: Noli timere Mater: non morior modò. Cùmque hoc illa crebrò diceret, paulatim lux quæ fuerat immissa, subtracta est; sed is qui subsecutus est odor, remansit. Sicque dies secundus & tertius transiit, vt adspersa fragrantia odoris remaneret. Nocte ergo quarta eandē magistram suam iterum vocauit. Qua veniēte, viaticum petiit, & accepit. Necdum verò eadem Redempta, & alia eius discipula à lectulo iacentis abscesserant, & ecce subitò in platea ante eiusdem cellulæ ostium duo chori psallentium adstiterunt, ac sic, cùm ante fores cellulę exhiberentur cęlestes exsequiæ, sancta illa anima carne soluta est. Qua ad cœlum ducta, quanto chori psallentium altiùs adscendebant, tanto cœpit psalmodia leniùs audiri, quousque & eiusdem psalmodiæ sonitus, & odoris suauitas elongata finiretur.

Munit se viatico corporis Dominici.

Inter psallentes cælestes choros migrat ad Christum.

VITA S. PROSPERI AQVITANICI, *Scriptoris Ecclesiæ, partim ex præfatione operum eius, partim ex R. P. Surio.*

XXV. IVNII.

PROSPER Aquitanus in Gallia, Episcopus fuit Rhegiensis, & aduersus reliquias hæresis Pelagianæ acerrimus atque elegantissimus Catholicæ fidei defensor, idque ex auctoritate Sedis Apostolicæ, vti ipse testatur in præfatione suarum Responsionum ad capitula obiectionum Vincentianarum. Exstat eius epistola ad beatum Augustinum, iam senem: qua breuiter complectitur querelas eorum, qui in Massiliensi vrbe cōstituti, sub nomine Catholico Pelagianam hæresim in sinu fouebant, & plerasque diui Augustini definitiones, velut Maiorum sententiis aduersas, calumniabantur: contra quos eiusdem D. Augustini implorat auxilium. Eiusdem argumenti & Hilarius Arelatensis ad eundem Augustinum scripsit Epistolam. Responsurus itaque eis Augustinus, duos scripsit libros, quorum vnus De prædestinatione Sanctorum, alter De bono perseuerantiæ inscribitur. Sed &, cùm, defuncto Augustino, conniuentibus nonnullis Galliæ Episcopis, presbyteri quidam

Ex Præfat. operum edit. Louaniensis. Scribit S. Prosper cōtra Pelagianos, ex auctoritate Sedis Apostolicæ.

Nota quid nō confingat spiritus proprius

non

non cessarent damnatis Pelagij sensibus inhærere, & apud imperitos diuū Augustinū insimulare, quòd in confutandis Pelagij erroribus necessarium modum excessisset, multáque asseruisset in duobus prædictis libris, cunctis Christi fidelibus meritò detestanda, hi duo, Prosper dico & Hilarius, zelo fidei accensi, Celestinum, Romanum tunc Pontificem, adierunt, &, querela apud eum deposita, epistolam ab eo eruditissimam obtinuerunt, qua non tantùm fides Catholica ex præcessorum ipsius Celestini Romanorum Pontificum decretis, contra reliquias hæresis Pelagianæ grauissimè defenditur, verùm etiam adeò prædicatur Augustinus, vt vel hinc non immeritò hactenus habitus sit præcipuus Ecclesiæ Doctor.

in dogmatibus fidei.

INVENITVR quoque Prosper subscripsisse Synodo secundæ Vasensi, item Carpentoractensi, inter quas media fuit secunda Arausicana. Cui ideo fortasse non interfuit, nec subscripsit, quòd Capitula, ad eum à Leone transmissa, eiusdem Leonis iussu cōceperat; sicut etiā Gēnadius, scribens de eo, ait Epistolæ Papæ Leonis aduersus Eutychen, de vera Christi incarnatione, ad diuersos datæ, ab ipso dictatæ creduntur. Porrò quanto studio prosecutus sit doctrinam B. Augustini, ex opusculis eius manifestissimum est: quorum pleraque aut compendia eorum sunt, quæ latiùs prosecutus est Augustinus, vt Sententiæ, & Commentarij in Psalmum centesimum, & sequentes; aut certè defensiones aut explicationes definitionum eius, quas Cassianus, Faustus, Vincentius, & alij in Gallia magis peruertendo, quàm contrà disserendo, oppugnabant.

Dictat vir sanctus iussu Leonis Papæ Capitula Concilij 2. Arausicani.

NIHIL autem vir beatus studiosiùs quærebat, nihil procurabat attentiùs, quàm quomodo populum suum Deo maximè placentem efficeret. Quocirca & crebris illum declamationibus, quibus nihil facundius aut efficacius dici poterat, ad rectam viuendi normam incitabat, & in via Domini continebat: quæ tametsi gratia & lepore admirabili, ob innatam illi facundiam, condiebantur, & sanctæ Scripturæ testimoniis refertæ erant, & sic mirificè proderant, maiorem tamen vim & auctoritatem illis etiam probatissimi eius mores & vitæ sanctitas adferebat. Nihil enim dicebat, quod opere ipse non impleret, sciens parum vtilem esse doctrinam, quæ docentis vitam argueret. Erat illius pectus charitate ardens, mitis præsentia, omnibus affabilis, temperata in delinquentes seueritas, vt magis illos corripientis charitas moueret, quàm verborum asperitas. Magnæ illi curæ egeni erant; magna pietate pupil-

Deinceps ex Surio.

Sedulò inuigilat circa gregem sibi commissum.

Recensentur eius aliquot insignes virtutes.

los prosequebatur. Non sexus, non ordo, non ætas erat in ciuitate, cuius tanquam omnium pater curam non gereret, ac propterea frequenter populum in ecclesiam vocabat, ac salutaribus documentis instruebat, & quod audiebant, vt opere complerent, diligẽter procurabat. Oculos in omnes, de eorum salute solicitus, intentos habebat, super gregem suum incessabiliter inuigilans, ne qua de sanctæ gremio ecclesiæ, antiqui hostis fraude, ouis exiret: atque idcirco mirus quoque erat indagator, vt quæ vita, qui mores multitudinis sibi commissæ essent, non ignoraret.

Studet cognoscere diligentissime vultũ pecoru sui.

SENIORES ecclesiæ suæ sacerdotes, imitatus Apostolum, vt patres reuerenter admonebat, iuniores instruebat vt fratres, anus vt matres, puellas vt sorores aut filias. Quin & cũ eodem Apostolo cauens, ne, cùm aliis prædicaret, ipse fortè reprobus efficeretur, vigiliis, orationibus, ieiuniis, ac multiplici maceratione carnẽ domabat, & parère spiritui cogebat. Ad hæc & magno charitatis impulsu finitimarum etiam vrbium Episcopos, tanquam collegas, crebrò per epistolas hortabatur, ne dignitatis suæ, ne impositi sibi oneris obliuiscerentur. Quæ quidem omnia tantam illi apud omnes, non solum suos, sed etiam alienos, gratiam & amorem conciliarunt, vt non aliter ac omnium parentem illum diligerent ac venerarentur. Talis autem ac tantus Præsul duos & viginti annos Rhegiensem rexit ecclesiam, hoc est, ab anno aduentus Christi quadringentesimo quadragesimo quarto, vsque ad annum quadringentesimum sexagesimum sextum. Floruit autem maximè sub Leone primo Pontifice maximo, cui etiam charissimus fuit. Obiit verò septimo Cal. Iulij: ad cuius sepulcrum etiam vsque in hodiernum diem mira prodigia vigent.

Passim colitur vt cõmunis parens.

Obit feliciter.

VITA S. ADALBERTI CONFESSORIS

& Leuitæ, partim ex D. Molano, partim ex R.P. Surio.

XXV. IVNII.

** Molanus in Indiculo.*

S. Adalberti genus regale.

SANCTVS Adalbertus eximius Confessor & Leuita, filius Regis Deirorũ, pro Christo dimisit regale patrimonium. Atque adeò cùm sanctus Egbertus, instar duodecim Apostolorum, duodecim congregaret Apostolicos viros, quos missurus esset ad prædicandum fidem Christi paganis & barbaris Frisonibus, hunc Leuitam vndecim Presbyteris duodecimum adiunxit.* In quo quidem beato viro tanta fuit comitas mo-

** Surius.*

rum,

rum, vt mirabili vitæ ſuauitate omnes ad ſui imitationem alliceret. Quicquid enim ſermone faciendum oſtendebat, priùs ipſe factis declarabat, maximo ſe detrimento affectum exiſtimans, ſi non verba & inſtitutiones ſuas re ipſa & exemplis optimis confirmaret. In primis autem veræ humilitatis ſtudioſus fuit, aſſerens eius induſtria & cautione cetera omnia conſeruari. Vnde & ſuperuacaneũ ſit, hoc loco eius eximiam velle charitatem commemorare, cùm ea illi cauſa fuerit, patriam, propinquos, & dulces patriæ fines, cunctaque natalis ſoli commoda relinquendi. Sed, ne ſimus prolixiores quam par ſit, hoc retuliſſe ſufficiat, ita eum ſingulis initiatum virtutibus, vt nunquam ab illis quatuor primariis, quas Cardinales vocant, deflexerit, eamque viro ſanctiſſimo ſpiritalis militiæ perpetuam atque indefeſſam fuiſſe contentionem.

Summè colit humilitatem.

EIVSMODI ergo eximius heros munitus & inſtructus apparatu, quoquouerſum proficiſcens, lucrandis animabus operam nauabat. Vt plurimũ tamen eo in loco hærebat quem Egmundã vocant, ad cuius receſſus ab importuna hominum frequentia veluti receptum quendam habere viſus eſt: vbi & inter cõplures, quos fama virtutum eius inuitarat, Eggo quidam ad eum venit, & breui tempore in eius ſe familiaritatem inſinuans, accuratè illi adhæſit, adeò vt vir Dei non rarò eius hoſpitio vteretur, feliciq; cõpenſatione eius meteret carnalia, cui ſpiritalia ſeminabat. Ac denique vt inter ipſos conflata charitas & beneuolentia eſſet confirmatior, eius filium quoque è ſacro fonte ſuſcepit, &, vt par erat, etiam pleraque ſecreta ſua cũ illo vel maximè cõmunicauit. Profectò die quodam inter cœnandum, cùm ſe mutuis ex more colloquiis oblectarent, vir ſanctus illi amico ſuo aperuit velle ſe patriam parenteſque reuiſere, vt poſſet etiam illis aliquid gratiæ ſpiritalis impartiri; cùm Eggo, nimis moleſtè ferens tanti amici abſentiam, cum lacrymis curiosè ex eo ſciſcitabatur, ad quod tempus rediturus eſſet. Quo tempore vir Deo plenus, eius piæ ſolicitudinis miſertus, fragmentum pomi, quod fortè manu tenebat, in ignem proiiciens, Cùm huius, inquit, pomi grana in virgulta excreuerint, me, Deo bene propitio, tibi reſtitutum videbis.

Diſcurrẽs in prædicatione, receſſum ſuũ capit in Egmunda.

Eius antiquum meren[illegible] tri[illegible] norum it. Baptiſmo.

Prædicit aliquid valde mirum.

ET ecquis ex eiuſmodi loco germẽ vllum vnquam emerſurum, nedum bene frugiferas plantas ex carbonum reliquiis prodituras ſperaret? Et tamen hoſpitiolo illo quodam tempore voracibus flãmis in fauillas redacto, denique vbi opportunum aduentauit tempus, ex eodem loco prodiit germen

Euenit id quod prædixerat. odoris Domini; & grana in ignem iacta rediuiuos protulêre fructus: qui tamen fructus non omnino tantam sui admirationem excitarunt, quantum attulit gaudij reditus optatus beatissimi Patris Adalberti. Qui, vt promiserat, in Frisiam reuersus, tanto maiori omnium studio & beneuolentia accipitur, quanto eius sanctitas euidentiori miraculorum attestatione, & propheticæ sponsionis certiori exhibitione quoquouersum sese celebrius diffuderat. * Atque ecce ad extremum; *Rursum Molanus.* vir beatus primus Traiectensis ecclesiæ Archidiaconus, post multorum paganorum conuersionem, & laudabilem sanctæ vitæ consummationem, multis miraculis clarus Christo sanctissimam reddidit animam septimo Calendas Iulij, sepultus Egmundæ, in Kenemaria. Vbi sub Theodorico primo Hollandiæ Comite, corpus eius de tumulo leuatum est, & Theodoricus iunior, paternæ deuotionis feruentissimus æmulator, monasterium construxit Ordinis S. Benedicti, quod etiam *Egmōd* dicitur, & est totius Hollandiæ longè celeberrimum in diœcesi Harlemensi. *Construitur super eius sacro corpore magnificum monasterium.*

VITA S. VIGILII EPISCOPI TRIDENTINI, & Martyris, vt habetur to. 5. Bibliotheca SS. Patrum.

Est to. 7. Sur.

XXVI. IVNII.

VIGILIVS patria Romanus, illustribus ortus parentibus, Athenis liberales artes & sacras literas didicit; breuique tantum sibi pietatis & eruditionis thesaurum per Dei gratiam comparauit, vt annos natus viginti, ab Aquilegiensi Episcopo; ad quem diuina delatus fuit prouidentia, Pastor ordinaretur Tridentinorum, quibus mira fide & constantia Euangelium Iesu Christi prædicauit, & potentiam beneficentiámque eius, miraculis in Christi nomine designatis, commendauit. Cæcis enim visum & surdis auditum reddidit, mutorum linguas soluit & dæmoniacos, & variis morbis vexatos, sanauit. Præterea stylum in hæreses strinxit, & hæreticos, vt sinceritatem doctrinæ Apostolicæ plene assereret; & purgatam Ecclesiæ Christo conseruaret. Extant enim hodie quinque eius libri contra Eutychen, tametsi non extent illi alij quorum in quinto libro meminit. Ait enim se libros aliquot composuisse de Conciliorum decretis, & nominum religiosa nouitate contra Sabellium, Fotinum & Arrium. Porrò cùm diuinæ bonitati iam visum

S. Vigilij genus & eximia eruditio.

Episcopus factus, prædicationem suam cōfirmat multis miraculis.

visum esse fidelem seruum in gaudium Domini sui introducere, placuit ipsum priùs martyrij quoque corona decorare. Quemadmodum itaque hæreses constanter impugnarat, ita idololatriam quoque nefariam funditus exstirpatam cupiebat.

PROSTABAT in valle illa, quæ flumen Sarchan fundit, Saturni æreum simulachrum, quod incolæ homines feri & agrestes magna religione venerabantur. In hanc itaque serendi Euangelici seminis gratia profectus Vigilius, Raudenam, fratribus germanis Claudiano & Maiorano, Iuliano item Presbytero, comitibus, peruenit, ac protinus in ipsum idolum incidit. Zelo itaque Dei exæstuans, spiritu lætus ac alacer, Saturnum aggreditur, ac spurcum idolum deijcit, frangit, & in præterfluentem conijcit, vt turpissimæ rei vel memoria apud posteros interiret, solius autem Domini nomen sanctificaretur & regnaret. Mox verò in basim seu fulcrum deiecti idoli residens vir Dei, verbum Domini illis, qui eius facinoris spectatores fuerant, prædicare cœpit, testificans salutem veram non aliunde vel sperandam vel petendam esse, quàm à Iesu Christo Dei & hominis filio. Cæterùm barbari & impij idololatræ, deum & religionem suam contumelia affectum putantes, cõcurrunt, & seruum Christi, animam suam Patri commendantem, lapidibus sternunt, obtegunt, atque collidunt, anno ætatis suæ quadragesimo, Episcopatus verò vigesimo. Floruit autem sub Imperatore Anastasio: quo tempore & Gelasius Antistes Romanus, & Fulgentius Aphex clarvêre, circiter annum Domini quingentesimum.

Magno zelo confert se ad destruendum quoddam idolum.

Ab impiis idololatris obruitur lapidibus.

VITA B. ANTHELMI EPISCOPI BELlicensis, ex Ord. Carthusian. ex ea quæ est per eius contemporaneum.

XXVI. IVNII.

CELSA magnáque progenie, clárisque in mundo parentibus, patre Arduino, ex Allobrogũ siue Sauoiæ castello Signino, matre similiter nobilissimis suæ patriæ hominibus orta, beatus Anthelmus editus, postquam adoleuit, in Gebennensem & Bellicensem ecclesias adcitus, breui magnis est auctus opibus & prouentibus, honoribus quoque & dignitatibus: in Gebennensi nimirum ecclesia Præpositus & Secretarius, in Bellicensi Secretarius creatus, quæ illic præcipuæ dignitates habentur. Qui appropinquante tempore illo, quo sub

B. Anthelmi natales.

Christi imitationem se totũ erat compositurus, & felici mutatione in aliũ virum abiturus, vt cœpit hominum religiosorum loca inuisere, libentérque eorum sermones audire, ecce quadã die inuisente illo Carthusiam, quam Portarum vocant, cùm dominus Bernardus, venerabilis Prior, verba salutis ei loqueretur (cuius sanè operâ innumeri à deuiis vitiorum callibus ad Deũ conuersi sunt) vix quidquam moratus Anthelmus, Hæc est, inquit, illa dies, qua deliberatum est mihi perpetuò cum Domino permanere: suppetit vnde æs alienum dissoluatur; nec desunt amici fideles qui omnia exsequantur: atque ita monastico eius Ordinis habitu hilariter suscepto, cum multa pietate, feruoréque animi, cœpit inter illos viuere.

Magnis persuasus honoribus in seculo, fit Carthusianus.

PER id tempus primaria Carthusia paucissimos habebat monachos. Quamobrem dominus Hugo, Gratianopolitanus Episcopus, vir prudens & eximia virtute, qui beato Hugoni successerat, & postea Viennensis Archiepiscopus creatus est, multis precibus à Portarum Carthusiæ Fratribus contendit, vt Fratrem Anthelmum, qui adhuc nouitius erat, Carthusiæ magnæ permitterent. Quò dimissus ille, mirum quàm vita eius mox cæteris fuerit exemplo. Erat crebrò pernox in vigiliis, orationi, lectioni, sanctæ meditationi, laudibus diuinis die noctúque vacabat. In ecclesia sub solenni quotidianarum precum persolutione torrentes quidam ex eius oculis prorumpebant. Sub Missæ sacrificio, vbi totum se Deo mactabat in holocaustum, totus erat spiritualis, totúsque Deo inhærebat. Frequentissimum illi erat nocte ac die verberare pectus, genua flectere, toto corpore se humi prosternere. Quotidie creberrimis virgarum ictibus cędebat dorsum & latera; plagásque plagis cumulando, nunquam patiebatur carnem liuoris expertem, aut cutem integram manere. Solitudinem, silentium, ieiunia, obedientiam, cæteráque Ordinis instituta accuratissimè obseruabat. Quibus adauctus virtutum gratiis, primò Carthusiæ eiusdem Procurator, deinde & Prior creatus est. Vbi cùm annis duodecim strenuè ac religiosè Carthusiam illam gubernasset, alio in locum suum subrogato, subesse malens, quàm præesse, ad cellam, cuius ardebat desiderio, sese deinde recepit.

Sæpe totus in fletus lacrymarum.

Fit Procurator, & deinde etiam Prior.

ELECTVS quidẽ fuit adhuc postea Prior Carthusiæ Portarum, sed sic, vt cùm à spiritualibus studiis & exercitiis nimium se distineri videret, vix biennij euolutis spatiis; Prioris officio, quod pacis reformandæ necessitate, & Superiorũ præ-

copto

cepto adactus susceperat, sese abdicans, ad tutissimum iterum semperque concupitum in magna Carthusia cellæ portum receperit. Cæterũ etsi solitudinis & secreti esset amantissimus, at crebrò tamen magnorum virorum, Deum timentium, qui eius amici erant, grata visitatione recreabatur, & illi vicissim sanctis eius colloquijs delectabantur: audiebatur enim etiam procul nomen eius, cunctique eius constantiam mirabantur. Ita & Alexandro Pontifice canonicè electo, & Octauiano è cõtrà Sedem Apostolicam arripiente, ipse & cum eo Gaufredus auctores fuerunt, vt Alexander Pontifex à Gallis, Hispanis, & Britannis breuĩ sit receptus, ita quoque & idem Christi seruus Anthelmus non multo pòst Bellicensi ecclesiæ Præsul est consecratus, frustra fugiens & renitens. Sed longum est singulatim omnia attexere. Breuiter, tantus ac talis publicè habitus est hic seruus Christi, vt, quoties Conciliis Ecclesiasticis aut secularium negotiorum tractatibus interesset, nullus vel Episcopus, vel cuiuscunque alterius Ordinis aut status fuerit, qui non eum sibi anteponeret. Omnes eum reuerebantur, ipsa etiã Romana curia. Etenim etsi quid vitiosum, aut reprehensione dignũ in aliquo cerneretur, quantacumque is auctoritate polleret, non dubitabat eum arguere.

Totus amat latere.

Eligitur Episcopus Bellicensis.

Reueretur ipsius sanctitatem & zelum etiam ipsa Romana curia.

QVIN & ipsum Comitem Hubertum, Amedei filium, ob presbyterum quendam eius culpa interfectum, præsentem excommunicauit, nequidquam dicentem se Pontificis Maximi priuilegio à nemine posse excommunicari, nec absoluit eum (vt pro eo intercederetur) nisi cùm tandem seriò vidit eũ pœnitere: tantus illi inerat iustitiæ & veritatis zelus. Et quidem non deerant, quibus ille eius iustitiæ zelus esset inuisus, atque hi, eo præsente, ori suo digitum imponebant, at verò compluribus eius castigationes & reprehensiones non erant ingratæ. Erga peccatores pœnitentes tamen benignus & misericors fuit, totisque visceribus condolebat illis, idque frequentius, etiam non sine lacrymis; sicut & in pauperes & inopes mirificè exstitit humanus: atque adeò, demptis ijs quæ moderatus victus poscere videbatur, cetera omnia in pauperes erogabat, inprimis autem in religiosos, siue monasticæ vitæ cultores. Quo insigni virtutum omnium splendore, cùm locum sibi iam in cælestibus tabernaculis præparasset, demum illustri cursus sui agone peracto, sanctus Dei Confessor æternum adeptus est brauium, sexto Calendas Iulij, anno ætatis suæ amplius septuagesimo, Episcopatus verò decimoquinto. Ad cuius

Erga pœnitentes & pauperes admodum est misericors.

Obdormit in pace.

venerabile corpus confluentibus vndique turbis, innumera credentibus obtingunt beneficia, præstante Domino nostro Iesu Christo.

VITA B. RODVLPHI EPISCOPI EVGVBINI, *ex Epistola B. Petri Damiani ad Alexandrum Papam.*

XXVI. IVNII.

DOMINO Alexandro beatissimo Papæ, Petrus peccator & monachus seruitutem. A vobis nuper egressus, cùm Florentiæ vrbis mœnia subij, nuncius mihi mox repentinus occurrit, qui mihi diem mediū in tenebras vertit, omniúmque meorum viscerum venas amarissimæ legationis felle compleuit, Episcopum scilicet Eugubinum esse defunctum: cuius vtique conuersatio si recolitur, non mediocriter ædificare poterit audientes. Valet enim & ad exprimendam rectè viuendi formam, & ad exhibendam corrigendis moribus disciplinam. Ante septennium ferè ille cum matre, & duobus se paulisper ætate præcedentibus, seruis libertate donatis, Castrum suum inexpugnabili munitione vallatum, cum omnibus, quæ sui iuris erant, prædiis mihi contulit, atque ad eremum veniens, habitum monasticæ professionis accepit. Monasterium autem plane in eorum possessione construximus, de cuius nunc sancto conuentu regulariter victitante satis in Domino gratulamur. Vbi cum matre & fratre constitutus iste Rodulphus, non multo post ad Episcopatus culmen euectus est, simulque quod in eremo didicerat, in Ecclesia quoque strenuè tenuit. Eisdem quippe terebat membra ciliciis, eisdem semper contentus erat perexiguis ac despicabilibus indumentis. Quin & dum iuuenilis ætatis ingruente natura, grauissimam sæpe pateretur accediam, laquearibus cellulæ funiculos innectebat, sicque vlnis insertis, psalmodiæ studio pendulus insistebat.

En ad quid seruiat commemoratio exemplorum.

S. Rodulphus se suaque offert monasticæ religioni.

Etiam Episcopus factus gestat cilicium.

NVNQVAM adipe, nunquam ouis vel caseo vescebatur. In eisdem verò quæ apponebantur edulis continens quoque eum frugalitas cruciabat, vt discumbens, non tam se reficeret quam decertaret; & intestinum potius esset gulæ bellum, quod extrinsecus videbatur esse conuiuium. Sæpe pugnauit, vt saltem in hyemalis inclementia frigoris, aut papyrinæ sibi storeæ stramenta supponeret; aut vestitus saltem nocte dormiret.

mitet. At ille in nuda ligni tabula nudus, sola contentus interula, cubitabat. Ecclesiam porrò deputabat hospitium, & solitudinis cellulam habitaculum decernebat. Inconditi siquidem mores populi, & indisciplinatæ ceruices, leue iugum Domini nequaquam sibi patiebantur imponi; sed uberibus terrenis intenti, non ex ore Pontificis, Dei verbo, sed tantùm de manibus Præsidis commodis inhiabant. Ideoque, me vim ingerente, coactus ecclesiam, quam voto dimiserat, retinebat officio; in eremo tamen perseuerantius habitans. Sed & quandocunque impetrare poterat, vt suo modo panis fieret, edebat panem, non fratrum, non puerorum, sed eum, qui vel ex puro fieret hordeo; vel ex cantabro potius, quod proijciendum canibus de puerorum panibus remansisset. Et licet, præter celebriores dies, hoc esset quotidiè pane contentus; mensuram tamen adhuc etiam æquatis lancibus attentiùs appendebat.

Dormit nudus in nuda tabula.

Nota mirum studiũ abstinentiæ & seueritatis.

VNDE mecum quandoque conquestus est, quia si sibi sine mensura concederetur, hunc eundem panem prurienti gulæ largius indulgeret. Tanta quippe iuuenculum hominem castigabat inedia, vt vix etiam solatium alimenti perciperet, vacuo ventre stomachum non curaret. Aliquando verò etiam diebus Dominicis pulmentũ nesciens, pomis tantum, & pane cum aqua viuebat. Ferreo autem circa pectus circulo iugiter cingebatur, quem tamen circulum sub ventre diuersum, dum coram Fratribus ad disciplinam nudaretur, diligentius occultabat. Nunquam scilicet Capitulo Confessor intererat, in quo non acciperet disciplinam, & tunc festinus exsultabat, si non ab vno tantùm, sed à duobus Fratribus flagellari iuberetur. Sæpe pœnitentiam centum annorum suscipiebat, quam per viginti dies allisione scoparum cæterisque pœnitentiæ remediis persoluebat. Psalterium quoque quotidie, cùm bis non posset, semel saltem nõ negligebat implere. Quod &, cùm esset in cellula constitutus, armata scopis vtraque manu, totum cum disciplina recitare consueuerat. Porrò autem cùm in expeditione esset aliqua constitutus, quantalibet intempestæ noctis profunditate consurgeret, nudis semper cruribus & pedibus, vsque dum dilucesceret, psallere non cessabat: quam consuetudinem, dum in cella consisteret, diebus ac noctibus sine cessatione seruabat; &, quantumlibet grauis bruma rigesceret, simplicibus tantum soccis muniebat pedes.

Cingit se circa pectus ferreo cingulo.

Quotidie dicit vt minimum vnum Psalteriũ integrum.

SAEPE

Rogas vt sibi nihil parcatur in disciplina monastica, propter gradũ suum Episcopalem.

SAEPE me per clementiam Christi terribiliter adiurabat, vt, si quando fortassis excederet, nequaquam me ab eius correptione subducerem, sed omnem in eo disciplinæ modum, qui monachis debebatur, implerem. Ita planè & regulam monachi, & auctoritatem Episcopi, sub alterna vicissitudine laudabiliter obseruabat. Opportunè siquidem & importunè verbo prædicationis instabat, & quicquid surripere valebat expensis, bene prodigus in pauperes dispergebat. Congregans autem annualiter Synodum, nullum assuetæ oblationis vel xeniorum Canonem à Clericis exigi permittebat, sed nec ipse ab iis etiam commodum aliquod, præter solam pœnitentiam, requirebat, atque, Absit, inquiebat, vt Synodum vendam, quin lapsos potius erigam, quàm vt ex eorum cadaueribus, coruino more, pinguis fiam. At tædet vlterius scribendo procedere, & velut paternas à pictura manus dolor videtur Icarius cohibere. Et sanè his, & huiusmodi virtutum floribus adornatum, quasi cadens lilium, immaturæ mortis pruina decoxit, ita vt, cùm vix triginta plus minus videretur annorum, ad veræ lucis auctorem ex hac infelici luce migrarit. Consummatus in breui, sicut Scriptura loquitur, expleuit tempora multa; & raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius.

Rapitur feliciter ad Christum.
Sapient. 4.

VITA S. ZOILI, EX IOAN. *Maldonato Hispano.*

XXVII. IVNII.

ZOILVS Cordubæ clarissimis ortus parentibus, ab incunabulis Christianę veritati addictus est. Ingressus adolescentiam, cùm Christum publicitus fateretur, ac prædicaret, tentur ab idololatris, præsidiis ad prætorium est delatus. Præses ad culturam illum deorum pellicere conabatur, iam muneribus, blandis iam sermonibus agrediens. Supplicia nõnunquam intentans perterrefaciebat. Verùm minùs valens virum sanctum à proposito detrahere morte tandem afficit. Corpus ne Christianis agnosceretur, & ex merito coleretur, inter peregrinorum corpora sepultum, Sissibuto tandem regnãte, cùm ecclesia pace fruita est, sic accepimus reuelatum. Vir quidam Agapetus ex nobili Gothorũ propagine, ob morum vitæque præstantiam electus Episcopus, per quietem audiuit, quo loco diuus Zoilus & mortem pro Christo pertulisset, & furtim sepultus

S. Zoili reuelatio, seu corporis eius.

ſepultus eſſet. Itaque ſummo confeſtim mane conuocatis fratribus, & populo, quæ ſunt ſibi dormienti audita recenſuit, & ſimul in locum reuelatum deduxit. Ibi primus ipſe raſtrũ concipiens, terram effodere priùs non deſtitit, quàm vires ſuggerente pietate, ad corpus ſanctiſſimumu penetrauit.

DE SS. APOST. PETRO ET PAVLO

ex D. Hieronymo, adiunctis nonnullis tum ex D. Leone, tum ex D. Chryſoſtomo.

XXIX. IVNII.

SIMON Petrus, filius Ioannis, prouinciæ Galilææ, vico Bethſaida ortus, frater Andreæ Apoſtoli, & princeps Apoſtolorum, poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum qui de circuncisione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, ſecundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit, ibiq́ viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, vſque ad vltimum annum Neronis, id eſt, decimum. A quo & affixus cruci, martyrio coronatus eſt, capite ad terram verſo, & in ſublime pedibus eleuatis, aſſerens, ſe indignum vt ſic crucifigeretur vt Dominus ſuus. Sepultus Romæ in Vaticano, iuxta viam triumphalem, totius vrbis veneratione colitur.

** D. Hiero. de Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

S. Petrus per viginti quinque annos præſides Romæ.

PORRO Paulus Apoſtolus, qui antè Saulus dictus eſt, de tribu Beniamin, & oppido Iudææ Giſchalis fuit: quo à Romanis capto, cum parentibus ſuis Tarſum Ciliciæ commigrauit, à quibus, ob ſtudia legis miſſus Hieroſolymam, à Gamaliele, cuius Lucas meminit, eruditus eſt. De cuius conuerſatione quia in Actibus Apoſtolorum pleniſſimè ſcriptum eſt, hoc tantùm dicam, quòd poſt paſſionem Domini viceſimo quinto anno, ideſt, ſecundo Neronis, eo tempore quo Feſtus procurator Iudææ ſucceſſit Felici, Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens cuſtodia, aduerſus Iudæos de aduentu Chriſti quotidie diſputauit. Sciendum autem in prima ſatisfactione, necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente ſcelera, quanta de eo narrant hiſtoriæ. Paulum à Nerone dimiſſum, vt Euangelium Chriſti in Occidentis quoque partibus prædicaret, ſicut ipſe ſcribit in ſecunda Epiſtola ad Timotheum: In prima mea ſatisfactione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt; non

S. Pauli genus & prima educatio.

Prædicat Euãgelium etiam in partibus Occidentis.

non eis imputetur. Dominus autem mihi adfuit, & confortauit me, vt per me prædicatio compleretur, & audirent omnes gentes, & liberatus sum de ore leonis. Manifestissimè leonem propter crudelitatem Neronem significans. Nam & in eadem Epistola præmiserat: Ego enim iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Hic ergo quarto decimo Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatus, sepultusque est in via Ostiensi, anno post passionem Domini tricesimo septimo.

Consummatur martyrio.

D. Leo ser. 1 in natali Apostolorũ Petri & Pauli.

ATQVE isti sunt viri per quos tibi Euangelium Christi, Roma, resplenduit, & per quos, cum esses magistra erroris, facta es discipula veritatis. Isti sunt patres tui, verique pastores, qui te regnis cælestibus inserendam multo melius, multoque felicius condiderunt, quam illi, quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt: ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdauit. Isti sunt qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens sancta, popus electus, ciuitas sacerdotalis & regia, per sacram beati Petri Sedem caput orbis effecta, latiùs præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis, ius imperii tui terra mariq; protuleris, minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.

Romulus intelligitur, qui fratrem suum Remum occidit.

D. Io. Chrysost. in Epist. ad Rom. ser. 32.

SANE non ita cælum splendescit quando radios sol demittit, quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lampades vbique terrarum effundens. Scilicet hinc rapietur Paulus, illinc Petrus. Considerate & horrete quale spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet repentè ex theca illa cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri. Qualem rosam, Christo mittet Roma, Et qualibus coronis duabus ornatur vrbs ista! qualibus catenis aureis cincta est! quales habuit fontes! Propterea admiror hanc vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam rem, sed propter columnas illas Ecclesiæ. Quis mihi nunc dabit circumuolui corpori Pauli, affigi sepulchro, videre puluerem corporis illius, quę adhuc in Christo deerát, adimplentis, stigmata illius gestantis? * quare cum idem Paulus gratiam Domini nostri Iesu Christi, matrem omnium bonorum nobis precetur, reliquum est vt nos tali patrocinio dignos exhibeamus, vt & hîc vocem Pauli audiamus, & hinc quoque migrantes, athletam Christi videre mereamur. Imò si hic audierimus, & illic ipsum omnino videbimus, licet non è

En quàm nõ immeritò semper in summa veneratione fuerint limina istorũ duorũ Apostolorum.

** Hæc in Chrysostomo præcedunt.*

propius

propinquo stantes, videbimus tamen prope regalem thronum splendentem, vbi Cherubim Deum glorificant, vbi Seraphim volant, illic Paulum videbimus cum Petro in Sanctorum choro, inter primos stantem.

SS. Petrus & Paulus inter alios sanctos primi.

VITA S. THEOBALDI PRESBYTERI,
& Eremitæ, ex ea quæ est per eius contemporaneum.

XXX. IVNII.

THEOBALDVS bonæ indolis vir, gente Francorũ, patre Arnulpho, matre Gisla oriundus, territorio Senonensi, castro Prunino educatus, parentibus clarissimis atque ditissimis enituit. Viguit autem temporibus Henrici Augusti, & Henrici Regis Francorum, & filij eius Philippi. Qui, vt adolescentiæ attigit metam, non lasciuiam secutus est mundi, sed potiùs quicquid præceptorum Dei auditu percipere poterat, velut prudentissima apis, in aluearium memoriæ studebat conuehere. Mouebat autem animum adolescentis maximè Eremitarum solitudo, quorum initium existitit Ioannes & Elias, post eos Paulus & Antonius. Aemulabatur victus eorum tenuitatem, vestium asperitatem, animi contemplationem, & Angelorum in solitudine contubernium. Quibus facibus accensus, clandestina quoque discessione adiit quendam Eremitam, in quadam insula Sequanæ latitatem, cordis sui eidem aperiens ardorem. Cum quo etiam tandem inito consilio, assumptóque Gualtero quodam milite socio, ascensis vterque equis, cum singulis armigeris ad Rhemensem ciuitatem peruenerunt.

S. Theobaldi patria & parentes.

Adit quendam Eremitam in insula Sequana.

NEC multa mora. Cum apud sanctum Remigium in prædicta ciuitate hospitati, occasione quasi alloquendorũ amicorum, armigeros atque equos in hospitio reliquissent, mox pedestri itinere noctu ad interiora pertentauerunt progredi, ac deinde etiam inuentis duobus peregrinis, exuti suis optimis ac militaribus indumentis, illorumque induti resarcitis, nudis pedibus peruenerunt ad locum qui dicitur Pitingo, in Teutonicorum regno: vbi & multo tempore voluntariam paupertatem pro Christi amore sustinentes, cum multo labore victum sibi quæritabant, scilicet lapides ferendo, fœnum è pratis secando, stabula curando, & maximè, vt idem simpliciter postea referebat, carbones ad opera fabrilia facienda comportando. Ex quibus rebus tenuissimo collecto nummorum

Viuit cũ quodam socio, relictis omnibus, vitã pauperrimam.

rum quæstu, ad sepulchrum sancti Iacobi in Gallicia Hispaniæ parte perrexerunt. Post quod cum Treuerensem vrbem cum collega repetiisset, reperto ibi patre, admodum contristatus est, atque adeò Romam deinde profectus, desiderio videndi sepulchrum Domini, Venetiam, quasi mare transiturus expetiit. Vbi cum amabilis Domini Theobaldus hac intétione Italiæ fines oberraret, ecce peruenit ad locum cui vetustas Salanica nomen indidit, diuina prorsus, vt credimus, dispositione.

Cogitat visere sepulchrũ Domini, sed vertitur dimorari in Italia.

ETENIM reperiẽs in eo loco saltum spatiosum, & ruinas quasi veteris ecclesiæ, ibi post longinqui itineris fatigationem residens, & à dominis loci habitationis domum sibi poscens, libenter illis concedentibus, impetrauit, ac demum, compacto paruo tugurio, confidenter ibi habitare cœpit, Angelicam vitam in terris agens. Sanè primùm omnium à carne & omni pinguedine se abstinuit; deinde pane hordeaceo & aqua tantummodo vsus est; ad postremum, à pane & omni potu se abstinens, fructibus tantùm & herbis, earumque radicibus, aliquantis annis vixit, semper vsus cilicio. Quibus proficientibus meritis, omnes quoque Ecclesiasticos gradus, vsque ad Sacerdotium, in Vincentina ecclesia adeptus est. Quinquennio autem integro, vt eius fideles & familiares contestantur, nunquam iacendo, sed tantùm sedendo somnum percepit: atque hoc insuper tanta peregit cautela, vt quasi tota nocte in somno mansutus, diligenter pannis tegeretur. Post abscessum verò ministri sui, statim exsurgens, conticinij tempora in precibus & laudibus Dei, extensis manibus, continuabat, ac deinde hora surgendi, vt suos latêret, ad stratum regrediebatur. Porrò stratum illud primò quædam arca æqualis superficiei exstitit, substrato quodam lineo linteolo, & capite admoto trunco durissimo, superaddito laneo pileo, suæ peregrinationis ab æstu defensore, & demum etiam cùm omnia corporis sui membra armasset, supradicto linteolo supposuit ciliciũ, & pro arca vsus est quodam lato & dolatili ligno.

Tãdem vixit solis crudis herbis.

Vix vllũ tẽpus tribuit somno.

INTEREA verò audientes pater eius & mater inclytam famam beati filij, cum multa nobilitate ad eum venerunt, eiúsque visione nimium gauisi sunt. Et ô quantis tunc lacrymis mater exuberauit, cùm gauderet inuentum quem doluerat amissum! & inter lacrymosa suspiria dubitabat penè quid mallet, quia & patriam cum viro & liberis nolebat deserere, nec ab vnicæ dilectionis filio Theobaldo volebat separari. Tamen amor

Venit ad eum pater & mater cum multa nobilitate.

amor filij, imò amor Christi, vicit amorem seculi. Nam abruptis omnibus retinaculis seculi, soli Domino Deo cum filio seruitura adhæsit; & quæ magnam in mundo possederat prædiorum amplitudinem, vnius breuis cellulæ, cum filio Deo famulatura, elegit solitudinem. Atqui verò vir beatus biennio ante transitum suum, ita vulneribus corporis obsitus fuit, vt aliquando neque gressum figere, neque manum etiam ad os ducere valeret: ac sic denique, ingrauescente vlcerum valetudine, cùm duodecimus annus volueretur ex quo patriam reliquerat (nam tribus annis peregrinatus est, & nouem in solitudine mansit) Petro Abbati, qui ei eodem anno monachicum schema sacrauerat, matrem filiosque suos spirituales cum totius eremi cura commendans, migrauit ad Christum pridie Calendas Iulij, Henrico filio Henrici Augusto, sepultus apud Vincentinos in basilica sanctæ Mariæ, ad cuius titulum Sacerdotij functus est honore, vbi eum diuina Maiestas insigniter virtutibus & miraculis clarificat.

Eligit mater iuxta filium suum seruire Deo.

Migrat vir sanctus ad Christum.

FINIS IVNII.

IVLIVS.

VITA S. THEODORICI ABBATIS, *discipuli sancti Remigij, ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium.*

I. IVNII.



SANCTVS Theodoricus in pago Rhemensi Alamandorum cohorte natus, patrē Marchardum habuit, & apud beatissimum Remigium educatus est; cuius etiam futuram sanctitatem hoc pacto Dominus ostendere voluit. Scilicet fons quidam, posteaquam ex illo pāniculi eius adhuc infantis ablui cœpere, sordiū & cuiusuis immūditiæ inquinamentis adeò non potuit infici, vt etiam liliorum gratissimos spiraret odores, ea re significās, qualis esset infans ille futurus. Qui postquā pubertatis attigit annos, voluntate parētū cōsensit in matrimonij copulam, sed nō ex animo. Cùm enim sponsam accepisset, multis sermonibus hortabatur eam ad

S. Theodorici patria & parentes.

Pro volūtate parentum ducit vxorem.

amorem Sponsi cælestis & immortalis, proponens illi immarcessibilem virginitatis coronam, si sequeretur Agnum immaculatum, virginum amatorem. At illa contemni se existimans, Cur, inquit, despicis te amantem, maximè cùm non sim ignobilis genere? Fortassis alia magis tibi cordi est, & idcirco hæc mihi vana proponis. Quæ, atque id genus alia multa, vt audiuit Theodoricus, ad S. Remigium se contulit, pias apud eum de sponsa querimonias depositurus. Cæterùm beatus Remigius sapientissimo consilio iubet acciri sponsam: venienti, idem ipse explicat æterna beatitudinis præmia, in virginitate perseuerantibus reddenda: docet virginitatem sororem & amicam esse Angelorum. Tum illa, desiderio tandem vitæ æternæ incensa, pollicetur se integritatem corporis conseruaturam: quæ res mirificè exhilarauit castum eius sponsum Theodoricum.

Sponsa sua partim ipse, partim S. Remigius persuadent virginitatem.

Est syluula à ciuitate tribus distans milliaribus, sita in monte quem Hor vocant. In eo monte voluit beatus Remigius ædificari monasterium, in quo monachos congregaret sub Theodorici cura. Vbi quæ virtutum opera effecerit, nos pro dignitate commemorare nequimus. Sed & cum ab Angelicæ vitæ Pontifice Remigio Sacerdotio esset initiatus, vt illo munere ritè fungeretur, cœpit omnibus verbum salutis ministrare. Vnde etiam factum est, vt eius fama in populos longè diffunderetur. At verò interea defuncto Rege Clodoueo, quem beatus Remigius ad Christi religionem traduxerat, filius eius Theodoricus regni gubernacula suscepit. Qui, cùm aliquando nuncios misisset ad sanctum Remigium, obnixè rogans vt ad ipsum veniret, & vnicæ, eidemque charissimæ filię suę grauiter laboranti, manus imponeret; sanctus Remigius aduersa tum corporis valetudine impeditus, beato Theodorico, quem gratia curationum præditum diuinitus cognouit, suas vices demandauit. Qui iussa magistri volens gnauiter exsequi, ad Regis palatium proficiscitur. Et ecce, in ipso itinere tristis ei adfertur nuntius de obitu puellæ, rogantque eum, qui erant missi à Rege, ne se frustra fatiget.

Fit Abbas & Sacerdos.

S. Remigius demandat ipsi suas vices ad curandam filiam Regis.

At ille à proposito non discedens, venit ad palatium, Regemque & Reginam cum tota familia mœrentes inueniens, preces intra mentis penetralia, lacrymis faciem rigantibus corde compuncto Deo obtulit. Deinde verò accessit ad corpus exanime, & oleo sancto illud vnxit: & ecce subitò puella vitæ se beati Theodorici precibus redditam, palàm profitetur,

Excipit sanctus Theodoricum defuncta.

retur, palatium omne exsultat, cuncti hominem Dei venerantur. Vnde Rex, non modò discipulum Theodoricum, sed etiam beatum Remigium Regia munificentia prosequi appetens, Venderas ei ad fluuium Matronam donauit, Gaudiacum autem villam pagi Rhemensis sancto Theodorico, orans eum, vt pro se, & regno suo, Dominum deprecaretur. Perseuerauit autem vir sanctus in Christi seruitio vsque in finem, & quidquid ore docuit, exemplis euidentissimis confirmauit. Despiciebat res caducas labentis seculi, vt posset cum Christo cælestia possidere. Ac denique post multa virtutum opera, miraculorúque insignia, peracto bono certamine, mentem semper cælo affixam habens, tandem ad Christum Calendis Iulij cum gloria migrauit. Cuius obitum vt Rex memoratus audiuit, festinus, cum multo comitatu venit ad monasterium, propriisque humeris sacrum corpus ad sepulcrum exportauit: ad quod, etiamnum vsq; in præsens diuina virtus multiuarias efficit virtutes.

Moritur vir sanctus, & effertur ad sepulchrum humeris ipsius Regis.

VITA S. RVMOLDI ARCHIepiscopi & Martyris, ex Theodorico Abbate S. Trudonis.

I. IVLII.

TRIVMPHALE & gloria Christianorum miracula sunt & virtutes Sanctorum. Nouit hoc ab ortu Ægyptus & India, ab occasu alter pene orbis, Britannia, cum adiacente Scotia. Assentit in hoc Herbipolis gloriosa martyris Kiliani meritis & corpore, nec minus prona, Scotorum talium & tantorum Patrum veneratione. Columbanus Italiam *, Bertuinus & VVinochus illustrarunt Occidentalem Galliam. Ex horum numero, ex hoc orbis terræ remotissimo angulo B. Rumoldus quoque emicuit. De quo aliqua dicturi, dum studium pietatis affectamus, minùs dicendi notam formidamus. Ne autem parentes eius & proauos omnino taceamus (ex Regali quippe prosapia exstitit oriundus) illustris fuit Regis Scotiæ satus, exstiturus hæres eiusdem. Frustra tamen fructus sapor eminus in radice quæritur, vbi gratius in ramo comminus demonstratur. Voluntaria quippe paupertate sacratissimus Dei seruus carnem propriam domans, mentem sinceram & solidam Creatori suo, cum omni deuotione dedicauit, omni virtutis bono ab ipsa imbutus infantia: accessitque ad religio-

** Surius habet Bertuinus, sed mendosè, vide Indic. Molani.*

S Rumoldus filius Regis Scotiæ.

Relicta patria tendit Romam.

nem literarum scientia. Et quid præterea agat? Romam auditu didicerat. Itaque omnibus exoccupatus, nec jam in angaria Crucem Iesu gestaturus, in Britanniam ex more gentis transmeat. Nauigant enim vimineis alueis, quos circumdant ambitione tergorum bubalorum.

Vsique in via prædicat Christum.

VNDE transmisso Morinorum freto, quà breuissimus transitus maris est, in Galliam defertur, quoquo locorum veniens, Iesum semper proloquens, de vita æterna, & quid sit Deus, homines instruens: sæpè etiam, cùm ratio postulasset, miraculorum gratia refulgens: sicque laborioso itinere Alpium niues transreptat, quà olim Pœnus Hannibal aceto & igni naturæ vim faciens, scisso Apennino, Romani nominis vires lacessitum transuolauerat. Vrbem ingressus, aliquot dies continuat, studiosa oratione clauigerum cæli ad apeniendum inuitans, Amplexatur triumphale Martyrum nomen, quà iecerant, quà steterant, quà pro nomine Saluatoris sanguinem fuderant, mille osculis & genuflexionibus satisfaciebat, vincebatur totus ardore martyrij. Sed quia non est in hominis potestate vita eius, ex prouidentia omnipotentis Dei de reparatione admonetur. Diuinitatis igitur se committens consilio, compendiosa peregrinatione reuersus, Galliasque ingressus, in eas Occidentalium partes se deponit, qua Scaldis fluuius æstum maris in Ruperam vsque remittit. Locum incolæ Machliniam dicunt, propter maris Malinam & Ledonam, quæ certis temporibus, cum corniculantis lunæ consonantia, nunc accessum, nunc recessum faciunt, nec vltrà quàm ad huius loci fretum vel damna, vel lucra sua commutant.

Enveneratione locorum sanctorum.

Relictis Roma venit Mechliniam.

NOBILIVM ibi quidam Odo nomine Comitatum gerebat, cum æquè moribus, & genere nobili coniuge. Qui solita religione virum mox visum hospitio inducunt, atque ad commanendum postulant & impetrant. Felices autem ambo tali hospite, ad cuius scilicet ingressum, diuina iocundati sunt benedictione. Iuxta tempus & diem à sancto prædictum, de priùs sterili filius nascitur, exceptus, homini Dei præsentatur, qui susceptum baptismate abluit, & Libertus nomen imponit. Ætas interea in adolescentem profecerat, & ex pij Doctoris magisterio, dulcis pusio in omnis boni formam coaluerat: parētes, cum suis curialibus, exsultabant, & de futuro hærede quotidie cogitabant. Sed talis lætitiæ diem, maximi mox mœroris nox obtenebrat. Quadam enim dierum, puer cum coæuis ludos in aluei littore dum meditatur, dúmque

Filius ab eo Comiti Odoni impetratus submergitur.

que

que nimium ripæ credit, periculum iniit, elapsus facit submergium. Tristi fremitu totum statim littus concutitur: Rumoldus interim aberat: rumor vsque ad parentes intonat. Sola hæc spes erat reliqua, vt, quo prophetante non habitum acceperant, eo orante amissum recuperarent. Euocatus homo Dei, de tristi luctu & ipse totus concutitur. Solatus alios, qui seipsum ægrè consolari poterat, littus adit, locum notat, celebri oratione terque quaterque Iesum inclamat. Circumstat tristis conuentus. O rem stupendam! Vix dum ab oratione successerat, cùm, ecce, reiectis oculis propè adstantem puerum adspectat.

REDIVIVVS puer, parentibus, imò à parentibus B. Rumoldo redditur, quin & donaria auri & argenti, totiusque suppellectilis adduntur. Sed vestra, respondit ille, vobis sint: caduca enim aspernamur, ne simul cum cadentibus in præceps labamur. Sed si satisfacitis aduenæ vestro, deserta paludis huius nobis dari obsecro, non vt alieno delectemur fundo, sed vt labore inibi seruorum Dei proficiat mansio. Fauet statim Comes; quod petebatur ex voto offert: testamentalis conscribitur pagina, adstipulatione subnixa. Nomen loco Vlmus ob vlmorum illic luxuriantium copiam. Adunantur illic Deo militantium copiæ: accrescunt omnia, quæ ad vsus pertinent Ecclesiæ, vsque ad consummati operis summam. Ille ipse posthumus Libertus inibi adolescit, & eruditur, ac posttremò, sub tanto Patre, Dominico gregi præficitur, postea persequendus, & proprij cruoris laurea coronandus. Ea enim tempestate qua Scytharum furor excanduit, & de vagina Daciæ, Getarum gladius erepsit, omnibus ab ipsa maritima ora vsque ad Agrippensem Coloniam vastatis & incensis, hic homo Dei, occasione euadendi periculi, in Hasbaniam se transtulit: quem prosecutum & captum, effera gens ante ipsam S. Trudonis aram fecerunt Deo victimam.

Idem à S. Rumoldo excitatur.

Impetrat vir sanctus locũ construenda congregationi clericorum.

Intelligitur depopulatio facta per Normannos anno 884.

INVIDIA interim recrudescit diaboli, nouos cœtus cernentis quotidie adunari, se impigrè oppugnari. Inficit nota peste duos quondam sancti viri comites: qui solum aliquando gradientem, & ex more Psalmos ruminantem, ex aduerso lethali vulnere excipiunt, spe adipiscendæ pecuniæ, quam solitus esset circumferre. Miseri profectò, & proditoris Iudæ dignissimi laqueo, qui dum vanissimum sequuntur quæstum, & turpe lucrum, tanti tamque religiosi sacerdotis incurrunt magistricidium. Qui præterea, factum volentes palliare, sce-

S. Rumoldus ab impiis trucidatur.

leri crimen addunt, raptumque sacratissimum corpus, prætetlabentibus vndis iniiciunt: ac deinde regressi mendaciis rem gestam cooperiunt, frustra tamen, piscatoribus enim noctu, circa negotia partito labore occupatis, lux cælestis incanduit, & quo loco sacratissimum illud corpus delitescebat, superfusis luminariis apparuit. Vnde perterriti homines, & nihil per se præsumentes, adeunt Comitem. Qui socium se pręstans nauigij, insolitóque iocundatus luminariorum miraculo, iactis retibus, nobilem piscaturam haurit, & sacratissimum illud funus cum iubilo ad terram trahit, impositumque vehiculo, quo nunc requiescit loco, deportat. Porrò dies martyris, depositione eius celebris, est octauo Kalendas Iulij Sed ne quid Baptistę celebritati detraheretur, 8. inde die martyris officium percolitur.

Detegitur cælesti lumine eius sacrum corpus.

DE VISITATIONE B. MARIÆ, PARtim ex D. Chrysostomo, partim ex D. Ambrosio.

II. IVLII.

** D Chrysost. vt est in Bre. Rom.*

CVM ad nos aduenisset, sicut Euangelium testatur, Redēptor nostri generis in vterũ virginalem, venit protinus ad amicum suum Ioannem, dũ adhuc esset in vtero. Quem cùm ex matrice in matrice adspexisset Ioannes, terminos naturæ concutiens, exclamat: Video Dominum, qui naturæ imposuit terminos, & non exspecto tempus nascendi, nouem mensium enim tempus in vtero non est mihi necessariũ: in me est enim qui est æternus. Egrediar ex hoc tenebroso tabernaculo, rerũ admirabilium compendiosam prædicabo cognitionem. Sum signaculum, significabo Christi aduentum. Sum tuba, proferam Filij Dei in carne œconomiam: Tuba canam, eo ipso paternæ linguæ benedicam, & eam traham vt loquatur. Tuba canam, & vterum maternum viuificabo. Itaque videtis dilecti, quàm sit nouum & admirabile mysterium. Nondum nascitur, & saltibus loquitur: nondum apparet, & minas intentat: nondum ei permittitur clamare, & per facta auditur: nondum ducit vitam, & Deum prædicat: nondum adspicit lucem, & solē indicat: nondum paritur, & properat præcurrere: non fert enim præsente Domino contineri, non sustinet naturæ exspectare terminos, sed contendit rumpere carcerem ventris, & studet præsignificare venientem Saluatorem.

Inducitur loquens S. Ioãnes Baptista, exsistens adhuc in vtero materno.

Nota insignes antitheses.

Accessit, inquit, qui soluit vincula, & quid ego sedeo vinctus, & retineor vt remaneam? Venit verbum vt omnia cõstituat, & ego adhuc maneo detentus? Exibo, præcurram, & prædicabo omnibus: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Sed videte, Christiani, & ad vos quoque venit Christus: ecce stat ad ostium, & pulsat, atque interim quoque Sponsus & Sponsa dicunt: Veni, & qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Quin accipite & aliud documentum.* Morale est omnibus, vt qui fidem exigunt, fidem adstruant. Et ideo Angelus, cum abscondita nuntiaret, vt fides adstrueretur, exẽplo Senioris feminæ, sterilisque, conceptũ virgini Mariæ nunciauit, vt possibile Deo omne, quod ei placuerit, assereret. Vnde & vbi audiuit hoc Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio, in montana perrexit. Quò enim iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina, Spiritus sancti gratia.

Ap. 3. & 22.

** D. Ambro. li. 2. in Lucã.*

Quid significet Mariam abisse ad montana.

Discite itaque & vos sanctæ mulieres sedulitatem, quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis. Mariam, quæ antè sola in intimis penetralibus versabatur, nõ à publico virginitatis pudor, non à studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit. In montana virgo cum festinatione, virgo officij memor, molestiæ immemor, affectu vrgente, non sexu, relicta perrexit domo. Discite & vos virgines non circũcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, nõ aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, festina in publico, mansit apud cognatam suam tribus mensibus. Porro didicistis virgines pudorem Mariæ, discite & humilitatem. Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem: nec solùm venit, sed etiam prior salutauit. Decet enim, vt quanto castior virgo, tanto humilior sit. Nouerit deferre senioribus, sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. Denique est & causa pietatis, & simul norma doctrinę: Contuendum est enim, quia superior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur. Maria ad Elizabeth, Christus ad Ioannem, virgo ad coniugatam, imò & Deus ad hominem.

Maria in domo sera, festina in publico.

VITA S. OTTHONIS EPISCOPI BABENbergensis, ex ea quæ est apud R.P.L. Surium.

II. IVLII.

S. Otthonis patria & parentes. BEATISSIMVS Ottho Episcopus ex Sueuia duxit originem. Parentes autem habuit Bartholdum Comitem & Sophiam nobilitate magis quàm rerum opulentia insignes. Sed & ipso studiorum causa in exteris regionibus degente, frater eius, parentibus vita functis, domum gubernans tenues sanè impensas Otthoni, in literas incūbenti, suppeditabat. Vnde & ipse, cùm Grammaticæ præcepta, itemque Poëtas & Philosophos quosdam tenaci memoria complexus esset, noluit amplius fratri importunum se præbere. Itaque in Poloniam peregrè profectus, vbi nouerat literatorum esse penuriam, ludum literarium aperuit, idioma quoque regionis illius didicit, omnibus charus & gratus. Adscitus verò est deinde etiam in aulā Poloniæ Ducis: qui & eum Legatum misit ad Henricum Imperatorem, eius nominis quartum. Cęterum per id tempus Imperatores Ecclesiarum inuestituras conferebant. Vnde & accidit vt Imperatoris Cancellario in Episcopum promoto, in eius locum, ab Imperatore, Ottho subrogaretur. Quo sanè munere ea comitate perfunctus est, vt aulici omnes multa cum beneuolentia complecterentur.

Aperit ludū literarum in Polonia.

Fit Cācellarius Imperatoris.

INTEREA verò Babenbergensis Episcopus Rupertus Anno Christi millesimo centesimo secundo excessit è viuis: allataque sunt Episcopatus insignia ad aulam Imperatoris, & preces oblatę pro dando pastore. Ille verò sex mensium sibi voluit spatia permitti ad deliberandum, cùm, ecce, elapsis mensibus sex, præsentibus Legatis, manu apprehendens Ottonem, Hic, inquit, hic est vester Dominus, & Babenbergensis ecclesiæ Antistes. Quę vt Ottho audiuit, ad pedes Imperatoris aduolutus, vbertim lacrymas fudit, inopem se, & tanta dicens dignitate indignum. Tum verò Imperator, Cernitis, ait, quæ sit huius hominis ambitio. Duos antea ipsi oblatos Episcopatus ad socios reiecit, Augustanum & Halberstadensem: ecce iam tertiò recusat. Atque hæc dicens, annulum Episcopi, eius digito apposuit, pedum tradidit, & ita inuestitum, Legatis resignauit. Hac igitur ratione, Pontificatus cathedram scandere coactus, ægrè tamen, & cum multa hæsitatione consensit, idque etiam tum propter contentionem illam quę eo tempore erat inter Regnū & Sacerdotium, causa inuestituræ & Electionum Ecclesiasticarum.

Defertur ei Episcopatus Babenbergēsis.

Detrectat honorem, sed frustra.

Nota de Inuestituris.

QVARE & in ipso articulo, cùm adhuc in aula Imperatoris esset, votum nuncupauit Domino, nunquam se in Episcopatu

patu permansurum, nisi consentiente & postulante Ecclesia sua, mereretur ipsius Pontificis Maximi manu & consecrari, & inuestituram consequi. Atque interim Imperator Augustano & Herbipolensi mandat Episcopis, aliisque aulę honoratis viris, vt eum Babenbergam deducant. Sed vide rem stupendam. Cùm eatenus ad oppidum accessisset, vt iam conspicere posset monasterium Cathedralis Ecclesiæ, ab equo descendit, calceamenta deposuit, atque ita, licet rigeret Februarij frigidum cœlum, per niues & glaciem nudis pedibus, vsque in sancti Georgij ædem progressus est. Sed & post officia salutationum, aliis calidam aquam ad abluendos pedes offerentibus, ille gnarus & prudens frigidam poposcit, eique pedes imponens, frigus frigore profligauit. Post paucos autem dies, memor voti sui, nuncios Romam misit ad Dominum Paschalem Pontificem, eius nominis secundum: à quo per literam euocatus, Romam profectus est, pedum & annulum ad Pontificis pedes deponit, temeritatis & errati veniam petit.

Nudis pedibus ingreditur Babenbergam.

Deponit insignia Episcopatus ad pedes Summi Pontificis.

TVM verò Pontifex leuare eũ iubet insignia, cùm ille interim negat, indignúmque se protestatur. Sed obedientiæ præcepto ab ipso Romano Pontifice tādem accipit inuestituram, & cum exsultatione totius curiæ, inter Missarum solennia, Episcopus consecratur. Ab eo autem tempore quo Episcopus consecratus est, operante in illo gratia Spiritus sancti, tam in secularibus quàm spiritualibus negotiis maximopere consilio viguit & prudentia. Primitiæ enim operum eius mox duo cœnobia fuêre in Episcopatu Herbipolensi, Vraugia & Vra. Deinde & in Babenbergensi Episcopatu tertium & quartum condidit, alterum Michelenuoldt, alterum in Lautheim: & in Episcopatu Ratisponensi sex: primum Entisdorffum, secundum * Pruueningen, tertium cognominatum Monasterium, quod ab * Henrico Duce Bauariæ sibi pecunia comparauit, quartum Biburgum, quintum Adelhartesdorffum, sextum VVindelburgum. Sic & in Episcopatu Halberstadensi vndecimum eius exstat monasterium Regenstorffum, in Episcopatu Eisteten si duodecimum Hasprunna, in Episcopatu Patauiensi tertiumdecimum Alrispach, & quartumdecimum iuxta fluuium Anisum, in Patriarchatu quoque Aquileiensi decimumquintum in Castro Arnoldstein, quomodo etiam Cathedralis Babenbergensis ecclesiæ monasterium, quod sub eius antecessore conflagrarat, impensis beati viri pristinæ est dignitati restitutum, vt multa nihilominus breuitatis causa prætercam,

Construit quindecim monasteria.

Itē magnificè instaurat ecclesiam suam Cathedralem.

quæ tum huic, tum aliis cœnobiis & Eccleſiis elargitus eſt.

Nota vnde tantæ facultates ei obtigerint.

ET eſt ſanè admiratione dignum, ab vno Epiſcopo tot locis tam multa potuiſſe conferri. Sed hæc omnia de fonte rei familiaris ille hauriens, Deo ſubminiſtrante abunde multa, ſeipſum non exhauſit, imò, ſicut ipſe dicere ſolebat, quanto plus in Dei opera erogabat, tanto ſemper magis ipſi, quod erogaret, ſuppetebat. Etenim quanta illius in veſtitu & victu frugalitas fuerit ac parſimonia, vix vlli credibile videatur. Sēper ſobrius & penè ieiunus à menſa ſurrexit, appoſita omnia ægrotis, egenis, & mendicis impartiens. Sanè quodam ieiunij tempore, cùm multa eſſet piſcium penuria, Procurator eius, lucium non magnum duobus ſolidis emit. Cui Epiſcopus, Quanti inquit, emiſti eum? Reſpondit ille: Duobus ſolidis. Tum Epiſcopus, Abſit, inquit, vt miſer Ottho ſolus hodie tot nummos abſumat: leuansque diſcum, Ferto ait, piſcem hunc, ſicubi noſti hominem morbo decumbere, aut paralyſi cruciari: ego, qui robuſtus ſum, hoc me pane facilè refecero. Cùm ſic autem egregius paſtor, ouilis ſibi crediti præcipuam gereret curam; Boleſlaus Poloniæ Dux illum ad ſe acciuit, vt Euangelij prędicatione, ad Chriſti religionem traduceret Pomeranos, quos Dux ille, Boëmorum & Hungarorum fretus auxilio, ſuę ditioni per id tempus ſubdiderat: quod piiſſimus Ottho, à Pontifice Romano dimiſſione impetrata, tribus etiam Presbyteris in cooperarios ex Polonia aſſumptis, ſedulò & feliciter diuina cū gratia comitante, perfecit, multis licet inter prædicandum ab illis verberibus & contumeliis affectus.

Quoddam insigne eius dictum & factum.

Insistit conversioni Pomeraniæ.

REFERAM autē & hoc eius flagellū, ſiue Dei potiùs erga eū paternam caſtigationē. Cùm fortè in pago Buchebach maximas Sanctorum reliquias reconditas animaduertiſſet, ad nobiliora eas loca transferre cogitabat. Itaq; adiunctis ſibi clericis, cùm priùs ieiunio & precibus vacaſſet, pia animi intentione ſigillum altaris reſignari iubet: ſed hæſitantibus cunctis & trepidantibus, ipſe ferrum arripiens, cùm ſemel atque iterū, vel tertiò ſigillum malleo cecidiſſet, ſanguis è plumbi arcula haud aliter atq; ex animantis corpore manauit. Turbatur itaq; Epiſcopus, abiicit ferrum, ad orationem ſimul omnes proſternuntur, admiſſi veniam petunt. Atq; pater quidē benignus, qui ad diſciplinā filiū erudire volebat, graui ægritudine Otthonē afficit, adeò, vt de vita deſperaret. Quare & acceſſit Abbatem S. Michaëlis Vulfrannum, habitúque monachi inſtantiſſimè ſe petit indui, dicens ab annis multis propoſitum illud

Vide eximium miraculum circa quasdam reliquias sanctorum.

Desiderat vir sanctus fieri monachus.

lud sibi fuisse. Verùm Abbas, vir prudens, vt obedientiā ægrotantis suscepit, ita habitum de industria distulit.

ATQVE interim post aliquot dies ægrotus habet meliusculè, & tamen memor voti sui, iterum habitum expetit. Tum verò Abbas, re tota diligenter cum multis honestis viris expensa, reuerenter ex Episcopo percunctatur, velitne promissam sibi obedientiam re ipsa exsequi: illoque respondente, In eius nomine, qui pro nobis Deo Patri vsque ad mortem obediuit, subiungit Abbas: In eius igitur nomine tibi præcipio, Pater sanctissime, vt sub onere regiminis Episcopalis ad honorem Dei perseueres, & id facias quod facis, vitam æternam recepturus. A quo tempore Episcopatus Babenbergensis totus in eleemosyna, totus in hospitalitatem erga pauperes & peregrinos collocatus est. Cùm deinde tam morbo quàm senio exhaustis corporis viribus, indies vir beatus cæpit dissolui, donec tandem supplici & pura confessione præmissa, olea illa placida & sancta sacri olei extrema vnctione delibuta, sacrosanctum Dominici corporis viaticum accepit, circumstanteque illo suo semper illi familiari, tam clericorum quàm monachorum religiosorum collegio, plenam operibus bonis animam sic ad cælos transmisit, Anno salutis millesimo centesimo trigesimo nono, tertio nonas Iulij, Episcopatus sui anno trigesimo septimo. Porrò translatum est corpus beati viri Anno millesimo centesimo octuagesimo nono, sub Clemēte tertio, prid, Calend. Octob. quo die etiam festū eius celebratur.

Tradit se totum voluntati Abbatis Vulfranni.

Munitus Sacramentis Ecclesiasticum migrat ad Christum.

Eius translatio.

VITA S. VDALRICI EPISCOPI *Augustani, ex ea quæ est per Bernonem Abbatem Augiensem.*

IIII. IVLII.

EGREGIVS Christi Confessor Vdalricus, ex Alamannorum prosapia exstitit oriundus, parentibus, Hupaldo scilicet & Thierburga, ambobus quidem secundum seculi huius dignitatem claris & nobilibus, sed fide atque diuina religione multo etiam nobilioribus. Qui videntes tantam Dei gratiam in eo adhuc puero fulgere, lasciuiam eum declinare, timorem Dei habere, ac inquantum possibile tali adhuc erat ætati, in corporis motu, gestu, incessu, foris ostendre qualis habitus formaretur in mente, commendauerunt eum in monasterium

S. Vdalrici clari natales.

Educatur in monasterio S. Galli. sterium S. Galli fratribus religiosis, vt eorum magisterio tam secularium literarum studiis, quàm cælestibus instrueretur disciplinis, vbi sanè verba, quæ in sacris codicibus legebat, mox in opera vertebat. Quare & parentes de eius profectu nimium gaudentes, ac Deo gratias agentes, iterum commendant eum Adalberoni Augustensis Ecclesiæ Præsuli venerando. *Visit limina Apostolorum* Et quidem libuit interim viri Dei animo Romam pergere, Apostolorũque limina visitare, vt se suaque omnia ipsorum aliorumque Sanctorum precibus possit attentius commendare. Quo cùm venisset, ab Apostolicæ Sedis Præsule requisitus quis esset, respondit se ex Alamannorum stirpe progenitum, atque Adalberonis Augustensis ecclesiæ esse Clericum. *Constituitur Episcopus Augustanus.* Ad quæ Apostolicus, Non durè, inquit, accipias quæ dico, quia idem de quo retulisti, tuus Pontifex Adalbero iam migrauit de hoc seculo, ac te, Dei ordinatione dispẽsante, oportet huius regiminis curam suscipere.

Qvo sanè adepto dignitatis honore, qualis quantusve extiterit, nullius sermo ad integrũ explicare valebit. Totus semper erat in oratione, totus in lectione. Suberant ei curæ maximæ de reparandis Ecclesiæ muris, de reædificandis domorum ac ipsius ciuitatis ædificiis, quæ sub antecessorum suorum temporibus, aut nimia vetustate delapsa, aut igne fuerant consumpta. Sed & familia maxima ex parte à paganis occisa, & pars quæ remanserat, egestate nimium erat afflicta. Inter quæ venerabilis heros, sapienti vsus consilio, materialibus quidem ædificiis prudentes ac idoneos magistros præfecit: ipse verò, quasi sapiens architectus, cum Apostolo Christum fundamentum posuit, vt sanctarum animarum ædificatio per eius prædicationem constructa, cresceret in templum sanctum in Domino. Quoscumque autem ad tale ædificium verbo & exemplo præparabat, cætera humanitatis officia quoque eis, prout illi facultas suppetebat, præbere non desinebat. *Aliis liberalis, sibi ipsi est parcus.* Vnde in refectione quotidiana semper eius mensæ chara sibi intererat pauperum turba, quã & victu pauit, & indumentis vestiuit. Seipsum verò è contra nimia maceratione castigauit, ita vt carnem non manducaret, & intrinsecus super nudam cutem, laneam vestem portaret: erat verò etiam ei solennis consuetudo, post Completorium silentio studere. Et, vt breuitatis compendio vtar, sic exterius gerebat officium Sacerdotis, vt interius non omitteret religione in monasticæ conuersationis.

Qvari

QVARE nec prætereundum puto qualiter cælestis signi visione ipsum voluerit Dominus mirificare. In ipsa scilicet solenni die sancti Pachæ, multa fratrum caterua adstante, dum sanctus sacerdos diuina celebraret mysteria, dextera quædam apparuit superna, quæ, cum ipsius dextera, diuina sanctificauit Sacramenta. Sed & suæ diœcesis terminos lustrauit sæpius, ac congregatis coram se Clericis, Simoniacorum hæresim, quasi perniciosam pestem, deuitandam esse admonuit, sciens apertè à Domino præceptum: Gratis accepistis, gratis date. Quin etiam dum contentio inter Ottonem Imperatorem, propter fratrem ipsius Henricum, & Ludolphum, exorta, intantum excreuisset, vt nō aliter nisi ferro finiri potuisset, iamque acies vtriusque partis ordinata esset, vt cominus committi deberet pugna, athleta Dei Vdalricus, sciens quia beati sunt pedes portantes pacem, assumpto secū Hartberto, Curiensis ecclesiæ religioso Episcopo, se in medium iniecit, ac tanta eos arte suadendi agressi sunt, spiritu Patris in amborum ore loquente, vt veræ charitatis donum firma stabilitate in illorum pectoribus consolidarent.

Dextera superna sanctificat cum ipsius dextera diuina mysteria.

Matth. 10.

Conciliat pacem inter Ottonem Imperatorem, & Ludolphum Principem.

POST quod sequenti anno, id est, Dominicæ incarnationis nongentesimo quinquagesimo quinto, gens Hungarorum, omni bellua crudelior, iuxta quod viro Dei cælitus antè fuerat reuelatum, cum innumerabili multitudine erupit omnemque Noricorum regionem à Danubio vsque ad nigram syluam, & partem prouinciæ Alamanorum vsque Hilaram fluuium, deuastando occupauit: quæ Licum quoque transiens, ecclesiam S. Afræ igne combussit, atque ciuitatem Augustam obsidione circundedit. Sed Iosue isto arcam Domini in pectore mundo gerente, & cum Sacerdotibus ac Leuitis tubis, id est, maxima prece ad Deum, & ad eius sanctam genitricem Mariam semper virginem pro sua ereptione clamantibus, Hungari, qui erant ciuitas diaboli Iericho, ceciderunt. Nā comperto Ottonis gloriosissimi Imperatoris aduentu, retracta obsidione, obuiam pergunt, inito prælio, iuxta viri Dei presagium, Deo victoriam populo Christiano donante, multa millitia Hungarorum ceciderunt, ceteri arripuerunt fugam. Quibus ita gestis, Præsul venerandus, Deo in omnibus gratias agens: mox cœpit subditorum necessitates pertractare, atque adeò suorum congregationes Clericorum, quæ hostium deprædatione ad tantam fuerant inopiam redactæ, vt ad quotidianæ refectionis vsum non possent habere necessaria, se

Obsidetur Augusta ab Hungaris.

Ex inuocatione Deiparæ

Post depopulationem hostilem pauper ipse alit tamē multos alios pauperes.

ria, secum retinuit, ac, inquantum potuit, pauper ipse præsentis vitæ necessaria pauperibus ministrauit, & non solùm illis, sed & omnibus se petentibus, prout habuit, misericordiæ manum porrexit. Ad hæc & orationis causa Romam perrexit; vbi & caput sancti Abundij martyris acquisiuit, secumq; religiosa cum deuotione Augustam reportauit.

SED & propter ipsius merita, plurima infirmis præstabantur beneficia, & maximè qui caduco grauabantur morbo, per eius benedictionem à tanto liberabantur incommodo. Quod intantum humilitatis causa tamen studuit occultare, vt si fortè aliqui illorum hanc sanitatis gratiam palàm postularent, donum benedictionis subraheret. Per oleum quoque ab eo in cœna Domini consecratum, variis languoribus detenti, pristinæ restituti sunt sanitati: nec non & oculorum caligine obtenebrati, huius sancti olei vnctione merebantur illuminari. Et quidem sanctus Dei, cum cælesti desiderio esset afflatus, cœpit ea quæ sunt huius mundi prorsus fastidire. Vnde zelum Dei habens, licet non secundùm scientiam, cœpit apud terrenas potestates totis viribus agere, vt quid à Clericus Adalbero, suæ sororis filius, totius Episcopatus curam susciperet, ipse autem soli Deo vacaret. Sed ille miserandus, milites Episcopi, totamque familiam statim sacramento sibi subijciebat, ac virgam pastoralem publicè manu gestabat. Sed non est sapientia contra Dominum. Nam eodem anno, post aliquot menses, statim præsentis vitæ terminum clausit. Itaque rursum omnipotentis Dei famulus Vdalricus licet tempus resolutionis suæ iam instare non ignoraret, tamen, quandiu potuit, vehiculo superpositus, diuini verbi semina in audientium corda spargere non cessauit. Quamdiu vires sufficiebant, inter quotidiana Missarum solennia, salutarem hostiam Domino mactabat. Ad mensam cum aliis sedens, illis manducantibus & bibentibus, ipse penè manebat ieiunus. Erat autem ei cibus aut dulcis Psalmorum suauitas, aut sacrarum lectionum assiduitas, inter quas maximè delectabatur audire, ex quarto libro Dialogorum sancti Gregorij, qualiter multi è corporibus exempti in spiritu rapiebantur, ac iterum reuertebantur.

Variis claret miraculis.

Patitur aliquid humanum.

Etiam senex, strenuum præbet se Pastorem.

Nota.

AC denique cum, quadam die se ad audiendam Missam in ecclesiam deferri iussisset, ea audita, vnum tapetem coram sancta Cruce sterni fecit, seseque super hoc in orationem dedit: vnde post dimidiam horam surgens, quicquid suppellectilis

ctilis habere potuit, coram se importari præcepit, præter paraturam vnius domûs ac mensarum, & vnum opertorium, quæ reliquit ad seruitium successoris. Quæ cætera cùm perspexisset, ingemiscendo dixit: Ah, quid mihi hæc omnia? Fuerunt autem pauca camisilia, & septem vel octo mensalia, duo sarcilia, & de argento decem solidi, quos statim per manus Præpositi præcepit inter pauperes diuidi, cætera verò erogari Clericis, vigilanter studens se ad hoc præparare, vt pulsanti confestim posset aperire, quæ etiam meditando, aliquoties ad superna in spiritu rapiebatur. Atque adeò quadam vice, quasi de graui somno excitatus, Heu, heu, ait coram omnibus, quòd illum Adalberonem nepotem meum vnquam vidi, quia pro eo quòd ei consentiebam secundum suum desiderium, nolunt me impunitum in suum recipere consortium. Scilicet stupendum exemplum, cui tamen legimus simile, S. Gregorio in libro dialogorum referente de quodam Paschasio, Apostolicæ Sedis miræ sanctitatis Diacono. Sed iterum spiritu recreatus, petens ab omnibus indulgentiam, & vicissim benedictionem tribuens, Clericis canentibus & flentibus, in manus Domini spiritum suum efflauit, anno Domini nongentesimo septuagesimo tertio, ordinationis verò quinquagesimo, velut in Iubileo, hoc est, anno plenæ remissionis. Transiit autem quarto nonas Iulij, tempore Ottonis secundi Imperatoris: cuius corpus cum magna gloria humatum est in ecclesia S. Afræ martyris, in quo loco multa per eius merita assiduè fiunt miracula.

Exsecratur vir sanctus quasi superfluitatem in supellectile tamen minima.

Notent qui tam libenter promouent suos cognatos.

Lib. 4. c. 40.

Migrat senex & plenus dierum ad Dominum.

VITA S. GODOLEVÆ CONIVGATÆ *Martyris, ex Drogone Gestelensi.*

VI. IVLII.

BEATA Godoleua in Boloniēsi territorio, pago qui Londefort dicitur, patre Vifrido, matre Ogina, honestis & honoratis parentibus orta est: quam tamen generis nobilitatem moribus & vitę sanctimonia pręclarè ipsa illustrauit. Præter egregias animi dotes, fuit etiam insigni formæ elegantia & corporis pulchritudine. Vnde, cùm iam pueritiæ metas excessisset, & iustum attigisset ætatis robur, à multis cupidè expetita est in coniugium. In iis autem erat & Flander quidam Bertulphus nomine, genere insignis & opibus pollens. Itaque Godoleua illi desponsata est. Sed etsi nobilissimis ille esset n i

S. Godoleua patria & parentes.

Despondetur cuidam Bertulpho, homini nobili, sed impio.

ſet natalibus conſpicuus, at moribus tamen, quemadmodum infra dicturi ſumus, Godoleuæ minimè congruebat. Etenim mox, cùm eam ad ſuas traduxiſſet ædes, fraude maligni hoſtis id agente, cœpit duci pœnitentia quòd eam ſibi ſponſam optaſſet. Atque adeò acerrimo odio illam proſecutus eſt, cui etiam fomenta ſuggerebat mater. Et cur, inquiebat illa, voluiſti cornicem ex aliena regione huc adducere? annon erant in patrio ſolo permultæ quas expetere poſſes? Atque his nimirum exercebatur ancilla Chriſti.

Exercetur variis irriſionibus.

CELEBRABANTVR triduo nuptiæ, ſed iis ſponſus noluit intereſſe, ne, quam habebat exoſam, aſpicere cogeretur. Mater interim cum amicis curabat ea quæ nuptiarum ſolennitas poſcere videbatur, intus ſæuiens: foris blandiens. Poſt triduum autem Berturphus domum rediit, Moxque ſpreta coniuge, relicta familia & ædibus ſuis, in paternam commigrauit domum. Itaque ſponſa Godoleua inuiſa ſponſo, ſed Chriſto chara ſola domi reſidet, gubernat familiam, ſeipſam irreprehenſibilem exhibet: atque interim vt compleretur quod ſcriptura ait, Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc; Bertulphus malitiæ ſuæ finem non imponens, indies in Chriſti ancillam atrociori odio inflammabatur, communicatoque cum parentibus conſilio, vernam quendam præfecit, qui ei malignè inſeruiret, parumque panis ſtatuta hora ei præberet. Subijcitur igitur ſeruo ſuo ancilla Chriſti, & parere illi cogitur. Exagitatur contumeliis, irriſionibus, nec tamen permouetur impatientia. Gratias agit Deo pro pane ipſi dato, idque animo exſultanti: eiuſque partem dimidiam cum ſale & aqua ipſa ſumit, reliquum, dat pauperibus. Quin & pro ea ipſa parcitate quotidie Domino hymnos offerens, & cantica laudis, orat pro ſe perſequentibus & calumniantibus.

Mox poſt triduū nuptiarum, repudiatur à dicto Bertulpho.

Apoc. 22.

Grauiter affligitur ſub manibus proprij famuli.

O benè fundatam mentem

AT neque ſic tamen quieſcit ſatan. Bertulphus enim, vt vidit nec duris & moleſtis rebus eam frangi, nec fame & inedia confici, cœpit de eius nece multa cruento animo cogitare. Sed cùm non eſſet neſcius nobiliſſima eam familia prognatam, palàm ei cædem intentare non erat auſus. Sperat ergo fore, vt maioribus affecta moleſtiis pereat, ac ſic dimidiā panis hactenus illi attributi iubet ſubtrahi portionem. Quam annonæ diminutionem illa ſedato animo ferens, tametſi videret difficillimè tantilla panis particula vitam poſſe ſuſtentari ſuam, at nihilominus tamen id quod ſemel Deo vouiſſet, ſtatuit hilariter reddere. Itaque mediam dimidij panis partem elargitur

Additur in aſſiictio ſuper afflictionem, & fit ei virtus ad virtutem.

tur pauperibus more suo, de reliquo viuit ipsa, orans Dominum instantiùs. Et quidem, tanta diuinitus Godoleuæ gratia erat collata, vt non illi dumtaxat quos affabilitate & familiaritate sibi deuinxerat, sed ij etiam qui solo nomine cognitam eam habebant, illam diligerent, & tamen in tanta immanitate Bertulpho fauent sui, incitantque crudelem in humilem.

Nota.

I L L A igitur tantam mariti & familiæ sentiens persecutionem, tantamque animorum erga se acerbitatem, fuga tandem sibi consulere compellitur. Nudis igitur pedibus, vno tantùm assumpto comite, ad natale solum reuertitur, parentibusque suis calamitatis suæ historiam ordine recenset. Et quidem pater altiùs ingemiscit, & communicato cum amicis consilio Balduinum Comitem Flandriæ adit, petit opem ab illo. Comes verò remisit illum ad Episcopum, in cuius erat diœcesi gener ipsius. Erat is Nouiomensis Ecclesiæ Antistes, & per id tempus suo officio probè fungebatur. Aiebat enim Comes eam causam ad forum Ecclesiasticum pertinere: & simul nihilominus, quod si gener eius nollet obtemperare Episcopi admonitioni, se seuerum vindicem fore promisit. Ita ergo Bertulphus, tum Antistitis auctoritate, tum Comitis potestate sponsam suam recipere cogitur. Et promisit quidem ille metu Principis se eam comiter & honorificè habituram, sed, proh dolor, facta sunt nouissima illius peiora prioribus.

Tandem relicto sponso toruo, clam fugit.

En quod causæ matrimoniales pertineant ad forum ecclesiasticum.

Promittit Bertulphus emendationem, sed nihilominus præstat.

I A M aduenerat dies, quo femina Deo plena manifestaretur, & in cælis coronaretur. Ea ipsa igitur nocte, qua fraude perditorum nebulonum iugulanda erat, ante solis occubitum, venit ad eam Bertulphus, simulato animo osculatur & amplectitur eam. O hominem ipso Iuda proditore (vt ita dicam) nequiorem! Inueni, inquit, feminam, quæ se iactitat posse nos mutuo amore & beneuolentia connectere. Ego id negocij commisi Lamberto & Haccæ seruis meis, qui feminam ad te adducent: tu vide fidem vt illis accommodes. Tum vero illa: Christi ancilla sum, si absque sceleris alicuius commixtione id fieri potest quod dicis, non refragor; sicque Bertulphus à scamno exsiliens, equum ascendit, Brugas profecturus, vt illic pernoctaret, nunciumque de exstincta Godoleua operiretur. Deinde verò nocte cunctis sopore oppressis, Lambertus & Hacca dominam suam excitant, Surge, inquiūt, hera feminam, cuius apud te mentionem fecit herus, adducimus, cum illa mox se munit sanctæ Crucis signo, ac deinde

Blanditur impius foris, & intus sæuit.

P totam

Strãgulatur sancta femina à proprio famulo.

totam se commendat Deo, atque ita surgens, abit cum illis. At illi scelesti laqueum in eius collum iniiciunt, simulque manibus tota vi premunt illius guttur, ne quos possit edere clamores: deinde & in aquas demittunt; ac denique, vt iam exanimem sensêre, exanime corpus ad lectulum reportant. Sed sole altiùs scandente, familia inter se mussitare cœpit quid causæ sit quòd hera non prodeat è cubiculo. Consueuerat enim illa vel ante auroram, vel in auroræ primę ortu surgere, aliosque admonere vti ad ecclesiam se conferrent.

Ex Christianā matrem familias.

ITAQVE tandem itur ad eius cubiculum, excitatur tamquam dormiens, sed mortua non expergiscitur. Accurrũt vicini, contemplantur corpus exanime, nullum ferri vestigium inuenitur. Ad collum duntaxat visebatur cruentus circulus qui relictus erat ex laqueo. Verùm enimuero quàm Deus illam charam habuerit, res ipsa declarauit. Eodem enim die, eius accelerata sepultura est: & quia panis defuit, qui pro salute animæ eius erogaretur, itum est pro emendo frumento, quod certè ipsi emptori lucro fuit. Adeò enim excreuit in farinam redactum, vt modum mensuramque excederet, & emptor miraculum admiraretur, Deoque gratias ageret. Sed & humi pars illa, vbi interempta est, in candidos lapides versa est, vt meritum eius Dominus ostenderet, cunctisque fidelibus innotesceret cædes illius. Quin etiam cùm ex animi deuotione erga sanctã feminam de terra illa quidam secum domum absportarent, eam postea in gemmas mutatam, mirati sunt. Quod, ne quis fabulosum putet, ego ipse qui hæc scribo, oculis meis eas gemmas vidi, & nomen Domini benedixi.

Nota de pane qui pro salute animæ eius erogaretur.

Itē aliud insignem miraculum: & simul obserua fidem Scriptoris.

DE SS. KILIANO ET SOCIIS MARtyribus, ex iis quæ sunt apud R.P. Laur. Surium.

VIII. IVNII.

S. Kiliani genus.

BEATVS Kilianus è Scotorum genere nobilibus ortus parentibus, diuinæ gratiæ factus est nobilitate clarissimus. Sanè Scotia, quæ & Hybernia dicitur, insula est maris Oceani, fœcunda quidem glebis, sed viris etiam sanctissimis clarior: è quibus Columbano gaudet Italia, Gallo ditatur Alemannia, Kiliano Francia Teutonica nobilitatur. Qui, vt diximus, nobili prosapia editus, & in ipsa pueritia liberalibus studiis traditus, simul cum literarum incrementis diligenter

etiam cœpit indagare veritatis viam: & tandem diuina illum præueniente gratia, spretis humanarum literarum studiis, cunctisque huius mundi illecebris, monasterium petiit. Vbi videntes Fratres monasterii in virtutum profectibus beati viri perseuerantiam, primò eum per ecclesiasticos gradus ad Presbyteratus officium precibus adscendere, deinde & eiusdem monasterij gubernandi curam quoque suscipere coegerunt. Et ille quidem sciens perfectionem charitatis sine proximi dilectione constare non posse, apud suos aliquamdiu se detineri passus est, vt Fratrum prodesset vtilitati. Verumtamen cùm fama eius longè crebresceret, metuens ipse ne popularis fauor maculam aliquã sibi adferret, cœpit meditari quemadmodum posset notos & propinquos relinquere: atque ita, postquam illi deliberatum fuit discedere à natali solo, accitis sociis, in quorum mentibus idem feruor ardebat, cum iis in vicinam Scotiæ Britanniam peruenit, eamque non longa nauigatione præteriens, Gallias attigit.

Sanctè vixit in monasterio.

Celebris factus vt lateat, statuit cum quibusdam sociis peregrinari.

INDE verò in Germaniæ prouinciam profectus est quæ ab incolis terræ illius Orientalis Francia vocitatur, ibique in oppido, quod lingua eorum *Vvirtzburgh* dicitur, morari constituit, non veritus incredulæ gentis feritatem, quippe qui animo intrepido coronam martyrij appeteret. Interim tamen à verbo prædicationis abstinuit, donec se Romano Pontifici præsentaret, vt apud Romanam sedem & integrum Christianæ religionis dogma, & licentiam prædicandi acciperet. Hibernia si quidem olim Pelagiana fœdata fuerat hæresi, Apostolicaque censura damnata; quæ nisi Romano iudicio solui non poterat. Præerat tunc Romanæ Ecclesiæ Conon Pontifex. Itaque consensu totius vrbis, beatissimum virum in Præsulatus officio constituit, quo & chrisma conficere, & ecclesias dedicare, & sacros Ordines conferre irreprehensibiliter valeret. Post quod beatus Kilianus vrbe egressus, emenso itinere longissimo, cum Colomanno Presbytero, & Rotnano Leuita, ad locum sibi destinatum peruenit.

Electus hæresis, causa Papalis.

Veniens autem ad prædictum oppidum Orientalis Franciæ *Vvirtzburg*, non eum quem priùs in ea prouincia Ducem inuenit, sed alium, Gosbertum nomine. Cœpit autem vir venerabilis paulatim diuini verbi pabula incredulis populis ministrare. Cui etiam tantam gratiam Dominus contulit, vt breui tempore & gentis idioma perdisceret, & eis ipsorum lingua veritatis semina iactaret. Mirabantur autem omnes,

Accepta potestate à Papa, venit Herbipolim.

non solùm doctrinæ nouitatem, sed magnam quoque eloquentiæ vim & copiam. Porrò sermonis facundiam etiam virtutis efficacia comitabatur: atque adeò impletum est in illo quod Veritas Apostolis promisit, Ego inquiens, dabo vobis os & sapientiam, & item: Opera quæ ego facio, & vos facietis. Etenim cùm iam diuini eloquij semina succrescerent, & in plebe sensim minuerentur errores gentilitatis, etiam vsque ad Principes populi, sancti viri fama perlata est, adeò vt, cum nec ipsum Ducem prouinciæ lateret, ipse sibi sanctum virum præsentari iusserit. Cuius admirans constantiam, & sermonum insuperabilem veritatem, ad tempus eius distulit auditionem, volens crebra apud se tractare inquisitione, vtrum eius quem Kilianus prædicabat, vel Dianæ potiùs cultus præferendus esset: Diana namque apud illum in summa veneratione habebatur. Atque interim nihilominus egregius vir Dei iugi instantia connitebatur Domino animas lucrari.

Sensim minuuntur ipsius prædicatione errores gentilitatis.

CVIVS perseuerantiam Dux cernens secretè venit ad eum, cupiens doctrina eius institui, atque ita demum à beatissimo viro Catholicæ fidei documentis diligenter instructus, proximo Dominicæ Resurrectionis die, cum multis aliis, dato nomine, aqua lotus baptismatis, absolutionem promeruit pristini erroris. Quo etiam factum est, vt tota penè Orientalis Franciæ prouincia, relicto dæmonum cultu, diuinæ religioni operam daret. Sed iam tempus est, vt ad beati viri sociorumque eius martyrium succinctè referendum veniamus. Dux Gosbertus assidua adhortatione beatissimi Præsulis ad meliora in dies proficiebat; sed coniugem habebat pro ritu gentilitatis, quæ quondam fratri ipsius matrimonij iure fuerat copulata. hæc * Geila dicebatur. Eas nuptias præclarus vir idcirco noluit in ipsis fidei initiis prohibere, ne Dux ea re absterritus susceptæ fidei pœnitentia duceretur. Distulit ergo egregius martyr in aliud tempus. Denique cùm die quondam venerabilis Præsul Ducem familiariter alloqueretur, Fili mi, ait, quem per Euangelium Christo genui, gaudeo valde profectu fidei tuæ, sed multum mouet me quod illicitis nuptiis teneris implicatus. Quod audiens Princeps, primùm hæsit stupore, deinde alta suspiria trahens, Quamuis, inquit, vnicè diligam iunctam mihi vxorem, at illi tamen diuinum præpono amorem: sed nunc festino contra hostes nostræ Reipublicæ; cùm autem reuersus fuero, inuenta oportunitate dimittendi, separabor ab illa.

Dux loci cum multis aliis baptizatur.

** Gisila.*

Dissimulat vir sanctus ad tēpus, in re alias non licita.

En animum vere Christianum.

QVAE cùm ad aures Geilæ peruenissent (quis enim fallere possit amantem?) diu secum bacchata, absente interim marito, inuenit tandem duos crudelitatis suæ administros, qui quadam nocte strictis gladiis locum, in quo orabant Sancti, penetrantes, eosdem trucidant, ibique terræ commendant, ne quis rem gestam scire posset. Sed & vestimenta quoque, cum quibus diuina peragebant officia, sacrique libri cum illis defossa sunt, nimirum vt clàm discessisse putarentur causa solitæ peregrinationis. Quin & sceleratissima mulier, stratis plancis, stabulum equorum in eo loco fieri iussit, ne quo indicio sacra corpora proderentur. Ferunt autem, ab iis qui tunc fuêre, posteris relatum, iumenta eo in stabulo manentia, super sepulcra martyrum nec stercus nec vrinam reddidisse, honorem martyribus exhibentia. Sed nihil opertum quod non reueletur. Etenim cùm ea quæ facta fuerant, paulatim obliuioni darentur: vnus eorum, qui sanctos viros gladio peremerat, subitò à dæmone arreptus, ingenti voce clamare cœpit: Kiliane, acriter me persequeris: quod feci, celare non possum: video imminere mihi gladium tuo sanguine respersum, ac talia diu vociferans, propriisque se dentibus lanians, tandem à præsenti migrauit. Alter quoque cædis Sanctorum conscius, in rabiem versus, gladio se petiit: nec multo pôst, & ipsa bellua, de qua loquimur, Geila, à dæmonibus arrepta, cum magno migrauit cruciatu.

Vir sanctus cũ socijs crudeliter trucidatur.

Detegitur cædes Sanctorũ pluribus miraculis.

VITA S. LANDRADÆ VIRGINIS

Belgicæ, ex ea quæ est per Theodoricum Abbatem.

VIII. IVLII.

POST gloriosum Dominicæ Resurrectionis triumphum, accenso quaquauersum igne illo, quem Dominus Iesus venit in terram mittere, & voluit vehementer accendi, non modò viri, sed & fœminæ admirabili illo omnipotentis amore, vsque ad contemptum mundi incaluêre. Tormenti occasio si deesset, ipsi secum pugnabant. Ex qua probatæ Christi monetæ massa, egregiæ virtutis imago virgo fuit Landrada, contra ipsum superbiæ gigantem diabolum pugnacissima, quæ Francorum soboles, & eorum quos Maiores domus appellant, inclyta proles, totam priorum progeniem à stirpe suis meritis nobilitauit & ornauit. Clotarius quartus à * Ludoui

Lucæ 12.

S. Landrada nobilis prosapia.

** Idẽ dicitur aliàs Clodoueus.*

douico,quem beatus Remigius baptizarat, trium regnorum monarchiam eo regebat tempore, Burgundiæ, Neustriæ, & Austriæ,Pipinus Carlomanni filius, cum viro Dei Arnulpho, postea Metensi Episcopo, Maiores erant domûs, gloriosiores super hac nuper natæ neptis suæ sanctitate, quàm super eius cui principabantur, regni cura & moderamine. Decennium eius nunc prætereo, quod totum tanta percucurrit pietate & gratia,vt nutritores suos quotidie videretur incitare ad religionis studia. Ad ea venio,quę postea proprio sudore elegit,& perimpleuit.

Psal. 44.

N… insigniter expreſſ: incommoda coniugij.

INSTABANT parentes vnicam suam nuptui tradere. Sed illa statim,velut si iam ex ipsius sponsi ore audisset, Audi filia, & vide,& obliuiscere populum tuum,& domũ patris tui, &c. nuptias,matrimonia,nouem mensium fastidia,ipsius horæ pericula,& cætera quæ sequuntur incommoda, tanta perorauit grauitate, vt ipsos penè parentes admonuerit de continentia, & libello repudij. Dehinc autem spretis omnibus, & vnius cellulæ clausa angustiis,paradisi perfruebatur latitudine, eodem solo orans & recubans,eadémque angustia sicco pane & aqua magis prouocans quàm restinguens esuriem. Cilicio obuoluta,in nuda humo Christi miles exercebatur, etiam febri cùm æstuaret,& id quod peccasse quis poterat,velut si ipsa quoque peccasset,in se vindicabat,alieniq; delicti pœnas luebat. Martinus eo tempore Romæ,Remaclus Traiecti, verbo & opere peruigilabant in cura sacerdotali. Trudo in Hasbania in tyronem Christi coalescebat. Quorum accensa virtutibus,per momenta aut patriam deserere, aut eremum desiderabat inuolare. Paulos & Antonios semper habens præ oculis, sola & incomitata penè inuaserat solitudinem,si non aut ætas, aut pauperum,quos alebat,cura pedem eius tenuissent. Nullus enim Clericorum,nullus inopum eius euasit manum, quin aut cibo eius sustentaretur, aut vestibus obuolueretur. Ocium labore castigabat manuum, vigilijs dedita vltra humanum modum.

Viuit solitaria in summa austeritate.

Profusissimè curat pauperes.

RETRACTAT tamen rursus de eremo:& quę omnia iam pro Christo reliquerat,totum id frustra reputat,si non seipsam quoque abneget & relinquat. Ibi crucis erecto vexillo, inuitis parentibus,reclamante familia, saltum, quem à feritate inhabitantium belluarum, Belluam vocant,inuadit,erectóque propria manu breui tugurio,diuiniora pugnæ genera aggreditur. Habebat tamen & curam pascendi gregis, non vt esu carniũ, cuius

Ingreditur saltum dictũ Beluam.

cuius ab adolescentia nunquam vel tenuem gustum attigerat, delectaretur, sed peregrinis & pauperibus hospitio receptis vt solatiaretur. Stabat ibi in medio noctis silentio incomitata, & sine arbitris, & vltra omnem hanc luteam infirmitatem eleuata, cùm ecce quadam vice patefactis cœlis, comitante lumine, mirifici operis crux super contiguum lapidem delabitur (durant adhuc non languidæ fidei certa monimenta. Videlicet, sicut mollis cera impressam sigilli imaginem recipit & repræsentat, ita & durissimus lapis adhuc nobis eiusdem Crucis totam impressionem integrè demonstrat) voxque interim administratorij spiritus audita est: Accipe Landrada hoc ab immortali Sponso charitatis pignus: ipse tibi Crucis mittit sponsalia, qui in Cruce moriens, restaurauit omnia. Succumbit ingenium, & considerata tua, bone Iesu, inæstimabili charitate, vltrà iam non est in nobis spiritus: ideóque & velut submissis alis à suprà firmamento ad terram stylum deponimus.

Dimittitur e[illegible] mirifici operis Crux.

GAVISA itaque virgo Dei de munere, oblita sexus & ætatis, in quãdam virilitatem accingitur, aggreditur propriis manibus vepres & spinas exstirpare, humum sarrire, Ecclesiam in honorem & memoriã Dei genitricis conari fundare, &, quod mirum fortitan videatur legenti, propriis ipsa manibus lapides effodere & comportare, lineam ducere, fundamenta iacere cœpit & in loco sibi destinatæ Crucis, non alius quàm ipsa, collocauit ipsum quod adhuc perdurat altare: adfuitque indefessæ laboratrici suæ, manus omnipotentis, vsque ad consummationem perfecti operis. Tunc verò Lambertum Episcopum, postea Christi martyrem futurum euocat, & pia commonitum familiaritate, nouæ ecclesiæ suæ consecrationem, & reliquiarũ impositionem, ex voto impetrat. Atque exhinc iam crescente religione, populus Dei, spreta austeritate eremi, velut ad plantaria conuolabant Paradisi. Virgines ad centesimum, viduæ ad sexagesimum fructum quotidie colligebantur: plures prętereà quæ tricesimum in coniugalitate exspectabant bonum, ex cõsensu posthabita domo, & dulci liberorum amplexu, fauos pię intentionis, cum tota re familiari, comportabant ad aluearia Christi.

In loco Crucis fundat ecclesiam.

Consecratur eadem ecclesia a S. Lamberto.

QVIBVS gymnasiis in breui locus adolescens, & in omnes humanitatis accrescens annositatem, non vt priùs à belluis Belluа, sed Belysia, id est, benè Elysia vocari cœpit. Sed cùm paucis immoramur, & plurima etiam prætcrimus, fu-

Colligitur sub ipsa insignis [illegible] congregatio.

giens tamen nos hora præterit, & prolixior sermo missionem petit. Instabat iam dies præmij, & post longam carnis & spiritus luctam, qua semper viuens, semper moriebatur, de proficiscendo præparabat. Incidit itaque in lectum ægritudinis, inque eodem quodcumque illud esset, fœnum, & stipulam & similia, quæ liberum exitum impedire solent, iugi doloris igne decoquebat. Siccabatur caro, exhauriebatur sanguis, cùm tamen nihil de Psalmis, nihil sibi omnino remitteret de ieiuniis. Circumstabat morientem matrem sanctarum virginum dulcis cœtus. Illa interim consolata circumstantes, de exitus sui hora prædicit, & sanctum Episcopum Lambertum accersiri præcepit. Et quidem ille sanctus senex, accepto tristi nuntio, omnibus se expedit, viamque maturat, Landrada interim de hac corruptibili domo in æternitatem transmigrante.

1 Cor. 3.

Obdormit pia virgo in Christo.

Obdormit pia virgo in Christo.

SED nunquam voto fraudatur, cui ad desiderium charitas adminiculatur. Nam in eundo Pontifex, ingruentibus tenebris, lassos artus humi dum deponit, semiuigilanti, & velut in ecstasim rapto, venerabilis virgo apparuit: Arrectis, inquit, oculis in cœlum suspice, & quo se extēdat per medium lucis nimbum Crucis signum diligenter intende. Tum Lambertus totum se in visionem extendens, notat locum, cum admonitione virginis ita dicentis: Hîc sepulturę locus, hîc cinerum meorum erit tumulus, vsque in diem qua iussit Dominus. Qua iucunda illius demonstratione, istius verò attentione, virgo cœlis recipitur, Episcopus à somno erigitur, & relegens visionis suæ libellum, festinatò & cursu delatus Belysiam, inuenit eos iam agentes de sepulcro intra ecclesiam. Expleta oratione, Episcopali facundia plebem suam alloquitur: postremò de reuelatione ad eum facta sermonem ingreditur. Submurmurant statim vniuersi, & necdum perorantem clamore tumultuario impediunt, & velut impugnant. Hîc, aiunt, fuit consecrata & prælata, hîc per eam adoleuit puellaris turba, hîc cęcos illuminauit, hîc claudos erexit. Non est pastoris, oues velle spoliare. Sicque ad votum populi virgo sepelitur: sed Episcopo nihil tamen de pristina solicitudine imminuitur.

Apparet post mortem sancto Lamberto.

En priscam deuotionem erga reliquias Sanctorum.

IEIVNIVM sibi deuotus indicit, orationes cum ieiuniis continuat, demúmque exacto triduo, rursum in concione pro re pauca declamat: Dei, inquit, voluntati nolle obedire, contra torrentem brachia est extendere. Ocularia fides adhibeatur tumbæ virginis, vt omnis super hoc negotio scrupulus amoueatur. Acclamatur ab omnibus, pedibus eunt in sententiam:

&

& aperta tumba, non modò corpus, ſed neque ipſe reperitur corporis loculus. Expallent tacito murmure cæteri, ſolus Epiſcopus Deo gratias agens, & vt filios paternè demulcens, Quia, inquit, iam quieuit diffidentia, experiamur nunc, quid poſſit Dei magnificentia. Prædux ipſe viam arripit, populus comes ſecum VVintershouum vſque percurrit, in quo ſcilicet fundo idem Epiſcopus olim à venerabili genitore ſuo Apro, ſancto Landoaldo commendatus, nutritus, & adultus, in ſanctitatis apicem excreuit. Ibi ergo relegens ſuæ illius viſionis indicia, & oſtenſæ Crucis veſtigia, effoſſa humo (ô rem nouam, & nouè ſemper ſtupendam!) virginis glebam cum ipſo ſarcophago inueniunt tranſportatam, eo ordine, ea decenti reuerentia locatam, vt nulli ſit dubium, Angelorum id effeciſſe miniſterio.

Res ſtupenda.

Inuenitur ſacrum corpus diuinitùs tranſlatum ad VVintershouum.

VITA S. AMELBERGÆ MATRIS S. GVdulæ, *ex ea quæ eſt apud R P. L. S.*

X. IVLII.

BEATA Amelberga, illuſtriſſimis orta natalibus, ſed quæ ipſos natales morum integritate ornaret, Sanctãs oppidũ ceu Domina, hæreditario iure obtinuit, donec monaſticę religionis beatitudinem complexa eſt. Hæc parentum orbata ſolatio, licet tenera adhuc eſſet ætate, familiam hæreditaria ſucceſſione ad ipſam deuolutam, peruigili cura, & multa comitate gubernauit: non quòd ſeruorum aut ancillarum numeroſa turba, quam mortales in præcipuis bonis numerant, delectaretur, ſed quòd iniquum cenſeret, ſi paternas opes auarè ſibi vni vendicans, quemquam illorum fame & inedia confici pateretur. Non erat illa dedita iocis puellaribus, non amatoriis capiebatur cantilenis, non quæuis ludicra aut friuola vel videre, vel audire cupiebat, ſed cũ Maria ad pedes Domini reſidens, quid actura eſſet, habitu ac actu præ ſe ferebat. Interim totius boni hoſtis diabolus, puellæ admirans continentiam, eius propinquos ſolicitat, vt nuptui eam collocent. Indicatur igitur renitenti maritus: & tandem à Pipino, ſanctæ Gertrudis virginis parente, VVitgero, homini præpotenti, coniunx traditur, generis nobilitate pari, nec diſpari meritis.

S. Amelberga primũ Domina Sanctenſis oppidi, deinde monacha.

Eius pia iuuentus.

Voluntate amicorum nubit.

Ex ea verò natus eſt beatus * Aldebertus Cameracenſis Ec-

** Idem vocatur etiam Embertus.*

clesiæ Præsul sanctissimus, cuius gesta plena miraculis & virtutibus, vsque in præsens in eadem florent ecclesia: itémque quatuor Deo dicatæ sorores, Reineldis, Pharaildis, Ermelendis, & Gudula, quarum etiam postremam, nempe Gudulam, cùm in vtero gestaret, & ante paucos puerperij dies, instar parturientium angeretur, angelica consolatione de ea recreata est, dicente Angelo ad ipsam: Ne timeas Amelberga: paries enim filiam Deo dilectam: quæ vbi nata fuerit, eam offeres Gertrudi è salutari lauacro suscipiendam, & in Christo, lacte verbi Dei, nutriendam. Et quidem cùm filiæ eius ab infantia vitam castissimam ducere constituissent, licet multi regni proceres propter nobilitatem & opes, illas sibi matrimonio iungi percuperent, sic etiam postea virginitatis tenere propositum, & Sponso immortali Christo Iesu adhærere potiùs voluerunt, quàm mortalium hominum coniugiis copulari. Sed & placuit etiam parentibus illarum mundo valefacere, quo liberiùs possent vni Domino Christo Iesu militare.

Vide hæc plenius supra in vita ipsius S. Gudulæ.

Ipsa, & eius maritus simul valedicunt mundo.

E T VVitgerus quidem, princeps sapientissimus, monasticæ vitæ institutum complexus est: Porrò Amelberga, sacrum velamen accepit à S. Autberto Cameracensi Episcopo, & se totam Domino consecrauit: & sicut ab ineunte ætate moribus bonis composita fuit, ita etiam iam tanto attentius in opera pietatis, & sanctitatis studia incumbere decreuit. Quo pacto mox totis viribus se comparare connitens, dictu incredibile est quanta se abstinentia affecerit, quàm assiduè inedia & precibus corpusculum suum macerarit. Sed cùm in dies magis ac magis carnem domaret, & roboraret spiritum, Dominus tantis laboribus finem imponere voluit. Itaque acerrima correpta febre, id quod optabat consecuta est, nempe vt posset cum Domino inseparabiliter coniungi. Ac deniquę sentiens prudentissima feminarum, diem vocationis suæ adesse, quasi quæ humana despiceret, & ad suos iam inuitaretur, vsque ad supremum spiritum hosce versiculos susurrabat: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, sicque soluto terreno habitaculo sancta illa anima ab Angelicis spiritibus in cœlum deportata est. Tum verò tota ad eius funus Malbodiensis turba accurrit, omnis inopum cœtus matrem & nutriculam se perdidisse lamentabatur: simúlque tanta eius ora dignitas compleuerat, vt nemini posset esse ambiguum, illam ærumnas beatitudine, labores requie commutasse.

Psal. 25.

Migrat ad cœlos.

SED

SED quia id temporis Malbodij nulla spectabilis persona humata erat, ne ipsa quidem B. Aldegundis, quæ locum illum à fundamentis extruerat, maiores natu Ecclesiæ quid faciendum esset, inter se consultabant, & quonam loco sanctissimum corpus terra esset condendum, nihil interim certi statuentes. Quibus cùm tandem id consultissimum visum esset, vt in Lobiensi monasterio tumularetur, in illam sententiam omnes pedibus ierunt. Per id verò tempus in Lobiensi monasterio non minima erat Fratrum congregatio, Deo ad præscriptum Regulæ S. Benedicti militantium, florebatque illic cultus diuinus, & religio sanctitatis: & permulta beatorum Christi Confessorum ibi quiescentium corpora magnam illi reuerentiā conciliabant. Itaque illuc beatissimum S. Amelbergæ corpus, cum ea qua par erat, veneratione elatum est, sanctimonialibus cum hymnis & canticis illud prosequentibus, atque in Lobiense monasterium importatum. Vbi cùm ab Abbate & Fratribus cum multa deuotione exceptum est, & in ecclesia sanctissimæ genitricis Dei, & beatorum Christi Confessorum Vrsmari & Ermini, cum cæteris plurimorum Sanctorum pignoribus sepulturæ mandatum. Quæ quidem beata, quanti apud omnipotentē Deum meriti sit, testantur abundè ad eius monumentum diuinitus in multorum malè valentium curationibus edita miracula. Obdormiuit verò in Domino Christi famula Amelberga, sexto Idus Iulij.

Deliberant Malbodienses de ipsius sepultura.

Nota de monasterio Lobiensi.

Sepulta femina sanctissima Lobiis, multis claret miraculis.

DE S. CANVTO REGE DANORVM, & Martyre, ex Saxone Historico.

Hist. Danica lib. 11.

X. IVLII.

CANVTVS Suenonis filius, sanè summis naturæ dotibus cumulatus, ætatem animo præcucurrit. Quippe mox contracta iuuentute myoparonum piratica monstra perdomuit, Sembicisque atque Estonicis illustrem trophæis adolescentiam egit. Porrò Suenone defuncto, Regiæ successionis delectum anceps popularium sententia pertractabat. Maior pars memor, quantis per Canutum priuatæ adhuc fortunæ periculis obiecta fuerit, grauiora, si regnum induerēt, verita, Haraldum ocij cupiditate complexa, ignauum sibi regem maluit imperare, quàm fortem. Itaque Canutus, deficientibus à se copiis, tribus duntaxat rostratis nauibus, in angustissimas Scaniei maris fauces elabitur. Vbi fraterna legatione regni

S. Canuti adolescentia.

Mortuo patre assidet à fratre Rege, nec tamē vlciscitur iniuriam.

regni communionem spondente reuerti monitus, spretis mandatorum blanditiis, Suediam fugibundus intrauit, perquam stultum ratus, eius se promissis in fracta fortuna credere, cuius eâdem adhuc vigente, minas acceperit. Atqui nihilominus perinde atque iniuriarum oblitus mox intactis patriæ rebus bellum aduersum Orientales viuente patre cœptum enixè persequitur; cum interim Haraldus regnando biennium emensus defungitur.

Defunctus lõgo & graui bello ducit in vxorẽ filiam Præfecti Frãdriæ.

Egregiè restituit patriam disciplinam.

QVO mortuo, Canutus fraternis suffragiis in regnum reuocatus, Orientale bellum, quod in adolescentia orsus, & in exsilio rursum auspicatus fuerat accepto solio, potius amplificandæ religionis, quàm explendæ cupiditatis gratia, totis viribus innouandum curabat. Nec antè scilicet manum ab incepto retraxit, quàm Curonum Sembonumq; ac Estonũ regna funditus deleffet. Deinde sublato hoste nuptias circumspiciens, finitimaque coniugia obscura, ac dignitate sua minora reputans, Præfecti Flandriæ Roberti filiam Ethalam in matrimonium aduocauit, ex qua filius ei Carolus obuenit. Sed & cum magnatum insolentia solutos hebetatosque prisci iuris neruos adspiceret, omnibus ingenij modis ad reparandam patrij moris disciplinam connisus, probatioris iustitiæ cultum seuerissimis edidit institutis. Non sanguini, non necessitudini, quo minus iustè se gereret, indulgentiam habuit, atque inprimis sacris decus suum strenuè reddebat. Atque adeo cum ab inerti & rudi populo parum iustam Pontificibus venerationem haberi conspiceret, Decreti circũspectioris industria principum eis cõ ortionem indulsit, ipsisque primum inter proceres locum, perinde ac Ducibus, assignauit. Idem quoque populares adhuc sacrorum rudes decimarum religioni assuefacere conabatur, tametsi propositi irrita suasio fuit.

Vult Episcopis eũdem locũ dari, cum ducibus.

ATQVE interim Sueno Episcopus, cœptam Roschildensis sacrarij fabricam ad finem vsque perduxit: Egynus quoq; iisdem ferè temporibus, opitulante Rege, Laurentianæ ædis inchoatũ à se opus explicuit. Quibus Rex dedicari iussis, mirificam dotis nomine munificentiam erogauit. Prima enim dedicationis die, solenniter altaria veneratus, quartam Regij numismatis, quartam etiam suæ in ciues exactionis, & quartam æstiui census portionem, ei qui pro tempore loci Antistes exstiterit, muneris loco perpetuo iure possidendam concessit. Et vt legibus suis æternitatem conciliaret, eas conuellere conaturos Antistitum exsecrationi subiecit. Cuius Edicti postmodum

Summa eius in Clerum liberalitas.

modum à multis licet temerè pertentati, vetus adhuc ratio perseuerat. Ad hæc & Danorum nomen, armis in desidiam cadentibus, à paterni auunculi temporibus, obrutum animaduertenti, nouarum rerũ cupido subrepsit. Angliam infelicitate amissam, hæreditatis duxit nomine repetendam. Primùm igitur occultum Olauo consilium prodit, eoque idipsum hortante, rem deinde popularibus aperit. Alacris omnium assensio fuit. Sed quẽ Rex sibi fraterna charitatis vicissitudine respondere crediderat, latenter æmulum habebat. Canutus verò omnium animos gloriæ magis quàm sceleri intentos existimans, imperata classe Lynici maris oris aduehitur, à quo breuissimus in Oceanum transitus patet, quondam nauigiis peruius, nunc verò interiecta arenarum mole perclusus. Sed Rex fraternum diu præstolatus aduentum, nauigandi cunctatione exercitus alacritate est excussus. Nã Olauus reddita tarditatis ratione, veniendi moram in dies extraxit, eò moram trahere cupiens, donec aut Regem sine eo proficiscentem interim ipse regno priuaret, vel tarditate suspensum, exercitu destitueret, Rexque vel desertorum impunitate despicabilis, vel pœna cunctis inuisus, euaderet.

Parat vt quasi repetat Angliam.

Sed tandem de eius perfidia Rex certior factus, classi præstolari iussa, Slesnicum, cùm lectissima manu festinato contendit, ibique fratrem inopinatum & attonitum interceptum, catenis coërcitum, nauigioque in Flandriam relegatum, carcerali custodiæ mandandum curauit. Cuius captionem coniurati parum fama aut nuntio experti, quò calidiùs exercitum soluerent, inertem Regis moram absentiamque caussati classem clandestino monitu circumuentam, domos abire iusserunt. Quam rem si quis palàm exhortatus fuisset, publicatis bonis, aut in exilium agi, aut capitali supplicio affici, lege merebatur. Itaque huius facti postquam Rex cognitionem suscepit, prius dolorem, deinde lætitiam egit. Siquidem iniuriam in religionis habitum formauit, mulctæque nomine primam exigendarum decimarum occasionem corripuit. Magnates interim proposita fraude defecti, summam eius dissimulationem egerunt, cum Rex paulo pòst accersita concione, docet quantum Danicis armis militaris semper disciplina profuerit, Principum famam nullo magis quam militum fide creuisse: sibi verò nuper ignotam Regibus contumeliam obuenisse. Adiecit quoque, quanta pecuniæ summa ob impium desertionis crimen damnari meruerint, gubernatorum

Fratrẽ clàm sibi insidiantem, capit, & captum mittit in Flandriam.

Omnem quærit occasionẽ suis imponẽdi ius persoluēdi iurum decimarum.

rorum singulis quadragena nummûm talenta; terna temigum vnicuique mulctæ loco numeranda proponens, remittere tamen se illam exactionem, si Sacerdotibus decimas erogare voluissent.

SED frustra conatur Rex pius. Nam cùm deteriorem conditionis partem approbari videret, simulata pecuniæ exactione, septentrionales Iutiæ partes ingressus, Tostonem cognomine Peculatorem, eiusque collegam Hortam, colligendæ pensionis quæstores coactus instituit, mulctæ metu Decimarum religionem deserere cupiens. Qui mandatum immitiùs ac iussi fuerant, exsecuti, iniqua plebem exactione pulsabant. Quam rem æmuli Regis in popularium concilio deplorantes, calumniam mendaciis exaggerabant: quorum instinctu multitudo etiam Quæstores adorta est. Quin nec eorũ cædibus satiata, in Regem quoq; vesana prorupit. Qui impetũ eius opportunè sua ratus absentia declinandũ, Slesuicum concessit. ibiq; coniugem cum filio constitutam, si res sinistrè cessissent, profugere in patriam iussit, ipse interim, imminentibus Iutis, quo tutior secessu foret, Fioniam petit salutem insulæ præsidio quæsiturus. Sed illi suis eum finibus exegisse nequaquam contenti, Fioniã quoque propellendum decernunt. Iamque Rex, accepto traiectionis nuncio, Sialandiam emigrare statuerat, cum Blacco quidam primam ipsius familiaritatem adeptus, simulatæ fidei consilio hortatur, fugæ parcat, Othoniensis pagi præsidia expetat, se interim plebis acta speculaturum blanditiasque iræ eius oppositurum. Sed Blacco, omissa legatione, sinistris plebem monitis palpitans, conciliandæ gratiæ loco, odium Regi impensiùs struit, ac deinde reuersus, pacatiorem tamen populi animum nunciat.

En quàm nemini absit sæpe ministros Regis plus exigere quàm sit iussi.

Cogitur Rex pius declinare furore insana plebis.

CANVTVS interim, quotidianis sacrorum solennibus assuetus, Albani ædem sacram accedit: vbi dum religioni vacando officia sanctitatis exsequitur, ecce consternatæ multitudinis corona armis sacrarium clausit. Quotquot ergo ex militibus hostem præcurrere poterant, periculi consortium affectantes, Regem petebant, eius in seipsos discrimen transfundere cupientes. Benedictus quoque fraternitatis nexum fide imitatus, in templo cum fratre commori destinauerat. Tunc itaque, nomine religiosæ pacis domicilium violenter irrumpere præsumente, primus Blacco, ille cunctantibus ceteris, ferro valuas petiuit. Quod videns plebs, concitato seditionis motu, deinde templum aggreditur. Verùm Blacco in ipso,

Circuncingitur templum in quo Rex vacabat sacris.

Trucidatur Blacco qualiter Iudas.

ipso, quę irruperat, aditu trucidatus, datis patricidij piaculis, violati sacrarij pœnas pependit, Benedictus etiam, liminibus irruptorem excipiens, dum foribus acriùs propugnat, occiditur, cùm interim Rex inter cruentos imminentis violentiæ strepitus fiducia conscientiæ, eundem mentis habitum tenuit. Sed nec extrema quidē eius hora sanctitatis studio vacua fuit. Nam cùm parietem vndique à popularibus perfringi (quippe ligneus erat) ideoq; propinquam sibi necem instare animaduerteret, accersito Sacerdoti factorū arcana cōfessus, propassis vtrinque brachiis, ante arcam immissæ per fenestram lanceæ mortifico iactu confossus pium mortis sacrificiū edidit. Cuius tam vitæ quàm miraculorum virtutem, priuatim Othoniensibus venerandam, publica etiam religio consecrauit.

Munitus Rex sanctus sacramento Confessionis, ante altare tandem pium offert Deo mortis sacrificium, telo confossus.

VITA S. HILDVPHI ARCHIEPISCOPI

Treuirensis, & primi Abbatis Vogasiensis, ex Tomo 7. P. Surij.

XI. IVLII.

HILDVLPHVS claro genere ortus, ac à iuuentute literarum studiis traditus, in breui ita profecit, vt de virtute in virtutem quotidie proficiscens purus & integer ab his vitiis, quibus talis ætas solet implicari, persisteret. Deinde moribus Ecclesiasticis assuefactus, apud Ratisponam vrbem Clericali tonsura initiatus est. Sed & Milone Treuirensi Archiepiscopo defuncto, mox totus Clerus Hildulphum, eo quòd vir esset & animi & corporis nobilitate ornatus, in suum Antistitem vnanimiter postulauit. Quæ fama cùm in aula Regis Pipini, patris Caroli magni, percrebuit, mox quoque ex eius sententia Hildulphus Archiepiscopatu illo dignus declaratur, & ad id dignitatis assumendus definitur. Et quidem Dei famulus, vitam magis diligens anachoreticam, fugam meditatus est, sed detentus ac raptus à deuoto populo, in Galliam Belgicam deductus est, ac Treuirorum paulo pòst consecratus Episcopatus. Quo sublimatus honore, quàm sanctè & iustè vixerit, testantur perpulchra eius facinora. Tenerum corpus suum ieiuniis, abstinentiis, aliisque castigationibus ita affligebat, quasi multa flagitia perpetrasset. Misericordiæ operibus vacabat.

S. Hildulph genus & educatio.

Frustra fugit oblatum sib Episcopatum

PRAEDICATIONIBVS & sacrificiis salutaribus insistens, nullum penè diem pertransiit, quo non omnipotēti Deo

Administrat eundem strenue.

facias

ſacras hoſtias, pro ſalute mundi, & requie defunctorum, offerret, ac etiam vt bonus paſtor ſemina rectæ operationis præmittens, vberiores verbi fructus collegit & quod ore docuit, operibus adimpleuit. Hic inter cetera magnifica ſua opera, quæ geſſit, corpus S. Maximini Præſulis Treuirenſis, à loco quo eum S. Paulinus Aquitanus ſepelierat, in eum, quo nunc veneratur, tranſtulit. Ac demum, poſtquam multiplices pro grege Chriſti labores ſuſtinuiſſet, Archiepiſcopalem dignitatem reſignans, & quicquid habebat diuitiarum ac poſſeſſionum relinquens, vt olim conceperat, eremum ingreſſus eſt, atque à Domino Iacobo, Leucorum Antiſtite, pœnitentiæ locum efflagitauit. Qui eius ſanctæ deuotioni annuens, ſaltum * Voſagi (vbi ſanctorum virorum cellæ à ſanctiſſimo Deodato Epiſcopo priùs exſtructæ viſebantur eidem prouidit. Iam ad vicinam eremum prædictus * Deo-datus tranſmigrarat, Hildulpho ſcilicet inſtituti monaſtici perpetuus collega aſſumendus.

Relicto Epiſcopatu, ingreditur eremum.

* *Vogeſi*

* *Deodatus.*

I G I T V R, cùm locum hũc habitare cœpiſſet ſanctiſſimus Hildulphus, qui montibus vndique circum ſeptus, fluuiolo, Rapido nomine, irrigatur, duas ſuper eundem eccleſias fundauit: primam videlicet in honorem Dei genitricis Mariæ, quã medium monaſterium appellauit, alteram in honorem beati Petri & omnium Apoſtolorum. Quibus perfectis, ſoli deinde Deo viuere cœpit. Cuius ſancti nominis fama cùm longè lateque diſcurreret, multi viri, tam ſeculari potentia quàm nobilitate inſignes, ad eum ſæpius confluebant, ex quibus etiam nõnulli cum eo remanebant, cæleſtis vitæ accenſi deſiderio. Atq; adeò dum numerus accurrentium diſcipulorum ex diuerſis mundi partibus magis ac magis accreſceret, cœpit plures ibidem ædificare monachorum cellas, vt ab omnibus huius ſeculi nequam periculis liberi, cum ſola Magdalena, ſoli vacarent Deo: & ibidem multa operatus eſt miracula. Cæci illuminabantur, claudi curabantur, dæmones fugabantur. Verùm cùm ſanctus ille monachorum cœtus, nimia infirmorum ac debiliũ hominum frequentia perturbaretur, atque à ſancta contemplatione auocaretur, tertiam extra monaſterij clauſtra exſtruxit eccleſiam, quam ſancto Ioanni Baptiſtæ dedicauit, in cuius circuitu adiecit domos, quibus hoſpitio exciperentur ſuperuenientes infirmi.

Fundat duas eccleſias.

Floret tũ diſcipulis multis tũ etiam multis miraculis.

I N T E R cæteros verò etiam quidam nomine Begghо, ſuũ fundum, qui in hunc vſque diem Cella Begghonis appellatur pro,

Exſtruit etiã Cellam Begghonis.

pro monasterio construendo, viro Dei obtulit, simúlque per maximam Vosagi partem, quę Tolcodi rupes nominatur, iure perpetuo tradidit possidendam. Porrò sanctus Hildulphus, prę nominatam Begghonis Cellam ad honorem sanctissimę Crucis Dominicæ dedicauit: vbi scilicet post multos labores, numerosáque miraculorum insignia, Abbas Spinnulus vitæ suæ diem clausit extremum, delatus postea, Angelica reuelatione, à Beato Hildulpho ad suum monasterium, vbi & sepulcrum eius visitantes sanabantur infirmi, quacunque etiam detinerentur infirmitate. Quin & tantus ibi fiebat populi concursus, vt regionis istius indigenæ tentauerint ibi forum statuere. Sed beatus Hildulphus ad tumulum sancti Spinnuli accedens, dixit ei, quasi viuenti: Frater Spinnule, propter animarum pericula, concurrentes comprime turbas. Sicq; signis cessantibus, frequentia quoque cessauit accurrentis populi. Tandem autē & ipse quoque beatus Hildulphus, plenus dierum & sanctitate, correptus febre, feliciter obdormiuit in Domino, quinto Idus Iulij, æterno pro meritis, coronandus brauio. *Nota insigne miraculum.*

VITA S. IOANNIS GVALBERTI, FVNdatoris Ordinis Vallis vmbrosæ, ex Blasio Melanesio.

XII. IVNII.

ANNO salutis millesimo quadragesimo, claruit B. Ioannes Gualbertus, primus fundator Ordinis Vallis vmbrosæ Patria eius Florentia fuit. Parentes habuit nobiles. Pater Gualbertus dictus est, vir militaris. Hic, cùm adhuc iuuenis degeret in seculo, & pater eius, quem diximus, Gualbertus, capitalis esset hostis cuiusdam, qui eius cognatum iniustè peremerat, eáq; causa non Gualbertus modò, sed etiā Ioannes, filius eius, vltionem expeteret, accidit quodam die ipsum Ioannem cum armigero suo Florentiam proficisci, in ipso autem itinere venire ei obuiam ab insperato iam dictum illum eius hostem, idq; loco tam angusto, vt neuter posset à via deflectere. Tum verò hostis ille, quòd inermis esset, nihil nisi mortem præsentem exspectans, subitò quadam, cōcepta fiducia de clementia Ioannis, ab equo desilit, humíque prostratus, pro crucifixi amore veniam sibi dari humiliter postulauit; cùm ecce compunctus Ioannes, audito nomine crucifixi, pacem obtulit, fecítque ei copiam quò vellet recedendi. Porrò ipse vltrà progressus, in quandam ecclesiam monachorum, quæ *S. Ioannis Gualberti patria & parentes.* *Ignoscit propter Christum capitali suo hosti.*

erat in itinere, se contulit. Vbi cùm coram imagine Crucifixi genua flecteret (ô rem mirandam!) vidit Christi à cruce pendentis caput ad se inclinari, tanquam ipsi gratulantis, quòd pro eius reuerentia hosti capitali pepercisset. In cuius tanti miraculi testimonium, hodieque Crux illa in ecclesia S. Miniatis, in monte prope Florentiam, cum magna veneratione & cura seruatur. Ioannes autem ea Christi vocatione attractus, mox constituit seculo nequam valefacere.

Annuit ipsi imago Crucifixi, tanquam qua ipsi gratularetur.

ITAQVE ad istud S. Miniatis monasterium profectus, petiit sibi sanctæ religionis habitum donari, atque adeò cõparat se totum ad capienda vitæ religiosæ experimenta. Quod audiens pater eius, filium videlicet suum monachum futurum, mox ad monasterium abit, filium ad se mitti postulans. Qua de re Ioannes ab Abbate interrogatus, cùm non assentiret, timens ne quid à patre, homine seuero & aspero, periculi sibi crearetur, Abbas iniquum censebat illum compellere. Tum verò furore percitus pater, multas ei monasterio minas intentat, si ausi essent filium eius in suam sodalitatem admittere. Et quidem multum anxij monachi minas eius formidabant. Verùm cùm nullus auderet veste monastica eum induere, ipse Ioannes feruore spiritus inflammatus, cucullum Fratris cuiusdam apprehendit, eumque super altare in ecclesia reponens, hilariter sibi induit. Etsi autem pater eius, vt illum vidit ea veste indutum, initio acerbè tulesit, attamen ab Abbate tandem, & ab ipso filio confirmatus, sese colligens, consolationem accepit. Atque ita scilicet Ioannes monachus effectus, cœpit ieiuniis vigiliisque domare corpus, in preces & pias meditationes religiosè incumbere, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, cunctarumque virtutum de se exempla præbere. Sed & non diu pòst, Abbate ex hac luce migrante, Fratres congregati, Ioannem in Abbatem vnanimiter eligunt, qui tamen humiliter id munus recusauit.

Fit monachus, nequicquam ipsi renitente patre.

ERAT tunc in eodem monasterio Frater quidam, qui, praua cupiditate inflammatus, Abbatiæ illius administrationem, numerata Florentino Episcopo pecunia, ad se tandem adduxit. Quod vbi vir Dei comperit, veniens Florentiam, adit quendam magni nominis senem. Tenzo is dicebatur, & apud B. Mariæ ecclesiam se incluserat, valde autem Simoniæ labem detestabatur, qua tunc multi in Dei Ecclesia contaminati erant. Sciscitatur num sub Abbate Simoniaco, intra suum monasteriũ Christo militare deberet, vel quid sibi faciendum esset?

Repudiatam ab ipso dignitatem Abbatialem, alius comparat pecunia.

esset? Vt breuiter dicamus, consuluit ille, vt cum socio palàm in foro ciuitatis coram omnibus proclamaret Episcopum & Abbatem Simoniæ vitio teneri obnoxios; ac deinde loco cederent. Quod consilium per omnia simpliciter Ioannes secutus est, ita vt ex tumultu extractus clanculum, vix euaserit manus eorum qui Episcopo fauebant. Perquirere itaque statim cœpit locum ad seruiendum Deo maximè accommodatum. Habebat tum apud se socius eius panem vnum; quem pro necessaria ipsorum refectione reseruauerat. Eum vir Dei nihilominus pauperi obuiam venienti, stipemque petēti, dari iussit, iactans cogitatum suum in Dominum: vnde nec sua fiducia frustratus est. Etenim cùm ad castrum quoddam applicuissent, à multis abunde eis res necessariæ suppeditatæ sunt. Sed & cùm ad eremum Camaldulensem peruenêre, non breuem illic fecêre moram, illic degentium mores contemplantes & vitam. A cuius loci habitatoribus cùm inuitarentur, vt se ipsis professione coniungerent, beatus Ioannes magis appetēs vitam cœnobiticam, quippe tutiorem quàm sit solitaria, inde recessit, ea animi sententia, vt alibi nouam quandam congregationem institueret, sancti Benedicti Regulam secuturam.

Ex feruore spiritus, palàm in foro clamat suum Abbatem Simoniacum, & sic discedit.

Venit cū socio ad Camaldulenses.

VENIENS igitur ad Vallem vmbrosam, à duobus monachis, qui illic Domino famulabantur, deuotè susceptus est, atque adeò cùm locus ei arrideret, constituit illic sedem figere constructo quodam vili ex lignis domicilio. Sed nō diu passus est Dominus lucernam sub modio latêre. Fama siquidem sanctitatis eius per loca viciniora sensim sese diffundente, permulti & Clerici & laici, eius inuisendi causa, plerique etiam conuersionis studio ad eum venêre, in quibus fuêre Erizo, Albertus Teuzo, Rodulphus, itemque Petrus, qui postea fuit Albanensis Episcopus Cardinalis, & complures alij. Tunc multi fideles nobiles loca obtulerunt cœnobijs exstruendis. Alij rogabant eum, vt monasteria dissoluta ad formam reuocaret. Construxit autem tum vir Dei monasterium S. Saluij, item aliud in Moscete, tertium in Kazulo, quartum in monte Scalario. Paginam quoque iam vetustum monasterium reformandum suscepit, atque aliud S. Reparatæ in Æmilia, siue Romandiola. Horum autem singulis suos præfecit Præpositos, sæpiusque illa visitabat, corrigens quæ emendatione digna videbantur. Fuit autem vir Dei verus paupertatis amator, in omnibus illam præ se ferens & docens. Quin etiam non defuit ei gratia discretionis spirituum, neque donum pro-

Inde ad Vallē vmbrosam.

Plura cōstruit monasteria.

phetiæ ; quo soli Deo cognita, diuina reuelatione edoctus, enunciauit. Sed nimis longum est omnia attexere. Certè cùm tandem vir beatus, vnà cum suis Fratribus, Episcopum Florentinum, Petrum nomine, patria Ticinensem, apertè assererent Simoniæ reum, nec ab illo Sacramenta esse percipienda: indè vehemens orta est contentio, aliis Episcopum defendentibus, aliis laudantibus monachos. Qua durante controuersia, qui Ioanni adhærebant, tam laici quàm monachi, multas ab aduersarijs iniurias perpessi sunt.

Multa patiuntur cum suis ab eo quo Episcopo Simoniaco stabant.

MVLTA vltro citroque sunt acta. Ad extremum, monachi aiunt se per ignem transituros: & si, vti bene confidunt, inde illæsi exierint, hortantur, vt idem cum ipsis sentiant de Simonia Episcopi etiam aduersarij: sin minùs, paratos se, vnà cum alijs, venerari Episcopum, & à Simonia pronunciare immunem. Ea res cunctis placuit. Locus præfixus est in monasterio Septimi, dies, quarta feria primæ hebdomadæ Quadragesimæ. Plebs omnis vtriusque sexus, & Cleri maxima pars illuc properant. Fiunt Litaniæ, & aliæ preces à monachis. Sacrificium solemniter celebratur. Et ecce virtutem diuinam. Abbas, Petrus nomine, qui sacrificauerat, cum cruce quam manu gestabat, sancto Ioanne interim coram adstāte & orante, ingreditur per medios ignium globos, flamma in sublime adscendente, & neque corpori neque vestimentis vllo adustionis vestigio inhærente: atque ita scilicet tandem Simone Mago conculcato, alius Florentinis datus est Antistes. Postea verò beatus Ioannes, senio confectus, in morbum incidit grauissimum, vbi congregatis è diuersis locis Abbatibus, cum summè vita hac discessum pronunciasset, hortabatur omnes, vt Canonem monasticum accuratè obseruarent, & vnitati, fraternæque dilectioni diligenter studerent: ac demum, perceptis cum multa deuotione Sacramentis, spiritum cælo reddidit incontaminatum, anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo tertio, quarto Idus Iulij, tertio inde die humatus in ecclesia monasterij * Passiniani: quem post obitum omnipotens Deus multis illustrauit miraculis.

Proponitur quatenus decidatur, sitne Episcopus ille Simoniacus.

Pro causa sancti viri, quidam suæ sui ingreditur ignem.

Migrat vir sanctus ad Christum.

* de Pasignano.

VITA SS. BASILIDIS, CYRINI, NABORIS, *Nazarij, & Celsi, ex Io. Maldonato Hispano.*

XII. IVLII.

SANCTORVM Basilidis, Cyrini, Naboris, Nazarij & Celsi festus dies agitur. Quorum duos apud Ebrodunensem ciuitatem martyrio laureatos, memoriæ prodidit antiquitas. Nazarius & Celsus Mediolani martyrium subiere. Habuit Romæ Nazarius patrem nomine Aphricanum virum illustrem, sed Iudæum, matrem Perpetuam Christianam, quam Petrus Apostolus baptismati sacro admouit. Hanc Nazarius sequutus, à diuo Lino instructus, & baptizatus est: pater Aphricanus in vltima senecta Christum agnouit. Sed Nazarius ipse post multa, quæ pro Christo fortiter tulit, Mediolanum venit, ferens secum puerum Celsum, quem nutriuerat: tentique simul ab Anolino proconsule, in carcerem coniecti sunt. Posteà verò quàm proconsul eorum est in pietate Christiana expertus constantiam, diu tortos ac maceratos, tandem gladio percussit. Sepulti sunt furtim à Christianis in propriis hortis quinto Calendas Augusti, sed à beato Ambrosio posteà reperti, Romam sunt translati quinto Idus Iunij.

S. Nazarij genus & patria.

Eius & Celsi pueri aduentus, obitus & sepultura.

DE S. EVGENIO EPISCOPO CARthaginensi, & socijs, sub persecutione VVandalica, ex Victore Vticensi.

De persecut. VVandalica l. 2.

XIII. IVLII.

MORTVO Geiserico, VVandalorum Rege, Hunnericus, maior filius, patri succedit. Qui primordio regni, vt habet subtilitas Barbarorum, cœpit mitius & moderatius agere circa religionem nostram. Et, vt se religiosum ostenderet, statuit solicitiùs requirendos hæreticos Manichæos; ex quibus multos incendit, plurimos autem distraxit nauibus transmarinis. Dedit quoque licentiam, Zenone Imperatore, atque Placidia relicta Olibrij rogantibus, vt Carthaginensis ecclesia sibi quem vellet Episcopum ordinaret, quæ iam per viginti quatuor annos tali ornamento fuerat destituta: atque ita ordinato Episcopo Eugenio, viro sancto, sublimis nata est lætitia. Exsultat multitudo Catholica sub barbara dominatione, de ordinatione Episcopi reparati. Quin etiam ille vir Dei, Sacerdos Eugenius, cœpit per conuersationē operum bonorum venerabilis & reuerendus haberi, etiā ab eis qui foris sunt, & ita omnibus esse gratus, vt, si fas esset, animam suā pro eodem vniuersos ponere delectaret. Eleemosynas quoque tales per eū

En calliditas barbarorum.

S. Eugenius amabilis omnibus, etiā nō Christianis.

Dominus dignatus est facere, vt incredibile videatur, tanta eũ impendere, vbi ecclesia, otiũ Barbaris tenentibus, ne vnius nummi habere cognoscitur facultatem. Sed & humilitatẽ in illo, charitatẽ, pietatemq́ue diuinitus cõdonatam, si quispiam incipiat, nõ poterit explicare. Pecuniam autẽ apud eum mansisse non probatur, nisi fortè tali hora offerretur, quando iam sol, diei explicans cursum, nocturnis tenebris ordinẽ daret & locum. Vnde solùm tantum reseruabat, quantum diei sufficeret, Deo nostro subinde quotidie ingentia & maiora donante.

Viuit in diẽ, reliquum largit pauperibus.

VERVM enimuero cùm fama eius esset celebris atq; manifesta, cœperunt exinde Arrianorum Episcopi inuidia graui torqueri, quotidianis eum calumniis insectantes. Et primum quidem suggerunt de illo, vt suum nequaquam sederet thronum, neque Dei populo verbum faceret consuetum: deinde quoscumque mares vel feminas in habitu barbaro incedentes in ecclesia conspiceret, prohiberet. Sed ille respõdit, vt decuit: Domus Dei omnibus patet, intrantes nullus poterit repellere, maximè, quia ingens erat multitudo nostrorum Catholicorum in habitu illorũ incedẽtium, ob hoc quòd domui Regiæ seruiebant. At vbi ab homine Dei tale responsum acceperunt, statuerunt in portis ecclesiæ collocare tortores. Qui videntes feminam vel masculum in specie suæ gentis ambulantes, ilico palis minoribus dentatis, iactis in capite, crinibúsque in eisdẽ colligatis, ac vehementiùs stringentes, simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. Quorum nos plurimos nouimus, nec scimus aliquẽm eorum tunc, etiam pœnis vigentibus, à recto itinere destitisse. Sed vbi & isto modo fidei infringere non valuit murum, cogitat, vt nostræ religionis homines in aula eius constituti, neque annonas, neque stipendia solita potirentur. Quin & censet tandem tyrannus iussione terribili, vt nemo in eius palatio militaret, neque publicas ageret actiones, nisi se se Arrianum fecisset. Quorum & ingens numerus vigore inuictus, ne fidem perderet, militiam temporalem abiecit: quos & deinde tyrannus domibus proiectos, omniq́ue substantia exspoliatos, in insulas Siciliam & Sardiniam quoque relegauit.

Nota responsum veri Episcopi.

Multa patiũtur Catholici pro fide, a...ũ ... non potest esse in officio aliquis, nisi Arrianus.

PRAECEPIT autẽ etiã sacras virgines congregari. Quas cremantes graui suspendio, atque ingentia pondera pedibus colligantes, laminas ferri ignitas dorso, ventri, mammillis, & lateribus apponebant, dicentes: Dicite quomodo Episcopi vobiscum concumbunt, & Clerici vestri? Nitebatur enim impius

O immanitatem.

semitam

ſemitam inuenire, per cuius aditum, publicam, ſicut fecit, faceret perſecutionem. Et ita tamen faciens, nullo modo inueſtigare potuit, quomodo Chriſti eccleſiam macularet. Sed & nullus dignis poteſt proſequi fluminibus lacrymarum, quando Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & alia Eccleſiæ membra, id eſt, quatuor millia D.CCCC.LXVI. ad exſilium eremi deſtinauit. Sed & inſuper cogitat adhuc aduerſum Eccleſiam Dei acriora, videlicet, vt, qui membra aliqua abſciderat, totum laniando perderet corpus. Nam die Aſcenſionis Domini, legendum in media eccleſia Epiſcopo Eugenio dirigit tale præceptum, quod etiam vniuerſæ Africæ, veredis currentibus, deſtinauit: Rex Hunnericus vniuerſis Epiſcopis Homouſianis. Non ſemel, ſed ſæpius conſtat eſſe prohibitum, vt in ſortibus VVandalorum Sacerdotes veſtri conuentus minimè celebrarent. Quam rem ſpernentes, plurimi reperti ſunt, contra interdictũ, Miſſas in ſortibus VVandalorum egiſſe. Et quia in prouinciis ſcandalum eſſe nolumus, ideo hoc nos ſtatuiſſe cognoſcite, vt ad diem Kalendarum Februariarum omnes Carthaginem veniatis, vt de ratione fidei cum noſtris venerabilibus Epiſcopis poſſitis inire conflictum. Data ſub die 13. Kal. Iunias, Anno ſeptimo Hunnerici.

Amplius quàm quatuor millia Catholicorum mittantur in exſilium.

Et nomen Miſſæ antiquiſſimum.

COGNOSCENTIBVS igitur qui aderamus, ſimúlque legentibus, contrita ſunt extemplo corda noſtra, dum Edicti tenor indicaret, futuræ apertæ perſecutionis terrorem. Tractatum eſt quid fieret. Nullum inuenit remedium imminens calamitas, niſi à ſancto Eugenio rationabilis Suggerenda daretur, tali textu conſcripta: COGNOVIMVS ad omnes coepiſcopos meos, præceptum Regium ſimiliter emanaſſe, vt die conſtituta pro diſputatione fidei veniatur. Quod nos venerabiliter accepiſſe ſuggeſſimus. Suggeſſit interim mea humilitas debere etiam transmarinarũ omnium partium, qui nobis ſunt in vna communione conſortes, agnoſcere, maximè quòd totius mundi cauſa non ſpecialis ſit prouinciarũ Africanarum. Quod petimus, vt benignitate, quãtus eſt, & iuſtitia ſapientiæ ſuæ dignetur annuere. Data ab Eugenio, &c. Tũ ille parturiens iniquitatem, Subde, inquit, mihi, ô Eugeni, vniuerſum orbem terrarũ, vt ſub poteſtate mea totus mundus redigatur, & facio quod dicis. Appropinquabat autem iam futurus dies ille calumnioſus Calendarum Februariarum: conueniunt Epiſcopi, afflictione & mœrore confecti. Fit ſilentium diebus multis, quouſque peritos quoſque & doctiſſimos viros, calum-

Reſpondet S. Eugenius cũ ſuis ad impium quondam decretum 13 domini Arriani.

Conuenitur ad diſputandum de fide.

niis appositis, exinde separarent. Tandem venitur ad disputationis conflictum. Nec mora. Mentientes suggerunt Regi de nobis, eo quòd strepitum fecerimus, audientiam fugientes: qui eadem hora festinauit facere quod volebat. Cūctos Episcopos exspoliatos, foras muros iussit propelli, addens, vt nullus quempiam illorum hospitio reciperet, aliàs cum vniuersa domo sua incendio cremandus. Sed & nemo congruo sermone possit exsequi aut coaceruare diuersitates pœnarum.

Conficta calumnia, omnes Episcopi Catholici expelluntur.

QVIN & illo tempore crudeliùs etiam ipsi Arrianorum Episcopi, Presbyteri, & Clerici, quàm Reges & VVandali sæuiebant. Nam ad persequendum ipsi cum suis Clericis vbiq; gladiis accincti currebant, sicut maximè quidam Episcopus inter illos, cæteris crudelior, Antonius nomine. Fuit iste in quadam ciuitate, proxima eremo, quæ Tripolitanæ prouinciæ vicinatur. Vnde & impius Hunnericus in ipsis partibus voluit sanctum Eugenium relegare. Quem dum custodiendum Antonius accepisset, variis insidiarum atque pœnarum suppliciis exstinguere cogitauit. Nam interea Eugenius sanctus, dum nostræ persecutionis defleret incommoda, aliquando sensit infestum paralysis morbum. Quo nuncio in gaudia conuersus Arrianus, pergit festinus ad cubile eximij hominis Dei, acetū nimis acerbum venerabilis senis recusantibus & nolentibus faucibus ingerit, ex quo præsertim ille passionis noxiæ morbus accipit augmentum. Sed pietas Christi misericorditer subueniens, postea sanum tamen adhuc exhibuit. Et quid ad tot tantásq; impietates respondebunt? Si disputare nitebatur nobiscum de fide, barbara ferocitas & hæresis Arriana, rationabiliter disputaret. Tu sancte Paule, Gentium magister, vniuersique ingemiscite Sancti simul pro nobis. Sed & pro malis orate iam filiis, quia & Christus etiam orauit pro inimicis Iudæis. Dicatur Angelo percutienti, Sufficit, iam cohibe manum tuā. Tenuit autem sceleratissimus Hunnericus dominationem regni annis septem, mensibus decem, meritorum suorum mortē deinde consummans. Nam putrefactum & ebulliens vermibus non corpus, sed partes corporis eius videntur esse sepultæ. Sed & ille legis dator & transuersor ex Donatianorum hæresi ad eos veniens, in breui simili morte periit.

Traditur S. Eugenius cuidam homini crudelissimo custodiendus.

En inuocationem Sanctorum.

VITA S. BONAVENTVRÆ CARDINAlis, & Episcopi Albanensis, Ordinis Minorum, ex Octauiano de Martinis.

Est oratio habita ad Sixtum 4.

EXORATVRO à tua Sanctitate, Pater beatissime, D. Bonauenturæ canonizationem: duo potissimùm inspicienda intelligo, vitam scilicet, & miracula. Vbi sicut non primordiis natalium ac pueritiæ eius insistam, aut eo altiùs à parentum ipsius dignitate exordiar, prohibent namque crebra & clariora viri facinora ab illo in statu perfectiori agitata: ita tamen nec omnino omittam quòd natione Tuscus, patria Balneoregius, Ioanne Fidansa & Ritella fidelibus coniugibus sit ortus. Gloriosus Deus in sanctis suis. Certè cum ille beatum Bonauenturam vas electionis sibi delegisset, ac suis obsequiis in religione S. Francisci destinasset, quo tamen illius conuersio posset aliquando à Deo disponente profecta intelligi, eundem in extrema valetudine periclitari permisit. Et tunc quidem charissima parens, vbi medelarum vires ad illum leuandum comperit nequaquam valere, S. Francisci suffragia reuerenter implorat, illum, si sanum recuperaret, ipsius religioni perpetuò offert. Exaudita est autem pro diuina clementia, & sanitate recuperata, integer puer euasit.

Duo requisita pro alicuius canonizatione.

S. Bonauentura patria & parentes.

Ægrotus sanatur per sanctum Franciscum, & eiusdem ingreditur Ordinem.

ATQVE hic scilicet est ille beatus, qui iam adolescẽs, cùm religioni maturum se videt, anno suæ ætatis circiter secundo & vigesimo habitum religionis S. Francisci deuotissimè suscepit, simúlque illius beneficium istud apertè testatus, Accipe, inquiebat, Pater beate, quascumque exiles, meritisque tuis ac beneficiis impares gratiarum actiones: & cùm susceperis vota, ad bona sempiterna perducas. Porrò vir sanctus in eadem vocatione progrediens, cùm omnis ipsius vita in Dei certa cognitione ac contemplatione versaretur, ad quam assequendam per sacrarum Scripturarum assiduam perlectionem, orationes, ac contemplationes intendebat, docente illum Alexandro de Ales, sacræ paginæ magistro, tantam breui doctrinarum perfectionem adeptus est, vt à septimo sui ingressus anno, consono magistrorum sui Ordinis iudicio delectus, librum Sententiarũ in Parisiensi vniuersitate clarissimè legerit, & cathedram magistralem receperit. Magna autem in dies doctrinæ accrementa recipiebat, quę magis diuinitus inspirata, quàm humanitus acquisita videretur, ita vt, cùm per tres annos sequentes cathedram magistralem rexisset, anno suæ ætatis secundo & tricesimo inter primos religione & doctrina in Ordine haberetur. Sed ecce quod admirabilius erat, quo magis scientia & auctoritate emerserat, eo magis humilitate mentis deprimebatur.

Legit Parisiis librum Sententiarũ.

Vnde etiam vel à vilium ministeriorum domesticorum exsecutione non coercebatur, nisi per obedientiam.

Occupat se libentissime in vilissimis domesticis ministeriis.

INFIRMORVM cura delectabatur suprà quàm sit credibile: quóque grauioribus aut contagiosis morbis grauarentur, eo magis se totum illorum obsequio applicabat. Quibus officiis cùm maiorem diei partem absumeret, non eo minor tamen erat in publicis lectionibus, & interpretationibus Scripturarum. In Capitulis autem seu Prouincialibus, seu Generalibus, tanta sapientia ipsius responsa dabantur, vt iam Generalis Minister, perspecta magnitudine consiliorum illius, nihil omnino graue exsequendum putaret, in quo sancti viri iudicium non antea explorasset. Quibus donis & gratiis illustratus, cùm iam in Religione esset omni merito clarus, defuncto Generali Ministro tredecimo ipsius ingressus anno, ex tam multis sanctis viris, quibus Religio in sua nouitate florebat, vnus omnium sine contradictione exstitit subrogatus. Hic verò vir sanctus, accingēs se grauioribus actionibus, cùm iam religiosi cœpissent à fundatoris disciplina paululum declinare, vbique monendo, instando, castigando, ac operosiùs laborando perplures ad meliorem vitæ frugem reduxit, ac deinde etiam in Capitulo generali, quod primum Narbonense tenuit, Regulam beati Francisci reformauit, atque exposuit. Hic scilicet ille est, cuius fama permotus Clemens quartus, vt illum in partem solicitudinis traheret, opulentę Eboracensi ecclesiæ præfecit, nec tamen assequi potuit vt vir sanctus eam promotionem acceptaret. Denique offert se quoque numerosus ille cumulus diuinorum scriptorum ipsius, in libros Sententiarum celebria Commentaria, secundum & quartum præsertim, & alia opuscula plura, vsque ad tricenarium numerum, quæ in partibus Galliarum frequentiùs habentur in manibus.

Creatur Minister Generalis.

Reformat in Capitulo generali Narbonensi Regulam S. Francisci.

AT verò eo tempore laborabat plurimùm Romana Sedes difficultatibus, quæ in Cōcilio, quod Lugduni congregabatur, inextricabiles emerserant. Quare & Gregorius, tunc Papa, & reliquus sacer Senatus, illecti studio viri, hunc beatum in Cardinalem, quamuis reluctantem, promouerunt, &, quod rarum, ex ipso initio, ob viri excellentiam, Episcopum quoque Albanensem. Ibi de multis illius sapientiâ sanctè consultum atque decretum est, & Græcorum quoque compositæ hæreses, qui tum, præsente Palæologo, eorum Imperatore, qui in hoc Lugdunum vnà venerat, liberè ad Romanæ sedis obedientiam redie

Fit Cardinalis quamuis reluctans.

redierunt. Denique in ea vocatione successiuè pari sanctitate & operum fructu perseuerans, cùm in Dei Ecclesia diutius laborasset, ita vt cum Apostolo iure dicere posset, Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo * quarto, suæ ætatis tertio & quinquagesimo hora matutina diei Dominicæ, quæ mensis Iulij erat tertia & decima, ex humanis sublatus est. Qua die ipsius venerabile corpus reconditur in ecclesia sancti Francisci Lugdunensi, Gregorio Pontifice permaximè eum reputante, qui & ibidem publicè testatus est, Ecclesiam Dei illius morte magnā incurrisse iacturam. In exsequijs primam Missam celebrauit frater Petrus Tarētasiensis Episcopus. Cardinalis Ostiensis, sermonē habens proposito themate: Doleo super te, mi frater Ionatha. Vbi inter cæteras commemorationes gratiarum & donorum quæ illi Deus dedit, etiam illud fuit, quòd Alexādri de Ales, præceptoris sui, testimonio mundus ab omni vitio probatus est, qui & eius vita & moribus probè compertis, de eo dicere solebat: Verus Israëlita est iste, in quo Adam non peccasse videtur.

*quinto. *Transit feliciter.*

Testimonium de statu de eo per præceptorem suum Alexādrum de Ales.

ITAQVE iam intelligis, Pater beatissime, quod & per te planiùs intelligebas, quis qualísve fuerit Bonauentura, de quo agimus, cuius vita & exemplis beati Frācisci religio illustrata, & doctrina omnis terra repleta est. Tantùm reliquum est id quod secundò loco aggredimur, vt pari patiētia audire digneris, dum refero, quæ memoranda Deus in illo monstrare est dignatus. Et quidem à re miranda exordior. Bonauentura adhuc in minoribus agens, demissę mētis humilitate potiùs quā ex iniustitia pluribus diebus abstinuerat perceptione sacratissimi corporis Christi, veritus ne, si illud indignus sumeret, iudicium sibi manducaret & biberet. Vbi cùm die quadam in Missa deuotus adesset, Deus respiciens ad eius humilitatem, ecce particulam consecratæ hostiæ, de manu celebrantis per Angelum accepā illius ori clementer immisit. Respexit enim ad humilitatem serui sui, vt ob eam beatus ab omnibus gentibus prædicaretur. Sic & cùm intenso affectu studeret contemplando & annotando vitam beatissimi Francisci, contigit vt gloriosus sanctus Thomas de Aquino, qui eadem tēpestate claruit & Bonauenturæ magna charitate coniunctus fuit, accedens ad illius cubiculum per foramen ostij introspexerit, viderítque illum contemplatione raptum, & à terra mirificè subleuatum. Tum verò idem retrocedens ad suos: Sinamus, inquit,

En quàm non oporteat nimis confidenter accedere ad sacrā Eucharistiam.

Nota de eo testimonium à Thoma Aquinati.

inquit, sanctum laborare pro sancto.

SIMONA quoque Lugdunensis beatum Bonauenturam viuentem summa deuotione prosequebatur, quæ, sicut Domino placuit, mortuum peperit. Itaque ad eam euocatur vir sanctus: exposito quoque cadauere ante illius pedes & mater, quæ in lecto coràm ingemiscebat, & reliquæ mulieres quæ aderant, sancti viri opem in salutem mortui deprecatæ sunt. Tum verò vir sanctus commiseratus, manibus atque oculis erecti in cælum, deuotissimè orauit, cùm mox, signo Crucis super puerum facto, viuentem reddidit matri. Sunt præterea & alij innumeri, qui meritis eiusdem sancti, de variis doloribus, ægritudinibus, ac periculis miraculosè liberari meruerunt, quorum singulos si recensere pergam, presenti operi detrimẽto potiùs quam vsui aut fauori indubiè futurus ero. Hoc tamen non committam, vt silentio transeam stupendum ac memorabile & certum testimonium sanctitatis, quòd dum idem venerabile corpus transferretur ad nouam ecclesiam, ad titulum S. Francisci Lugduni erectam centesimo & sexagesimo sui obitus anno, quod, inquam, tunc reliqua corporis parte alioquin exesa atque corrosa, caput tamẽ solidũ, capillamentum hærens, labia, dentes, & lingua in nullo à vitali statu aut colore demutata sint reperta. Erat profectò diuinæ clementiæ, illud os putrefactione seruare, quod ad salutem fidelium, atque in diuinis laudibus semper fuerat operosum.

Excitat defunctum.

Caput eius sacrum nihil motum à vitali statu, iã 160. annis post mortem.

DE S. HENRICO IMPERATORE
ex diuersis Historijs fide dignis.

XIIII. IVLII.

SANCTVS Henricus Imperator, primùm Dux Bauariæ fuit. Hic sanè multa & & ingentia bella mirabili felicitate gessit. Scilicet primò Bohemos & Vandalos bello fatigatos tributarios & subditos sibi fecit: deinde etiã in Italia aduersus Saracenos pugnauit, & eosdem inde expulit. Porrò vxorem habuit sanctissimam Chunegundem, quæ ipso consentiente, perpetuò suam virginitatem Deo consecrauit & conseruauit. Atque adeò, hoc ipsum quoque Deus omnibus fecit notum & manifestum, dum eam, ad cõfundendum virginitatis hostẽ, & linguas venenatas detractorum, super ignitos vomeres illæsam procedere concessit. Cæterùm pius hic Imperator, cooperante sibi eadem sua beata coniuge, multa bona præstitit

S. Henricus continet in coniugio.

ſtitit in Eccleſiarum & Monaſteriorum ædificatione, ſeu etiam melioratione. Atque imprimis à fundamentis exſtruxit eccleſiam Babenbergenſem, atque inſuper cœnobium in honorem S. Michaëlis ad partem Septentrionalem eiuſdem eccleſiæ ſitum. Multa etiam multis aliis eccleſiis contulit, velut calices aureos & argenteos, pallas quoque & caſulas, aliáſque huiuſcemodi quæ nimis longũ eſt hîc ſigillatim recẽſere. *Exſtructa ab eo eccleſia Babenberg, & monaſt.*

SED & hoc quoque; dignum quod referatur, de eo memoria proditum eſt. Nimirum, cùm adhuc Dux eſſet, & necdum ad Imperij faſtigium aſcendiſſet viſionem habuit, quod ad ſepulchrum ſancti VVolfangi Ratiſponenſis Epiſcopi oraret, & in pariete ſcriptũ videret hoc ſolum verbum, POST SEX. Itaque ex hoc cogitans ſe poſt ſex dies moriturum, ipſis tranſactis, ſex hebdomadas, deinde ſex mẽſes poſtremò ſex annos computans, mortẽ infallibiliter expectabat, atque ad eandem ſe deuotè preparabat. Sed, ecce, ſub finem ſexti anni, dum mortem ſollicitus præſtolatur, diuino nutu Imperator eligitur. Quin etiam hic Deo deuotus Imperator ſororem ſuam in cõiugium dedit ſancto Stephano Hũgariæ Regi, hoc pacto eandem gentem quàm arctiſſimè Chriſto conſtringens. Ac ſic videlicet tandem, plenus per omnia operibus bonis, feliciter migrauit in cælum pridie Idus Iulij, anno Chriſti milleſimo vigeſimo quarto, cum regnaſſet annis viginti duobus. *Habet mirabilem viſionẽ.* *Migrat ad Dominum.*

VITA S. RAINELDIS VIRGINIS *& Martyris, ſororis ſanctæ Gudulæ, ex ea quæ eſt apud R.P. Surium.*

XVI. IVLII.

BEATISSIMA Raineldis, nobiliſsimis orta natalibus, patrem habuit VVitgerum, cui coniunx fuit Amelberga, cum primis nobilis & illuſtris, non minùs moribus quàm corporis pulchritudine conſpicua. Qui VVitgerus cùm tandem ſacræ religionis habitum induiſſet, coniunx quoque eius Amelberga à S. Autberto, Cameracenſi Epiſcopo, ſacrum accepiſſet velamen, Chriſtoque ſe totam dedicaſſet, manſerunt pleræque facultates eorum Raineldi, & ſorori eius Gudulæ. Quibus cùm permulti potentes homines moleſti eſſent, & eas procarentur, & ipſæ quoque ad eũdem beatum Autbertum confugerunt, Chriſtumque Sponſum expetentes, ſacro velamine ab ipſo donatæ ſunt. Igitur ſancta Raineldis, præ *S. Raineldis genus.* *Accipit ſacrum velamẽ à S. Autberto.*

præclara Christi virgo, sicut ab ineunte ætate bonis moribus sese componere, castitati studere, diuinis operibus sedulam nauare operam contenderat, ita jam totis viribus eò connitens, incredibile memoratu est, quāta se affecerit inedia, quam assiduis ieiuniis & orationibus corpusculum suum macerarit. Nunquam à Dei laudibus promēdis eius cessabat lingua; non diebus, non noctibus à psalmis, hymnis, canticisque spiritualibus, vel colloquiis diuinis vacandum sibi putabat. Erga pauperes Christi semper solicita & attenta erat, quemadmodum eos vestiret, & alimentis reficeret, &, ne qua re indigerent miseri, summopere curans.

Solicitè seruit pauperibus.

SERVIS & ancillis suis sæpius ipsa seruiebat, quàm illorum ministerius vteretur, ita vt etiam illis recumbentibus officiosè inseruire non recusaret. Ad nudum corpus vtebatur cilicio. Quin etiam cùm in dies magis ac magis carnem edomando, spiritum roboraret, nudis semper pedibus virgo tam nobilis & tenera incedebat. Cibum vix vnquam, nisi semel in die, capiebat, idque parcissimè, modico pane hordeaceo, & aqua contenta. Lectū sericis pannis, & magni pretij operimentis instratum, vt habet nobilium consuetudo, planè respuebat, in cinere & cilicio se ponere gestiens. Ac denique, cùm nihil præter Christum habere concupisceret, cum sancta sorore sua Gudula Lobiense cœnobium adiit, beatissimo Petro, Apostolorum Principi, omnia sua oblatura. Et quidem pulsans fores monasterij, audiuit à Fratribus loci illius, ex quo die fundatum esset illud monasterium, nunquam licuisse feminis in illud ingredi. Quod & vbi sancta virgo Gudula audiuit, inde recessit. At verò soror eius Raineldis, pro templi foribus se prosternens, omnipotentem Deum tres continuos dies, nihil interim edens aut bibens, piis precibus & lacrymis pulsare non destitit, donec ille, qui nunquam deserit sperantes in se, signa potentiæ suæ mirabiliter declarauit. Nam ecce tertia nocte, cunctis Fratribus quiescentibus, ostia monasterij diuina virtus aperuit: & nullo mortalium manus admouente, signa suos dedere sonos.

Recubat in cinere & cilicio.

Orat tres dies continuos sine cibo.

EXCITANTVR Fratres, concurrunt vndique, sanctam virginem in crucis forma coram imagine Saluatoris prostratam cernunt. Atque ita scilicet honorificè, & cū multa deuotione ab eis suscepta, animi sui propositum illis explicauit, & * Sanctas, cum quinque villis ad eas attinentibus. B. Petro Apostolo donauit, vt per eū ad cæli palatia introduci mereretur.

Offert sua cœnobio Lobiensi, & proficiscitur visura sanctam Ierusalem.

tur. Inde autẽ accepta benedictione à Patre monasterij & Fratribus, inanis gloriæ & humanæ laudis fumos vitare, & maioris certaminis cursum cõficere volens, ad sanctam quoque ciuitatem Ierusalem, vno tantùm famulo, vnaque ancilla contenta, profecta est vbi biennio singula quoque loca, in quibus Saluator versatus fuerat, perlustrauit, haud secus quã si ipsum Dominũ in corpore præsentem haberet. Delectabatur autẽ eo labore, & omninò, tanquam vberrimis refecta epulis corpus suũ, quantum humana imbecillitas ferre poterat, ita excruciabat; donec tandẽ septennio euoluto, pretiosissimis aucta Sanctorum reliquiis, parte quadam sepulcri Domini, & ligni crucis, vestique beatissimæ matris Dei, aliisq; multis, ad patriam reuertitur.* Sanctas ingreditur, à familia & cũctis loci eius indigenis, cum summa exultatione excipitur. Deinceps verò ita vixit, vt humanũ modum excedere videretur, scilicet velut in ecstasi posita, terrenis omnibus proculcatis, cælestibus inhiãs, miraculis quoque & virtutibus coruscans, rerum diuinarum vt plurimum contemplationi vacabat.

Redit in patriam cũ multis sanctorum reliquiis.

SED ecce interea temporis, cùm iam propter hominum flagitia Dominus Barbaros sæuire permitteret, illi in Gallias irruentes, magnam Christianis cladem attulerunt. Qua in rerum perturbatione aliis se in specus, aliis in montium cauernas abdentibus, nobilioribus verò & potentioribus in municipia & fortissima castella se recipientibus, hæc Christi virgo adduci non potuit, vt locum, in quo diem claudere extremum constituerat, desereret. Irruentibus ergo Barbaris, virgo Christi cum Grimoaldo Subdiacono, & Gundulpho ministro, more suo ad preces confugit, & coram altari, in æde beatissimi Quintini Martyris, in crucis forma se prostrauit, cum tandem illi instar immanissimarum beluarũ arreptis primum capillis, eam circũquaque trahebant, fustibus & flagellis eam cædentes, deinde etiam compellunt vt ceruicem extendat: atque sic capite cæsa, ad Christum euolauit. Porrò beatus Grimoaldus Subdiaconus itidẽ capite plexus est: Gũdulphus verò vitam finiuit tribus in eius cerebrum adactis clauis. Et quidem cæde peracta, volebant satellites satanæ, tẽplum inflammare, & cum illo pariter sanctos Martyres comburere: sed meritis beatæ Raineldis impediti, nullo modo id consequi potuêre, coactique sunt, re infecta, cum ignominia abire. Cæsa est autem Christi sponsa Raineldis, cum duobus sociis, decimo septimo Calendas Augusti.

Inuaditur Gallia à Barbaris.

Ab ijsdem S. Raineldis crudeliter trucidatur, vnà cum duobus sociis.

VITA

VITA S. ALEXII CONFESSORIS

eximij, ex ea quæ est apud Metaphrastem.

XVII. IVLII.

S. Alexij potentissimi parentes.

FVIT vir pius Romæ, nomine Euphemianus, Archadio & Honorio Imperatoribus, Senator magnus, cui tria erant seruorum millia. Nullos autē susceperat filios, quoniam vxorem habebat sterilem: optimusque hic erat vir. Ternas domi suæ mensas instruebat, pro viduis, & pupillis, & peregrinis, & pauperibus, & ægrotantibus. Ipse verò hora nona cum monachis peregrinis panem edebat. Et siquando minùs in pauperes benignus & misericors extitisset, prostratus in faciem suam dicebat: Nō sum dignus qui ambulem in terra Dei mei. Cui erat vxor Aglais nomine mulier similiter fidelis ac timēs Deum, & erga pauperes itidem benigna & liberalis. Quæ cùm esset sine liberis, Deum orabat, vt sibi filium largiretur. Et recordatus est eius Deus, largitusque est ipsi filium. Et baptizauerunt eum, imposueruntque illi nomen Alexio: quem & cùm sex esset annorum, mox Grammaticæ rudimentis imbuendum, & historiæ deinde Ecclesiasticæ cognitione, atque arte Oratoria erudiendum curarunt, ita vt euaserit doctissimus. Verùm cùm adoleuisset; Matrimonio, inquit Euphemianus ad coniugem suam, coniungamus charissimum filium nostrum, sicque puellam regij sanguinis ei desponderunt, & coronârunt eos in templo. S. Bonifacij, adhibitis venerandis Sacerdotibus, totúmque diem hilariter vsque ad vesperam trāsegerunt. Tunc verò Euphemianus, Ingredere, inquit, fili ad sponsam. Qui in thalamum ingressus, cùm eam in sella sedentem inuenisset, annulum suum & caput baltei in velo purpureo inuoluta ei tradidit, Accipe, inquiens, hæc, atque serua, & Deus erit inter me & te, donec illi placebit.

Nascitur singulari Dei beneficio ex sterili.

Sponsam nobilißimā relinquit, ipsa nocte nuptiarum, vt seruiat Christo.

ET quidem in cubiculum suum ingrediens, ex propriis diuitiis sumpsit, ad portum verò deinde descendens, nauem inuenit, in quam conscendens, Laodiceam peruenit: simúlque cùm rursum egressus esset è naui, reperit agasones, quibus se itineris comitem adiunxit, donec Edessam Mesopotamiæ vrbem peruenit. Hîc verò omnia bona sua mox vendidit, pauperibúsque distribuit. Post quod vestimentis vilibus indutus, & in vestibulo templi Domini nostri Dei genitricis manens, quidquid accipiebat, id simul egenis senibus nutriendis impēdebat. Pater autem interea, cùm post nuptiarum diem filius

Venit Edessam Mesopotamia.

A.   non

non inueniretur, omnes ferè seruos ad eum quærendum dimisit. Quorum è numero cùm quidam Edessam peruenissent, ei minimè ab ipsis cognito, eleemosynam dederunt. Ipse verò agnouit eos, & gratias egit Deo, qui se dignum fecisset, vt eleemosynam à seruis suis domesticis acciperet. Et serui quidem redeuntes, domino suo nunciauerunt, se filium eius non inuenisse. Alexius autem, cùm decem & septem annos in vestibulo ædis Dominæ nostræ Dei genitricis transegisset, Deoque gratus esset, ecce imago ipsius beatæ Virginis sic ædis custodem est allocuta: Introducito huc virum illum Dei (Alexium designans) dignus est enim regno cælorum. Verùm introductus, cùm celebris omnibus fieret, ipse, vt humanam gloriam fugeret, Tarsum Ciliciæ ad sancti Pauli templum magis ire decreuit, vbi nemini notus foret.

Ignotus accipit eleemosynam à ministris patris, tãquam pauper.

IAM conscenderat nauim: sed ecce vi tempestatis appulit Romam. Itaque, Viuit, inquit, Dominus Deus meus, non ero cuiquam grauis, sed domum patris accedam, cùm sim omnibus ignotus. Cùm igitur patri è magno palatio, multis comitantibus, redeunti occurrisset; Serue, inquit, Dei, benignitatem exerce in me abiectum & pauperem, & Deus sanctus benedicet temporibus tuis; cùm mox Euphemianus, filij sui vnigeniti recordatus, circumstantibus seruis suis, Et quis, inquit, ex vobis huic pauperi vult deseruire, & liber erit omnibus diebus vitæ suæ? Ac deinde, Eum, inquit, in vestibulo domus constituite, vt quotiescunque ingrediar & egrediar, illum videam: nullaque eum re mensæ meæ fraudate. Verùm cùm vespera aduenisset, & silentium esset; quidam è seruis eum valde affligebant, alij alapis eum cædebant, alij vellebant capillum, alij sordes in caput eius effundebant. Ipse verò hæc diaboli operâ fieri considerans, omnia patienti & læto animo sustinebat; cùm tandem quadam die, cùm Pontifex sacra faceret, & Sacrificio Imperator quoque interesset, audita est vox diuinitus dicens: Venite qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Quamobrem timor & admiratio cunctos inuasit, & ceciderunt in facies suas, clamantes, Miserere nostri Domine. Quin etiam secundo die clarè audita est vox ex altari, dicens: Quærite virum Dei, & orabit pro Roma, & res prospere cedet, die autem proximo è corpore egredietur.

Fugiens famam hominũ, inscius appellit Romam.

In domo paterna annos ignotus agẽs, multas sustinet iniurias.

ITAQVE eo die summo mane, omnes in sancti Petri templum conueniunt, vt intelligerent vbinam vir ille Dei esset: cùm rursum arcanæ vocis monitu dictum est, vt in ædibus

Detegitur voce cælesti. Euphemiani virū Dei conquirerent. Tum verò sacratissimus Imperator ad Euphemianum, Tantum, inquit, munus domi habes, & nobis id non significasti? Atque interim vir Dei, cùm sciret vitæ suæ finem appropinquare, Affer huc, quæso, inquit ministro, chartam & attamentum. Scripsitque totam vitam suam, & arcana quæ inter se & patrem ac matrem sponsamque suam intercesserant, vt à parentibus agnosceretur. Decreuit igitur Imperator, vt Euphemiani domus peteretur, ibique vir Dei quæreretur. Euphemianus autem seruis suis iussit, vt ad suscipiendum Imperatorem domum ornarent, & scamna sellasque disponerent. Sponsa quoque stans in solario, spectabat quid sibi vellet ea perturbatio, & quæ dicerentur ac fierent. Tum verò Alexij minister ad Dominam suam, Num, inquit, hic pauper est vir Dei? Magna profectò & præclara signa in ipso conspicio. Quolibet enim Dominico die sancta mysteria suscipit, cibusque eius tenuis, & potus duæ sunt aquæ vnciæ. Ad hæc, quidam è seruis valde affligunt eum, nonnulli alapis cædunt, alij vellunt capillos, multi sordes in caput eius effundunt, quæ ille omnia perfert æquo animo. Atque interim Euphemianus accedens, Alexium, cui neque vox, neque auditus erat, alloquebatur, retectaque eius facie, tanquam Angeli splédidam vidit: quem etiam cùm defunctum esse, & chartam manu continere animaduertisset, conatus est eam tollere, sed non potuit. Itaque veniens ad Imperatorem, Inuentus est, inquit, quem pietas vestra conquirit, sed cessit è vita, & chartam manu tenet, quam nobis dimittere non vult.

Magna eius sanctitas & abstinentia.

Splendet eius facies post mortem instar Angeli.

TVNC verò Imperator lectum in medio secreti cubiculi sterni iubet, in eoque ipsum collocari. Pontifex autem & Imperator consurgentes, ceciderunt in facies suas, atque dixerunt: Da nobis chartam, vt videamus qui sis, & quid sibi velint ea quæ in charta conscripta sunt. Et confestim chartam ipsis tradidit, quam Aëtio sacrosanctæ Ecclesiæ Cancellario legendam dederunt. Et quidem, dum legeretur, magnum est silentium consecutum. Verùm cùm ad eum locum peruentum esset, vbi de parentibus, deque sponsa fiebat mentio, & quemadmodum ipsi annulum aureum, & baltei caput in velo purpureo conuoluta tradidisset, tunc Euphemianus excitatus, canos diuellere, & cursu ad venerabile corpus contendere, atque illud complecti, & magna cum afflictione osculari cœpit. Idem autē vel multo maximè fecere & sponsa, & mater. Porrò Pontifex & Imperator iusserunt lectum circumgestari: sed populus

Ex scripto, quod defunctus manu tenebat, cognoscitur tota vita eius historia.

pulus ita premebat, vt moueri non posset. Et quidem iussit Imperator vt aurum argentumque proijceretur, quo populus ad colligendam pecuniam diuerteret; verum nemo fuit qui auri curaret, sed omnes ad venerandas reliquias concurrebant. Si quis enim eas tantú vel deuotus adspiciebat, ab omni malo liberabatur. Surdi audiebant, muti loquebantur, mundabantur leprosi, dæmones fugabantur: sicque sacras reliquias in S. Petri templum gestarunt, vbi diebus septem ei iusta, parentibus & sponsa præsentibus, celebrarunt. Imperator quoque arcam è marmore & smaragdo faciendam curauit, atque in ea corpus sanctissimum posuit.

Stupēda sūt ad sacrū eius corpus miracula.

VITA S. MARINÆ, EX IO. MALdonato Hispano.

XVII. IVNII.

MARINA in Græcia nata, patrem habuit monachum, qui defuncta vxore, filiáque Marina propinquo commēdata in monasterium secesserat. Hunc abbas post aliquot dies ab induto cucullo solicitum mœstúmque cernens, interrogauit, vnde illi tam crebra suspiria. Qui respōdit, filium se in mūdi fluctibus reliquisse, cuius de vita solicitus, prorsus intabesceret. Non ausus est vir bonus filiam fateri, ne non admitteretur. Abbas morem cupiens gerere monacho, quem bonæ mentis esse comperetat, eius filium fieri monachum, permisit. Ita Marina sexum virili habitu mentita, cœnobitarum in sodalitium cooptata est, Marinúsque appellata. Profectò fuit in ea tanta morum vitæque integritas, tanta humilitas, vt in ore omnium esset. Mortuo patre, cuius ad arbitrium semper vixerat, omnibus cæpit se summittere, nulli non parere, omnem vltrò laborem subire. Igitur cùm ad lignandum frequentissimè mitteretur, & interueniente nonnunquam nocte bonus Marinus diuersorio cuiusdam Pandochei sua non sponte vteretur, maximum sui nominis monasteriique dedecus incurrit. Erat Pandocheo filia facie præstanti; quæ non repugnans à milite compressa, cùm vterum dissimulare non posset, Marino crimen impegit. Abbas Marinum fatentem crudelissimè flagellauit, éque monasterio protrusit. Ille triennium iacuit ante ianuam in puluere, frustulis ac panis miculis victitās. Puer trimus ei veluti parenti traditur, quem eodem in puluere bienniū aluit, omníque cura fouit. Tandem abbas omnésque monachi

S. Marinæ pater in monasterium secedit.

S. Marina in Monachorū cœnobiū cooptata Marinus appellatur.

Eijcitur ab abbate de monasterio.

patientia Marini victi, in monasterium cum puero reduxerint. Vbi ministerio ruderum egerendorum admotus, vitam perpetuo in labore duxit, ac finiuit. Iussus tamē est cùm diem obiit, procul à cœnobio sepeliri; quod nondum exacto tēpore, quod erat pœnitentiæ dictum, abbas decessisse, cōtenderet. Sed cùm à monachis de more cadauer lauaretur, apparuit esse fœminā. Quod adeò monachos vertit in admirationem simul & mœrorem, voluentes secum, quòd virginem sanctam immeritò afflixissent, vt sublatis continuò clamoribus, intra ecclesiam loco decenti sepelierint. Puerpera mendax à malo dæmone vexata, non prius valuit fugere cruciatus, quàm ad sepulchrum virginis Marinæ se ream peregit.

Admiratio inter monachos.

VITA S. PHILASTRII EPISCOPI

Brixiensis, ex sermone sancti Gaudentij eius successoris.

XVIII. IVLII.

Est sermo habitus in eius anniuersario.

CHARISSIMI, nos hodie memores promissionū Christi, honorem debitum beato Patri nostro Philastrio, tamquam verè viuenti, deferimus. Est enim verè Patriarcharum filius, & socius in fide, & æmulator conuersationis. Omnes enim, inquit ille, illi viuunt. Et quidem legitimum eum esse filium beatissimi Abrahæ, nemo sanè dubitabit. Credens videlicet Deo fide plenissima, exiit & ipse de terra sua, & de domo patris sui, & sequebatur verbum Dei ab omnibus seculi impedimentis exutus; quare & citò assequi meruit, quod sequi studuit expeditus. Exercens continentiam singularem, peruigil in scripturis sanctis, Dei sapientiam concupiuit; portionem suam Christum reputans Dominum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ cælestis absconditi. Quibus cùm repleuisset desiderium suum, desideriorum cælestium vir, & per impositionem manus presbyterij dispēsator diuini sermonis electus, negligere gratiam Dei omnino passus non est: sed circumiens vniuersum penè ambitum Romani orbis, Dominicum prædicauit verbum, Pauli Apostoli idoneus imitator exsistens. Sancto enim Spiritu plenus, non solum contra Gentiles atque Iudæos, verum etiam contra hæreses omnes, & maximè contra furentem eo tempore Arrianam perfidiam magno fidei vigore pugnauit, ita vt etiam verberibus subderetur.

S. Philastrius verus filius Abrahæ.

Fit Presbyt.

Acriter præliatur contrà Arrianos.

IN Mediolanensi quoque vrbe idoneus olim custos fuit Dominici gregis, Arriano repugnans Auxentio, priusquam

beatus eligeretur Ambrosius. Romæ etiam non exiguo tempore moratus, multos & publica & priuata disputatione lucratus in fide est. Sed neque per vicos & castella diuersarum prætериens regionum, prædicare verbum Dei vnquam destitit. Post quos scilicet circuitus animarum salutares, Brixia eum rudis quondam, sed cupida doctrinæ, promeruit; scientiæ quidem spiritalis ignara, studio tamen discendi laudabilis. Et quidem excidit continuò imis ab stirpibus horrentem syluis diuersi erroris dumũ bonus agricola, & aratro doctrinæ pronus incumbens, inuertit crudam totis viribus terram, squallentemque humum sulcis assiduis in noualia fecunda conuertit, affatim semina vitalium mandatorum gremio eius insinuans. Plantauit quoque vineã, cuius lætaretur ex fructu, quoniam vinum lætificat cor hominis. Oleas etiam pacis agrestibus indidit oleastris, & asperitati pomorum syluestrium germina pinguedinis ac suauitatis inseruit, vt haberet Apostolicus vir aliquem in vobis fructum, sicut & in ceteris gentibus. Et iste quidem consummati operis nunc apud Deum fructibus gratulatur: nam dignus est operarius mercede sua, & laborantem agricolam oportet primò de fructibus sumere. Ego autem minima eius pars omnibus votis exopto, vt agrum benè à Patre consitum, & non satis idonea successione susceptum, quoquo modo tueri præualeam. Certè zelum fidei eius, & magnitudinem laborum paulo antè perstrinximus.

Post varias discursiones prædicationis per regiones, subsistit Brixiæ.

Nota ætatem Auctoris.

SED & iam simul quoque reminiscamur, charissimi, vehemens ille ardor animi quantam tamen possederit in sanctis moribus lenitatem; illa celsitudo scientiæ quanta fuerit humilitate sublimis; illa cælestium rerum peritia quàm fuerit ignara terrestrium. Erat enim humanæ gloriæ nescius, & acer diuini honoris exactor; non quærens quæ sua essent, sed quæ Iesu Christi. Amicitias seculi, & officia mundana contemnens, seruitio Dei iugiter adhærens, inter humana colloquia iugiter erat occupatus: nimirum ibi cor eius erat, vbi erat thesaurus. Sed & illud etiam quale est? Nimirum cùm operosa quæque huius seculi ac pretiosa despiceret, futurarum tamen rerum pauperes venditores misericordi ambitione profusus emptor augebat. Parum scilicet computans, quòd professus egentibus largiretur. Ad hæc etiam erat irâ breuis, indulgentiâ facilis, patientiâ supremus, humanitate deuincens, in corripiendo districtus, in relaxando absolutus, liber in agendo: omni ætati & conditioni & sexui stupenda benignitate com-

Inter homines versans, semper tamen est intentus Deo.

Singularis eius benignitas & humilitas.

munis, ac tum humilibus quibuscunque coniunctior. Ipse quoque in illo habitu vestium tota erat vilitate mundissimus, gratus, sine industria, contemptibilis sine fuco, & planè, qui, ipso nihil curante, mentis eius panderet puritatem. Atque hæc quidē pauca de virtutibus hominis Dei breuissimo sermone memoraui; ne dies iste, quo ad superna migrauit beatus Philastrius, patronus noster, cuius hodie festa celebramus, tristi silentio inglorius præteriret. Nam etsi multa meritorum eius præconia, quatuordecim iam per annos solennitatis huius cultum renouans, auditui vestro intulerim, plura tamen semper, quæ prędicari adhuc possunt, intacta perspicio. Porrò quinto decimo Calendarum Augustarum exuit hominem, & migrauit ad eum quem dilexit.

Obdormit in Christo.

VITA S. FREDERICI EPISCOPI VLtraiectensis, & Martyris, ex ea quæ est apud R. P. L. S.

XVIII. IVLII.

S. Frederici clarum genus.

SANCTVS Fredericus, natione Friso, nobilis fuit genere, sed & nobilior sanctitate. Is in primis ætatis initiis ludos pueriles prorsus respuebat, ad Ecclesiam semper prompta animi alacritate properans: vbi etiam quicquid lectum aut cantatum esset, intentis auribus accipiens, domum reuersus, matri suæ, si quid intellexisset, referebat. Quę res lætitiam magnam matri attulit, adeò vt, inuito patre, eum primò Patribus quibusdam literis humanioribus, deinde etiam, cęlesti visione admonita, sancto Ricfrido, Traiectensis Ecclesiæ Antistiti, ecclesiasticis disciplinis accuratè commendarit instituendum. Hic sanè, etiamnum adolescens, si quem intra domum Dei, risu aut iocis dissolutum vidisset, blandè suauitérque admonebat: multos quoque necdum originis culpa absolutos Catechesi instituebat. Atque ita primò Subdiaconus, deinde & Diaconus est ordinatus. Sed & cernens Ricfridus Episcopus tot eum virtutibus instructum, iussit eum secundum à se locum obtinere, Sacerdotio eum initians, quamuis inuitum. Porrò Ricfridus Antistes, vir omni bonitate conspicuus, leui correptus febri, iam multa ętate grauis, non multo pòst terræ reddidit corpus, cœlo spiritum.

Eius sancta adolescentia.

Ordinatur Sacerdos.

AT verò interea Ludouicus Rex, Caroli Magni filius, in quandam Rheno propinquam vrbem peruenit, cum Iudith

coniuge sua * consecrãda: quam scilicet, ne ab Episcopis anathemate feriretur, in Galliis apud se retinere non audebat. Qui Ricfridi obitu comperto, per Legatos mandauit Traiectensis ecclesiæ senioribus, vt Fredericum sibi Episcopum deligerent, & electum cum honore ad ipsius palatium adducerent, nescientis iam omnes Traiectenses id quoque ante decreuisse. Sed vir Dei constanter se tanto proclamat honore indignum. Missi sunt ex palatio Regis viri potentes denuo: cùm ille confestim surrexit, dicens, non esse Regis iussa negligenda. Sperabat tamen se apud Regem effecturum, ne Traiectensibus, tanquam indignus, Episcopus daretur: vnde & sic eum alloquitur: Precor, inquit, Domine mi Rex, ne istis assentias in eo quod postulant, sed eligant, te iubente, sanctiorem aliquem: & ego, si id feceris, quicquid iure hæreditario possideo, libens tibi tradam. Quæ illi prolixè prosequenti, Rex nihilominus per nomen Christi adiurato pedum tradidit, & coram se Episcopum ordinari præcepit.

Consecranda forte pro exsecranda: vt 4. Reg. 21. benedixit, pro maledixit.

Eligitur Episcopus Vltraiectensis.

Offert omnia sua Imperatori, ne sit Episcopus.

VENTVM iam erat ad alteram lucem, cùm eum coram Episcopis, qui aderãt, sic Imperator est allocutus: Est, inquit, charissime insula VValacrana, in qua (proh dolor!) passim sibi matrimonio iungunt neptes suas, aut etiam, quod deterius est, sorores, vel ipsas quoque matres. Ibi, quod antecessores tui excolere non potuere, tibi in primis erit absoluendum. Quibus ab Imperatore dictis, vir sanctus ingemuit, aitque ad illum: Grauiter quidem me obstringis, Domine Imperator, sed, quæso, dic mihi: num salua tua gratia facturus sum quod hortaris? Tum Imperator, Non solùm, inquit, salua mea gratia, sed, si volueris, me quoque in ea re adiutorem habebis. Mox vir sanctus, plenus Spiritu Dei, ad Imperatorem se inclinans, ait: Dic mihi, oro, Domine Imperator, si sit edendus piscis, à capite ne, an à pedibus incipiendum est? Tu ergo, mi Domine, stare te existimas, sed quamuis grauem iam ruinam feceris, vide tamen ne grauius cadas. Habes coniugis loco Iuditham tibi sanguine propinquam, Guelphi Bauarorum Ducis filiam: quam si non repudiaueris, & dignam Deo egeris pœnitentiam, iam ante prædico tibi imminere regno tuo immane excidium.

Dexterrimè reprehendit Imperatorem pro suis sceleribus.

Ex impedimentum matrimonij ex consanguinitate.

QVAE cùm diceret vir sanctus, & multi etiam Pontifices eius sententiam confirmarent, neque ea tamen Imperator, ita vt par erat, animaduerteret, rursus vir Dei sic eum compellauit: Nos quidem, Domine Imperator, si tibi peccatum

O vtinam hæc attentè legerent omnes Ecclesiæ Prælati.

ruum non indicaremus, neque id reprehenderemus; tu ab illo te non reuocares, nec conniteretis redire ad vitam, nosque vnà tecum propter silentium nostrum æternis ignibus addiceremur. Et ecce, vix sermonem beatus Episcopus absoluerat; & Imperator erubescens ad tempus doluit, defixisque humi luminibus, Peccaui, dixit, & deflexi à recto itinere: quod à me perperam gestum est, corrigam, sicque cum ceteris Pontificibus Imperator beatum virum vocauit ad prandium, ac deinde cum summo honore à se Traiectum dimisit. Mansit autem in eodem castello diu satis, populum docens, ita vt, quicquid illuc vetusti erroris relictum erat, diuinis eloquiis exstirparit. In præstandis eleemosynis largus, visitabat infirmos, nudos vestiebat, cunctis se affabilem & amabilem exhibebat, vigiliis & orationibus perpetuò sese oblectans. Quicquid etiam in muris templi, Fratrum domiciliis, & in parietibus collapsum fuerat, instaurauit.

Præclarè administrat vir sanctus suum Episcopatum.

CAETERVM diœcesim suam visitare cupiens, conscensa naui, ad insulam supradictam VValachrانam primum iter intendit. Egressus in terram, ad Ecclesiam se contulit, iubens interim in aprici gramine campi suum figi tentorium. Quem vt eius insulæ habitatores conspexere, multi, quibus sanior erat mens, vndique ad eum confluere, & eo, quo par fuit, honore excipere cœperunt: porrò alij ijs, quę ante diximus, polluti flagitijs, jam arma aduersum eum expediebant, aiebantque, se, si quid ipsis molestię attulisset, illum planè trucidaturos. Interim Episcopus cum Clericis in Ecclesia Deum rogabat gemitibus inenarrabilibus. Nec despexit Deus preces. Proxima enim luce, illo cum Clericis de Scripturis diuinis colloquia miscente, ex pagis vndique ad eum accurrere permulti, ex animo petentes veniam, & dignam se acturos pœnitentiam pollicentes. Quod postquam omnes deuotis animis fecere, agendamque pœnitentiam suscepere, vir Dei aliquot dies mansit illic, docens illos ea quę Dei sunt. Quare & Imperator vbi didicit omnia prospere cessisse beato viro, nihilque in ea insula diabolici erroris resedisse, non ausus fuit diutius apud suam Iuditham illic hærere, sed in Gallias proficiscens salutauit eam, & dixit: Hunc nobis in nostro negotio aduersantem Episcopum si potes aut vllis flectere precibus, aut muneribus excæcare, ne id, quæso, intermittas.

Insurgunt in eum quidam impij.

Mox mutantur & petunt ab eo errati veniam.

ET illa quidem fecit vt erat iussa. Sed cùm ille sæpe recusaret, idque sine Pontificis Maximi & aliorum Præsulum iudi-

En dispensationem Papalem super

cio

ctio fieri non posse assereret, Imperatrix; amore insano obcæcata, etiam inulta secuta est Imperatorem, multísque nominibus Deo charum Pontificem accusauit, iam animo pertractãs, qua eum posset ratione quandoque tollere è medio. Porrò per id tempus Sacerdos Dei Odulphus, vir sanctissimus & nobilis genere, ex Oreschot natali solo diuinitus euocatus, Traiecti consederat. Quo adiutore sanctus Episcopus Fredericus Frisones quoque ea tempestate Sabellij Arrijque hæreses, quasi ab inferis excitantes, post multos sudores ad Catholicam fidem tandem reuocauit. Atque interea Imperatrix non contenta, vt fertur, cum Imperatore præter fas concumbere, etiam Bernardum quendam, quem à sacro fonte Imperator susceperat, adolescentem Deum timentem sæpe ad fœdam secum explendam libidinem prouocabat: quo fiebat, vt crebra, eáque varia & inania inter ipsos colloquia haberentur, quæ tandem adeò feruntur iuuenis animum corrupisse, vt cum Imperatrice Iuditha dormierit. Sed longum est omnia prosequi sigillatim.

impedimentis matrimonij.

Vide hæc plenius in ipsa vita S. Odulphi 12. Iunij.

En quomodo peccatum trahat peccatũ.

AGENTE Pipino ex Irmingarde filio, Iuditha per Episcopos in monasterium traditur, quod factum atrociter statim vlciscitur Imperator. Accurrit Gregorius Pontifex Romanus, durè Imperatorem obiurgat, veniam petenti, ieiunium & pœnitendi formam præscribit: quem ad vomitum redeuntem filij primò vnanimi consensu includunt: inde solus Ludouicus collectis Francis inchoata vix dum pœnitentia liberat. Tum verò Imperator furere, & Iuditham rursum ad se aduocare. Quare beatus Episcopus Fredericus, cernens induratum esse Imperatoris pectus, per epistolam ei significauit, nisi resipisceret, se illum excommunicaturum: quæ & causa ei necis fuit. Siquidem Imperator, in Gallias proficiscens, profanam Imperatricem apud Rhenum reliquit, vt sancti viri cædem accleraret, ac deinde ipsum incunctanter sequeretur. Quare & duos ipsa subornat iuuenes superbos & cupidos: qui sanctissimo viro eorum scelus antè edocto, quasi aliud agentes, absoluto Sacrificio, lethalia vulnera intulerunt. Quæ dum ille quibus poterat viribus, comprimit, ne sanguis & intestina effluerent, quousque sicarij illi properè possent abscedere (ô diuinum animum!) conuocato prius ad se suo Capellano, quem in partem iusserat secedere, deinde & vniuerso Clero, viuus tandem in tumulum intrauit, Psalmodias, quæ in funere cantari solent, ipse inchoans. quod factum est anno 838.

Commonetur cœlum & terra.

Subornantur qui sanctum virum trucident.

Viuus ingreditur sepulcrum.

VITA S. ARSENII EREMITÆ, PRÆCEPtoris Honorij & Arcadij Imperatorum, ex ea quæ est apud R.P.L.S.

XIX. IVNII.

ADMIRABILIS Arsenius patriam habuit Romam veterem, Græcæ autem fuit disciplinæ particeps non mediocriter, sed qui per omnes artes ingressus, peruenerit vsque ad summum. Atque hæc quidem in iuuentute: postea enim diuinitus inspiratæ Scripturæ totum se dedicat, & ei vni nauat operam, vt qui præter vitam puram & generosam, generosam quoque voluerit habere doctrinam, propter quod & Diaconũ eum ordinauit Romana Ecclesia. Atque erat quidem apertè hic Arsenius insignis in sacrato Ordine dignum vnguenti receptaculum. Postquam autem Theodosius, qui post Valentem illum impium vir maximè pius ad sedem conscendit Imperij, de suis liberis multum solicitus, idoneum eis quæreret curatorem & magistrum, quin & huius rei gratia scripsisset ad Gratianum, qui tunc veteris Romæ tenebat dominatum, is autem Ecclesiæ Romanæ Præsuli (Papam eum solent vocare) negotium commisisset: inuentus est tandem is qui omnino nolebat inueniri, mundo autem & mundi splendori fastuíque valedixerat, diuinus iste Arsenius. Persuadent itaque ei vel nolenti viam ingredi.

Eius genus & præclara eruditio.

En quanta soleat esse cura educandorum liberorum.

ITA peruenit scilicet ille ad hanc vrbem Regiam ad Imperatorem. Qui primùm quidem Deo egit gratias, qui eius voluntatem noluerit esse irritam, deinde, cùm suos adduxisset liberos, magno eos commendat Arsenio. Et post hæc, inquit, tu eris potius pater eorum quàm ego: atque omnino eos magni tui ingenij committo excellentiæ, Deum inspectorem & testem simul adducens, vt ij mihi tales per te euadant, vt gaudeam inculpata eorum educatione, & Deo gratias inde agam. Ceterùm & hoc quoque tuo animo insideat: propterea enim hæc tibi mando his præsentibus. Nolo tuam virtutem, attendere Imperatoriam eorum dignitatem, aut tamquam filios meos respicientem, eis metum non incutere. Volo enim eos tibi morem gerere tamquam patri germano. Quòd si quid præter hæc fecerint, quod absit, ipsi se insimulabunt, vt qui sint à nobis passuri, quæ cordi sibi non erunt. Sic dixit, & scholæ literariæ domum iubet esse prope suum cubiculum, vt sic eos frequentiùs conueniens, socordiàm, quæ iuuenes sequi solet,

Constituitur pedagogus filiorum Imperatorũ.

solet, repelleret. Arsenium autem maximo apud se dignatus est honore, quippe qui primum eum esse decreuit ex ordine Senatorio, & patrem insuper non solùm filiorum suorum, sed suum quoque esse & nominari. Diuinus itaque Arsenius, acceptis filiis Imperatoris, qui vocabantur Archadius & Honorius, de eis summè erat solicitus, aliquando quidem eos excipiens magnificis Græcæ doctrinæ epulis, aliquando autem, & multo magis, scripturarum, quæ cum delectatione habent etiam vtilitatem, lautis implens ferculis.

Summo est loco apud Imperatorem.

SED interea cùm Imperator quadam vice præter spem in scholam accessisset & sic vidisset quidem pueros in sedibus considere, illum autem stare, & cum eis disserere, id non leuiter tulit, & verbis grauioribus animum tetigit Arsenij. Et quis inquit, eos elegit Imperatores, numquid tu, qui etiam consequenter eis honorem tribuis? Quæ cum dixisset, ab eis quoque abstulit insignia Imperij, & diuinum Arsenium, vel inuitum, in throno collocauit. Sed cathedra & ipse thronus, gloriæque splendor & dignitas grauiter Arsenium conturbabant, à gloriæ enim fastu alieniorem amabat vitam. Propterea ergo & precibus vsus est ad Deum vehementissimis. Et precatus quidem est Arsenius, Deus autem surda aure eius preces minimè præteriit. Non paruum aliquod delictum commiserat Archadius Imperatoris filius, & quod non merebatur veniam. Itaque flagris eum cecidit castigans diuinus Arsenius. Quod cùm ille grauissimè ferret, Spatharium quoque, qui ei ministrabat, incitat, de medio vt eũ tollat quibus posset modis. Sed hæc in animo versans Archadius, Deum latere non potuit, qui erat Arsenij custos fidelissimus. Hæc ergo duo validissima misit in mentem Spatharij, & Arsenij virtutis reuerentiam, & ingentem metum Imperatoris.

O vtinā hæc nosčent isti tā indulgētes in suos liberos.

Castigatus à viro sancto Archadius molitur ipsi mortem.

ACCEDENS ergo arcanũ detegit Arsenio, deinde etiam ei suadet, vt se clanculum è Regia subducat. Tunc & vox quædam supernè resonat, dicens: Arseni, fuge tumultus, & salutem assequêris. Quæ cum ille audisset, quæ erant congruentia suæ voluntati, nihil cũctatur, sed statim illas quidem vestes, & superbum amictum exuit, eum autem, qui pauperi & inglorio conueniebat, indutus, citò processit ad littus, nauemque nactus (nec id sine Dei numine) quæ parata erat nauigare Alexandriam, eam ascendit, & illic seruatur quàm celerrimè. Monasticum verò induit amictum, & sic ad Scetem (erat autem mons valde excellsus, & quietæ vitæ conueniens) recta

Indutus S. Arsenius vili amictu fugit, & venit ad Scetem.

rectà proficiſcitur, ſeque inſerit in numerum Patrum qui illic ſe exercebant. Atque illic quidem ita ſe habebat. Cùm autem Imperator illius fugam non tuliſſet ſilentio, ſed multi ſæpe ad eum quærendum mitterentur, omnes ſolitudines, inſulæ, ſpeluncæ quærebantur. Nuſquam autem apparebat nec inueniebatur Arſenius, Deo eum occultante, atque adeò per totam vitam magni Theodoſij latuit Arſenius. Poſtquam enim poſt deceſſum patris Archadius ſucceſſit imperio, ei ſignificatur vbinam ſit Arſenius, & quamnam vitam agat, angelicam ſcilicet & cæleſtem; eum certè literis quoque ſalutat, quæ magnam habebant ſubmiſſionem. Præcipua autem epiſtolæ cauſa erat inſidiarum enunciatio, propter quas etiam obnixè rogabat, & eum placare cōtendebat, donum etiam liberale & magnificum offerens. Hoc autē erat, totius Ægypti vectigalia & honeſta cauſa, vt ea pauperibus ab ipſo diſtribuerentur & ſacris monaſteriis, quibus deerant quæ erant neceſſaria. Et ſic quidem ſcripſit Archadius, & obnixè rogauit vt reſcriberet.

Fruſtra quæritur ab Imperatore.

Tandē inuentio, ſupplicat Archadius pro venia.

ARSENIVS verò, ea accepta epiſtolà, reſcribere quidē minimè annuit, ſine ſcriptis autē ei ſignificauit, Deus, dicens, ſit nobis omnibus propitius: pecuniæ autem diſtributio nequaquam ad me pertinet, qui iam ſum mundo mortuus. Denique iam fama magni Arſenij orbem totum peruaſerat, adeò vt multi ad eum vndequaque venirent, ipſe quoque Theophilus, Archiepiſcopus Alexandriæ, rem magnam arbitratus. Et multa quidem eius diuina & varia ſunt reſponſa, aſſiduè tamen maximè hoc ab eo cani ſolebat; Me ſæpe pœnituit dixiſſe, numquam tacuiſſe. Et rurſum illud: Arſeni, cur es egreſſus, quis fuit tuus ſcopus? huius rei curam gere. Sed & cùm aliquando ad eius cellam aduenilſent dæmones, multiſque afflictionibus eum vexarent, ipſe quietè tolerabat, ſe nihil pati præ ſe ferens, ſed hoc tantum ſubmiſsè dicens: Ne relinquas me Deus. Qui idem vir inſignis cùm teneretur amore beatitudinis lugentium, & conſolationis quæ eſt eis promiſſa, non ceſſauit omnino ſeipſum lugere, & hoc perpetuò facere, & abſque vlla intermiſſione, intantum vt gremio ſuo ſubeſſet pannus, quo abſtergebat lacrymas, quæ fluebant ex oculis. Atque hæc adeò eius erant quotidiana, quouſque ſcilicet ſanctorum Angelorum manibus verè beatam tradidit animam; cùm vixiſſet quidem inter monachos annos quinquaginta quinque, omnes autem centum & viginti.

Volat fama eius per totū orbem.

Præter alia inſignia, ſingularem habet gratiam lacrymarum.

DES.

DE S. MARGARETA VIRGINE ET *Martyre, ex ijs quæ sunt apud R.P. Laur. Surium.*

XX. IVLII.

BEATA Margareta ex Antiochia Pisidiæ oriunda, filia fuit Ædesij, qui fuit illis temporibus vel maximè insignis sacerdos idolorum. Cuius eximia pulchritudine cùm captus esset Olibrius Præses Orientis, ita, vt eam vxorem ducere haberet in animo, deprehenso quòd Christiana esset, & nullo modo eius in Christum fidei rationē posset flectere aut emollire blanditiis, variis deinde tormentis eam est aggressus. Itaque virgo sancta humi extensa, primò virgis immisericorditer cæsa est: deinde, cùm ità ebulliisset Olibrius, ferreis etiam laminis conclusa, & clauis affixa, ferreis laniata est fuscinis, ac sic in carcerem ducta. Vbi, ipsa orante, repenteque magno terræmotu excitato, cùm diabolum suscepta forma terribilis draconis eam circuncursantis, signo crucis superasset, ac simul de cælo à plagis omnino fuisset curata, sequenti die impius Præses ad se vocatæ, & in sententia persistenti iubet, vt nudatæ lampadibus pectus vratur & latera, ac deinde, de ligno deposita, in magnum lebetem aqua plenum vincta conijciatur, ac sic suffocetur. Vnde cùm nihilominus salua euasisset, cum ea, quæ explicari non potest, exsultatione laudans Trinitatem, tandem ab impio Olibrio pronuncita in eam capitis sententia, pulchrè decertationis suæ cursum peregit.

S. Margareta adamatur ab Olibrio Præside.

Superatis mul tis tormentis, superat etiā diabolum in forma draconis.

Cōsummatur martyrio.

VITA S. VVLMARI ABBATIS APVD *Boloniam Franciæ, ex ea quæ est apud R.P. Surium.*

XX. IVLII.

SANCTVS Vulmarus in inferioribus Galliæ partibus, haud longè à maris littore, in pago Boloniensi, in villa Siluiaco nuncupata, ex Christianis atque inclytis parentibus est editus. Pater eius Vulpertus, mater autem Duda, frater verò VValmarus dicebatur. Et quidem præfatus vir sanctus Vulmarus, tempore iuuentutis suæ coniugem duxit nomine Historaldam, quæ prius erat desponsata alteri viro nomine VVilmaro. Quapropter cùm apud Francorum Principem grauiter Dei famulus accusaretur, tandem, eiusdem imperio & iussu, priori sponso quoque Historalda reddita est. At verò sanctus Vulmarus, postquam reliquit coniugium, petiit monaste

S. Vulmari natales.

Venit ad monasteriū Alsimontense.

nasterium, quod in pago Hannoniensi ad Sambram fluuium situm est, diciturque Altimontis, vbi tunc monasticus Ordo florebat. Vbi susceptus à Rectore eius cœnobij, demandatum sibi ab illo satis vile & abiectum ministerium, obedientiæ causa, libenter in se recepit, vt quod circa pascendos boues, & ligna ad Fratrum officinas importanda versaretur: idemque munus prompto certe animo exsecutus est. Interim quoque, instigante eum Spiritu Dei, ad ludum literarium perrexit, ac sibi alphabetum exarari postulauit, nam antea illiteratus erat: atque ita, dum de more pergebat ad syluam, tabellam alphabeticam arripiebat, quam manu gestans lectitabat, bobus ipsum cum vehiculo sequentibus.

IAM sanctum eius studium innotuerat Abbati, cùm ecce ab hoc ministerio absolutum, literis operam nauare præcepit, altero in eius locum subrogato. Adscriptus tamen in Clerum, nihil solitæ humilitatis deposuit, sed horis nocturnis, cum se Fratres quieti dedissent, omnium purgabat calceos sua spõte, mundatosque suis restituit locis. Sed & Dei miles in agone huius vitæ viriliter contendens, ac de virtute in virtutem progrediens, omnibus, tamquam lucidissima lampas, radios bonæ operationis administrauit. vnde &, succedente tempore, dignus acclamatus est ab Abbate & Fratribus munere Sacerdotali: quo ille initiatus, ob vitæ meritum ab omnibus cum magna reuerentia prædicabatur. Sed vir Dei laudes hominum non ferens, timensque per huiusmodi adulationes se aliquando æterno brauio priuandum, in eremũ aufugit, nihil secum ferens, nisi sacerdotalia vestimenta & bipennem. Perrexit igitur ad partes Aquilonares, in pagum qui Nempisco antiquitus dicebatur, vbi erat immanissima sylua: vbi cum tres delituisset dies, omnis cibi & potus expers, tandem Angelico iussu vir quidam eius loci fidelis annonam ei defert, qui etiam fundum hæreditatis suæ ei offert, vbi monasterium construat, atque ad seruiendum omnipotenti Dei monachos congreget.

Noctu pro officio humilitatis purgat Fratrum calceos.

Latitans in eremo, diuinitus pascitur.

ET renuit quidem sanctus Vulmarus primò: verum posteà, eius precibus & sanctæ deuotioni acquiescens, cum eo profectus est, acceptáque hæreditatis eius portione, condidit Monasterium. Quin & vir memoratus ei filium suum commisit, vt eum tam literis quàm virtutibus imbueret, simùlque reliquam quoque hæreditatis suæ portionem illi adiecit. Adiuncti sunt verò etiam sancto Vulmaro prænominati viri fratres germani, alijque quamplurimi viri illustres, suas eidem

Condit monasterium.

Monasterio tradẽtes possessiones. Vbi cùm bonum ille certamen certaret, cœpit multis clarere virtutibus & signis: qua de causa etiam multi ad eum confluebant. At ille humanos iterum honores declinans, ne quam illi elationem animi adferrent, ad pagum Boloniensem, in quo natus fuerat, se clàm subtraxit in syluam quę vno tantum milliari ab eius distabat patria, & iure hæreditario ad ipsum spectabat. Per quam cum quodam tempore ambularet, ecce eiusdem sancti viri germanus frater VValmarus, reperiebat anachoretam Christi, ignorans quia germanus eius esset: vnde & interrogabat eum, dicens. Quis es tu? Ad quod ille germanum eius se esse professus est. Quo responso hilarior ille effectus, Eamus, inquit, & salutemus matrem nostram, & consolemur eam, quæ longo tempore tuam doluit absentiam. At sanctus Vulmarus, Non ibo, dixit, tu verò & ipsa, quantum potestis, aliquam annonæ consolationem mihi impendatis: & ego, quantũ præualeo, in conspectu Dei omnipotentis memor ero vestri.

Iterum fugit humanas laudes.

En quid monachi & Eremita præstent secularibus.

ACCIDIT autem aliquando, vt cùm prænominatus Vvalmarus suo fratri cibos deferret, & eum solito loco non inueniret, cœperit magnos emittere eiulatus, & Vulmarum acclamare. Ille verò fratri occurrens, Ne, inquit, frater mi, tales amplius edas clamores. Vnde suspendens in quadam arbore ligneam tabellam cum malleo, iussit victualia deferenti de cætero tabellam percutere, & hoc signo fratrẽ euocare. Hæc enim in perpetuam rei memoriam cum prędicto malleo in eius cœnobio conseruatur. Confluebat autem ad sanctum Dei vtriusque sexus complures homines, sub eius sacro instituto militare cupientes, quos ille omnes benignissimè suscepit, ambrosia cælestis disciplinę eos depascẽs, semota tamen habitatione virorũ à mansionibus mulierum, quibus & sanctissimæ conuersationis Bertãnam Abbatissam neptem suam præfecit: ipse verò pastor erat monachorum, non mercenarius. Sed & anno incarnationis Dominicæ sexcentesimo octogesimo octauo, quando basilicam in honorem S. Mariæ Virginis, & Beati Petri Apostoli, idem vir Dei exstruxerat, venit ad eum Ceadualla, Rex Occidentalium Saxonum, iam in Britãnia factus Cathecumenus, vt ab eo in fide Iesu Christi magis instrueretur & confirmaretur, qui postea profectus est Romam, atque illic sacrum baptisma suscepit.

Instituit nouas religiosorum mansiones seorsim viris, & seorsim feminis.

Venit ad eũ Ceadualla Rex.

HIC sane pastor bonus solebat etiam frequenter prętactas visitare & consolari moniales, nam de erant illis aliquando

alimenta

alimenta corporalia. Sed vir sanctus pabulo Euangelicæ exhortationis prius eas nutriens, Quærite, aiebat, primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & omnia necessaria adiicientur vobis. Quod & ita sæpius noscitur euenisse. Nam etiã priusquam eius sermo finiretur, quidam superuenientes, deuotionis causa tabellam memoratam pulsabant, ac cibos abundantissimè deferebant. Alio quoque tempore fur quidam abstulerat equum viri Dei. Qui cùm tota nocte errabundus vagaretur, manè alterius diei ante portam monasterij inuentus est equo insidens, de quo nec per se descendere valuit, nec ab alio deponi, donec ipse vir Dei eum corripiens ab equo leuauit, liberumque dimisit. Tunc verò longè lateque diffusa est sanctitatis eius fama, ac permulti ad eum veniebant, eulogias ac permulta munuscula eidem offerentes. Ille verò omnes in Dei seruitio confirmans, quæ attulerant bona, propriis manibus pauperibus erogabat. Sed & multas etiam miles Christi satanæ passus est insidias, multás tolerauit malorum persecutiones. Denique multo iam senio grauatus, feliciter obdormiuit in Domino, decimo tertio Kal. Augusti, sepultus cum multa reuerentia apud Boloniam, vbi multis coruscat miraculis.

Plures ad ipsius dictũ miraculo è pasc...tur mo...ales ipsius fidei cõmissæ.

Post multos labores quiescit in Domino.

DE S. VICTORE MARTYRE

Massiliensi, ex Martyrologio Adonis.

XXI. IVLII.

IN Galliis, ciuitate Massilia, natalis sancti Victoris. Qui persecutione Diocletiani & Maximiani, cum esset miles, & nec militare, nec idolis sacrificare vellet, primùm à tribuno suo Asterio in carcerem trusus est, sed omni nocte, ad consolandos & visitandos infirmos, ab Angelo eductus est. Deinde verò iussu Eutychij Præfecti, retortis brachijs, loris subtilibus ligatus, & pedibus fune constrictus, per mediam tractus est ciuitatem. Quin & post hæc fustibus crudelissimè cæsus, ac suspensus, & taureis cruciatus est. Vbi cùm exhibuissent ei aram in qua sacrificaret, & ipse eam, nec respicere sustinens, de manu sacerdotis calce excussisset, pedem ei Præses iussit incidi. Ac denique in confessione persistens, missus est in molam pistoriam, in qua sparsum granũ vertigine animalis macerari solet, atque ita contritus, martyrium consummauit. Passi sunt cũ eo & tres milites, Alexander, Felicianus, & Longinus. Qui fili

S. Victor inclusus carcere, ductu Angelico, noctu visit infirmos.

Conteritur herendo martyrio in mola pistoria.

ſcilicet dum eum nocturno ſilentio in carcere cuſtodirent, viſitantibus illum Angelis ſanctis, tanto claritatis fulgore obſtupefacti, atque ad eius genua prouoluti, credentes in Chriſtum, nocte eadem in mari baptizati ſunt, & ſequenti die ante conſummationem beati martyris, & ipſi gladio ſunt iugulati. Sed & puer quoque Eleutherius, dum ad ſepulcrum eius oraret, emiſit ſpiritum.

VITA S. PRAXEDIS VIRGINIS
ex Io. Maldonato Hiſpano.

XXI. IVLII.

PRAXEDIS prudentis viri Romani filia, quem Paulus Apoſtolus inſtruxit, cum ſorore primum Potentiana precibus piiſque colloquiis aſſuefacta, pia ſemper officia frequentauit. Ambæ quippe ſorores poſt mortem parentū facultatum maximam partem in pauperes erogarunt, eorúmque miniſterio frequentem operam impenderunt. Potentiana verò defuncta funereque cum Pio pontifice officioſiſſimè procurato, Praxedis domum paternam pauperum fecit receptaculū. Nouato etiam fratre germano mortuo, cum Pio egit, vt in eius thermis eccleſia dedicaretur. Nullum præterire diem Praxedis immunem ſinebat, in quo pietatis aliquid non reſplendeſceret Iam tumulandis martyribus, iam iuuandis ſubleuandiſque hominum mendicabulis intendebat. Tandem inter ipſa pietatis & miſericordiæ opera dedit animam, tumulatáque eſt in via Salaria. Hoc ipſo die poſt longa temporum curricula, Maximiano Romanis imperante, diuus Victor in vrbe Maſſilia ſæuis cruciatibus eſt affectus. Per mediam ſiquidem vrbem funibus tractus, eculeoque ſuſpenſus, fuſtibus ac neruis cæditur. Poſteà Iouis ad aram delatus, cùm eam pede percuteret, enſi ſecandum ſubmittere pedem iuſſus eſt. Molæ tandem ſuppoſitus aquariæ, quòd cœlo fauente machinam diſſoluiſſet, gladio eſt confectus. Tres ſimul cum eo milites, Alexander, Longinus, & Felicianus, qui eius cuſtodiæ præpoſiti, in Chriſtum ob miracula crediderant, decollati ſunt.

S. Praxedis inſtitutio prima.

Eius domus pauperum fit receptaculū.

Victoris martyrium in vrbe Maſſilia, & aliorum.

DE S. MARIA MAGDALENA, PARTIM
ex Radulpho Ardente, partim ex hiſtoria S. Marthæ, quæ eſt in Ordinario Nouo.

XXII. IVLII.

* *Radulphus d. hoc festo.*

MAGNAM fuisse priùs Mariæ Magdalenæ iniquitatem, nemo est, credo, dilectissimi, qui ignoret: vnde & Marcus septem dæmonia de ea à Domino eiecta fuisse testatur, hoc est, vniuersitatẽ vitiorum. Sed sanè & tanto quoque fuit sanctificatio eius mirabilior, ita vt de ea specialiter dictum videatu: Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Hęc nimirum est, quæ singulariter peccatoribus in exemplum proponitur, ne propter quantamcunque criminum enormitatem desperent, sed ad exemplum huius, per pœnitentiam resurgant. Itaque, audi, ô peccator. Non proponitur tibi Magdalena in occasionem peccata tua excusandi: ipsa enim non excusauit sua, sed accusauit. Si secutus es peccantem, sequere corrigentem. Non procrastinauit, non distulit, non exspectauit vt Dominum in loco secreto & tempore libero inueniret; sed mox festinans in domum alienam, inter conuiuas ad Dominum conuiuio occupatum irrumpit, & medelam quærit.

S. Maria Magdalena singulare exemplar peccatorum, ut pœniteant.

CONDEMNAT hæc, dilectissimi, nostram negligentiam: qui, cùm simus magnis obuoluti criminibus, tempus pœnitentiæ procrastinamus, exspectamus tẽpus accommodatum, locum secretum, sacerdotem familiarem, quasi totum tempus vitæ nostræ pœnitentiæ non sit accommodatum: & spatium vitæ nobis promittimus, cùm de præsenti hora non simus securi: atque interim mors quasi fur in nocte veniens, heu multos rapit impœnitentes & intestatos. Non sic fecit Magdalena. Quin & videte quoque, charissimi, quàm pœnitentia eius fuerit feruens, quòd ostendit, dũ stans retro secus pedes Iesu, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & vnguento vngebat. Dum retro secus pedes Domini stat; se de cætero eius vestigia secuturam significat. Dum lacrymis pedes Iesu rigat, compunctionem & feruorem interiorem se vlteriùs non posse celare demonstrat. Cogitate dico, quanto ardore intus ardebat, quæ inter epulas flere non erubescebat, quæ inter comedentes & lætantes compungebatu & flebat, quæ in domo conuiuij luctum faciebat. Recordabatur quippe quàm immoderatè peccauerat, & ideo non curauit quàm immoderatè pœniteret. Quocirca, fratres mei, confundent lacrymæ huius peccatricis duritiam mentis nostræ, qui non flentes venimus (proh pudor!) sed ridentes, qui ad deflendum damna terrena lacrymas inuenimus, ad deflendum verò peccata, & spiritualia damna,

O utinã tales procrastinatores non nimis multos in habeat Ecclesia.

Magnus ardor B. Magdalenæ, flere peccata sua inter epulantes.

damna, lacrymas inuenire non possumus.

Hæc mulier, quia per oculos terrena concupierat, ideo nunc eorum lacrymis pedes Iesu rigabat. Capillos ad decorem corporis nutrierat, & ideo nunc eos in obsequium tergendi pedes Domini expendebat. Ore vana & falsa dixerat, & illicita oscula fecerat, & ideo nunc ore pedibus Domini oscula dabat. Vnguento, vt bene oleret hominibus, sese vngere solebat, nunc vnguento pedes Domini vngebat; pedes, dico, Domini, non caput, tanquam quæ, quantum in se erat, omni gratia se reputabat indignam. Denique quot habuerat oblectamenta culpæ, tot nunc habet sacrificia pœnitentiæ. Hæc est, testante Luca, vna ex iis mulieribus, quæ postea, iter faciente Domino per ciuitates & castella, ministrabāt ei de facultatibus suis: & quæ, passo Domino, venit ad monumentum munitū milite, signatum annulo, cùm adhuc tenebræ essent; quæ, recedentibus discipulis, non recedebat, sed magis exquirebat quem non inuenerat, perseuerabatque ad monumentum plorans. Vnde contigit, vt eum quoque tunc prima videret, ac, post adscensionem Domini, maioribus etiam gratiis ab ipso ditaretur.

Sicut seruierant membra eius peccato, ita iam facit ea seruire pœnitentiæ.

Luca 8. Ministrat Domino de facultatibus suis.

ETENIM, vt nobis fideles historiæ testantur, hæc beata femina nobilibus & copiosis parentibus nata, cùm comprehensa postea à Iudæis, vnà cum fratre Lazaro, Martha sorore, & Marcella pedisequa, ac Maximino, vno ex septuaginta duobus discipulis Christi, multisque alijs Christianis, in nauem sine velo & remigio fuisset imposita, vastissimoque mari ad certissimum naufragium commissa; primò nauis, Deo gubernante, saluis omnibus, Massiliam appulsa est. Deinde eo miraculo, & horum prædicatione, primùm Massilienses, mox Aquenses, ac finitimæ gentes in Christum crediderunt, Lazarusque Massiliensium, & Maximinus Aquensium Episcopus creatur. Martha quoque mirabili vitæ sanctitate & charitate omnium Massiliensium animis in sui amorem & admirationem adductis, in locum à viris remotissimum, cum aliquot honestissimis feminis, se recepit, vbi summa cum laude pietatis & prudentiæ diu vixit, ac demum morte sua multo antè prædicta, miraculis clara, migrauit ad Dominum. At vero Magdalena, assueta orationi & pedibus Domini, vt optima parte contemplādæ cælestis beatitudinis, quam elegerat, frueretur, in vastam altissimi montis speluncam se cōtulit, vbi triginta annos vixit ab omni hominum consuetudine disiuncta. Vnde & quotidie per id tempus ad audiendas cælestium

** Breu. Rom.*

Post adscensionē Christi, Deo nutu defertur Massiliam.

Nota de eius fratre & sorore Lazaro & Martha.

Viuit B. Maria Magdalena triginta annos solitaria in maxima sanctitate.

laudes in altum ab Angelis fuit elata. Ad laudem Dei immortalis.

VITA S. VVANDREGISILI ABBATIS

Fontanell[illegible], ex ea quæ est per eius propè contemporaneum.

XXII. IVLII.

S. VVandregisili patria & parentes.

PRAECLARVS atque gloriosus vir Domini Vvandregisilus cognomento VVando, ortum inclytæ natiuitatis in Virdunensi regione, ex nobilibus atque religiosis parentibus, habuisse dignoscitur, eo tēpore quo sceptra regni Francorum fortis Rex Dagobertus honestè gubernabat. Genitor eius, VValtchisus nomine, consobrinus fuit Pipini, excellentissimi Principis Francorum. Vnde factum est, vt hic futurus aliquando Christi miles, cum adolescentiæ polleret ætas in annis, sub iam dicto Rege Dagoberto militaribus gestis, ac aulicis disciplinis, quippe vt nobilissimus, nobiliter sit educatus; deinde & ab eodem Rege Comes constitutus palatij. Quo gradu paululum administrato, honoribus deinde plurimis sublimatus, dispositioni etiam rerum plurimarum non multo pòst mancipatur: quod ille suscipiens officium, exercebat cum pietatis studio, mente semper cælestia tractans. Arguebat subiectos clementer, tolerabat patienter. Euoluto autem tempore, parētum hortatu, licet inuitus, quandam sibi despondit puellam, nobilissimis parentibus procreatam. Sed fit ex vtraque parte magnificè, Christo donante, saluberrimæ castitatis consensus, ita vt ille, habitū sumens Clericatus, coniugem suam quoque velo piæ religionis opertā, Sanctimonialiū monasterio tradiderit.

Magnus est in aula Regis Dagoberti.

Ipse & eius sponsa mutuò pacti vterque de suscipienda religione.

OPTABAT itaque vir sanctus in sancto cœnobio diuinę insistere philosophiæ; ac primùm in loco qui dicitur Mons Falconis cum viro sancto Baltfrido non multum temporis habitauit, vbi sanè frustra hostis inuidus conatus est impedire pios eius actus & studia. Commouebat scilicet animum Regis & procerum illius, vt, auulsus à sancto loco, habitum compelleretur recipere secularem; tanquam qui in eius aula olim nutritus, sine eius permissu habitum mutasset. Sed Dominus custos & rector omnium placentium sibi, ab hostium læsione eum vbique tutum reddebat ac munitum. Præcepit enim tandem Rex, cum omnibus esset liquido patefactum, fidelissimum illum esse famulum Dei, vt qui etiam opprobria, sibi

Frustra impugnatur eius sanctum propositum.

sibi à stolidis quibusdam illata, æquo animo exciperet) vt nemo illi molestus esset, sed vt pro voto animi sui diuinis seruiret mandatis. Interim tamen loco illo non multo pòst relicto, in Elisgangium cõmigrauit territorium, vbi & monasterium strutxit pro temporis opportunitate in possessione propria. Ibi namque Beatus Vrsicinus requiescit venerabiliter humatus. Monstratur verò eo in loco vsque in præsens viri Dei VVandregisili grabatus, vbi quieti membra dare, post prolixam vigiliarum instantiam & afflictionem, solitus erat. Sed audi etiam ipsius mirificas virtutes.

Construit monasterium in propria possessione.

In hoc monasterio, cùm nocte quadã vltra solitum somno indulsisset vir Dei, ilico adfuit hostis, & illudens ait: Te fui hac nocte vigilantior. Tunc scilicet vir Dei, Non dubito, inquit, in ruinam aliorum, & cumulum tuæ damnationis, te vbique esse peruigilem. Sed certè domabitur caro, quæ me ad hanc impulit corporis inertiam. Exsurgens itaque à desidia somni, arripiebat armaturam Dei, taliaque promebat: Tu quidem, qui idem ipse es semper custos tuorum, non dormitans in æuum, indigno famulo tuo miserator adesto. Cumque per id tempus hiemis asperitas esset, sub dio in medio niuium & glaciei Dauidicam cælestemque musicam, flens, & longa trahens suspiria, Domino deuotissime depromebat. In ieiunia autem adeò incumbebat, vt tota hebdomada, exceptis prima & quinta Sabbathi, escam minimè sumeret. Vnde & quadam nocte, cùm iuxta morem, cilicio obuolutus in cella, ad refocillandũ quieti membra dedisset, Angelico ductu in monasterium quod vocatur Bobium, situm in Italia, perducitur, ostensæque sunt ei eiusdẽ loci habitationes: atq; adeò expergefactus à somno, intellexit hoc oraculũ diuinitus agi. Quare, adunato Fratrum cœtu, orat, vt imminenti itineri, eorum intercedentibus precibus, iuuamen cunctipotẽs clementer tribueret. Sicque valedicens eis, cum tribus pueris & asello dispositum arripuit iter: Alpiũ iuga transgreditur, atque Italiã ingrediens, ad Bobiense cœnobium, veluti reuelatione didicerat, accedit; quod beatus Pater Columbanus, Scotici generis, cùm à Rege Theodorico Galliã esset expulsus, atque ab Agilulpho, Longobardorum Rege, Italiã magnificè susceptus, eius permissu ædificauerat: Quem locum veterum traditione * Boncium nuncupabant.

Paruam desidiam acerrimè in seipso punit.

Monetur in somniu, vt adeat cœnobium Bobiense.

** Bobium.*

Hvnc ergo locum beatus Pater VVandregisilus adiens, qui à discipulis præfati beati Columbani tunc temporis incolebatur, aliquantisper inibi commoratus est, vbi & multa

præſagia futurorum ei Dominus monſtrare dignatus eſt. Morante quoque eo illo in loco, incidit ei ſancta quædam cogitatio, vt ad limina Apoſtolorum Romam proficiſci deberet. Quod cùm Chriſto duce, tum piè tractauit, tum etiam deuotè compleuit, ecce in viſu admonetur vt Galliarum repeteret rura. Iam Alpibus tranſcenſis, hoſpitij cauſa ad monaſterium venerat, cuius eſt vocabulum * Romanis, ſitum vltra ſaltum Iurenſem. Pater ergo loci venerabiliter & monaſticè eum ſuſcepit, ac debitum præbuit obſequium; vt eius vitæ præſcribit laudabilis Canon. Cognouit autem vir Domini religionem monaſticam inibi pollere, vnde & operam dedit, vt monachorum ibi iungeretur ſodalitati, quam per decem ferè annorum curricula felici deuotione frequentauit. Erat ipſe cunctis humilior, charitatis officiis præueniens cunctos, tardus ad loquendum, & velox ad audiendum.

Viſit limina Apoſtolorũ. *Redit in Gallias.* *Per decenniũ egit in monaſterio dicto Romanis.*

HIS diebus glorioſus Confeſſor Domini Audoënus, anno tertio Clodouei Regis, filij Dagoberti, ſedẽ vrbis Rothomagẽſis adept⁹, verbũ ſalutiferę prędicationis, ſedulis exhortationibus ſuis adminiſtrabat. Cuius cognita ab omnibus vita, atq; laudabili deuotione cõperta, admonitus etiã vir Dei VVãdregiſilus in viſu, vt Occidẽtalia Galliæ reuiſeret loca, de ſupradicto * Romanis monaſterio cũ licẽtia Patris egreſſus, iter carpere cœpit quod ad Belgicã deducit Galliã, peruenitq; ad celebrẽ vrbẽ Rothomagẽſẽ, ſũma reuerẽtia à venerabili Antiſtite Audoëno exceptus. Qui memor prioris cõiũctionis & ſocietatis, nobiliſſimæq; eius originis, ſed & piæ ac Deo dignæ religionis, aliquãdiu cũ ſecũ in vrbe retinuit, Subdiaconũ cũ creãs valde reluctãtẽ, ſicut & proceſſu tẽporis Leuitici miniſterij onus ei impoſuit. Quo feliciter adminiſtrato, non multo pòſt ad Sacerdotium etiam, eiuſdem Præſulis Audoëni iuſſu, à venerabili Autmaro, Pontifice vrbis Taruannæ, eſt conſecratus. Et ille quidem miniſterium ſibi impoſitum ſtudioſè explebat, humilitatis tramitem in omnibus tenens. Quamobrem præfatus glorioſus Præſul in vrbe eum ſecum perpetim retinendũ cenſuit. At verò ipſe egregius Dei cultor diſtrictiorem deſiderans ducere vitam, mũdanos toto niſu fugiebat honores. Itaque omni conatu tanto negotio opportunum inquirebat locũ. Ecce autem, cùm talia volueret animo, contigit, vt largiente Erchinoaldo Præfecto immodicam ſoli partem acciperet, quo Fontanellæ cœnobium vnà cum venerando nepote ſuo Godone conſtrueret.

Venit Rothomagum ad ſanctum Audoënum. *Creatur Preſbyter a ſancto Autmaro.* *Cõſtruit monaſterium Fõtanellenſe.*

QVIN & ad eius famam plebs vndique concurrere, & cultui religionis prædia plurima dicare curabant, ita vt, multis confluentibus, monachorum numerus ad trecentos excresceret. Accurrebant vndique nobilium liberi, &, spretis seculi oblectamentis, ęterna cupiebant cum tanto Patre præmia adipisci. Ædificauit autē in ipso loco vir Domini basilicas quatuor, in honorem videlicet Principis Apostolorum Petri, simúlque Doctoris Gentium Pauli, sanctiq; Laurentij, ac Pancratij. Adiutor autē prætereà huius operis ac cooperator insignis VVaningus vir illustris exstitit, qui etiā filium suum, Desideratum nomine, sub regimine prædicti Patris in eodem loco monasticæ disciplinæ tradidit vacaturum. Erat is VVaningus ditissimus, & multimoda cœnobiorum habitacula in possessionibus propriis construxit. Ex quibus vnum est quod vocatur Fiscamnum, quod per testamenta tradens beato VVandregisilo, eius suasu religiosissimæ cuidam virgini Hildemarchę tradidit gubernandum, quę videlicet priùs apud Burdegalim vrbem agēs, diuino commonita visu, iam tum ad virum Dei venerat. Sed his omissis, quæ sua multitudine dicendi facultatem vincunt, tandem ad finem viri beatum veniamus. Ex largitione illustris viri VVattaronis, ad amnem VVitlanam, in honorem Principis Apostolorum oratorium quoque construxit, quod Monasteriolum appellauit, vbi & monachorum Deo militantium conuentum elegit.

Traditur ei gubernād[illegible] monasterium Fiscamnum.

SED & omnes Caletorum populi ita bruti ac belluis similes, ante aduentum illius, in hac regione fuerunt, vt præter Christianæ fidei nomen, virtus religionis penè abolita in illis locis haberetur. Agebat itaque vir venerandus studio indefesso, vt, quæcumque peragraret loca, verbis Euangelicis condiret vniuersa. At verò iam remunerationis eius instabat hora, cùm ecce propter eum cruentus adstans inuidus hostis, pauores illi multiformes ingerere nitebatur. Sed nihil mouetur Christi miles: clarè audierunt eum dicentem circumstantes Fratres, se fonte lauacri Christi esse tinctum: quin & dæmonem, se impedientem, postea diuinitus esse fugatum. Post quæ ille, discipulorum psallentium vallatus caterua, animam cœlo reddidit, vndecimo Calendas Augusti. Interfuit autem etiam in sancto eius transitu inclytus ecclesiæ Rothomagensis Pontifex Audoenus. Sepultus est autem primum in ecclesia B. Pauli, in qua requieuit annis quadraginta, postea autem à S. Baino, Episcopo vrbis Taruannæ,

Restituit fidem Caletensibus [illegible] penè abolitā.

[illegible] ustra eum morientē insistat dæmon.

& Fontanellensis cœnobij Abbate, translatus est in ecclesiam B. Petri: quo tempore ita integer ab omni corruptione, cum vestimentis quibus indutus fuerat, repertus est, quasi eodem die fuisset sepulturæ traditus.

Insigne miraculum in eius translatione.

DE S. APOLLINARE EPISCOPO ET *Martyre, ex Ordinario nouo.*

XXIII. IVLII.

APOLLINARIS cum Principe Apostolorum Antiochia Romam venit. A quo ordinatus Episcopus, Rauennam, ad Christi Domini prædicandum Euangelium, mittitur. Vbi cùm ad Christi fidem plurimos conuerteret, captus ab idolorum sacerdotibus, præcipitatur in mare, vnde ereptus est. Quin & cùm, ipso orante, Bonifacius nobilis vir, qui diu mutus fuerat, loqueretur, eiúsque filia immundo spiritu liberata esset, iterum est in illum commota seditio. Itaque virgis cæsus, ardentes carbones nudis pedibus premere cogitur: quem cùm subiectus ignis nihil læderet, mittitur in exsilium. Sed latens aliquamdiu cum quibusdam Christianis, inde profectus est in Æmiliam, vbi Ruffini Patricij filiam mortuam ad vitam reuocauit, vt propterea tota Ruffini familia in Iesum Christum crederet. Quare vehementer incensus Præfectus, accersit Apollinarem, & cum eo grauiùs agit, vt fidem faciat disseminandi in vrbe Christi fidem.

S. Apollinaris missus Rauennam à S. Petro.

Multis & stupendis claret miraculis.

CVIVS cùm Apollinaris iussa negligeret, equuleo cruciatur, inque eius plagas aqua feruens infunditur, saxóque os tunditur: mox ferreis vinculis constrictus, includitur in carcere. Quarto denique die impositus in nauem, eiicitur in exsilium, ac tempestate delatus ad ripam Danubij, venit in Thraciam. Sed cùm in Serapidis templo dæmon se responsa daturum negaret, dum ibidem Petri Apostoli discipulus moraretur, diu conquisitus, inuentus est Apollinaris, ac sic iterum iubetur nauigare. Itaque reuersus Rauennam, ab iisdem illis idolorum sacerdotibus Centurioni custodiendus traditur: qui cùm occultè Christum coleret, noctu Apollinarem dimisit. Re cognita, satellites eum persequūtur, & plagis in itinere confectum, quòd mortuum crederent, relinquunt. Quem cùm inde Christiani sustulissent, septimo die exhortans illos ad fidei constantiam, martyrij gloria clarus migrauit è vita. Cuius corpus propè murum vrbis sepultum est.

Sæpius captus, & sæpius liberatus, tandem multis plagis conficitur.

VITA

VITA S. BIRGITTÆ VIDVÆ, EX EA *quæ est apud R.P. Surium, conformiter Bullæ canonizationis.*

XXIII. IVLII.

SANCTA Birgitta, in regno Suediæ orta, non tantùm parentes habuit nobiles, & tū coram Deo, tum coram mundo potentes, verùm etiam auos, proauos & abauos excellentes, Legémque Dei feruenter inquirentes. Auus enim & proauus atque abauus patris eius, sacramenta Dominicæ passionis in memoriam reuocantes, peregrè profecti sunt in ciuitatem sanctam Ierusalem, & ad alia loca quæ Christus Iesus corporali præsentia sua illustrauit. Sed & pater sanctæ Birgittæ Birgerus, illorum vestigiis insistens, multa loca Sanctorum, puta S. Iacobi, & alia circa mare australe deuotissimè inuisit, paratus etiam vlteriùs proficisci ad Terram sanctam, nisi Apostolicæ Sedis consilio, propter causas rationi consentaneas, retardatus fuisset. Idem ipse singulis sextis feriis peccata sua solebat humiliter confiteri. Fecit consimiliter & filius eius, quoad vixit, qui etiam post confessioné secretò acerrimis flagellis cædebat corpus suū. Mater quoque beatæ Birgittæ, Sigridis, admodum fuit nobilis & religiosa, ita vt multas exstruxerit ecclesias, & pro magnificentia sua amplissimos reditus, dotis nomine, eis assignarit. Atque talium quidem parentum Birgitta sanctissima fuit proles: qua nata, sacerdos quidam vicinioris ecclesię, vitæ integræ, & prouectæ ætatis (qui postea factus est Episcopus Aboënsis in Suedia) dum inter orandum nocte videt nubé lucidam, & in nube sedentem virginem, in manu sua librum habentem; admirans, vocem audit eiuscemodi: Nata est Birgero filia, cuius vox mirabilis toto orbe audietur.

S. Birgitta nobilissimis & piissimis maiores.

Nota priscam deuotionem peregrinandi ad loca sancta.

Item munificentiam in ecclesias.

Præclara visio de futura Birgittæ sanctitate.

ET quidem ab ipso ortu suo triennium ferè permansit infantula elinguis, nec vllum edidit sermonem: sub finem verò triennij tam perfectè loqui cœpit, vt iam non infantium balbutientium more, sed contra eius ætatis vsum absolutè sua verba enūciaret. Interea mater eius eleemosynis & bonis operibus semper dedita obdormiuit in Domino: qua defuncta, filiola Birgitta à patre tradita est nutrienda suæ materteræ, matronæ insigni prudentia & religione. Erat iam ferè septennis, cùm ecce vidit quodam tempore euigilans, è regione lectuli sui, altare, & super illud Dominam indutam vestibus splendidis, & in manu ferentem coronam magni pretij, quam & ca-

Mortua matre, educatur apud suam materteram.

Sentit sibi diuinitus imponi quandam coronam.

piti eius imponit, ita vt sentiret puella caput suum tanquam circulo quodam ambiri, cuius nũquam potuit obliuisci. Atque ita quidem sanctissima hæc Christi sponsa adolescebat: quam pater, tanquam quæ generi suo magnum posset adferre splendorem, velut altera quædam Esther, illustri cuidam despondit adolescenti & cordato. Erat is Nericiæ Princeps, & Vlpho de Vlphaso dicebatur. Vixerunt autem pariter annum vnum, & eo ampliùs, pudicè & continenter, obnixè rogantes Deum, vt, si ei visum esset mutuò vt se cognoscerent, talem ex iis prolem procrearet, quæ ipsius manciparetur seruitio.

Nupta Principi Nericiæ, viuit cum eo castissimè.

ATQVE adeò ambo simul, adspirante Spiritu Dei, matrimonium honestissimè coluerunt, in primis autem Birgitta, quę filios suos cum multa solicitudine & diligentia educauit, adhibens illis præceptores, qui eos in fide & moribus quàm optimè instituerent. Declinabat autem semper hæc sancta & Deo delecta matrona loca, leuitates, & personas, vnde posset aliqua nota adspergi, sempérque honestas ancillas, & comites omni morum honestate conspicuas, apud se retinebat, ne cuiquam obtrectandi occasionem præberet. Et ne quam satanæ tentandi materiam omnino offerret, ab ocio abhorruit supra modum. Vnde & bonis & sanctis exercitiis semper vacabat, & nũc quidem operi manuum incumbebat, cum famulabus suis, diuino cultui, & proximorum vtilitati profuturo, nunc autem legebat Sanctorum vitas, & sacra Biblia, quæ Gotthico idiomate sibi scribenda curarat, multo maxima verò parte tẽporis ecclesiarum limina terens, diuinis libenter intererat officiis. Ieiuniis quoq;, vigiliis, & orationibus frequenter intenta, docebat carnẽ parêre spiritui, à delicatioribus cibis abstinens, ea cautione etiam, vt à marito & aliis id non aduerteretur. Sępe autem interdiu ad corpus, & noctu, absente marito, veste dura vtebatur & aspera. Infirmorum autem, morbidorum, & pauperum felix & inclyta, mater, eleemosynas ijs præstabat largissimas. Habebat autem magnas ædes pauperibus deputatas, & in ijs feminas, quæ illorum ministerio semper occuparentur.

Diligenter curat filios institui bonis moribus.

Summè horret ocium.

Frequenter legit vitas Sanctorum.

Magna eius abstinentia, & simul charitas erga pauperes.

SED & ipsa cum multa humilitate non rarò illis inseruiebat, lauans & osculans eorum pedes. Maritus quoque eius, cùm illius sacris & salutaribus sermonibus & consiliis delectaretur, vir strenuus & potens, & ex præcipuis Regis consiliarius, primò quidẽ ab aula Regis se prorsus subducit, deinde, suaui iugo Domini se totum humiliter submittens, didicit etiam à beata Birgitta legere preces Horarias beatissimæ matris

ris Dei, ac postremò ambo spiritu feruentes, vt se liberiùs à mundi vanitatibus expedirent, è patria sua exeuntes, profecti etiam sunt in Hispaniam ad S. Iacobum. Iam peragrarant multa Sanctorum loca, erántque in reditu constituti, cum maritus eius cœpit apud Attrebates pessimè valere. Increscente autem morbo, cum beatam Birgitam magni tenerent angores, sanctus Dionysius eam consolatus est, ita dicens: Ego sum Dionysius, qui ab vrbe Roma in Gallias veni prædicare verbum Dei. Tu ergo, quæ me singulariter amas, scire debes, per te velle Deum mundo innotescere, teque meæ curæ commissam esse: cuius rei hoc habebis signum, quod maritus tuus iam non morietur. Transactis quoque inde aliquot eo in loco diebus, vidit in spiritu admiranda quædam: paulo pòst cum vir eius conualuisset, in patriam redierunt, vbi ille, cùm votum nuncupasset Deo, quòd monasticum vellet viuendi genus arripere, septem iam antè liberis procreatis, diu seruata continentia, in monasterio tandem Aluastra, Ordinis Cisterciensis, feliciter è vita decessit.

Proficiscitur vna cum suo marito ad S. Iacobū in Hispania.

Apparet ei Attrebati S. Dionysius.

Ingreditur tunc maritus ordinē Cisterciensium.

QVO defuncto, sancta matrona, facultatibus suis inter proles distributis, mundoque in totum valefaciens, cùm quodam tempore de mutatione status sui, vt Deo liberiùs seruire posset, satis esset anxia, mentis ecstasim passa est; viditque nubem luculentam, & ex nube simul audit vocem ita ipsi dicentem: Ego sum Dominus Deus tuus, qui tecū loqui volo: & tu eris sponsa mea, & canalis meus. Quibus verbis illa territa, quod putaret illusionem esse, rursus audiuit: Noli timere, quia ego sum conditor omnium, non impostor, nec tui vnius causa loquor, sed propter salutem multorum. Audi ergo quæ ego loquor, & deinde refer ea ad magistrum Matthiam. qui sua experientia didicit spiritum veritatis ab illusionis spiritu discernere. Is Matthias vir magna fuit in Deum deuotione, & sacræ Theologiæ doctor celebris, cui beata Birgitta in omnibus obediuit, quemadmodum ei tum diuinitus præceptum fuit. Instituit itaque nouum monasticum ordinem, & Regulam siue Canonem, quem ex ore Christi, ipsi dictantis, conscripsit, quem & monialibus cœnobij VVastenæ seruandum reliquit. Et quidem exinde propter subitariam vitæ mutationem, & habitus vilitatem, à nobilibus, vitam eius non alio quàm insaniæ loco habētibus, contemnebatur, sed eis illa dicebat: Nec propter vos incepi, nec propter vos desistam, statui autem apud animum meum verba tolerare.

S. Birgitta in totum vale dicit mundo.

Nota: nā sic & Paulus quoque missus est ad Ananiam. Act. 9.

Instituit nouum Ordinē iuxta Regulā sibi a Christo dictatam.

TRI

Supra modũ excruciat tenerum suum corpusculum.

TRIGINTA autẽ annis ab obitu mariti vestibus lineis vsa non est, nisi duntaxat in capitis velaminibus, sed aspero induta cilicio carnem suam excruciabat. Ante lectũ quoq; suum iusserat poni tapetum simplex, vel palliũ, & puluinar exiguum pro capite; sicque cubare solebat. Interrogata autem quînam sic somnum capere posset in acerrimis frigoribus, quibus eæ regiones Aquilonares rigent, respondit: Ego tantum intra me sentio ardorem, vt frigus externum me non valde anxiam habeat. Nocte & die toties flectebat genu, toties se inclinabat; & osculabatur humum, vel venias, vt dici solet, capiebat; vt mirum videretur, tam nobilem & teneræ habitudinis matronam tantos posse perferre labores. Sextis feriis consueuit etiam ardentis cerei guttas ignitas in nudam deponere carnem, propter Saluatoris passionem. Obedientiæ verò adeò studiosa fuit, vt nullibi esse voluerit sine præceptore. At verò iam tempus instabat, vt laborem peregrinationis susciperet: vnde adstitit ei Christus, dicens familiariter: Proficiscere Romã, illic enim plateæ sunt auro instratæ, & Sanctorum sanguine rubricatæ: ibiq; propter condonationes seu indulgentias, quas promeruêre Sancti, compendio venitur ad cælũ. Manebis autem illic, donec videas summum Pontificem & Imperatorem. Quod quidem & ita euenit, tum nimirum quando vtrique reuelationes ipsi præstitas de Ecclesiæ reformatione misit.

Nota insigne dictum.

Iubet eam Christus proficisci Romã, & quare.

Itẽ adit Neapolim & Siciliam.

POST annos autem aliquot iussa est etiam ire Neapolim & in Siciliam: vbi instar purissimi speculi, virtutum de se exempla omnibus exhibuit, intrepidè doctos pariter atque indoctos reprehendens. Vnde Romam reuersa, cùm post annos multos solito feruentius Sanctorum limina visitasset: præcipit ei vnigenitus Dei Filius, vt iret Hierosolymam. Vbi & prætexente illa incommodam valetudinem & ætatem, Dominus respondit: Et ecquis est naturæ conditor? Ego addam tibi vires, ego prospiciam de itinere. Itaque loca omnia, in quibus pro peccatoribus pati voluit Dominus Iesus, deuotissime visitauit. Verum antequam à Hierosolyma rediret, laborare cœpit febri, & stomachi infirmitate, quam ipsa nihilominus terra & mari inter labores & dolores suos integrum annum patientissime tulit, quousque Romam rediit. Vbi cùm morbus increuisset, iamque dies obitus eius immineret, rursus apparuit ei Dominus Iesus, corporeis eius oculis visibilem se præbens, atque dicens: Ego sic tibi feci quemadmodum sponsus solet, subducens se ad tempus à sponsa, vt ardentius desideretur

Item iubetur ire Hierosolymam.

Reuersa Romã non multo post migrat ad Christum.

deretur, at nunc probatā satis, procede in gaudium meum. Obiit itaque singulariter Deo dilecta Birgitta, Missa audita, perceptisque Sacramentis, anno salutis millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, decimo Calendas Augusti: translata anno proximo, post multorum miraculorum coruscationem, tum ibi, tum in itinere diuinitus exhibitorum, ad monasterium VVasthenæ, per sanctam filiam eius Catharinam, duodecima die Iulij. Adscripta est autem Sanctorum Catalogo à Bonifacio nono.

Transferuntur eius sacra reliquiæ in Succiā.

DE S. CHRISTINA VIRGINE ET *Martyre, ex Martyrologio Adonis.*

XXIIII. IVLII.

SANCTA Christina virgo apud Italiam in Tyro, quæ est circa lacum Vulsinum, in Christum credens, Deos aureos Vrbani patris sui præfecti contriuit & pauperibus distribuit. Ob quod, iubente patre, alapis primum afflicta, deinde verberibus dilaniata, postremò ferro onusta, in carcerem coniecta est. Sed & postea cum diutissimè & crudelissimè dilaniaretur, de carnibus suis patri in faciem proiecit. Alligata quoque rotæ, cum igni supposito, & fuso desuper oleo, torreretur, erumpens flamma mille gentillium interfecit, atque ipsa interim carceri tradita, Angelo visitante sanata est, & refecta. Deinde verò cùm rursum magni saxi pondere constricta in lacum Vulsinūm iactata esset, inde nihilominus Angelico præsidio liberata fuit. Quare & successor patris eius Dion multis iterum supplicijs eam afflixit: sed orante illa simulachrum Apollinis, quod Dion adorabat, in fauillam subitò redactum est. Quo miraculo tria millia hominum ad fidem Christi conuersa sunt. Atque adeò ad extremum successor Dionis Iulianus post fornacem ardentem, vbi quinque dies illæsa permansit, post serpentes quoque à venefico immissos, sed fide Christi superatos, post abscisionem denique linguæ, sagittis eam configi præcepit, sicque martyrij cursum consummauit nono Calend. Augusti.

De Tyro Italia vide D. Baron ad Martyrol.

S. Christina diuersissimè torta.

Tandem cō-figitur sagittis.

DE S. IACOBO APOSTOLO, FRATRE *S. Ioannis, ex Ordinario nono.*

XXV.

XXV. IVLII.

IACOBVS Zebedęi filius, Ioannis Apoſtoli germanus frater, Galilæus, inter primos Apoſtolos vocatus cum fratre, relictis patre ac retibus, ſecutus eſt Dominũ & ambo ab ipſo Ieſu Boanerges, id eſt, tonitrui filij, ſunt appellati. Is vnus fuit ex tribus Apoſtolis quos Saluator maximè dilexit, & teſtes eſſe voluit ſuæ transfigurationis, & intereſſe miraculo cùm Archiſynagogi filiam à mortuis excitauit, & adeſſe cùm ſeceſſit in montem Oliueti, Patrem oraturus, antequam à Iudæis comprehenderetur. Sed & poſt Ieſu Chriſti adſcenſum in cælum, in Iudæa & Samaria prædicans eius diuinitatem, plurimos, in quibus & Hermogenem hæreticum, ad Chriſtianam fidem conuertit. Peragrata quoque Hiſpania, ibique prædicato Euangelio, ſic demum rediit Hieroſolymam. Sed Claudio Imperatore Herodes ad regnum elatus, vt à Iudæis gratiam iniret, Iacobum, liberè Ieſum Chriſtũ Deum confitentem, capitis condemnauit. Quem cùm is qui cum duxerat ad tribunal, fortiter martyrium ſubeuntem vidiſſet, ſtatim ſe & ipſe Chriſtianum eſſe profeſſus eſt. Qui ambo ad ſupplicium cùm raperentur, petiit ille à Iacobo veniam: quem Iacobus oſculatus, Pax, inquit, tibi ſit. Itaque vterq; eſt ſecuri percuſſus, cum paulo antè Iacobus paralyticum ſanaſſet. Corpus eius poſtea Compoſtellam tranſlatum eſt, vbi ſumma celebritate colitur, conuenientibus eò religionis & voti cauſa ex toto terrarum orbe peregrinis. Memoria ipſius Natalis hodierno die, qui tranſlationis dies eſt, ab Eccleſia celebratur, cùm ipſe Calendis Aprilis primus Apoſtolorum Hieroſolymis profuſo ſanguine teſtimonium Ieſu Chriſto dederit.

S. Iacobus & frater eius dicti filij tonitrui.

Prædicat in Iudæa, & Samaria, ac deinde etiam in Hiſpania.

Martyrio affectus Ieroſolymis, poſtea transfertur Cõpoſtellam.

DE S. CHRISTOPHORO MARTYRE

ex ijs quæ ſunt apud R. P. Surium.

XXV. IVLII.

CHRISTOPHORVS illuſtris martyr ex Cananæa duxit originem. Diuinitus à Chriſto illuminatus, in Lyciam venit eo animo, vt Chriſtum vbique confiteretur & prædicaret. Quod vt poſſet efficaciùs, preces ad Deum continenter fundebat. Sed & cùm eſſet ſtaturâ corporis procerus, paſſim omnes in illum oculos conijciebant. Virgam autem geſtabat manu: quam etiam cùm in terram defixiſſet, & illa repentè

S. Chriſtophorus prædicat in Lycia.

repentè, nō sine ingenti miraculo, ſiruiſſet, multi exinde ſua nomina Christo dedêre. Confirmabat enim Christus prædicationem fidelis ſerui ſui ſequentibus ſignis. Sed & iam fama ſancti viri peruenerat ad Dagnum, qui per id tempus in Lycia rerum potiebatur. Qui moleſtiſſimè ferens Christum Ieſum illic annunciari, miſit milites qui Chriſtophorum ad ipſum adducerent. Quò poſtquam aduenit vir beatus, à fide eum auertere nitebatur Dagnus. At ſanctus, Chriſtophorus & ſpiritu & corpore magnus, fidem ſuam præclarè confitebatur. Abductus autem inde eſt in carcerem, donec apud ſe tractaret Dagnus, quo ſupplicij genere eum tolleret è medio. Itaque primo quidem id illi conſultiſſimum viſum eſt, vt duæ ad eum meretrices in carcerem intromitterentur, quæ eum ad res venereas prouocarent, & ita faciliùs ad idololatriam deuolueretur. Sed ſimulatque in carcerem venêre impudicæ feminæ, adeò ſunt diuinitus exterritæ & illuminatæ, vt & facinus ſuum agnoſcerent, & mox, repudiato impuro Ioue, Chriſti religionem profiterentur, vnde & grauiſſimis affectæ cruciamentis, ad extremum capite punitæ ſunt.

Pro confeſſione Chriſti conycitur in carcerem.

Conuertuntur per eum duæ meretrices, introductæ vt eum ſollicitarent ad libidinem.

ANTE illas etiam Dagnus quadraginta viros Chriſtophori doctrina conuerſos, capite cædi iuſſerat. Poſt quod rurſus iubetur fortiſſimus Chriſti miles Chriſtophorus ſiſti coram Dagno. Sed cùm inuicta animi virtute in verbo gratiæ perſtaret, ecce videt multiuaria & crudeliſſima ſibi præparari ſupplicia. Interim plerique nobiles credebant in Chriſtum: & cùm Dagnum obiurgarent, citò Chriſti martyres effecti ſunt ſanguine pro pietate fuſo. Iuſſit verò tyrannus in caput S. Chriſtophori galeam ignitam imponi, cùm priùs atrociter eſſet virgis cæſus. Deinde ad ſcamnum ferreum, quod corporis eius ſtaturam æquabat, fecit eum alligari, ipſumq; ſcamnum multo ſuppoſito igne inflammari, ſimulque beatiſſimum martyrem exuri, & corpus eius feruenti oleo perfundi, illo interim dicente ad tyrannum: In nomine Ieſu Chriſti tormenta tua non ſentio. Quin etiam tandem modo admirabili liberatus, Chriſtum rurſus populo prædicauit, & multos ad Chriſti ouile traduxit. Fuit autem id valde inuiſum Dagno, iuſſitque ſanctum virum ad palum alligari, & milites ſagittis eum conficere, ſed inanes ſagittarum ictus erant, manſitque ab illis vir ſanctus prorſus illæſus. Itaque ad extremum, capitis obtruncatione martyrium ſuum glorioſè compleuit.

Item multi alij.

Poſt multa horrenda ſupplicia, tandem capite truncatur.

DE SANCTISSIMA ANNA, MATRE *Deipara Maria, ex Ordinario nouo.*

XXVI. IVLII.

S. Anna, & Ioachim maritus eius, vterque ex stirpe regia.

S. Anna diu sterilis.

ANNA B. Mariæ Virginis, Dei genitricis mater, Gaziri filia, ex tribu Iuda, in Bethlehem oppido Iudææ nata; Ioachimi fuit vxor, qui & ipse ex eadem tribu Galilæus erat ex Nazareth, ambo ex stirpe Regia, sanctorumque Patrum, & ipsi sancti atque iusti, vt decebat parentes futuros virginis quæ Christum erat progenitura. Tripartitam hi habebant suorum bonorum rationem: vnam enim partem pauperibus, alteram templo, eiusque ministeriis, dicauerant, tertia se, suáque familiam alebant. Sed in iustitia, pace, gaudio, & charitate maritali perseuerantes, vnus tãtum dolor sterilitatis angebat, nulla prole post annum matrimonij vigesimum procreata; quod turpe & infamiæ loco inter Iudæos habebatur. Ioachimus igitur cùm in festo encæniorum Hierosolymam adorandi gratia venisset, vellétque supplex ad altare Dei munus offerre repulsus est ab Isacare sacerdote cum ignominia, quasi indignus esset, ob longam sterilitatem, qui more patrum & fœcundorum hominum ad eum locum accederet.

Nũciatur ab Angelo, ipsã parituram.

QVA repulsa mœstissimus Ioachimus, nec ferens, præ pudore, suorum ciuium conspectum, ad caulas secessit; & cum pastoribus commorans, assiduis precibus à Deo contendebat, vt eam à se ignominiam depelleret. Itaque ecce Angelus Domini Ioachimo se ostendit, & bono animo ipsum esse iubens, preces eius auditas esse à Deo renũciauit, filiamque procreandam, quæ Saræ & Rachelis prolem mysterij magnitudine superaret. Tali ergo spe erectus lætúsque Ioachimus, domum repetens, vxori obuiauit, quæ, cùm ei quoque apparuisset Angelus, eadémque nunciasset, plena spe & gaudio, ad marito congratulandum properabat. Salutant igitur inter se cum maxima lætitia, & visa, Deique promissa conferentes, domum reuertũtur. Concepit ANNA diuino munere, sextoque idus Septembris Mariam peperit: cuius ortu felicissimo sterilitatis macula deleta, parentésque compotes facti sunt longissimi desiderij. Migrauit autem ad Dominum Anna beatissima, septimo Kalendas Augusti: cuius corpus conditum est in Bethlehem, in paterna sepultura.

Feliciter obdormiuit in Domino.

VITA

VITA SS. IOANNIS ET PAVLI FRATRVM ex Io. Maldonato Hispano.

XXVII. IVLII.

IOANNES & Paulus fratres in domo Constantiæ Cōstantini Cæsaris filiæ præpositus alter, alter primicerius fuerant. Quare Iulianus apostata Imperium adeptus, cū comperisset, ex opibus eos quæ fuerant Constantiæ, pauperes quósque reficere: conuocatis ad se, eandem dignitatem, quam apud Constantinum habuerant, si vellent manere, promisit. Cui fratres pij responderunt, Constantino se libenter Christiano principi adhæsisse: apostatæ tamen Christianæque fidei desertori, nullatenus se velle submitti. Cæpit tum Iulianus se clericum fuisse iactare, pertæsúmque Christianorum ignauiam, ab ecclesia ad deos gentium transfugisse. Denique cum longa Iulianus oratione fratribus persuadere non posset, vt perfugas agerent, Christique castra relinquerent: decem illis dies præscripsit, in quibus aut Christum desererent, aut morti succumberent. Nihil terruerunt milites Christi Imperatoriæ minæ, quin magis gratulabundi, quòd per martyrium ad cœlestia regna daretur accessus, anteuerti tempus exoptabant. Quod cùm minus daretur, eleemosynis dilargiendis decem illos dies impenderunt. Decimus abierat dies, & ecce Terentianus quidam ab Imperatore missus, auream Iouis imagunculam precationibus intentis fratribus obtulit: vt ei quamprimum thura darent, vel gladio colla subderent. Illi verò dominum Iesum Christum solum adorandum dicere, perseuerantes, hora noctis tertia decollati sunt. Corpora, quòd mandatum à principe Terentianus acceperat, cædem sine strepitu fieri, intra domum ipsorum altißima fossa sepeliuit: missósque in exilium, euulgauit. Postea verò cùm multa fierent ibi miracula, & Terentiani filius à dæmone malo fuisset ereptus: Terentianus simul & filius Christum Deum agnouerunt, & baptizati sunt.

Quam in domo Cōstantiæ habuerāt dignitatem eam in Iuliani apostatæ recusant SS. Ioā. & Paulus.

Pietas illorū maxima.

VITA S. PANTHALEONIS, ex Io. Maldonato Hispano.

XXVIII. IVLII.

PANTHALEON Eustorgij Nicomediæ senatoris filius, traditus est puer erudiendus Euphrosino cuidam archiatro. Cúmque iter esset ei ad scholas, qua Hermolaus quidam presbyter latitabat: euocatus ab Hermolao, ac interrogatus: genus

Hermolai suasu Pāthaleon Christianam religionem amplectitur, & ab eo baptizatur.

T religio

religionem, quamque disceret artem professus est. Non distulit Hermolaus identidem Pãthaleoni suadere, vt relicta Hyppocratis ac Galeni doctrina, Christi dogma sequeretur, cuius solo nutu lãguores omnes sanarentur. Panthaleon cum libentissimè Hermolai suadelam admitteret, puerum tandem vidẽs serpentis morsu interemptum, Deum precatus est, vt si vera de Christo concepisset, puer ille mox resurgeret: quod est illico factum: & serpens medius ruptus. Panthaleon insigni viso miraculo, contendit ad Hermolaum, baptizatúsque ab eo, Eustorgium parentem reuisit: quem cùm perduxisset ad Christũ, & paulo pòst defunctum tumulasset, patrimonium omne in pauperes erogauit. Iam Panthaleon varios Dei verbo languores curauerat, & inter alios, cæcum quendam maximè notum, illuminauerat, cùm Maximianus Imperator rumoribus excitus, illustratum diuinitùs cæcum, quod in Christi nomine fuisse curatum prædicabat, morte affecit. Panthaleonem verò sacrificia deorum contemnentem in eculeo suspensum vnguibus attrectari præcepit. Diuinitus tamen erectus ac confirmatus, cum plumbo liquefacto demergeretur, & lapide post ad collum deligato in pelagus truderetur, vtrobíque cælitus liberatus est. Leones etiam ac Leopardi in eum dimissi, faciem manúsque lingebant: quare multi crediderũt, & decollati sunt. Hermolaus etiam magister quæsitus ac iugulatus est. Tandẽ cùm Panthaleon alligaretur ad rotam, quo penitus dissecaretur, & machina subitò dissoluta quàm plurimos occidisset, iussus est & ipse decollari. Milites quibus hoc fuerat demandatum, non eum valentes, hebetante se ferro, trucidare, Christum Deum crediderunt, & à Panthaleone ea lege veniam impetrarunt, vt sicuti fuerant iussi, iugularent eum.

Eius miracula.

Martyrium.

VITA S. LVPI EPISCOPI TRECENSIS, *ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium.*

XXIX. IVLII.

BEATISSIMI & Apostolici viri Antistitis Lupi vitam vel breuiter cõmemorare, operæpretium est: in eius enim præclaris operibus multiplex sese dicendi materia offert. Ortus est itaque in Leucorum oppido, nobili in primis familia, patre Epirochio. Quo ex hac luce subtracto, traditus est Alistichio patruo suo, multa generis nobilitate æquè conspicuo.

S. Lupi patria & parentes.

Cuius

Cuius operâ scholis adhibitus, Rhetorum est imbutus studiis. Deinde verò iam apprimè eruditum, florentis eloquij fama per regiones diuulgauit. Iuncta autem est ei matrimonio Pimeniola, sancti Hilarij Episcopi Arelatensis soror illustris memoriæ, quæ in ipsa iuuentute sensus maturitate pollens, pudicitiæ semper amore flagrabat. Vnde & cùm iam septimus coniugij annus volueretur, instigante Domino, se ad conuersionem mutuis adhortationibus contulerunt. Et quidem ipse superni Spiritus vigore incitatus Lupus, eximiæ claritudinis & virtutis virum beatum Honoratum alacri animo statim inuisere. Erat is Abbas primæ habitationis Lirinensis monasterij. Ad quem vbi peruenit, eius institutioni ceruicem vltro subdens, Dominicæ seruitutis iugum mansuetissimis humeris accepit, omnigenis vigiliis & ieiuniis sese afficiens. Sed cùm annum vnum illic egisset, magno fidei calore regressus est ad vrbem Matisconensem, vt ea, quæ ipsi remanserant, pauperibus elargiretur; & ecce de improuiso ad vrbis Trecensis Episcopatum rapitur.

Vnà cum cõiuge relinquit mundum.

De improuiso rapitur ad Episcopatum Trecensem.

PROMOTIONIS eius primordia fuêre hæc: nimirum vt primò ciuibus suis viam salutis semper concionibus sacris explicaret; deinde vt Clerum quoque suum, gratia præeunte, habenis iustitiæ moderaretur strenuè. Sed exacto biennij spatio, cùm esset pollens ingenio, clarus eloquio, sanctitate præcipuus, cum S. Germano, totius perfectionis & gratiæ spiritalis pleno, contra hæresim Pelagianam, quæ sanam oppugnabat fidem, in Britanniam profectus est. Qui etiam vno spiritu iuncti, terribiles Oceani fluctus, temporibus hybernis inexplorato mari se committentes, orationum gubernaculis mitigarunt. Erant verò sine intermissione intenti ad capiendos homines, eáque causa ægris curationes adhibebant, spiritusque immundos palàm ex obsessis eijciebant. Denique omnes ad sanæ fidei confessionem ab errore conuerterunt, etiamsi totam ferè Britanniam Pelagiana pestis occupasset. Sed & non longa post tempora Hunni erumpentes, & per omnem Galliam diffusi, partim simulatæ pacis arte tentabant vrbes; partim vi expugnabant. Qui vbi ad Trecensem infesto agmine venêre ciuitatem, patentibus campis sitam, & nec armis munitam nec muris, solicitus pius Antistes, ad vsitata se recipiens præsidia, solis ad Deum fusis precibus, supernæ opis auxilio suos defendit.

Liberat vnà cum S. Germano Angliã ab hæresi Pelagiana.

Multum eum veneratur barbarus Attila.

IAM immanis ille & ferus Attila, fidem sancti viri altiori

sensu suspiciens, pro sua exercitúsque sui salute & incolumitate secum eum vult proficisci ad Rhenum vsque, pollicens, vbi eò ventum sit, se ipsum dimissurum. Moxque copia offertur ab eo loco reuertendi. Orat quoque tyrannus obnixè sanctum virum, vt velit pro ipso Dominum deprecari, interprete vsus Hunigasio. Sed reuersus vir Dei, vt vidit se desperatione suorum turbatum, ad montis perfugium Latisconem, cæteris solertior, festinauit, vt eò transferret plebem, quam orationum suarum suffragiis discrimini subiacentem inter excidia publica, & hostilia arma defenderat. Distat perfugium illud ab vrbe milliaribus quinque & quadraginta. Manens verò illic biennij spatio, offensus raritate suorum eò venientium, Matisconem sibi censuit expetendam. Verùm vt vitæ eius historiam potiùs attexamus, annis plus minùs viginti, lectuli quietem nesciens, in tabula cubauit. Vestis eius perpetuò cilicium fuit: præter quod vnius tunicæ vsu semper contentus, in orationibus alternis noctibus peruigil perdurabat. Biduanis ieiuniis defatigato corpusculo, libidinis incentiua prosternens, fletibus ora, semper in futura intentus, indefessè rigabat. Iugi etiam districtione & seueritate sabbathum omne non nisi panis hordeacei esu transmittebat. Sed & sacræ memor legis, census suos pauperibus, captiuísque redimendis, humanissimè impendebat, sciens eleemosynis cælorum nos posse regna mercari.

Lectus eius tabula, & vestimentum cilicium.

Eius liberalitas in pauperes.

De quo sanè non patitur solicitudo silentio præteriri illud gratiæ singularis beneficium, quod ei inter mundi proceres diuinitus collatum fuit. Siquidem omnes gentium Reges ei præstabant reuerentiam, & specialiùs etiam à Rege *Gebaulto eximia ei fuit exhibita obedientia: nimirum ipsos Brionenses, quos olim captiuos abduxerat Alemannorum impietas, literis à beato viro acceptis, libertati restituit, hostili seruitute absolutos. Multos autem habuit vir beatissimus præclara virtute discipulos, atque insigni miraculorum gloria illustres, Imprimísque in S. Polychronio, Virdunensis Ecclesiæ Episcopo, gratia præfulsit curationum, ita vt, religatis post tergum manibus, dæmonibus imperaret; priúsque sensum perciperent obsessi, quàm corporum suorum collisionem. Deinde & sanctum Seuerum, Treuirensi ecclesiæ ordinatū Episcopum, priùs Germaniæ gentilibus prædicantem, non ambigimus inter Apostolos suum habere consortium. Ac demum sanctum quoque Albinum, Catalaunensem Antistitem, diuturnæ sanctitatis

Discipulus eius S. Polychronius Episcopus Virdunensis.

Item S. Seuerus Treuirēsis, & S. Albinus Catalaunensis.

ctitatis prærogatiua eminentem, non debemus taciti omittere, quàm ille crebrò permultis locis dæmones ab hominibus profligarit. Et omnino; dum tantorum virorum celebramus præconia, eximij magistri quoque laudes depromere videri debemus. Porrò iam annis quinquaginta & duobus, S. Lupus, gloriosæ memoriæ Antistes, sacerdotio functus erat: cùm tandem, vitæ præsentis debitum persoluens, spiritum misit ad superos, dignis in terra laudibus celebrandus.

VITA S. VVILHELMI EPISCOPI *Briocensis, in minori Britannia, ex ea qua est per Godefridum Caluum.*

XXIX. IVLII.

SANCTVS Vvilhelmus à primæuo iuuentutis suæ flore senile cor gerens, nulli voluptati animum dedit. Etenim & cùm adhuc iuuenis & in minori officio constitutus, in domo cuiusdam diuitis fuisset hospitatus; mulier quædā fornicationis spiritu stimulata, cæteris dormientibus, perrexit ad beati viri cubiculum dormientis, atque ad latus eius se proiecit. Sed vir Dei ad tactum mulieris insolitum excitatus, non solùm scelus abhorruit, verùm etiam de lecto statim, quasi de medio ignis exiliens, à facie colubri se abscondit, sicut Patriarcha Ioseph, qui fugit oblatam libidinem, pallio derelicto. Sed nec solùm lumbos præcinxit fortitudine castitatis, verumetiam lucernas ardentes tenuit in manibus per opera charitatis. Siquidem non satis erat sibi quòd per bursarium pauperibus ministrabat: quinimo de bursa, quam ad hoc portare consueuerat, ipsemet quoque indigentibus manum misericordiæ porrigebat. Quin etiam tempore quodam * caro, cùm B. VVilhelmus videret fame pauperes cruciari, totum bladum suum eis exposuit dispergendum: imò etiam cùm inter tantos minimè sufficeret, præsertim cùm vsque ad messem magnum adhuc temporis spatium superesset, precibus etiam suis Canonicorum bladum accepit mutuo, pauperibus erogandum.

S. VVilhelmus etiamnū adolescēs, vltro oblatam copiam fornicationis summopere exhorret.

Genes. 39.

** Id est, in caritate annonæ.*

ATQVE interim quamuis cum Martha circa curam regiminis multis negotiis esset occupatus, illud tamen Mariæ necessarium, diuinis sermonibus vacans & deuotis orationibus, nullatenus omittebat. Præter enim horas Canonicas, & alias orationes consuetas, diebus singulis Psalterium, quod sciebat * cordetenus, lectitabat. Sed & die quadam ad domum

** Id est, memoriter.*

mum eius nuncius quidam venit, commodatò postulans balnearium vas pro muliere paupere in puerperio decubante. Nā pro huiusmodi piis operibus vascula talia reseruabat. A quo cùm causam itineris eius Episcopus didicisset, nec quisquam de suis famulis, præter Capellanum, præsens esset, nec negauit ei, nec distulit, sed cum adiutorio Capellani sui, vas, quod blado plenùm erat, euacuans, imposuit in humeros nuncij propriis manibus. Non solùm autem cor eius incinerauit ignis Dominicæ charitatis, sed & corpus quoque per pœnitentiam cremauit. Etenim quamuis suæ, nec non & aliorum dignitatibus vel meritis deferendo, magna sæpe conuiuia præparari faceret, seruata tamen modestia, semper parum gustans de carnibus, reliquum in eleemosynam pauperibus erogandum seruabat. Aqua quoque pura, vel cum vino mixta, largiter vtebatur, quamuis à plurimis vinum & pinguia diligere putaretur.

En humilitatem simul & charitatem.

Sic & cùm lectus eius, sicut decebat Pontificem, sterneretur, & serui crederent ipsum super mollia quiescentem, spreto cubili, terræ duritiem ad prandum & dormiendum sæpius eligebat. Accidit quoque quadam die, dum beatus vir staret in medio domus suæ, vt quædam hydropica ac paupercula mulier, eleemosynam postulans, staret ante eum. Erat autem infirmitate sic inflata, quòd vix corpus suum capere poterat tunicæ latitudo. quam intuens pius Pater, qui super afflictos pia semper gestabat viscera charitatis, præcepit eleemosynam ei dari, nec non & de theriaca, quam habebat, poculum quoque ei ministrauit, piè credens ipsam per antidotum huiusmodi posse consequi sanitatem. Et quidem accepto poculo, mulier abiit via sua, hora verò prandij memor fuit Episcopus illius, & ferculum quoque suum, de quo parum gustauerat, per nuntium illi misit, quam per vicos & plateas nuntius diu quærens, tandem inuenit in lectulo passione nimia laborantem, & fini suo appropinquantem. Quod cùm Episcopo retulisset, timens ille ne per theriacam, quam ei ministrari iusserat, mortis periculū incurrisset, oraturus pro ea Dominum, in ecclesiam festinauit, vbi flens largiter, & rugiens à gemitu cordis sui, reum se mortis eius humiliter accusando, tam diu misericordiam Domini inuocauit, donec nuntiatum est ei, quod mulier surrexit, & ab infirmitate sua dimissa esset penitus.

Frequenter [illegible] humo.

Iubet conquiri cui det eleemosinam.

Sanat suis precibus quādam hydropicam.

Sane, cùm ex pressura præliorum, quæ inter Francos & Britones agitabantur, Ducatus Britanniæ turbaretur, & Briocensis

ecclesis ciuitas, irruentibus in eam alternatim hostibus, damnis multis & iniuriis grauaretur, ô quoties in ipsum, ouiculas protegentem, viri sanguinum manus sacrilegas iniecerunt, & in ceruicem eius vibrantes gladios, ipsum minis & contumeliis affecerunt: vbi si quando propter Clericorum instantiam, necessitas ipsum compelleret ferre Excommunicationis sententiam in maleficos & prædones, ne remissus videretur & negligens, cùm dolore tunc cordis, & multis lacrymis vim clauium exercebat, renuens tamen viriliter in preiudicium libertatis Ecclesiasticæ vllatenus Principum acquiescere voluntati. Vnde & tandem Britannia exire est compulsus, & in exsilium proficisci. Tūc verò Pictauensis Episcopus continuis laborans infirmitatibus, officium sibi competens exercere penitus non valebat: quare & beatum VVilhelmum venerabiliter suscipiens, deuotè gregis sui curam ipsi committere dignum duxit cura vicaria, vbi ille per annos aliquot sanctissimè est conuersatus, donec placuit Deo, ferocitatis hostium impetum eneruare, sicque ipsum ad oues proprias reducere: vbi & ipse victurus in perpetuum, tandem præsentis vitæ cursum feliciter consummauit.

Pro defensione libertatis Ecclesiasticæ cogitur exsulare.

PORRO corpus eius sanctissimum in Ecclesia Cathedrali digna fuit cum reuerentia tumulatum. Quod cùm ibidem duobus annis, antequam corusc aret miraculis, tamquam lapis pretiosus latuisset, à Philippo Episcopo, eius successore, effossum, cum omni membrorum integritate mirabiliter est repertū, quasi pretiosissimis fuisset aromatibus conditum, ita optimo odore eos qui aderant, adimplens. Ab illo autem die cœpit beatus VVilhelmus crebrioribus coruscare miraculis: quibus postea per eundem Philippum bonæ memoriæ allatis ad Dominum Papam Innocentium quartum tunc temporis Lugduni residentem, idem Sūmus Pontifex, miraculis à cunctis Cardinalibus approbatis, ipsum in Sanctorum Catalogo decreuit firmiter conscribendum.

Migrat ad Christum.

VITA S. MARTHÆ, EX SEDVLIO.

XXIX. IVLII.

BETHANIAE QVE solum repetens intra-at, ibique
Lazarus occidua tumulatus sorte iacebat
Iam quarto sine luce die, clausúsque sepulchri
Marmore, corruptum tabo exhalabat odorem:

Hic notatur suscitatio Lazari à morte per Christum facta.

Flebant germana, flebat populatio præsens,
Flebat & omnipotens, sed corpore, non deitate,
Exanimésque artus illa pro parte dolebat,
Qua moriturus erat, lacrymis implebat amicum,
Maiestate deum. Quid credere Martha moraris?
Quid've Maria gemis? Christum dubitatis an vnum
Possit ab infernis hominem reuocare cauernis.
Qui dabit innumeras post funera surgere turmas?
Ergo vbi clamantis Domini sonuit tuba dicens:
Lazare perge foras, magno concussa pauore
Tartara dissiliunt, Herebi patuére recessus,
Extremis lethale Chaos, mortisque profundæ
Lex perit, atque anima proprias repetente medullas,
Cernitur ante oculos viuens astare cadauer,
Pòstque sepulchralem tanquam recreatus honorem,
Ipse sibi moriens & posthumus extat, & hæres.

QVÆ SEQVVNTVR EX BREVIARIO *Romano desumpta sunt.*

MARTHA Christi hospita, Mariæ & Lazari soror, post Christi ascensum ad patrem, à Iudæis in persequutione Christianorum cum fratre & sorore, & Marcilla pedissequa, & item Marimino, à quo tota domus fuerat baptizata, comprehenditur. Et hi omnes cum aliis compluribus Christianis in naui quadam imponuntur. Quæ nauis velis, remis, clauóque spoliata, mari committitur, vt omnes sancti naufragio perirent. Cæterùm Deo gubernante, Massiliam incolumis applicuit. Quo miraculo, & dictorum sanctorum prædicatione Massilienses primùm, deinde vicini populi ad fidem Christi conuersi sunt. Martha igitur cùm Massiliæ omnium in se animos propter eximiam sanctitatem conuertisset, cum multis honestissimis mulieribus, in monasterio, quod ipsa curauit ædificandum, sanctissimè vixit, mortémque obiit multò antè à se præcognitam, & miraculis illustratam, quarto Calend. Augusti.

VITA S. GERMANI EPISCOPI ANTIsiodorensis, ex ea quæ est per Constantium Presbyterum.

XXXI. IVLII.

GERMANVS Antisiodorensis oppidi indigena, parentibus fuit splendidissimis procreatus; & ab ipsis infantiæ rudimentis, studiis liberalibus institutus. Qui sane vt perfectionem literarum plenam sibi conflaret, sicut post auditoria Gallicana, intra vrbem Romam, iuris scientiam plenitudini perfectionis adiecit, ita deinde quoque tribunalia Præfecturæ, professione Aduocationis ornauit. In quo actu dum multiplici laudis luce resplenderet, sublimem etiam genere, diuitiis, & moribus, sortitur vxorem. Sed & togæ præconiis præeminentem protinus Respublica ad honorum præsumpsit insignia, Ducatus culmen & regimen per prouincias conferendo. Erudiebatur profectò diuinitatis occultò iudicio, ne quid perfectionis deesset Apostolico Pontifici mox futuro. Eo verò tempore territorium Antisiodorensis vrbis visitatione propria gubernabat, cui & mos erat, tyrunculorum potiùs industriis indulgere, quàm Christianæ religioni operam dare. Siquidem assiduè venatui inuigilans, ferarum copiam frequentissimè capiebat: Erat autem pirus arbor in vrbe media, amœnitate gratissima: ad cuius ramusculos ferarum ab eo deprehensarum capita, pro admiratione venationis nimiæ dependebant: Vnde & cælebs vir eiusdem tunc ciuitatis, Amator Episcopus, his frequenter eum compellabat eloquiis: Desine, quæso, vir honorum splendidissime hæc iocularia, quæ Christianis offensa, paganis verò imitanda sunt; exercere: Hoc opus idololatriæ culturæ est, non Christianæ elegantissimæ disciplinæ.

S. Germani nobile genus & præclara eruditio.

Ducit vxorem.

Administrat Præfecturam Antisiodorensem.

Reprehenditur à S. Amatore Episcopo ob quandam suam culpam

ET hoc quidem indesinenter vir Deo dignus peragebat; ille tamen nullo modo admonenti acquiescere voluit, aut obedire. In cuius persuasionis tempore, cùm quadam die Germanus in prædia sui iuris ex vrbe secessisset, beatus Amator, opportunitatem opperiens, sacrilegam arborem cum caudicibus abscidit: quæ fama protinus ita animum Germani incendit, vt oblitus sanctæ religionis, cuius iam fuerat ritu atque munere insignitus, mortem viro beatissimo minitaret, turbam suorum secum adunans. Quæ omnia à quibusdam cognita, dum Amatori sanctissimo panderentur, diuina ille reuelatione suæ discessionis tempus agnoscens, & Germanum sibi successorem præuidens, Heduam profectus est, vbi Iulius Reipublicæ Rector, ac Galliæ gubernator, præsidebat. Rogat itaque eius celsitudinem, vt licentiam tribuat, Germanum tonsurare: post quod voti compos factus, suę est iterum reddi-

Amator insanus contra eum ad sanctum Episcopum.

tus ciuitati. Præcipit vniuersum populum ad sanctam ecclesiam iter dirigere: vbi beatus Amator, videns Germanum illustrissimum, præcepit ostiariis, Ecclesiæ fores vt claustris arctarent. Ipse verò, glomerata secum turba Clericorum atque nobilium, iniciens manus, Germanum apprehendit, & inuocato nomine Domini, cæsariem eius capiti detrahens, habitu religionis, reiectis secularibus ornamentis, cum promotionis honore induit, talibus eum verbis exhortans: Quia tibi, frater charissime, me decedente, omnipotens pastorale commisit officium.

Inuitus rapitur & præ nunciatur futurus Episcopus.

INCIPIT verò iam beatissimus Amator obitus sui incitamentis vrgeri: quin non multo pòst, spiritum eius chorus Sanctorum cum hymnis & laudibus in specie columbæ vehit ad cœlum. Tum verò subitò Germanum Episcopum omnium vna vox postulat. Nec mora. Suscipit Sacerdotium coactus, addictus, & repentè mutatur ex omnibus. Seculi pompa calcatur, vxor in sororem ex coniuge mutatur, substantia dispensatur in pauperes, paupertas ambitur. Enarrari verò non potest qua hostilitate vim sibiipsi conciuerit, quæve supplicia corporis sui persecutor induerit. Breuiter, vt iuxta veri fidem vniuersa saltem perstringam, ex ea die qua sacerdotij sumpsit exordium, vsque ad terminum vitę, tanta obstinatione & tabe corporis animam suam pauit, vt nunquam panem frumenti, non vinum, non acetum, non oleum, non legumen, numquam vel salem ad vsum condiendi saporis acceperit. Sanè die Resurrectionis vel Natiuitatis Dominicæ potiones singulæ sumebantur: in quibus ita vini sapor aquis nimiis diluebatur, vt aceti austeritas solet largis permixtionibus temperari. In refectionibus quoque primum cinerem prælibauit, deinde panem hordeaceum sumpsit, quem tamen ipse excussit & moluit. Et cum hic cibus grauior ieiuniis indiceretur, interdum tamen in hebdomada media, plerumque die septimo tantùm ponebatur.

Moritur sanctus Amator.

Succedit ei S. Germanus.

Viuit in maxima austeritate.

Plerumque reficitur tantum post sèptimum diē.

INDVMENTVM cuculla & tunica indiscretis fuère tēporibus, cilicio semper interiùs inhærente. Spatium lectuli trabeculæ dolatiles ambiebant, iniectos cineres vsque ad marginem continentes, qui quotidiana impressione densati, inconfecti, soli duritiam præferebant. Stratum omne subiecto cilicio & superposito vno tantùm sagulo fuit. Caput ab humeris per ceruicis confinium nulla subleuauit adiectio, ita pronus prostrata per terram, membra damnauerat. Noctibus numquam vestitum, raro cingulum, raro calceamenta detraxit,

Eius lectui copacti cineres.

sit, redimitus loro semper & capsula, Sanctorum reliquias continente. Iugis gemitus, oratio perseuerans, Scilicet ó præclara Dei nostri virtus & pietas, vt & præteriti decoquerentur errores, & celeriter defæcata sanctitas præstaretur. Hospitalitatem peculiari obseruatione seruauit, omnibus, sine vlla exceptione personæ, domum præbuit, & conuiuium ieiunus pastor exhibuit, pedes omnibus suis manibus lauans. Tunc quoque vir beatissimus in conspectu Antisiodorensis oppidi, interposito Icauna flumine, monasterium collocauit: alternis vicibus nunc ecclesiam, nunc monasterium quasi dux cælestium militum visitans, vt certantibus studiis æmulantes, ad perfectionis gloriam prouocaret.

Semper fert secum reliquias Sanctorum.

Alternatim nunc agit monachum, nunc Episcopum.

PORRO eo tempore ex Britanniis directa legatio Gallicanis Episcopis nunciauit, Pelagianam peruersitatem in locis suis latè populos occupasse. Synodus ergo illico colligitur, vniuersorum precibus Germanus ac Lupus Apostolici Sacerdotes ambiuntur, suscipiunt deuotissimi heroës, conscendunt Oceanum mare, Christo duce & auctore totam Britannorum insulam, quæ inter omnes est vel prima, vel maxima, raptim opinione, prædicatione virtutibus impleuerunt. Conuincitur vanitas, perfidia confutatur. Iam denique reditu venerabilium Sacerdotum exsultant Galliæ, gaudent Ecclesiæ, dæmones contremiscunt. Certè expectatio propriæ ciuitatis B. Germanum votis duplicibus ambiebat. Et quidem vitabat vir Deo plenus suorum solatia, vicinorum declinabat occursum, sed obscurari non poterat maiestatis luce circundatus. Vici omnes, municipia, ciuitates, quotquot sese per itineris eius tramitem porrigebant, in occursum cum coniugibus ac liberis conuolabant. Omnes benedictionem flagitant, tactum requirunt, & quod superest multitudini, releuat vel vidisse; diuersæ infirmitates passim benedictione sanantur.

Pugnat in Anglia cōtra hæresim Pelagianam.

Omnes passim concurrunt pro eius benedictione.

SED & rursum ex Britannia nuntiatur Pelagianam peruersitatem iteratò paucis auctoribus dilatari. Rursum igitur ad beatissimum Germanum preces omnium deferunt; festinus ille iterum occurrit (dum & laboribus delectetur, & Christo se gratanter impendit) adiuncto Seuero Episcopo, totius sanctitatis viro, qui tunc Treueris ordinatus Episcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum vitæ prædicabat. Prædicatio ad plebem de præuaricationis emendatione conuertitur, omnium sententia prauitatis auctores expulsi ab insula Sacerdotibus adducuntur ad Mediterranea deferendi, vt &

Secundò nauigat in Angliam, & conuincit Pelagianos.

vt & regio absolutione, & illi fruerentur emendatione. Quod intantum salubriter factum est, vt in illis locis etiam nunc fides intemerata perduret. Sed ecce vixdum de altera trāsmarina expeditione sanctissimus Germanus domum remeauerat, & iam Legatio Armoricani tractus fatigationem beati Antistitis ambiebat. Offensus enim superbæ insolētia regionis vir magnificus Aëtius qui tum Rempublicā gubernabat, Eocharich ferocissimo Alemannorum Regi loca illa inclinanda pro rebellionis pręsumptione permiserat, quę ille auiditate barbaricæ cupiditatis inhiauerat. Itaque genti bellicosissimæ, Regique idolorum ministro obijcitur senex vnus, sed tamen omnibus Christi præsidio maior & fortior.

Reuersus ad suos mox obit legationem aliam.

OCCVRRIT in itinere iam progresso armato Duci inter suorum cateruas, medioque interprete primum precem supplicem fundit, deinde increpat differentem, ad extremum, manu iniecta, fręni habenas inuadit, atque in eo loco vniuersum sistit exercitum. Tunc igitur Rex ferocissimus admirationem concipit, & pro iracundia, Deo imperante, veneratur reuerentiam, descendit, tractatur, pacis securitatem fidelissimam pollicetur, ea conditione, vt venia, quam ipse præstiterat, ab Imperatore, vel ab Aëtio peteretur. Exinde ergo Italiam petiturus, egreditur, vbi sanè longum est quæ vir sanctus in itinere miranda gesserit, per singula contexere. Ferebatur iam per ora Rauennatium populorum, & aduentus sui moras præuius accusabat effectus. Illic Petrus tum Pontifex, Christi Ecclesiam Apostolica institutione retinebat. Regebat Romanum Imperium Placidia Regina cum filio Valentiniano, tum iuuene. Omnes venerabilem Sacerdotem certantibus studiis suscipiunt, ambiunt Principes, occurrunt Proceres, Ecclesia cum exsultatione amplectitur. Prorsusque obtinuisset causam Amoricanæ regionis, quæ necessitatem peregrinationis indixerat, nisi titubationis perfidia mobilem & indisciplinatum populum ad rebellionem pristinam reuocasset.

Magna auctoritate apprehendit frenū equi Regis barbari.

Proficiscitur Italiā pro negocio publicæ pacis.

Excipitur ab omnibus honorificentissimè.

SEDIT autem idem Dominus, & Apostolicus noster sanctissimus Germanus in Episcopali cathedra annos triginta, dies vigintiquinque. Obiit verò plenus Spiritu sancto apud Rauennam Italiæ ciuitatem pridie Kal. Augustas, Valentiniano adhuc iuuene imperante, cum Placidia matre: à quibus ibidem pro admiratione Sanctitatis, ac assiduitate miraculorum honorificè susceptus, Domino sibi apparente, obitum

Obdormit in Domino.

obitum suum prænoscens, obtinuit etiam, vt propriæ redderetur ciuitati. Tunc verò hæreditas relicta diuiditur: partem præsumpsit Imperium, partem vendicant sacerdotes, & quod fieri de opibus solet, nascitur de exiguitate contentio, dum deest quod capiant. Solius benedictionis hæres capsulam cum sanctis Regina suscepit, cucullam cum interiori cilicio Petrus Episcopus vsurpauit. Sex verò Antistites, vt aliquid monimenti ex successione acciperent, disrumpere quod superfuerat, maluerunt. Vnus pallium, alter cingulum accepit, duo tunicam, duo sagulum diuiserunt. Sacratissimum autem corpus delatum est ad suam vrbem, vbi traditum condignæ sepulturæ à propriis ciuibus, sub die Calend. Octobris, innumerabilibus virtutibus pollet.

Intelligitur capsula reliquiarum, de qua supra.

Defertur eius sacrū corpus ex Rauenna. Antisidiorū.

FINIS IVLII.

AVGVSTVS.

DE VINCVLIS B. PETRI APOSTOLI ex Ordinario nouo.

I. AVGVSTI.

THEODOSIO Imperatore, cùm Eudoxia eius vxor Hierosolymam soluendi voti causa venisset, ibi multis est affecta muneribus: præ cæteris insigne donum accepit ferreæ catenæ, auro gemmisque ornatæ, quam illam esse affirmabant, qua Petrus Apostolus ab Herode vinctus fuerat. Quam catenam Eudoxia piè venerata, eã postea Romam Pontifici Maximo detulit. Qui vicissim illi monstrauit alteram catenam, qua Nerone Imperatore idem Apostolus constrictus fuerat. Quam catenam cùm Pontifex Romanus cum ea, quæ Hierosolymis allata fuerat, contulisset, factum est, vt illæ inter se sic connecterentur, vt non duæ, sed vna catena ab eodem artifice confecta esse videretur. Quo miraculo tantus honor sacris illis vinculis haberi cœpit, vt propterea hoc nomine S. Petri ad vincula ecclesia dedicata sit in Exquiliis, eiusq; memoriæ dies festus institutus Calendis Augusti. Quo ex tempore honos, qui eo die Augusto Cæsari tribui so

Quænam sit e ago huius festi.

Vide insigne miraculum.

bui solitus erat, Petri vinculis haberi cœpit. Quæ tacta, ægros sanabant, & dæmones eijciebant. Quo in genere anno salutis humanæ nongentesimo accidit, vt quidam Comes, Othonis Imperatoris familiaris, occupatus ab immundo spiritu, seipsum dentibus dilaniaret. Quare is iussu Imperatoris ad Ioannem Pontificem ducitur. Qui vt sacra catena Comitis collum attigit, erumpens nefarius spiritus hominem liberum relinquit, ac deinceps in Vrbe etiã magis ac magis sanctorum vinculorum religio propagata est.

Itē aliud tempore Ottonis Imperatoris.

DE S. EVSEBIO EPISCOPO
Versellensi, ex D. Ambrosio lib. 10. Epist. 82.

I. AVGVSTI.

QVOD si in aliis ecclesiis tanta suppetit ordinandi Sacerdotis consideratio, magna certè cura expetitur in Vercellensi ecclesia, vbi duo pariter exigi videntur ab Episcopo, Monasterij continentia, & disciplina ecclesiæ. Hæc siquidem primus in Occidentis partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt & in ciuitate positus, instituta monachorum teneret, & simul Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate. Multum enim adiumenti accedit ad Sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ, & normam integritatis, iuuentutem adstringat, & sic versantes intra vrbem abdicet vsu vrbis & conuersatione. Hinc scilicet illi processerunt viri, Elias, Eliseus, Ioannes qui pelliceis tunicis, & caprinis exuuiis induti, inopes atque agentes in solitudinibus errabant, quorum conuersatione dignus orbis terrarum non erat. Hinc illi, Daniel, Ananias, Azarias, Misaël, qui in aula Regia pascebantur ieiunio, alebantur tanquam in desertis cibo aspero, potuque obuio, & Regi præualuerunt, vicerunt elementa, naturam ignis exstinxerunt, strinxerunt leonum ora. Atque hos nimirum secutus Eusebius sanctus, exiuit de terra sua, & de cognatione sua, & domestico ocio peregrinationem prætulit. Pro fide quoque exsilij dura præoptauit atque elegit, coniuncto sibi sanctæ memoriæ Dionysio, qui posthabuit Imperatoris amicitiam exsilio voluntario.

S. Eusebius simul perfectus monachus & Episcopus.

Heb. 11.

Nota pro commendatione monachatus.

Excelluit ipso Episcopatu ob Arrianos vna cum S. Dionysio Mediolanensi.

SANE memorabiles viri circumdati armis, vallati exercitu, cùm raperentur de ecclesia, maiore triumphabant de imperio victoria, quia contumelia terrestri mercabantur mentis fortitudinem, regni potentiam, & quibus militaris armorum

morum strepitus extorquere non potuit fidem, subegerunt bestialis animi feritatem, quæ nocere sanctis nequiuit. Ira enim Regis, ira leonis, vt in Prouerbiis est. Confessus est enim victum se esse, qui rogabat vt mutarent sententiam, quippe qui validiorem calamum suum ferreis gladiis arbitrabantur. Denique vulnerata est perfidia vt occideret, non est vulnerata Sanctorum fides. Sed nec desiderarunt patrium sepulcrum, quibus reseruabatur cæleste domicilium. Errauerunt toto orbe, vt nihil habentes, & possidentes omnia. Quocumque missi essent, locus deliciarũ putabatur. Neque enim illis quicquam deerat, quibus fides locuples abundabat. Vnde & locupletabant alios ipsi inopes ad sumptum, opimi ad gratiam. Tentabantur, sed non mortificabantur, in ieiuniis, in laboribus, in custodiis, in vigiliis. Euaserunt de infirmitate fortes: non exspectabant deliciarum illecebras, quos saginabat fames: non adurebat eos torrida æstas, quos refrigerabat æternæ spes gloriæ: non frangebant glacialis plagæ frigidæ, quibus feruenti spiritu vernabat deuotio: non verebantur vincula hominum, quos Iesus soluerat: non desiderabant redimi à morte, qui præsumebant à Christo resuscitari. Prouerb. 19. Omne solum forti patria est.

DENIQVE sanctus Dionysius exegit votis, vt in exsilio vitam poneret, ne regressus, confusa institutis & vsu infidelium studia plebis aut cleri inueniret. Meruitque hanc gratiam, vt pacem Domini tranquillo affectu secum referret. Atque adeò vt Eusebius sanctus prior leuauit vexillum confessionis, ita beatus Dionysius in exsilij locis propiore Martyribus titulo vitam exhalauit. Et omnino hæc patientia in sancto Eusebio monasterij coaluit vsu, durioris que obseruationis consuetudine hausit laborum tolerantiam. Namque hæc duo in attentiore Christianorum deuotione præstantiora esse quis ambigat, clericorum officia, & monachorum instituta? Ista ad comitatem & mortalitatem disciplina, illa ad abstinentiam assuefacta, atque patientiam. Spectatur ista, illa absconditur. Hæc velut in theatro, illa in secreto, hæc aduersum confusionem seculi, illa aduersus carnis appetentiam, hæc gratior, illa tutior, hæc seipsam regens, illa seipsam coërcens, vtraque tamen se abnegans, vt fiat Christi. Moritur sanctus Dionysius in exsilio. Disciplina monastica docet ad omnes casus patientiam.

VITA S. ETHELVOLDI EPISCOPI
VVintoniensis in Anglia, ex VVolstano eius alumno.

S. Ethelwoldi genus, & præsagium de eo nascituro.

PARENTES sanctus Etheluoldus ingenuos & Christianos habuit VVentanæ vrbis ciues. Floruerunt autem sub Eduardo seniore Anglorum Rege, mandatorum Dei seduli cultores. Porrò Felix eius genitrix, cum eum in vtero ferret, intempesta nocte somnium vidit eiusmodi: Videt ex ore suo exsilire & auolare quasi auream quandam miræ magnitudinis aquilam, quæ volando, cuncta VVentanę ciuitatis ædificia auratis alis obtegeret, & in alta cælorum se subrigens, ab eius se adspectu deinde subduceret. Qui puer Domini cùm creuisset, traditus est mox sacris literis imbuendus: erat autem natura agili, & acri ingenio; ac deinde cùm adoleuisset paululum, famam eius Rex Ethelstanus percipiens, celeriter eum ad se accitum, apud se manere voluit, curauitque eum sic tandem sacerdotio initiari. Per id autem tempus Elphegus Episcopus simul ordinauit Dunstanum, Etheluoldum, & Ethelstanum, quorum tertius pauló pòst ad lubrica seculi prolapsus est. At verò Etheluoldus mox Glasconiam petiit, & sub Abbate Dunstano habitum monasticum induit, vigiliisque & precibus incumbens, & abstinentia corpus suum edomans, semper ad ardua virtutum culmina adspirauit. Vbi cùm ab omnibus amaretur, & Abbas eum monasterij Decanum constituisset, tantæ humilitatis de se præbuit exempla, vt quotidiano manuum opere hortum coleret, & Fratribus ad prandium poma, ac diuersis generis legumina præpararet.

Fit monachus sub S. Dunstano.

IAM quoque Rex Edredus eius sanctitatem cognouerat, hortanteque eum matre sua Edgina, locum quendam, quem Abendoniam vocant, ei tradidit; in quo antiquitus exiguum fuerat monasterium, sed tum neglectum ac desolatum: ad cuius instaurandas domos, præbuit ei Rex de thesauris suis, & mater eius largiter. Itaque loci eius Abbas effectus, monachos congregauit, eósque in multa vitæ sanctitate gubernauit: Iubente quoque Edgaro Rege, non multo pòst à beato Dunstano etiam VVintoniensis Episcopus consecratur. Erant tunc in veteri monasterio Canonici moribus valde deprauatis. Quod minimè ferés Episcopus, annuente Rege Edgaro, eosdem expulit, & in illorum locum introduxit Abendonienses monachos, iisque ipse se & Abbatem & Episcopum exhibuit: ad id enim temporis in gente Anglorum non erant monachi, nisi in Glasconia & Abendonia. Sed Clerici illi qui pulsi fuerant, stimulante inuidia & liuore, venenum Episcopo

Restaurat monasterium in Abendonia.

Fit Episcopus VVintoniensis.

obtulerunt. Quo hausto, facie in pallorem mutata, viscera sanè illius cruciabantur. Surrexit ergo à mensa, & in lecto se reponens, dixit tacitus apud se: Vbi est nunc fides tua? An non vera sunt verba Christi, quibus in Euangelio pollicetur, si mortiferum quid biberint, credentes, non eis nociturum? Ille procuIdubio virus hoc in te eneruare potest. Quibus dictis, totam illam lethiferam potionē quam hauserat, fide sua mox inefficacem reddidit; pulsoque dolore, hilari vultu surrexit.

Marci 16. Haurit venenum illæsus.

ANNVENTE etiam Rege Edgaro, de nouo monasterio, quod nunc Hidam vocant, similiter Canonicos expulit, & Abbatem cum monachis in illud introduxit. Is Abbas fuit Ethelgarus; qui postea Australium Saxonum Episcopus factus, sancto Dunstano in Archiepiscopatu successit. Apud VVintoniam quoque monasterium virginum construxit, in honorem beatissimæ matris Dei. Locum etiam, quem modò Heli vocant, in fiscum Regium redactum, non modico pretio emit, monachósque illic collocauit, Britnotum Præpositum suū Abbatem eis præficiens. Emit quoque à Rege locum Modes hanstede, qui nunc Burg dicitur, basilicamque congruis structuris ornatam, in honorem beati Petri consecrauit, monachos ibi congregans, Abbatemq; Eadulphū constituens, qui post sanctum Osvvaldum Eboracēsis ecclesiæ cathedram adeptus est. Tertium quoque locum precio comparauit, qui propter spineta circumquaque increscentia Torneia dicebatur: vbi similiter monachos colligens, Abbatem eis dedit Godmannum. Vnde factum est, consentiente Rege, vt partim Dūstani consilio & actione, partim Etheluoldi sedula cooperatione, monasteria virorum & feminarum vbique apud Anglos construerentur. Circuiuit autem vir Dei singula monasteria, mores conformans & instituens, obedientes hortans vt in bono magis magisque proficerēt; stultos & obstinatos, vt à malo recederent, etiam verberibus, cùm opus esset, adigens.

Construit etiā monasterium monialium.

Itē alia quoque adhuc virorum.

ERAT siquidem improbis & peruersis terribilis instar leonis, humilibus & morigeris ceu agnum māsuetissimum se exhibens; & ita serpentinę prudentiæ temperabat seueritatem, vt columbinæ simplicitatis tamen non amitteret lenitatem. Pater erat & pastor monachorum, sanctimonialium & virginum protector peruigil, viduarum consolator, peregrinorum susceptor, Ecclesiarum patronus, corrector errantium, creator pauperum, pupillorum & orphanorum adiutor. Etenim & cùm acerba fames vniuersam Britanniam vehementer op-

Erga improbos est valde terribilis, aliàs vir per omnia benignus.

Tempore famis etiā thesauros ecclesiæ impendit pauperibus.

primeret, deficiente pecunia, tolli iussit ornamenta & permulta vasa argentea ex ecclesiæ thesauris, cum multo cordis gemitu testans, se æquo animo ferre non posse, muta metalla durare integra, hominem verò ad imaginē Dei factum, pretiosóque Christi sanguine redemptum, mendicitate & inedia conficici. Atque ita scilicet sustentauit innumeram pauperum multitudinem, qui, periculū famis euadere cupientes, ad eum vndique confugiebant, quos ipse in plateis omni solatio destitutos refocillabat, singulis necessaria præbens, donec misericordia Dei de cælo in terram prospiciens, & humano generi solita benignitate subueniens, malū inopiæ temperaret. Obiit autē sanctus Episcopus Calendis Augusti, anno salutis nongētesimo octogesimo quarto, Episcopatus sui vigesimo quarto, regnāte Ethelredo Rege: cuius corpus perquam honorificè tumulatum est Vvintoniæ, in veteris monasterij crypta.

Obit feliciter.

INVENTIO SS. STEPHANI, NICODEMI *Gamalielis & Abibonis, ex Io. Maldonato Hispano.*

III. AVGVSTI.

Visio Luciani presbyteri.

HAVD procul Hierosolymis presbyter quidam Lucianus videre visus est in somnis venerandum quendam senem, sic ipsum compellantem: Eia age Luciane, pande meum sociorúmque sepulcrum. Dicito Ioanni Hierosolymarum antistiti, vt honestiore nos loco reponat: erimus aliquando mortalibus agrorum sterilitate laborantibus patrocinio. Exterritus Lucianus tanto visu: quis tu es, inquit, quos socios memoras? Sum, retulit, Gamaliel, qui paulum Apostolum erudiui: iacétque mecum Stephanus, quem lapidauerunt Iudæi, & meo ego monumento sepeliui. Iacet & Nicodemus meus nepos, qui nocte ad Iesum venit, & à Petro & Ioanne baptizatus est. Quem postea crudeliter à Iudæis cæsum excepi ac foui: mortuumque tandem ex vulneribus, eodē sarcophago tumulaui. Iacet simul Abibon filius meus, qui mecum baptizatus virginitatem vouit, ac perpetuo seruauit. Hæc visio iterum ac tertiò dubitanti Luciano obiecta, locum ac loculos distinctos monstrauit: Stephani ob martyrium rubeis refertum rosis: Nicodemi & Gamalielis candidis: Abibonis ob virginitatem argenteum, spirantíque croco plenum. Abiit Hierosolymā Lucianus ad Ioannem Episcopum, & exposita reuelatione prodigiosa, Ioannes & alij episcopi ac presbyteri ad locum monstratum citi contende

tenderunt: & cum fodiendo nihil proficerent, iterum Gamaliel monacho Migetio locum in somnis signauit. Cùm igitur egeri corpora, nudaríque cœpta sunt, mira fragrantia odórque diuinus nares omnium peruasit. Mirantur cœlestem Ambrosiam, concurrunt vndique mortales: duo & septuaginta homines variis languoribus oppressi, sanantur. Tandem corpora in ecclesiam sanctam Sion illata, summa celebritate sepulta sunt.

VITA S. DOMINICI PATRIARCHÆ

Prædicatorum, ex ea quæ est per Fratrem Theodoricum de Apoldia.

IIII. AVGVSTI.

4. Augusti secundum B. eu. Rom aliàs est 5. eiusdem.

PRAESIDENTE Romæ Alexandro tertio, fuit in Hispaniæ oppido Callaroga Oxoniensis diœcesis vir quidam Felix nomine, ex nobilissima Gusmannorum prosapia. Cuius vxor Iohanna, cùm vidisset vtero se gestare catulum ardentem, ore faculam ferentem, simul autem & pueri postea susceptrix per stellam in eius fronte visam idem præsagiisset; editus est in lucem admirabilis infans, ac Dominicus vocitatus. Qui puerilibus annis innocenter domi transactis, mox mirabiliter profecit in diuini cultus institutis; nimirum morabatur in ecclesiis, & cum clericis diligenter ac piè Psalmos depromebat. Miserunt autem deinde illum pij parentes Valentiam studiorum causa. Vbi vt è fonte sapientiæ salutaris haustum perciperet pius iuuenis, decem annis vino sibi penitus voluit esse interdictum. Oppresserat tum fortè omnem ferè Hispaniam immanis fames, deficiebant præ fame & siti pauperes: affligebatur spiritus iuuenis Dominici; distraxit libros, & omnes res suas, preciumque in pauperes expendit. Omitto recensere singulatim quæ ille paulo pòst sub viro venerabili Didaco Oxoniensi Episcopo gesserit Canonicus Regularis; tum priuatim, librum illũ, qui Collationes Patrum inscribitur, studiosè semper lectitans, tum publicè, Supprior eius effectus, sacrarumque aliquot expeditionum eius contra Albigenses hæreticos Tolosanos gratissimus comes; superant enim multitudine sua compendij virtutem.

S. Dominici natales & præsagium eius futuri sancti ardoris.

Valentia studens vendit libros, vt alat pauperes.

Multa præclara gerit sub venerabili Didaco Canonicus Regularis.

IAM exacto prædicationis labore biennio, memorabilis Præsul Didacus aditum inuenerat in vitã æternam; & ecce, omnes qui prædicationis causa conuenerant, tamquam non

Mortuo Didaco, ipse fit dux Catholicorum contra hæreticos.

habentes ducem, ad propria sunt reuersi. Tum verò verus Christi confessor Dominicus in eius succedit locum. Circuibat vicos & castella & vrbes, hæresum oppugnator egregius, Catholicorum diligentissimus exhortator. Accedit eo tempore, vt celebris disputatio cum hæreticis institueretur. Processit Episcopus loci cum multa pōpa: ad quem sic effatus est humilis præco Christi Dominicus: Non sic, mi Domine Pater, non sic aduersus filios superbiæ est progrediendum. Armemur deuotis precibus: & humilitatis insignia præ nobis ferentes, detractis calceis contra illos procedamus. Tum verò rectis corde orta est lætitia, impij verò dissecabantur cordibus suis, stridentes in seruum Dei. Decem annis in diuersis Narbonensis prouinciæ locis moratus, in primis verò apud Sonan & Fanum Iouis, hæreticos oppugnando, Catholicam fidem promouit, multas interim contumelias hilariter perferens.

Nota quomodo sit certandum contra hæreticos.

Tres respuit Episcopatus.

FVIT quoque ei à tribus Cathedralibus ecclesiis Episcopi oblata dignitas: sed optabat esse liber ab omnibus, vt posset omnium esse seruus. Obtulerunt autem se illi duo Tolosani boni viri, frater Thomas, homo facundus, & frater Petrus de Salare, qui insignes ædes, quas Tolosæ habebat, ei largitus est: atque tum quidem illi qui cum beato Dominico erant, cœperunt se ad religiosorum siue monachorum mores accōmodare propiùs. Necdum enim Prædicatorius Ordo institutus erat, sed de illo instituendo deliberabatur. Proficiscitur interea vir Dei Romam, cum Fulcone Episcopo Tolosano, ad Concilium generale, Anno Christi millesimo ducentesimo decimoquinto. Vbi cùm exposuissent summo Pontifici id quod iam pridem erat conceptum, rati tempus se opportunum esse adeptos; videt proxima nocte Vicarius Christi Ecclesiã Lateranensem grauem minitari ruinam, virum autem Dei Dominicum suis humeris eam sustentantem. Quocirca & hilariter oblatas admittit preces, iubens, vt, absoluto concilio, ad suos reuersus vir Dei, deligeret Regulam aliquam approbatam; quod & fecit. Atque adeò Romam rediens, postquam ibi diuina illa visione, cuius seriem per S. Franciscum agnouimus, eum socium suum, ad id vsque tempus sibi ignotum, in ecclesia inuentum agnouisset (vnde & ab eo die fuit illis cor vnum & anima vna in Domino, quod etiam à successoribus suis iusserunt perpetuò obseruari) Beatus Dominicus non multo pòst ad Pontificem Honorium, Innocentij successorem accedens, quemadmodum ab ipso & Fratribus erat conceptus, Ordinis

Cogitat de instituendo Ordine Prædicatorum.

Videt summus Pont. per insomnium S. Dominicum sustentare ecclesiam ruentem.

Datur à Deo S. Dominico socius S. Franciscus.

Prædicatorij confirmationem impetrauit: quod factum fuit anno salutis millesimo ducentesimo decimo sexto.

POST quod Tolosam reuersus vir Dei, vbi Fratres reliquerat, Apostolica reuelatione in Basilica S. Petri antè edoctus, mox parat, vt suos, licet paucos, per mundũ dispergat. Annus iam erat Christi millesimus ducentesimus decimus septimus. Per Hispaniam misit quatuor, Gnomenicũ, Petrum, Michaëlem, & quendam Dominicum. Parisios missi sunt primo F. Matthæus, cum F. Bernardo: quibus adiuncti sunt duo studij causa, F. Ioannes, & F. Laurentius: seorsum autem & alij tres, F. Manes, F. Michaël Hispanus, & F. Otherius Conuersus. Qui Parisiis congregati, conduxerunt primò domum: deinde anno sequente, rogante id Pontifice Maximo, data est eis domus S. Iacobi. Eodem verò anno, quo vir sanctus ita suos emiserat, ipse Romam est profectus: Hic verò mirum dictu est, quanta repentè per eum Deus operatus est. Aggreditur cõcionãdi munus, excitat mortuum vnum, secundum, & tertium. Suis ad S. Sabinam, sanctimonialibus autem sanctę Mariæ Transtyberinæ ad S. Sixtum, multis contumeliis superatis, Pontificis Honorij iussu perpetua constituit domicilia; ad quorum posterius etiam transtulit simul cum virginibus imaginem illam Dei genitricis, quam B. Lucas creditur depinxisse.

Confirmato Ordine, mox mittit suos ad diuersas partes.

Suscitat tres mortuos.

Nota de imagine Deiparæ.

ABLEGANTVR deinde ab eo, anno millesimo ducentesimo decimo octauo, Bononiam F. Ioannes & Bertrandus, deinde & F. Christianus, & Conuersus quidam, cum ecce adiungitur ei non multo pòst diuinitus prorsus M. Reginaldus Decanus Aurelianensis, qui Parisiis annis quinque in Iure Canonico prælegerat. Venit Bononiam & iste. Fratres paucos ibi constitutos, ac diffidentia penè fractos, strenuè confirmat, idque maximè, cùm ad eos veluti spiritu ebrius subitò transisset M. Rolandus, qui tunc Bononiensi scholæ præfuerat, & erat fama celebri. Erat iam annus reparatæ salutis millesimus ducentesimus decimus nonus, cum B. Dominicus Lutetiam veniẽs, in cœnobio S. Iacobi inuenit Fratres triginta. Venit deinde Bononiam, vbi & postea vt plurimum versabatur. Cuius excellentissimam vitæ sanctitatem, cùm pro dignitate non possim, simplici saltem oratione referre conabor.

O sanctam ebrietatem.

Visit vir sanctus suos Lutetiæ.

FVIT vir beatus cumprimis humilis & mansuetus, adeò vt aliis rationabiliter etiam interdũ indulgeret, Canonis gratiam faciens, sibiipsi interim semper supra modum asper & rigidus: Aliis duo pulmenta edentibus, ipse vno cõtentus fuit.

Aliis mansuetus, sibi ipsi est valde rigidus.

Sed & quodam ieiunij die, cùm in refectorio Fratres panem non haberent, vir sanctus signo dato innuit Procuratori, vt panem eis apponeret. Quo dicente panem non adesse, vir Dei alacri vultu erexit manus suas, & laudauit Dominum. Et ecce, confestim in refectorium ingrediebantur duo, totidem canistra ferentes, alterum panibus, alterum siccis ficis plenum, quibus Fratres vt abundè sunt refecti, apertè patuit sanctos Prædicatores patrem cælestem pascere. Cui similia & aliàs contigerunt, semel auctis diuinitus panum particulis, semel vase infirmorum eius precibus vino repletò. Nulla beato viro solicitudo vel cura fuit vestitus sui. Nunquam neque domi neque foris lecto vsus est, siue sanus siue ægrotus esset. Humi cubabat, vel in scamno, storea, aut crate straminea. Semper ad lumbos catenam habebat ferream, quam, eo vita functo, in eius corpore inuenit F. Rolandus, & postea dono dedit Patri Iordani Magistro Ordinis secundo.

Diuinitus subministrãtur ipsi & Fratribus panes, & alia nonnulla.

Semper ad lumbos gestat catenam ferream.

VIDIT etiam quodam tempore B. Dominicus, nocte vigilans, eum qui circuit tanquam leo rugiens: percunctatur quid ita circumeat? Tum ille, Propter lucrũ, inquit, quod hîc facio. At rursum vir sanctus, Et quid, ait, lucraris in dormitorio? Respondit dæmon: Somnum necessarium eis aufero, quietem interpellando, efficioque vt cunctabundi surgant. Inde verò vir Dei interrogauit de templo. Tum ille: Id ago vt sui sint ibi immemores. De refectorio verò sciscitanti, Ecquis, ait, dęmon, non plus, quis non minùs? Interrogatur & de loco colloquij. Tum ille cachinnatus, Hic locus, inquit, totus est meus. Sed breuis fuit exsultatio: perductus enim à beato Patre ad locum Capitularem, statim cum horrore quodam refugit, Iste, inquiens, locus mihi tartarus est, nam si quid alibi lucrifeci, eius hîc facio iacturam. Ita scilicet miser ille, cogente eum viro sancto, malitiæ suæ detexit fraudes. Indicitur autem interea à beato Patre, anno scilicet millesimo ducentesimo vigesimo, à confirmatione Instituti quarto, Bononiæ Conuentus Patrũ generalis, vbi multa præclarè sunt statuta. Conuenitur & idẽtidem anno sequenti, quando missi sunt Fratres alij in Angliã, alij in Hungariam, atque interea B. Dominicus Bononię degebat, propediem de hoc seculo migraturus, sed nihil ob hoc remissior.

Cogit dæmonẽ vt dicat varias suas technas.

O sanctum locum Capitularem, nimirum tartarum diaboli.

GAVDEBAT quidem spirituali suorum profectu beatus Pater, sed nihilominus perpetuis vigiliis & verberibus carnem suam macerabat. Ter singulis noctibus catena ferrea se flagellauit,

Singulis nocti[illegible] flagellat se vir sanctus tercatena ferrea.

lauit, primò pro seipso, tum propter peccatores in mundo degentes, tertiò pro animabus pœnas luentibus in purgatorio. Oculi eius quasi fontes quidam erant lacrymarum, flebátque vberrimè, & sæpissime, tum verò præcipuè cùm Missæ quotidianum offerret Sacrificium. Denique didicerat diuina reuelatione, se à corpore abiturum: congregat ad se Fratres, testamẽtũ facit: Hæc sunt, inquit, Fratres & filij charissimi, quæ vobis hæreditario iure possidenda relinquo: charitas sit in vobis, humilitatem sectemini, paupertati voluntariç studete. Adfuit verò è corpore abeunti beatissima Dei mater cum filio suo, & Angelorum frequenti exercitu, spiritum eius in cœlos secum abducens, quemadmodum fideles quidam per reuelationem didicerunt, inter quos fuit & venerabilis F. Guuala, Prior Dominicanorum Brixiensium, postea eius vrbis Episcopus. Porrò obiit vir beatus Bononiæ, vbi & humatus est, octauo Idus Augusti, anno Christi millesimo ducentesimo vigesimo primo, translatus in sepulcrum marmoreum ab obitu suo anno tertio decimo: quo eodem anno etiam per Gregoriũ nonum solenniter Sanctorum Catalogo est adscriptus.

Migraturo ex hac vita, occurrit Dei para cum suo filio, & multis Angelis.

Adscribitur Sanctis.

VITA S. IVSTINI MARTYRIS, EX *S. Hieronymo.*

IV. AVGVSTI.

IVSTINVS Neapoli natus, in Palæstina, Philosophus fuit Platonicus, qui factus Christianus plurima studiorum suorũ monumenta pro fide Christiana posteritati reliquit. Et in his apologeticũ librum pro Christianis ad Antoninum Pium, & alterum ad successorem huius Antoninum Verum. Item duos libros contra Paganos. Hic quum in vrbe Roma frequenter pro fide Christi disputasset, & Crescentem quendam Cynicum (moribus & professione verè canem) multa in Christianos cõuicia iactantem, sæpe redarguisset, ab eodem accusatus, quòd Christianus esset, capitéq; dãnatus, martyriò coronatur. Quod ita futurum martyr ipse prædixerat in defensione secunda, quam pro Christianis ediderat. Passus est autem Imperantibus Marco Aurelio Vero & Antonino eius filio, Idibus Aprilis. De S. Iustino viro clarissimo, & homine Dei, sic tradit Eusebij historia. Sed & Iustinus fidelissimus nostræ Philosophiæ sectator & in Græcorum disciplinis eruditissimus, scribens ad Antoninum

S. Iustini Martyris opera quædam.

Martyrium suum prædixit.

De hoc S. viro hæc Eusib. li. 4. c. 8.

ninum Apologeticum pro nostra religione librum, horum meminit, ita dicens: Non mihi videtur absurdum, meminisse in his etiam de Antinoo quod nuper gestum est, quem omnes timore principis quasi Deum colere cœperunt, cum bene nouerint, quis, qualis ve paulò antè fuerit, & vnde duxerit genus. Idem quoque ipse etiam Iudaici belli, quod tunc gerebatur, memoriam faciens, talia quædam refert: Etenim in hoc, quod nunc geritur, bello Iudaico, Barchochabas princeps Iudaicæ factionis, Christianos solos, nisi negarent Christum, tanquam blasphemos ad supplicia rapi iubebat. In quibus libris etiam de conuersione sua, quam habuit, à gentili Philosophia ad veræ religionis fidem, quòd non absque probabili ratione & examinatò iudicio ad hæc conuersus sit, hoc modo scribit: Nam & ego ipse, inquit, sectis Platonicis institutus, audiens infamari Christianos, & videns eos impauidos ad suscipiendam mortem, atque omne supplicium tolerandum, considerabam quòd impossibile esset, in malitia eos, & in libidine conuersari. Quis enim aliquando voluptuosus, & luxuriis deditus, & qui humanis carnibus vesci delicias putet, mortem libenter amplectitur, quo scilicet ipsa confestim careat, pro qua infirmari maluit voluptate?

Quæ sequuntur ex eodem Eusebio desumpta sunt, c. 16.

Cum quibus & vir mirabilis, de quo paulò superiùs fecimus mentionem, Iustinus, cùm secundò iam librum pro religionis nostræ defensione conscriptum, temporis illius iudicibus obtulisset, remunerationem linguæ fidelis & eruditæ, martyrij munus accepit, quodam Philosopho Crescente nomine, canetam professione quàm moribus, dolos viro insidiásque tendente. Quoniam quidem sæpe cum eo disputans, auditoribus mediis non solum obtinuerat eum, verùm & vehementiùs veritate sibi suffragante confuderat: vnde & victoriæ suæ palmam, martyrium percepit à domino. Hoc autem ita futurum, etiam beatus ipse, verus philosophus veritatis, in ea defensione quam ab eo conscriptam suprà diximus, apertè, sicut erat futurum, prophetica mente prædixit, his verbis: Nam & ego, inquit, spero me ab aliquo horum, quibus pro veritate obsisto, insidias esse passurum, spero baculo aut claua feriendum: certè vel à Crescente hoc, non Philosopho, sed φιλοκόμπῳ id est, non amatore sapientiæ, sed amatore iactantiæ. Neque enim dignum est, philosophum nominari eum, qui de his quæ nescit, publicè protestatur, & Christianos sine Deo esse, & impios dicit, ad gratiam & libidinem eorum, quos in errore positos,

Prædictiò martyrij S. Iustini.

tos, ipse in maioribus laqueis erroris inuoluit. Si enim ignoratur ab eo Christi doctrina, & ea arguit quæ ignorat, nequissimus est, & imperitis multò nequior: quia & imperiti vel idiotæ obseruant, ne disputare audeant de his quæ ignorant, & de illis testimonium perhibere, quæ nesciunt. Si verò legit, quę apud nos scripta sunt, & aut non intellexit eorum virtutem, aut intellexit quidem, sed dissimulat, ne & ipse suspectus habeatur in talibus, multò nequior & detestabilior iudicandus est, qui imperiti vulgi captans fauorem, veritatis ac pietatis, quam probat, hostis existit & proditor.

DE S. OSVVALDO REGE ANGLORVM, *ex V. Beda lib 3. hist. Anglorum.*

V. AVGVSTI.

TEMPORE toto quo regnauit Eduinus, filij Regis Edelfredi, qui ante eum regnauerat, cum magna nobilium iuuentute apud Scotos siue Pictos exsulabant, ibíque ad doctrinam Scotorum catechizati, & baptismatis gratia sunt recreati. Qui vt mortuo Rege inimico in patriam redire sunt permissi, accepit primus eorum Osrichus regnum Deirorum, secundus verò Eanfridus regnum Berniciorum. Qui vterque Rex vt terreni regni insulas sortitus est, ita sacramenta regni cęlestis, quibus erat initiatus, anathematizando perdidit, ac se priscis idololatriæ sordibus polluendum perdendúmque restituit. Nec mora: vtrumque Rex Britonum Ceduallа impia manu, sed iusta vltione peremit. Infaustus ille annus, & omnibus bonis exosus. Vnde & cunctis placuit, vt ablata de medio Regum perfidorum memoria, idem annus sequentis Regis, id est, Osvvaldi, viri Deo dilecti, regno assignaretur. Atque hic est ille Osvvaldus, quo superueniente post occisionem fratris Eanfridi, infandus Britonum Dux, cum immensis illis copiis, quibus nihil resistere posse iactabat, interemptus est in loco, qui lingua Anglorum, Denises burna, id est, Riuus Denisi vocatur, à paruo exercitu, sed fide Christi munito.

Cap. 1.

S. Osvvaldi & fratrum eius prima institutio.

Fratres eius deficiunt à fide, & simul superantur à Rege Britonum Cedualla.

OSTENDITVR vsque hodie, & in magna veneratione habetur locus ille, vbi venturus ad hanc pugnam Osvvaldus, signum sanctæ Crucis erexit, ac flexis genibus Deum deprecatus est, vt in tanta rerum necessitate suis cultoribus cælesti succurreret auxilio. In cuius loco orationis, innumeræ virtutes sanitatum noscuntur esse patratę, ad indicium videlicet ac memoriam

** Cap. 2.*

Vincit S. Osvvaldus, hostem erecto solenniter in loco pugnæ signo Crucis.

delicet ac memoriam fidei Regis. Nã & vſque hodie multi de ipſo loco ſacroſanctæ Crucis, aſſulas excidere ſolent, quas cum in aquas miſerint, eiſque languentes homines ac pecudes potauerint, ſiue aſperſerint, mox ſanitati reſtituuntur. Vocatur locus ille lingua Anglorum Heofonfeld: eſt autem iuxta murum illũ ad Aquilonem, quo Romani quondam ob arcendos Barbarorum impetus, totam à mari vſque ad mare præcinxêre Britanniam. Qui etiam nuper ibidem eccleſia conſtructa atque dedicata, ſacratior & honorabilior eſt effectus. Nec immeritò, quia nullum, vt comperimus, fidei Chriſtianæ ſignũ, nulla eccleſia, nullum altare in tota Berniciorum gente erectum eſt, priuſquam hoc ſacræ Crucis vexillum, nouus militiæ ductor, dictante fidei deuotione, contra hoſtem immaniſſimum pugnaturũ, ſtatueret.

Nota de muro exſtructo in Anglia à Romanis.

** Cap. 3.*

Victoria potitus, ſtatim cogitat, vt omnes ſuos faciat Chriſtianos.

HIC eſt ille Oſvvaldus, qui mox, vbi regnum ſuſcepit, deſiderãs totam, cui præeſſe cœpit, gentem fidei Chriſtianæ gratia imbui (cuius experimenta permaxima in expugnandis Barbaris iam cœperat) miſit ad maiores natu Scotorum, inter quos exſulans ipſe baptiſmatis ſacramenta, cum his qui ſecum erant militibus, conſecutus erat, petens vt ſibi mitteretur Antiſtes, cuius doctrina ac miniſterio gens, quam regebat, Anglorum, Dominicæ fidei & dona diſceret, & ſuſciperet ſacramenta. Accepit autem Pontificem Aidanum, ſummæ manſuetudinis & pietatis ac moderaminis virum, cui Rex locum ſedis Epiſcopalis in inſula Lindisfarnenſi, vbi ipſe degebat, tribuit. Ibi ſane pulcherrimo ſępe ſpectaculo contigit, vt euangelizante Antiſtite, qui Anglorum linguam perfectè non nouerat, ipſe Rex ſuis Ducibus ac miniſtris interpres verbi exſiſteret cæleſtis, quia nimirum tam longo exſilij ſui tempore linguam Scotorum iam planè didicerat. Conſtruebantur eccleſię per loca, confluebant ad audiendum verbum Dei populi gaudentes, donabantur munere regio poſſeſſiones & territoria ad inſtruenda monaſteria, imbuebantur à præceptoribus Scotis paruuli Anglorum vnà cum maioribus ſtudiis ſimul obſeruatione diſciplinæ Regularis: nam monachi erant maximè qui ad prædicandum venerant, monachus & ipſe Epiſcopus Aidanus.

Ipſe pius Rex agit interpretem Epiſcopi prædicantis.

Mirè creſcit ſub eo religio.

** Cap. 6.*

HVIVS igitur reuerendiſſimi Antiſtitis doctrina Rex Oſvvaldus, cum ea cui præerat gente Anglorum, eſt inſtitutus. Vnde & is non ſolum incognita progenitoribus ſuis regna cœlorum ſperare didicit, ſed etiam regna terrarum, pluſquam

vlli maiorum ſuorum, ab eodem vno omnipotenti Deo, qui fecit cælum & terram, eſt conſecutus. Denique omnes nationes & prouincias Britanniæ, quæ in quatuor linguas, id eſt: Britonum, Pictonum, Scotorum, & Anglorum diuiſæ ſunt, in ditione accepit. Quo regni culmine ſublimatus, nihilominus, quod mirum dictu eſt, pauperibus & peregrinis ſemper humilis fuit. Sanè quodam tempore, cùm ſancto die Paſchæ cum præfato Epiſcopo conſediſſet ad prandiũ, poſituſq́; eſſet in menſa coram eo diſcus argenteus, regalibus epulis refertus, iamque eſſent manus ad panem benedicendũ miſſuri, intrauit miniſter ipſius, cui ſuſcipiẽdorum inopum erat cura delegata, & indicauit Regi, quia multitudo pauperum vndecumque aduenìens, maxima, per plateas ſederet, poſtulãs aliquid eleemoſynæ à Rege. Qui mox dapes ſibimet appoſitas deferri pauperibus iuſſit, ſed & diſcum confringi, atque eiſdem minutatim diuidi. Quo viſo, Pontifex qui aſſidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram eius, & ait: Numquam hæc manus inueteraſcat. Quod & ita iuxta votum benedictionis eius prouenit. Nam cùm interfecto illo in pugna, manus cum brachio à cætero eſſet corpore refecta, contigit vt haſtenus incorrupta perduret. Huius induſtria Regis, Deirorum & Bernicorum prouinciæ, quæ eatenus ab inuicem diſcordabant, in vnam ſunt pacem, & velut vnum compaginatæ in populum. Erat autem nepos Eduuini Regis, ex ſorore Acha: dignumque fuit vt tantus præceſſor, talem haberet de ſua conſanguinitate, & religionis hæredem, & regni.

Item & regnum terrenum.

Audiens vir ſanctus de pauperib. iubet ys dari & ipſum diſcum argenteũ ſibi appoſitum.

Nota miraculum de eius manu tã larga.

Eo tempore gens Occidentalium Saxonum, qui antiquitus Geuiſſi vocabantur, regnãte Gynigilſo, fidem Chriſti ſuſcepit, prædicante illis verbum Dei Birino Epiſcopo, qui cum conſilio Papæ Honorij venerat in Britanniam. Qui Rex, cum catechizatus fonte baptiſmi, cum ſua gente ablueretur, contigit ſanctiſſimum ac victorioſiſsimum Regem Nordhumbrorum Oſvvaldum adfuiſſe, eumque de lauacro exeuntem ſuſcepiſſe. Regnauit autem Oſvvaldus Rex Chriſtianiſsimus nouem annis, annumerato illo anno quẽ ſuprà diximus. Quo completo annorum curriculo, occiſus eſt, commiſſo graui prælio à gente pagana, paganoque Rege Merciorum, à quo & prædeceſſor eius Eduinus peremptus fuerat, in loco qui lingua Anglorum nuncupatur Maſerfeltz, anno ætatis ſuæ trigeſimo octauo, die quinto menſis Auguſti. Cuius quanta fides in Deum, quæ deuotio mentis fuerit, etiam poſt mortem

Cap. 7.

Suſcipit è ſacro fonte Regem Cynigilſum.

Fortiter occumbit, pugnans contra Paganos.

tem ex miraculis claret. Namque in loco vbi pro patria dimicans, à pãganis interfectus est, vsque hodie sanitates infirmorum celebrari non desinunt. * Vulgatum autem est & hoc, & in consuetudinem quoque Prouerbij versum, quòd etiam inter verba orationis vitam finierit. Namque cùm armis & hostibus circumseptus, iam iamque videret se esse perimendum, orauit ad Dominum pro animabus exercitus sui. Porrò ossa illius translata & condita sunt in monasterio, in prouincia * Lindissi nomine * Beardana. Et quidem caput, & manus cum brachiis à corpore præcisas, iussit Rex, qui occiderat, in stipitibus suspendi. Sed post annum eò deueniens cum exercitu successor regni eius Osuuinus, abstulit ea: & caput quidem in cœmiterio Lindisfarnensis ecclesiæ, in regia verò ciuitate manus cum brachiis condidit.

*Margin: * Cap. 12.*

Margin: Reliquiæ eius honorificè reponuntur ab eius successore.

S. MARIA NIVE ADVERSVS, EX *Io Maldonato Hispano.*

VII. AVGVSTI.

QVo tempore Liberius Petri sedem tenebat, Ioannes quidam vir patricius, ingentes Romæ diuitias possidebat: eratque procreandæ prolis mirandum in modum cupidus, vt in tanto patrimonio successor ex voto contingeret, qui & nomen referret, & stemmata continuaret. Itaque versus cum sterili coniuge pias ad preces, Mariam virginem & matrem, supplicijs quotidie intentissimis rogabat, ac obtestabatur, vt sobolem eis ad propagandum genus & familiam à Iesu filio impetraret: aut viam ostenderet, qua viuentes, in aliquo pio possent opere congestas opes insumere. Nonis igitur Augusti, cũ solis potissimùm æstus mortalibus negotium facere solent, Ioanni coniugique virgo mater noctu coram astitit: eorum precibus docet, victam descendisse, quo piam præsens hæreditatem adiret. Mihi Romæ, dixit, nulla nunc habitatio est, nulla basilica. Surgite cum primis mane, & in ea parte montis Superagij quam contra naturam temporis niuibus videritis oppletam, domum mihi construite. Locus ille vestrarum facultatum hæres esto. Eadem Liberio pontifici virgo mater denũciauit: atque vt ortâ luce cum clero & populo locum monstratum adiret, imperauit. Liberius fugatis tenebris, visa Ioanni nunciat: ille vicissim eadem per noctem oblata, commemorat. Conuocant exemplò clerum ac populum, montem conscen-

Margin: Ioannes vir patricius sobolem petit.

Margin: Adstat ei coram Virgo Maria.

Margin: Liberio quoque Pontifici.

Margin: Extructio tẽpli D. Mariæ n u s p

conſcendunt:& (dictu mirabile) locum baſilicæ dicandæ commodiſſimum, altiſſima niue conſpiciunt occupatum, cùm proxima quæque circum æſtuarent. Ita diuæ Mariæ baſilica Ioannis opibus fabricata eſt, longéque dotata, quod primũ fuit ei Romæ templum dicatum.

VITA SS. SIXTI, FELICISSIMI ET *Agapiti Martyrum ex Breuiario Viennenſi.*

VII. AVGVSTI.

ORTA tempeſtate ſub Decio, multi Chriſtianorum necati ſunt. Eodem tempore Sixtus apud Athenas natus & doctus, prius quidem Philoſophus, poſteà tempore Romanus electus, cum duobus diaconis ſuis Feliciſsimo & Agapito Decio Cæſari & Valeriano præfecto præſentatus eſt. Quem cum Decius Cæſar nullis perſuaſionibus inclinare poſſet, dicit ad milites ſuos, Ducite eum ad templum Martis, & ſacrificet Deo Marti, Quod ſi noluerit, recludite eum in priuata Mamurtini. Et cùm ſacrificare renuiſſet iuxta præceptũ Decii duxerunt, eum in cuſtodiã priuatã, cum duobus diaconis. Cumque duceretur beatus Laurentius his verbis appellare cæpit, Quo progrederis ſine filio pater: Quò ſacerdos ſancte ſine diacono properas: Tunc beatus Sixtus, Non ego te fili deſero, ſed maiora tibi debẽtur certamina, Flere deſiſte, poſt triduũ me ſequeris, Inter ſacerdotem & leuitam, hic medius numerus decet, Accipe facultates eccleſiæ vel theſauros, & diuide quibus tibi videtur. Quos cũ accepta poteſtate pauperibus Chriſtianis diſtribuiſſet, Iuſsit Valerianus præfectus iterũ beatũ Sixtum cum diaconis ſuis ad templum Martis ſacrificaturum duci, quod ſi renueret ibidem capite trũcaretur. Tunc beatus Laurentius clamare cæpit: Noli me derelinquere pater ſancte quia theſauros iam expendi quos mihi tradidiſti. Tũc milites tenuerunt beatũ Laurentium audientes de theſauris. Sanctum verò Sixtum epiſcopũ & Feliciſsimum & Agapitum diaconos duxerunt in cliuum Martis ante templum, & ibi decollatus eſt cum duobus diaconis. Nocte venerunt Chriſtiani, & corpora eorum ſepelierunt.

S. Sixti natiuitas.

Ducitur ad Decium Cæſarem.

B. Laurentij cum S. Sixto colloquium.

B. Laurentij exclamatio.

VITA S. ALBERTI CARMELITÆ, *ex ea quæ eſt per Ioannem Mariam Politianum.*

VII. AVGVSTI.

S. Alberti parentes diu steriles, vouent prolem nascituram B. Virgini.

EA tempestate, qua serenissimus Rex Petrus regnum Cataloniæ & Siciliæ obtinuit, fuit Benedictus quidā dictus Adalbatibas, quæ est præclara apud Siculos familia. Duxit verò vxorem Ioannam. Qui cùm in matrimonio annos ferè sex & viginti exegissent, nec vllam procreassent prolē, beatissimæ Mariæ votum nuncupant, si quam ipsa prolem eis impetraret, eam se ipsius Ordini consecraturos. Vidit interea in somnis Benedictus cereum, mirificè radiantem è coniuge sua prodire: parit illa paulo pòst filium: cui sacri baptismatis fonte abluto, Alberti nomen imponunt. Creuit puer, liberalium artium studiis est admotus, omnibus acceptus & amabilis.

Tētatur ipsorum promissum, oblata filio nobilissima puella.

Iam annum attigerat octauum, cùm quidam præcipuæ nobilitatis viri eum poscebant sponsum addici puellæ cuidam, quę regio stemmate nota videretur. Et pater quidem tandem nonnihil eorum precibus videbatur esse flexus, at mater tamen nequaquam negligendum esse putabat quod fuerat promissum. Itaque beatum puerum ad se vocat, rem omnem ei exponit. Tum verò ille abit ad monasterium Drepanense Fratrum Carmelitici instituti, à castro montis Drapani ad duo distans miliaria, petens sibi habitum donari, quem & tandem impetrauit, tunc scilicet cùm indicasſent parentes cœnobij Præfecto, quàm seuerè eos obiurgasset beatissima virgo.

Ordini Carmelitarū adscriptus, mox viuit sanctissimè.

INCIPIT autem mox sanctus puer vitam viuere sanctissimam. Quod cernens antiquus hostis, pœnitentiæ studiis eum incumbentem agreditur, sub elegantissimæ mulieris forma: Me miseram, inquit, quòd tuo sim consortio destituta, certum est non posse te hoc asperum & acerbum vitæ genus, tantumque pondus perferre. Obsecro, redi ad patrios lares, & matrimonio mihi te iunge. Sed sentiens Christi seruus à satana eas proficisci persuasiones, cōmuniens se signo sanctę Crucis, Abi, ait, serpens tortuose: non enim vera est hæc, quam præ te fers, hominis effigies. Quo dicto statim satan euanuit.

Fugat dæmonē se tentantem facto signo crucis.

Absoluto autem inde anno, palàm se monastica professione obligauit. Fuit porrò vita eius valde seuera & aspera, nec non & insignis eius patientia, multaq; de se virtutis exempla præbebat. Feriis secundis, quartis, & sextis egregio cilicio carnem domabat, assiduis eam ieiunijs macerans, simul & in palmitibus nudo corpori admotis recubans. A vino abstinens, aquæ potum illi præferebat, atque adeò etiam sextis feriis pani suo

Viuit austerissimè.

abſin

absinthium immiscuit. Infideles quoque Iudæos concionum suarũ radiis mirificè illustrabat, nec raro etiã ex illis ad Christi religionem traduxit. Quin etiam, vt perfectiùs opera diuina exsequeretur, diem naturalem hunc in modum distribuebat. A prima noctis hora vsque ad tertiam vacabat precibus. Inde corpori nonnihil somni indulgens, post somnũ reuertebatur ad exercitia, quibus caro castigaretur. Postea ad Matutinas preces persoluendas se conferebat. Deumque cum lachrymis orans ad ortum auroræ, ita ibat ad offerendum Sacrificium. Quibus absolutis, vt rursum esset ad eiusmodi pietatis officia & exercitia aptior atque paratior, à Tertiis vsque ad Vespertinas preces quippiam suis manibus operabatur.

Quomodo vir sanctus partiebatur horas diei.

CETERVM circa anũ salutis millesimũ ducentesimum & octogesimũ administrabat Siciliæ regnũ, nomine Iacobi Regis, Dux Fredericus. Eo tempore Robertus Rex Neapolitanus Messanam Siciliæ vrbẽ fortissima presserat obsidione: dira fames vexabat vrbem, nec vllum humanũ consiliũ videbatur ei posse mederi. Iussit Rex vrbẽ flãmis exuri, tantùm ne in hostis potestatẽ veniret, ipse verò fugam meditabatur in castra Cataloniç & Castiliæ. Sed nõ relinquit in se sperantes Deus. Itum est ad virum Dei Albertum, cùm offerẽdo Sacrificio esset occupatus, precantur vt eis apud Deũ ferret opem. Et ille quidem inter sacrificandum orauit, cum ecce mox ingẽs exstitit tonitruum, & vox instar tubæ, omnibus simul audientibus, clarè intonuit, ita dicẽs: Exaudiuit Deus preces tuas, Simul autẽ in vrbis portu visæ sunt tres triremes onustæ, licet hostis vndique & portum & vrbem obsideret, cõmeatusque nocte in opidum, cunctis lætantibus, est importatus, post quod nusquã cõspectç sunt illę triremes, neq; earum patroni cuiquam erãt noti. Creuit autem inde apud populum quoque opinio sanctitatis eius.

Arctißimè obsignetur vrbis Messana.

Auditur vox diuinitus, & simul ex improuiso videntur in portu tres triremes onustæ victualibus.

Sed & anno Domini millesimo ducẽtesimo octogesimo quinto, cũ vir Dei esset in terra sancta, Iudęus quidam crebrò vexabatur morbo comitiali, adductus est à parentibus ad seruum Christi: nec multa mora: Edito sanctæ Crucis signo, ait, à te Christus morbos omnes, si vera sunt quæ ego de illo prædico: & statim homo corã omnib⁹ curatus est integerrimè, nec vnquam deinceps illo se sensit morbo infestari. Quod cùm vidissent parentes eius, sacrum baptisma cum illo à viro Dei perceperunt, & admodum religiosè deinde vixerunt.

Liberat quendam a morbo comitiali.

EODEM quoque anno, cùm vir sanctus proficisceretur Agrigentum, flumen quoddam transmisit, quod vulgo Pla-

tanum vocant: vidit autem iuxta fluuium quosdam Iudæos transeuntes. Erat autem iter angustum, quippe inter montes excelsos. Iudæis ergo iter agentibus, & viro Dei ab altera fluminis parte ambulante, subitò aqua excrescit vltra modum, arreptósque Iudæos cogit natare. Qui cernentes in tam præsens se coniectos discrimen, magnis vocibus ad virũ beatum, de quo iam auditione acceperant, clamant: Adiuua nos Domine virtute Christi tui. Respondit autem ille: Si in eius nomine baptizari vultis, & toto pectore cupitis effici Christiani, salus vobis præsto erit. Tum illi, Nos inquiunt, credimus illis quæ tu prædicas de Christo Nazareno, cupimusq; baptizari. Quod illis dicentibus, vir Dei super aquas ambulat, ad eosque perueniens, in ipso flumine eos baptizat. Interim cedebant aquæ, & illis diuisis, vir sanctus Iudeos baptismo iam expiatos, absque vllo detrimento ex illo periculo eduxit. Sed & ad eius obitum campana, quam ille fieri curárat, per seipsam, nullo mouente, insonuit, & odor suauissimus, omnia vincens aromata, ab eius corpore manauit, adstantes omnes mirificè afficiens. Obdormiuit autem in Domino vir Dei, Anno à partu Virginis millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, septimo idus Augusti: cuius defuncti vestes, causa deuotionis, ab omnibus sunt laceratæ & direptæ, singulis aliquid sibi vendicare cupientibus.

Nota insigne miraculum.

Ambulat vir sanctus super aquas.

Obdormit in Domino.

DE S. VICTRICIO EPISCOPO *Rothomagensi, ex S. Paulino Episcopo Nolano.*

VII. AVGVSTI.

Est epistola eius ad illum.

S. Victricius quasi primus illustrat Neruios & Morinos.

NOTVM nobis fecit Titius, tunc charissimus frater & fidelis minister in Domino, non quidẽ te magis, quàm in te Deum prædicans, quanta Dominus per te lumina in obscuris antè regionibus accendisset in terra Morinorum, situ orbis extrema, & remotissimo Neruici littoris tractu, quem tenui antehac spiritu fides veritatis afflauerat. Deniqûe nunc Rothomagum & vicinis antè regionibus, tenui nomine peruulgatum in longinquis etiam prouinciis nominari venerabiliter audimus, & inter vrbes sacratis locis nobiles diuina laude numerari, & haud immeritò, cùm totam illic, qualis in Oriente memoratur, Hierusalem faciem, Apostolorum quoque præsentia meritum tuæ sanctitatis adduxerit. Iuuat videlicet amicos Dei, & principes populi veri Israël in ea vrbe

remorari,& cooperari tibi, in qua illis per deuotissima fideliũ corda plurimæ virtutes familiare metantur hospitium; vbi quotidiano sapienter psallentium perfrequentes ecclesias & monasteria secreta concentu, castissimis ouium tuarum & cordibus delectantur & vocibus. Nec minore eosdem voluntate sanctis operibus, & pio ministratu, inexpugnata noctu diuque famulantium viduarum pascit integritas, vel subiugatorum Deo coniugum arcana germanitas. Gratia illi & gloria, qui opera manuum suarum non omittens, omnem hominem vult saluum fieri,& in sui agnitionem venire. *Magna deuotio eius tempore Rhotomagi.*

SED & quibus te itineribus ad viam suæ veritatis adduxit? Carnalibus munijs ad spiritualia suæ virtutis instituens, creauit initio militem, quem postea elegit Antistitem; vt dum labore castrensi corporis robur exerces, spiritualibus te prœliis roborares. Ante pedes sacrilegii Tribuni militiæ sacramenta permutans, arma sanguinis abiecisti, vt arma pacis indueres. Et ilico, antiqui serpentis inuidia, concitato in furias Tribuno, districtus es in verbera, & vastis fustibus fractus, nec tamen victus, quia Crucis ligno innitebaris. Geminata est quoque mox corpori pœna, acuta sunt testarum fragmina substrata, quin postremò capitalem meditatur sententiam satellites diaboli. Sed Dominus noster fortis & potens, inuictus in prœlio, conspicuis mirabilibus pectora quamlibet obdurata, confudit. Carnifex, qui in itinere, quo percussorem tuum sacra victima sequebaris, ceruicem tuam insultans, minaciter attingendi temeritate violauerat, quasi ictus sui locum præcurrẽte gladium manu palpans, ecce, excussis ilico oculis, cœcitate est percussus: nimirum ô Christi ineffabilis bonitas, magnum in suos ostendit affectum. Iniuriam confessoris sui non tulit impunitam, qui suis crucifixoribus rogauit ignosci. Sed ea ipsa ira pietas est: idcirco enim vnus cæcatus est, vt plures illuminarentur. Quin & statim deinceps maiore documento, qui feralis custodiæ ministerium triste curabant, quas ipsi arctius innodatas & ad ossa depressas, vel exiguo beneficio relaxare noluerunt catenas, conuersa in conspectu ipsorum prece vestra ad Deum Christum, sponte de manibus absolutis fluere viderunt: nec ausi renectere, quod Deus soluerat, ad Comitem pauidi cucurrerunt, veritatem Dei pro confessoribus confitentes. Quod auditum religiosè & creditum Comes etiam Principi suorum testimonio militum retulit. *S. Victricius primo miles.* *Pro cõfessione fidei multis afficitur tormentis.* *Eius carnifex repentè cæcus.* *Diuinitus soluuntur ipsius cõpedes.*

ATQVE adeò vt ipsius quoque repentina ad clementiã de

furore conuersio inter mirabilia Dei numeraretur, factus est in te prædicator Christi, in quo esse deuouerat persecutor. Puta, & ipsum tanquam Saulem aliquãdo Spiritu sancto Dominus repleuerat, quia & te sicut Dauid suũ diligebat. Credidit enim: & quos sæuiens prædamnarat vt reos, laudans emisit vt sanctos. Quid ergo miremur tam potentem te esse meritorum, tam diuitẽ gratiarũ, cùm hoc tibi fuerit in Christo rudimentum, quod longorum laborum paucis consummatio est? Quis daret nobis pennas sicut columbæ; & volaremus ad te, & in illis cicatricibus tuis quasi Dominicæ passionis vestigia lamberemus? Væ mihi misero peccatori, cui fructus iste non contigit, cùm in manu fuerit. Meminisse enim, credo, digneris, quia sanctitatem tuam olim Viennæ apud beatum patrem nostrum Martinum viderim, cui te Dominus in ætate impari parem fecit. Sed gaudeo tamen nunc, quod hoc saltem mihi gloriari licet, quia faciem tuam in carne viderim: sed lugeo negligentiam infelicitatis meæ, quòd occasionem tanti boni ignarus amiserim, & contenebrantibus me illo tempore non solum peccatis, quibus etiam nunc premor, sed & curis huius seculi, quibus nũc, propitio Deo, liber sum, Sacerdotem te tantùm viderim, & quod inerat insignius, martyrem viuum vidêre nescierim. Denique memineris, * quæso, nostri, in illa die, qua te innumera meritorum tuorum cohorte comitatum, & niueas sacratorum Antistitũ vittas, & floridas Confessorum purpuras occurrentium manus afferent Angelorum.

Dimittitur liber, Dei potenter immutante cor tyranni.

Nota fidem scriptoris.

** Petit Scriptor vt S. Victricius in cœlo velit eius meminisse.*

VITA S. AFRÆ MATRISQVE EIVS

Hilariæ, & puellarum eius, ex annalibus Ecclesiasticis.

VII. AVGVSTI.

APVD prouinciam Regenas in ciuitate Augusta, cùm Christianorum esset gloriosa persecutio, & omnes pro Christi nomine variis suppliciis afflicti, ad sacrificia traherentur, contigit Afram quam notam habebat facies publica, quòd esset lupanaria, à persequutoribus comprehendi. Quæ cùm fuisset iudici oblata, & interrogasset & agnouisset iudex, quæ esset, dixit ei: Sacrifica diis, quia expedit tibi viuere, quàm inter tormenta deficere. Afra respondit: Sufficiunt peccata mea mihi, quæ ignorans Deum gessi. Hoc autem quòd me iubes facere, nunquam factura sum. Caius iudex dixit: Accedens

Iudicium Afræ colloquium pergrande eam à Christo auertere conantis.

dens ad Capitolium, sacrifica. Afra respondit: Capitolium meum Christus est, quem habeo ante oculos meos: ipsi quotidie crimina mea & peccata mea confiteor: & quia non sum digna ei sacrificium offerre, ipsa ego pro nomine eius cupio sacrificari, vt corpus in quo peccaui, dum pœnas passum fuerit, abluatur. Iudex Caius dixit: Sicut audio meretrix es, sacrifica, quia aliena es à Deo Christianorum. Afra respondit: Dominus noster Iesus Christus dixit se pro peccatoribus descendisse de cœlo. Nam & Euangelium eius loquitur, quòd meretrix rigauerit pedes eius lacrymis, & indulgentiam acceperit: & meretrices & publicanos nunquam despexit, quin imò etiam secum eos manducare permisit. Iudex Caius dixit: Sacrifica, vt diligaris ab amatoribus tuis, & sicut semper dilecta es, habearis, & inferantur tibi pecuniæ multæ ab eis. Afra respondit: Pecunias execrabiles iam nunquam accipio. Nam & quas habui, expendi, quia non fuerat de bona cõscientia: nam nolentes accipere aliquantos fratres meos pauperes, etiam precibus exoraui, vt à me dignarentur accipere, & pro peccatis meis exorare. Si ergo quæ habui à me proieci, quomodo potest fieri, vt quæram accipere quæ iam quasi sordes abieci? Iudex dixit: Iam te Christus dignam non habet, sine causa vis eum Deum tuum dicere, qui te suam non esse cognoscit: Meretrix enim quæ est, dici non potest Christiana. Afra respondit: Equidem Christiana nec dici mereor, nec vocari: sed misericordia, quę nõ de merito, sed sua pietate iudicat, ipsa me ad hoc nomen admisit. Caius dixit: Vnde nosti, quia te admisit ad hoc nomen? Afra respondit: In hoc me cognosco à facie Dei non esse proiectam, quia ad gloriosam confessionem nominis sancti permittitur accedere mihi, per quam me credo omnium meorum scelerum indulgentiam accepturam. Iudex Caius dixit, Hæ fabulæ sunt, magis sacrifica dijs, per quos salutem consequaris. Afra respondit: Salus mea Christus est, qui pendens in cruce latroni confitenti bona paradisi repromisit. Iudex Caius dixit: Sacrifica dijs, ne te in conspectu amatorum tuorum, qui tecum turpiter vixerunt catomis cædi iubeam. Afra dixit: Cõfusio nulla est mihi nisi de peccatis meis. Iudex dixit: Porrò iamiam sacrifica, quoniam iniuria est mihi tot horis tecum loqui, certè si nolueris, occideris. Afra dixit: Hoc est quod opto, si tamen merear per hãc confessionẽ dignam effici requiẽ inuenire. Iudex Caius dixit: Sacrifica, nã torqueri te faciã, & post viuam incendi. Afra respondit: Corpus meum

quod peccauit accipiat diuersa tormenta, animã meam sacrificiis dęmoniorũ nõ coinquinabo. Tũc iudex nequissimus dictauit sẽtentiã, dicens: Afrã publicã meretricem, quæ se Christianã professa est, & si noluit sacrificiis participari, viuã præcipimus incẽdi: statimq; rapta à ministris ducta est in insulam fluuij qui dicitur Licus, ibiq; eam spoliantes ad stipitem ligauerunt. At illa eleuans oculos ad coelum orabat cũ lacrymis; dicens: Domine Deus omnipotens Iesu Christe qui nõ iustos venisti vocare, sed peccatores ad pœnitentiã: cuius promissio vera & manifesta est, qui dignatus es dicere: Qua hora conuersus fuerit peccator in suis iniquitatibus, eadẽ hora non te memoraturũ peccatũ eius, accipe hac hora passionis meæ pœnitentiã, & per hunc ignẽ temporalem, qui corpori meo paratus est, ab illo igne æterno me libera, qui & animam simul & corpus exurit. Et his dictis expleta circundata sarmẽtis igne subposito vox ei⁹ audiebatur, dicens: Gratias ago tibi Domine Iesu Christe qui me dignat⁹ es hostiã haberi pro nomine tuo, qui pro toto mũdo solus hostia oblat(es in cruce, iustus pro iniustis, bonus pro malis, benedictus pro maledictis, dulcis pro amaris, mundus à peccato pro peccatoribus vniuersis: tibi offero sacrificiũ meum, qui cum patre tuo & spiritu sancto viuis & regnas in sæcula sæculorum, Amen. Et hæc dicens emisit spiritum. Stabant autem iuxta ripam fluminis, Digna & Eunomia & Eutropia, quæ fuerunt ancillæ eius, & simul fuerant in peccato, simulque à sancto Narcisso Episcopo baptizatæ, quę descendentes de barca vt eas ibi transmitterent, Cumque eas trãstulissent, inuenerunt Afræ corpus integrum. Puer autem qui cum ipsis erat transnatauit, & nunciauit matri eius. Et venit in nocte cum sacerdotibus Dei, & tulit corpus eius & posuit illud in secundo miliario à ciuitate Augusta in memoriam quam sibi suisque construxerat. Nunciatum est autem iudici Caio, & misit ibi ad ipsam memoriam, dicens: Ite & tenete eas, & si consenserint vobis ad sacrificandum, cum honore eas ad me reducite, vt remunerem illas censu dignissimo. Si verò videritis eas animo pertinaci obsistere, & nulla ratione ad sacrificandum prębere consensum, implete memoriam gremijs, & claudite super eas ipsam memoriam, & ita demum ignem supponite, & nulla ex his euadat viua. Euntes autem milites prius blando sermone eas prouocabant; At vbi viderũt omnes simul contemnere sacrificia, repleuerunt memoriam sarmentis & foeno & siccis spinis, & clauserunt super eas, & supposito igne

Sententia in Afram pronunciatur a Caio iudice.

Oratio eius in supplicio.

Mater & ancillæ eius martyrio etiã coronantur.

igne abierunt. Sic factum est, vt in eodem die quo sepulta est Afra, simul etiam mater eius Hilaria & famulæ eius secundum carnem, sed iam sorores in Christo, Digna, Eunomia & Eutropia simul martyrij coronam acciperent, & quæ simul cõuersæ fuerant à diabolo simul vnanimes ad Christũ Iesum, cui crediderunt, cum palma martyrij peruenirent: qui regnat cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen. Eodem die passi sunt etiam non longè ab vrbe Roma Cyriacus, Largus, Smaragdus, Memnia, Iulia, & multi alij pro nomine Christi decollati sunt.

VITA S. CYRIACI ET SOCIORVM eius, ex annalibus Ecclesiasticis.

VIII. AVGVSTI.

TEMPORE, quo Maximianus Augustus rediens à partibus Aphricæ ad vrbem Romam, volens placere Diocletiano Augusto vt in nomine eius thermas soli ædificaret, cœpit inuidia Christianorum omnes milites, siue Romanos, ad afflictionẽ laboris cõpellere, & per varia loca alios ad lapides, alios ad harenam fodiendam damnauit. In ipso tempore erat vir Christianus nomine Trason, vir potẽs & facultatibus locuples, & vita fidelis. Hic cum vidisset affligi Christianos ad fatigationem & laborẽ, cœpit de sua facultate sanctis martyribus alimoniã & victum ministrare per viros Christianos, Sisinniũ, Cyriacum, Smaragdum, & Largum. Hoc audiens beatus Marcellus vrbis Romæ episcopus, gaudio repletus est magno de eleemosyna quam Traso sanctis ministrabat, & rogãs ad se venire sanctos viros Christianos, & seruos Domini nostri Iesu Christi, Cyriacum, Sisinniũ, Smaragdũ, & Largum: inquisiuit ab eis, & notum fecerunt ei, quomodo Trason sanctis dei victualia ministrabat. Tunc gaudio repletus, ducens consilium, consecrauit Cyriacum & Sisinnium diaconos ecclesiæ Romanæ. Factum est, vt vna nocte, dum deferrent humeris suis victum, quem Trason ministrabat, tenti sunt à militibus paganis, & perducti sunt ad tribunum Expurium, suscipiens eos tribunus, retrudit in custodiam publicam. Post diem tertium nunciauit Maximiano Augusto. Hoc cùm audisset Maximianus, iussit vt cum custodia ipsi foderent arenam, & humeris suis portarent vsque ad locum, vbi thermæ ædificabantur. Erat

Trasonis pietas cum charitate maxima.

Cyriacus & Sisinnius diaconi facti. Nocte deprehenduntur.

vir senex inter eos, nomine Saturninus, qui iam in senectute maceratus fuerat, hunc cœperunt ad portandum adiuuare. Hoc cùm vidissent custodes fieri, quia Sisinnius & Cyriacus diaconi & suas sarcinas & alienas cum adiutorio Christi portarent, mirati sunt, & nunciauerunt tribuno Exuperio: tunc tribunus nunciauit Maximiano Augusto, dicens: quod cum hymnis & laudibus Dei, & omni veneratione christo gloriam redderent. Eodem tempore misit Maximianus Augustus, & iussit, sibi Sisinnium præsentari: cui cùm præsentatus fuisset, dixit ad eum Maximianus: Quis vocaris? Respondit: Ego, peccator Sisinnius seruus seruorum domini nostri Iesu christi. Maximianus Augustus dixit; Quæ carmina sunt vobis? Respondit Sisinnius diaconus, dicens: Si cognosceres quæ sunt carmina fidelium, scires vtique creatorem tuum. Respondit Maximianus Augustus: Et quis est creator, num inuictus Hercules? Respondit Sisinnius diaconus: Nobis turpe est vel nominare vel audire eum. Maximianus dixit: Vnum ex duobus tibi eligere festina: aut sacrifica deo Herculi, aut carnes tuas igni cremabo. Sisinnius diaconus dixit: Et ego quidem semper optaui, veruntamen si meritus fuerim, vt coronam desideratam accipiam. Iratus Maximianus Augustus, tradidit eum Lauditio præfecto. Tunc Lauditius præfectus retrudit eum in custodiam Mamurtini, & fuit ibi in custodia diebus decem & octo. His diebus transactis, iussit Lauditius præfectus aspectibus suis Sisinnium præsentari. Qui cum præsentatus fuisset ab Aproniano Commentariense, subitò lux de cœlo facta est, & vox de luce exiit, dicens: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Tunc Apronianus tremefactus cecidit ad pedes Sisinnij diaconi, dicens ei: Adiuro te per Christum, quem confiteris, ne tardes me baptizare, & facies me tecum pertingere ad coronam. Eadem hora allata est aqua, & catechizauit eum, & benedixit fontem & deposuit eum nudum in peluim, & dixit ei: Credis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritumsanctum? Et ille respondit: Credo. Et dixit Sisinnius diaconus: Illuminet te Christus. Et eleuauit eum de pelui, & deduxit eum ad sanctum Marcellum Episcopum, quem chrismate consecrauit, & altare consecrauit, & participati sunt omnes corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi. Eodem die post meridiem iussit sibi Lauditius præsentari Sisinnium diaconum, veniens cum Sisinnio diacono Apronianus Commentariensis iam baptizatus, cœpit clamans dicere: Quid vos coarctat diabolus, in Dei seruos tan-

Arenam fodiunt & humeris portât.

Sisinnius sistit coram Maximiano Augusto.

Retruditur in custodiam, & sistit corã Lauditio.

Baptizat Aproniánum.

ta mala exercere? Tunc præfectus dixit ad Apronianum Commentariensem: Quomodo te video, & tu Christianus effectus es. Respondit Apronianus: Væ mihi infelici, quia perdidi dies meos. Respondit præfectus: Verè modò perdes dies tuos: & iussit eum capitalem sententiam subire, dicens: Si hic extinctus non fuerit, multi peribunt. Eodem tempore ductus in via Salaria miliario secundo, capite truncatus est, sub die quarto Nonarum Februarium. Tunc iussit retrudi in custodia senem Saturninum, & Sisinnium diaconum, dicens Si non immolauerint diis diuersis, eos pœnis interficiam. Tunc Saturninus senex cùm esset in custodia vnà cum Sisinnio diacono, veniebant ad eos multi gentiles, & baptizabantur cum omni fiducia. Audiens præfectus, iussit sibi tribunal præparari in vrbe. Et post dies xlij. misit & exhibuit Saturninum & Sisinnium diaconum, & vincti cathenis adducti sunt nudis pedibus in conspectu Lauditij præfecti. Quibus dixit Lauditius: Quid est? Deposuistis vanam superstitionem, & adoratis deos, quos Imperatores adorant? Respondit Sisinnius diaconus: Nos peccatores adoramus dominum Iesum Christum dei filium: nam dæmonibus & lapidibus nunquam humiliamur. Lauditius dixit: Deferatur Tripoda, & thurificent maiestatibus. Saturninus dixit: Conterat Dominus deos gentium. Et continuò soluta est tripoda ærea, velut lutum. Tunc videntes duo milites, Papias & Maurus, cœperunt clamare & dicere: Verus Deus est & dominus Iesus Christus, quem colunt Sisinnius & Saturninus. Iratus itaque Lauditius, iussit eos in eculeo leuari. Et cùm traherentur neruis, fustibus & scorpionibus cæsi sunt. Illi autem clamabant dicentes: Gloria tibi domine Iesu Christe, quia meruimus socij fieri seruorum tuorum. Tunc Papias & Maurus clamabant, dicentes: Vt quid vos coarctat diabolus, in seruos Dei ista exercere? Iratus Lauditius, iussit, vt cum lapidibus os eorum contunderetur, & retrudi in carcerem: Saturnino verò & Sisinnio flammas ad latera poni. Illi autem pendentes in eculeo vultu alacri gratias Deo agebant. Eodem die dedit eis capitalem subire sententiam. Et depositi de eculeo, ducti sunt via Numentana miliario secundo, & capite sunt truncati. Eorum corpora collegit Trason cum Ioanne presbytero, & sepeliuit in prædio suo via Salaria, sub die quarto Calendarum Decembrium. Tunc dixit Lauditius ad Papiam & Maurum: Nunc cognoui, quod & vos Christiani sitis. Papias dixit: Verè Christiani. Dicit ad eos Lauditius: Deponite & absolui-

Sententia pronunciatur in Apronianum.

Saturninus & Sisinnius sistuntur coram Lauditio, & tormentis afficiuntur, ac tandem capite truncantur.

Verba Lauditij ad Papiam & Maurum.

te vanam fallaciam,& adorate deos, quos principes adorant' Respondit Maurus,& dixit: Adorent eos,qui desperauerunt de animabus suis,vt in æternum pereant. Lauditius præfectus dixit: Modò vos desperatis de animabus vestris,si non sacrificaueritis diis immortalibus: audite,& facite,& viuite. Respondit Papias: Sacrifica tu, & viues in tormentis æternalibus. Tunc iussit eos sterni in terram,& fustibus cędi. Et dum diu cederentur,nulla vox ex eis audita est,nisi tantum: Christe adiuua nos seruos tuos. Tunc iussit eos leuari de terra, & plumbatis cædi. Et dum diu cæderentur,emiserunt spiritum. Quorum corpora collegit noctu Ioannes presbyter, & sepeliuit in via Numentana, sub die quarto Calendarum Februarium, ad lymphas beati Petri, vbi baptizabat. Post multos dies narrauit omnia præfectus Lauditius Augustis Diocletiano & Maximiano de militibus & de sanctis,quos interfecerat. Et gauisi sunt Diocletianus & Maximianus Augusti. Post paucos dies nunciatum est Diocletiano Augusto,quod filia eius Arthemia à dæmonio vexaretur,vnde grandi afflictione contristatus est, & præsenti die noluit comedere cibum. Et dum multo tempore in custodia esset beatus Cyriacus & iam de eo obliuio esset facta,multi Christiani pergebant ad eum in custodiam, & cæci illuminabantur,& infirmi salui fiebant à languoribus suis. Cœpit autem vrgeri Arthemia filia Diocletiani à dæmonio. Hoc cum nunciatum fuisset Diocletiano Augusto,intrauit ad eam in cubiculum, & ecce ipse dæmon cœpit clamare per Arthemiam præsente Diocletiano,dicens: Nisi venerit Cyriacus diaconus, non exeo. Misit Diocletianus ad eum in custodiam, vbi erat clausus & constrictus cum Largo & Smaragdo, & exiit de custodia:& cum præsentatus fuisset Diocletiano Augusto,cœpit rogare eum,vt intraret ad filiam eius. Et dum introiisset ad eã Cyriacus,dixit: In nomine Domini nostri Iesu Christi præcipio tibi,vt exeas ab ea. Dæmon respondit per os Arthemiæ: Si vis,vt exeam,da mihi vas,vbi ingrediar. Dicit ei Cyriacus: Si potes, ecce corpus meum ingredere. Respondit diabolus per os Arthemiæ: In vas tuum non possum introire, quia vndique clausum & signatum est. Dicit ei Cyriacus: In nomine domini nostri Iesu Christi exi,vt fiat vas mundum, ad superueniendũ spiritu sancto. Et dixit ad Arthemiam: Filia crede in Deum patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius vnicum dominum nostrum. Tunc dæmon exclamauit,dicens: O Cyriace si hinc me eiicis,in Persidam te faciam venire. Dicit

Papias & Maurus tormentis subijciuntur.

Arthemia Diocletiani filia à dæmonio vexatur.

Cõiurat Diabolũ Cyriacus.

ei Cyriacus: In nomine domini nostri Iesu Christi exi. Tunc clamauit dæmon per os Arthemiæ: Per ipsum, inquiens, nomen exeo, quia video de longe Dominum, quem tu prædicas, Cyriace. Tunc tenentes manum eius beatus Largus & Smaragdus leuauerunt eam. Alia autem die secundum consuetudinem catechizauit eam, & allata aqua, benedixit sanctus Cyriacus, & baptizauit eam præsente matre sua Serena Augusta. Ab eodem die dicebat Serena filiæ suæ, vt fideliter amaret religionem Christianam. Post menses verò decem & duos annos explicata fabrica thermarum, cum gloria cœpit Diocletianus Augustus habere Cyriacum diaconum bene, & donauit illi domum, & hoc præcepit, vt securus viueret in vrbe Roma, faciente hoc Serena Augusta vxore Diocletiani. Post paucum verò tempus venit legatio à rege Persarum ad Diocletianum Augustum, vt Cyriacum diaconum ad se dirigeret, quia filia eius à dæmonio vexaretur. Tunc Diocletianus Augustus videns tantam supplicationem regis Saporis Persarum, præcepit Serenę vxori suæ, & rogauit ad se venire Cyriacum diaconum. cum venisset Cyriacus ad Serenam Augustam, dixit ei Augusta legationem Saporis regis Persarum, sicut dixerat ei Diocletianus Augustus maritus suus. Tunc dixit Cyriacus diaconus: cum auxilio domini mei Iesu christi saluatoris vadam securus. Eodem tempore Serena Augusta Christianissima dedit omne vehiculum & necessaria, quæ opus fuerant in naui, & cum Largo & Smaragdo perrexit vsque ad Persidam partem Cyriacus. Milites vero cũ vehiculis ibant. Beatus autem Cyriacus cum baculo suo priùs perueniebat ad mansionem, vsque dum perueniret ad regem Persarum, nomine Saporem. Et cùm præsentati fuissent cyriacus diaconus, & Largus, & Smaragdus, dixit ad eos rex: Quis ex vobis dicitur Cyriacus diaconus. Et cognouit quis esset cyriacus diaconus. Tunc rex Sapor adorauit sanctum Cyriacum, rogans vt introiret in cubiculum ad filiam eius nomine Iobiam. Eadem hora exclamauit diabolus ex ore puellæ, & dixit ad cyriacum Quid est cyriace? Respondit cyriacus: In nomine domini mei Iesu christi præcipio tibi immunde spiritus exi, & iam non reuertaris ad eam. Respondit diabolus: Fatigatus es? cyriacus respondit: Ego exiui in nomine Domini Iesu christi, cuius auxilio gubernatus sum, & gubernor, non fatigatus sum, sed confortatus. Dicit ei diabolus: Tamen ego te perduxi ad quod volui. cyriacus diaconus cùm vidisset puellam fatigari, proiecit se in pauimen-

Arthemia baptizatur præsente Serena matre sua.

Cyriacus in Persidem proficiscitur cũ Largo & Smaragdo.

Adoratur à Rege Persarum.

tum, orans & flens dicens: Imperat tibi Dominus meus Iesus Christus, quem confessus es, vt exeas. Respondit diabolus: Da mihi vas, vbi ingrediar. Sanctus cyriacus diaconus dixit: Dominus Iesus Christus Deus de Deo, ipse tibi imperat, vt exeas. Tunc vlulatu magno & clamore exspumans clamauit in aëre ipse diabolus, dicens: O nomē terribile, quod me coarctat exire. Ab eadem hora salua facta est Iobia. Tunc beatus Cyriacus dixit ei: Crede in filium Dei, & semper sana eris. Respondit Iobia: Ego credo in dominum Iesum Christum quem prędicas. Et fecit eam catechumenam more solito & catechizauit eam. Et allata aqua deposuit eam nudam in concham argenteam, & benedixit aquam, & dixit ei: Iobia, credis in Patrem & Filium & Spiritum sanctum respondit Iobia, credo. Et dixit ei, carnis resurrectionem? Et respondit: credo. Et leuata à concha, cœpit dicere Iobia: Verè dominus Iesus christus, quem prædicat beatus cyriacus, ipse est Deus. Eadem hora omnes adfines eius baptizati sunt, & ipse rex baptizatus est, & alij promiscui sexus numero quadringenti viginti baptisati sunt. Eodem tempore multa dona & pecunias obtulit rex beato cyriaco: cui sanctus cyriacus dixit: Nos gratiam Domini nostri Iesu christi pretio non offerimus, sed fide æstimamus. Et nihil accepit, sed tantum pane & aqua cum Largo & Smaragdo vsus est. Post dies quadraginta duos ascendens nauim cum commendationibus Epistolarum reuersus est Romam. Quem cum grandi honore suscepit Diocletianus Augustus cum vxore & filia sua, & cœpit habitare cum Largo & Smaragdo in domo, quam ei donauerat Diocletianus, iuxta thermas Diocletianas. Post menses duos ambulauit Diocletianus Augustus ad Dalmatias, ibique ægritudine fatigatus, fecit testamentum, cohæredes faciens filios suos, & mortuus est. Hoc audiens Maximianus filius eius Augustus, præcepit, vt vbicunque christiani inuenti fuissent, punirentur, & zelo ductus propter sororem suam Arthemiam, misit & tenuit cyriacum diaconum, & misit eum in custodiam & hoc præcepit, vt in die processionis suæ ad exemplum christianorum cyriacus nudus catenis obligatus ante rhedam suam traheretur. Vno autem tempore veniens in die processionis suæ Marcellus Episcopus, obtulit se Maximiano Augusto, dicens ei: Pietati tuæ suggero seruos Dei, qui orant pro regno tuo, quare trucidas? Tunc iratus Maximianus Augustus præcepit, vt cum fustibus cæderentur, & iussit Carpasio vicario, di-

Eiicitur diabolus de corpore Iobia, quæ statim Christum amplexa est, cum patre suo & affinibus.

Romā reuertitur Syriacus.

In Carcerem mittitur.

cens: Audi Carpasi, Cyriacũ sacrilegũ, qui carminibus magicis & incantationibus suadet hominibus Christum confiteri, diuersis pœnis affligc, si non libamina dijs obtulerit. Eodẽ tempore Carpasius vicarius mittens ad custodiam adduxit Cyriacum diaconum, Largum & Smaragdum, & Crescentianum, & iussit eos inter Iude præsentari. Quibus dixit: Quare non obauditis præceptis principum, vt offeratis libamina dijs immortalibus? Respondit Cyriacus cum Largo, Smaragdo & Crescentiano: Nos ipsos domino Iesu Christo offerimus. Carpasius vicarius dixit: Facite quod vobis iubetur: Senecta tua alba facta est Cyriace, sed modò eam iuuenem facio. Et iussit picem liquari, & cum liquata fuisset pix, præcepit vt in capite beati Cyriaci diaconi funderetur. Cœpitque clamare beatus Cyriacus diaconus & dicere: Gloria tibi Domine, qui nos seruos tuos dignatus es portas regni cælestis intrare. Dicitque alijs Carpasius: Sacrificabitis, aut peribitis sicut perfidus Cyriacus. Dixerunt: Nos peccatores Domino Iesu Christo nosipsos sacrificium offerimus. Tunc Carpasius vicarius addux t in conspectu suo eculeum, & iussit suspendi Crescentianum & fustibus cædi in conspectu Cyriaci, Largi & Smaragdi. Cumque diu attraheretur neruis, & fustibus cæderetur, & vnguibus raderetur, voce magna clamabat, dicens: Gloria tibi Domine Iesu Christe, qui nos ad gratiam tuam vocare dignatus es. Carpasius dixit: Date flammas ad latera eius. Et cum diu incendio constrictus vreretur, emisit spiritum. Cuius corpus iussit iactari ante cliuum Vrsi in platea ante templum palatij. Ipsa nocte venit Ioannes presbyter & collegit corpus eius, & sepeliuit in cœmiterio Priscillæ, in arenario via Salaria sub die octaua calendarum Decemb. Post mortem Crescentiani retrudit in custodiam, Cyriacum, Largum & Smaragdum. Post dies quatuor resedit in eodem loco inter Iude, & præcepit sibi præsentari Cyriacum diaconum, cui sic dixit: Quare dies senectutis tuæ cum tormẽtis deducis ad inferos? Respondit Cyriacus diaconus: Ego semper hoc optaui. Dicit ei Carpasius: Sacrifica dijs immortalibus & viues. Cyriacus respondit: Sacrificent eis, qui non cognouerunt Dominum Iesum Christũ creatorem suũ. Tunc iussit eũ in catasta extendi & attrahi neruis, & fustibus cedi. Cyriacus autem clamabat dicẽs: Miserere mihi peccatori Domine Iesu Christe. Eodem die nunciauit Carpasius vicarius Maximiano Augusto oĩa quę exercuerat in sanctos Dei. Tunc iratus Maximianus Augustus iussit

Crescẽtianus martyriũ subit.

Cyriaci obitus.

iussit omnes vinctos qui erant in custodia vna cum Cyriacò capite truncari. Et data sententia ducti sunt cum Cyriaco diacono promiscui sextus numero viginti, & decollati sunt via Salaria intra thermas Salustii foris muros. Quorum corpora collegit noctu Ioannes presybter, & sepeliuit illos in eadem via. Sanctum verò Cyriacum collegit & commendauit sub die xvij. cal. Aprilis. Ipso tēpore Maximianus interfecit sororē suam Arthemiam. Post dies octo veniens beatus Marcellus Episcopus cum Luciana matrona Christianissima, cōdiuit corpora sanctorū cum aromatibus & linteaminibus, & imposuit nocte in Pauone cum eunuchis suis, & sustulit, vbi commendati fuerant, translata sunt corpora cum sancto Cyriaco in prædium eius via Ostiensi, miliario ab vrbe Roma septimo, vbi requiescunt in lapideis sarcofagis, quos manu sua recōdiuit beata Lucina, in pace, septimo die mensis Augusti. Eodem tēpore beata Lucina fecit donationē de facultatibus suis omnibus ecclesiis. Hoc audiēs Maximianus August. proscriptione eā damnauit. Beata autem Lucina rogauit secundum Marcellum Episcopum, vt domum eius ecclesiam consecraret: quod cum omni deuotione fecit beatus Marcellus Episcopus. Ac ubi frequenter in eadem domo Missas celebrasset in media ciuitate via lata: audiens hoc Maximianus Augustus, iratus misit in eandem ecclesiam, & fecit præceptione sua, vt in eadem ecclesia plancæ externerentur ad animalia stabuli publici, in eūdem Marcellum Episcopū ad seruitium animalium deputauit cum custodia publica, publica, vbi etiā post multos annos seruiendo emisit spiritū sub die xvij. cal. Februarij. Cuius corpus rapuit Ioannes presbyter nocte cum beata Lucia, & cōdiuit aromatibus, & sepeliuit in cœmiterio Priscillæ via Salaria, non longe ab vrbe Roma, miliario tertio, & requieuit in pace. Eodem tēpore præcepit Maximianus Augustus ad se venire Carpasium vicarium, & interrogauit eū de discussione & nece sanctorum. Et dum vidisset placatum sibi Maximianum, petiit ab eo domum beati Cyriaci sui: confestim donauit domum beati Cyriaci diaconi. Et dum introisset in eandem domum, quam donauerat beato Cyriaco diacono Diocletianus Augustus, inuenit locum vbi sanctus Cyriacus fontem ædificauit, quem consecrauit sanctus Marcellus episcopus, vbi frequenter baptizabat sanctus Cyriacus venientes ad fidē. Tūnc Carpasius vicarius paganus crudelissimus ingressus est in eandē domum, dum introisset baptisterium; fecit in eodem loco

Arthemia à fratre suo interficitur.

Marcelli Episcopi abitus.

Domus S. Cyriaci datur Carpasio.

dem loco balneum, quasi ad deridēdam legem Christianam: vbi frequēter lupanaribus & scenicis lauacra exhibebat, turpi lucro gaudens in loco sanctificato. Et dum frequēter ista fierent, & epulæ cum sceleratis quadam die dum lauassent & exhiberēt epulas, exeūte Carpasio de balneo cū multis sceleratis, decē & nouem cū Carpasio vicario subito ceciderunt, & mortui sunt. Ab eodē die clauserunt balneū, & factus est timor magnus in eadem regione vsq; in hodiernum diem: Deo gratias. Sanctorū vero corpora sunt sepulta, hoc est Cyriaci, Largi & Smaragdi, Crescētiani, Memmiæ & Iulianæ, via Ostiensi, miliario ab vrbe Roma plus minus octauo, vbi orationes eorum florent; nunc & semper, & quousq; iste mundus steterit, regnante Domino nostro Iesu Christo: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Dei iudiciū in impios.

DE S. LAVRENTIO GLORIOSISSIMO

Martyre, ex D. Leone serm. de eodem, & ex Ordinario nouo.

X. AVGVSTI.

CVM furor Gentilium potestatum in electissima quæque Christi membra sæuiret, ac præcipuè eos qui Ordinis erant Sacerdotalis impeteret, Sixtus in primis secundus, Atheniensis, ex philosopho Christi discipulus; ac Pontifex maximus, in persecutione Decij, apud Valerianum accusatus quòd publicè Christum prædicaret, comprehensus traditur in templum Martis, proposita ei capitali pœna, nisi illi simulacro sacrificaret. Qua impietate constantissimè recusata, cùm ad martyrium duceretur, occurrit ei S. Laurentius, dolenter hunc in modum inclamans: Et, Quò progrederis, inquit, sine filio Pater? quò Sacerdos sine ministro properas? experire verum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem. Tantum nimirum ille desiderio martyrij flagrabat. Sed respondit ei beatus Sixtus: Non ego te desero fili, neque derelinquo, sed maiora tibi debentur pro fide Christi certamina. Nos, quasi senes, leuioris pugnæ cursum recipimus, te autem, quasi iuuenem, manet gloriosior de tyranno triumphus: post triduum me sequeris Sacerdotem Leuita: atque interea si quid in thesauris habes pauperibus distribue. Nec verò vana fuit ea prædictio. Etenim mox quoque * in Leuitam Laurentium impius persecutor efferbuit, duplicem sibi prædam de vnius viri comprehensio

D. Leo.

S. Laurētius.

Rursum. D. Leo.

Comprehenditur S. Laurētius duplici ex causa.

hensione promittens, quem si fecisset sacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exsortem.

ARMATVR itaque gemina face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus, auaritia, vt rapiat aurum, impietate, vt rapiat Christum, postulatque sibi ab immaculato sacrarij præsule opes Ecclesiasticas, quibus auidissimus inhiabat, inferri. Cui Leuita castissimus vbi eas repositas haberet ostensurus, numerosissimos sanctorum pauperũ obtulit greges, in quorum victu atque vestitu inamissibiles condiderat facultates: quæ tanto integriùs erãt saluæ, quanto sanctiùs probabantur expensæ. Fremit ergo prædo frustratus, & in odium religionis, quæ talem diuitiarum vsum instituisset, ardescẽs, direptionem thesauri potioris aggreditur, apud quem nullam denariorum substantiam reperisset, vt illud depositum, quo sacratiùs ille erat diues, auferret. Renunciare Christo Laurentium iubet & solidissimam illam Leuitici animi fortitudinem diris parat vrgere suppliciis. Quorum vbi prima nihil obtinent, vehementiora succedunt. Laceros artus, & multa verberum sectione conscissos, subiecto præcipit igne torreri, vt per cratem ferream, quæ iam de feruore continuo vim in se haberet vrendi, conuersorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, & pœna productior. Sed nihil obtinet, nihil proficit sæua crudelitas. * Ministrantibus prunas, insultat Leuita Christi, ac deinde ad impiissimum etiam tyrãnum dicit: Assatum est jam, versa & manduca. * Subtrahitur scilicet tormentis materia mortalis, & Laurentio in cælos abeunte, tyrannus deficit flammis suis: superari charitatis Christi flamma non potuit, segniorque fuit ignis, qui foris vsit, quam qui intus accendit. Sed & quid non ad victoris gloriam ingenium persecutoris repperit, quando in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicij? Sæuisti persecutor in martyrem, sæuisti, & auxisti palmam dum aggeras pænam.

Ostensurus martyr thesauros ecclesiæ, adducit greges pauperum.

Torquetur varijs suppliciis.

Tandem vstulatur in crate ferrea.

** Rurs. D. Leo.*

En imago S. L... cum crate.

VITA S. GAVGERICI EPISCOPI

Cameracensis, ex ea quæ est apud R. P. Laur. Surium.

XI. AVGVSTI.

BEATVS Gaugericus, Iuodio Galliarum oppido, diœcesis Treuirensis, patre Gaudentio, matre Austadiola, etsi pro elati sanguinis fastigio non summis, sed nec infimis quoque, iisque Christianis, & ingenuis parentibus editus est. Qui

S. Gaugerici patria & parentela.

cum

cùm, procedente ætate, in Dei rebus cresceret, puer traditus est sacrarum literarum studiis. Atque interea contigit Episcopum Treuirensem Magnericum parœciam suam circumire, & ad eius castri ecclesiam pro consuetudine peruenire. Vbi cùm de more sacrum peragerct ministerium ex loci illius Sacerdote perquisiuit, num ritè illic se haberet Ordo Ecclesiasticus: tũ, qui, & quales ipsi essent in Dei seruitio adiutores: Tum verò ille. Habemus, inquit, illos & illos: in quibus pollet Gaugericus quidam ætate quidem adolescens, sed cæteros sacris studiis & sanctitate longè antecellens, Sacrorum ille eruditioni adhibitus, primis adhuc literis imbuitur, verùm tyrocinij sui tempus morum integritate iam in emeritam ætatem transtulisse videtur. Audito enim signo, quo ad laudes Dei Horis Canonicis inuitamur, ille, mente deuotus, relicto domicilio nec illis etiam, quæ in manibus sunt abdultis, ad ecclesiã properat, alios maturè anteuertens. Cæteris quoq; eius coætaneis, vt ea poscit ætas, cibum capientibus, ille velut alter Daniel in aula Regis abstinentię studet, & prandium cũ cœna cõmutat: quodque suo corpusculo subtrahit, pauperibus elargitur. Vigiliis denique deditus, in precibus est perseuerans.

Adolescens longè superat ætate virentibus.

QVIBVS auditis, Nostris, inquit venerandus Antistes, actutum exhibeatur adspectibus adolescens. Adductus itaque ille, blandè ac leniter ab Episcopo est compellatus, Deinde etiam suis cũ manibus, fusa super eum benedictione, totondit. Interrogauit verò idẽ Episcopus, quam nuper prælectionem à Magistro illi reddendam accepisset; cùm respondit adolescẽs, prælectionis hoc esse exordiũ: Postula à me & dabo tibi. Lætatus verò venerabilis Episcopus ait: Vbi ad hunc locum, fili, rediero, vide vt totũ mihi possis Psalterium reddere memoriter. Nec multo, pòst, ad idem castrũ beatus antistes reuersus, memor præceptionis suæ, Gaugericum in suos voluit venire conspectus. Mandauit, vt quod iussus erat, expleret. Paret ille paternæ voluntati: totum, Episcopo audiẽte, Psalteriũ de memoria depromit. Tũ verò Episcopus pio cum animo complectẽs, ne lucerna talis lateret sub modio, Diaconũ illum ordinauit, gratias agens Deo. Ille verò Leuitico sublimatus ministerio, facilè omnes qui in clero erant, virtute & gratia antecedebat.

Tondetur Clericus.
Psalm. 2.
Breui tempore ediscit memoriter totũ Psalterium.

SED & cùm in dies semper bonis operibus augeri contenderet, quodam tempore loca orationis, more suo, adiẽs, quendam obuium habuit vtriusque hominis, lepra laborantem, corporis externa superficiè, & gentilissimi fœdis erroribus.

Itaque

Etiamnum Diaconus, cùm dá leproso gentili annũciat Christum, & simul impetrat sanitatem.

Itaque hominem aggreditur: & nihil iam mortale sonans, verbum Dei illi proponit, vt conuersus ad Dominum, tum à peccatis absolui, tum à lepræ fœditate repurgari mereretur. Ille verò mox, visitante eum * gratia Dei, ad viri Dei adhortationem credidit, diabolo atque omni idolorum spurcitiei renuncians: Vnde & quamprimum ad Sacerdotem, tanquam Naaman ad Iordanem, eum adduxit. Vbi simulatque baptizatus est, quòd peccatis iam vacuus esset, ipsa quoque externa corporis habitudo ostendit, tanta in illo munditia apparente, vt numquam lepra infectus fuisse videretur. Increscente autem beati viri fama, & odore sanctæ existimationis eius lõgè lateque sese diffundente, etiã procul degentibus nomen eius cum multa laude innotuit. Atque interea diem suum obiit Vedulphus Cameracensis Episcopus. Quare grex ille pastore destitutus, diuino instinctu, comperta iam viri sancti fama, vno animo, tum clerus, tum populus à Childeberto, * Austrasiorum Rege, beatum Gaugericum sibi Episcopum ordinari postularunt: qui & confestim missis literis ad Ægidium Rhemensem Episcopum, petiit populi votis satisfieri.

** Francorum ordinatur Episcopus Cameracensis.*

CONFIRMATVS autem in sede sua vir sanctus, sacris habendis concionibus assiduè operam dabat, nec modo scilicet pluebat verbis, sed etiam miraculis coruscabat. Etenim & cùm pro Galliarũ consuetudine Litaniæ, id est, Supplicationes vel Rogationes, triduano conuentu fierent, atque vir sanctus veneratione plenissima, ieiuniis, eleemosynis, & psalmodiis eas excoleret, atque basilicas cum suo clero psallẽte, & cruces deferente, multo populo prosequente, visitaret ac circumiret, contigit eũ transire carcerem, in quo tres viri tenebãtur, iussu VValacharij Tribuni vinculis implicati. Solita igitur humanitate, Tribuno præsenti supplices obtulit preces, vt miseros illos ipsi ad meliorem frugem reuocandos largiretur. Negat ille. Sed Gaugerico ante fores carceris prostrato, ac deinde ab oratione surgente, protinus vincti, nutu præpotentis Dei, nexibus suis expediuntur. Adhibet autem illis mox venerandus Præsul animarum quoque medicinam, nimirum, vt posthac emendationi vitæ studeant. Quæ beati Antistitis fama dum sic crescit, & tum publicè, tum priuatim diuulgatur, ad Clotarij etiam Regis aures peruenit, qui idcirco quoque eleemosynas suas per manus tanti viri pauperibus Christi voluit distribui. Vnde & apud se sedulò perquirit vir sanctus, quomodo quæ Rex in pauperum contulerat vsus, sic posset

Ex solemnem ritum Rogationum.

Orans ante fores carceris impetrat captiuos diuinitus solui.

expen

expendere, vt inde consolatio præcipua ad inopes rediret.

VENIT autē illi tandem in mētem, vt ad beatissimi Martini limina properaret, ibique pro suis & suorum erratis, tanti viri interuenientibus meritis, Dominum deprecans, prout dignum videretur, etiam in vsus sanctorum pauperum eleemosynas expenderet. Iam itineri se dederat; cùm prope Turones cæcus quidam, triginta annis lumine orbatus, vt audiuit beatum Gaugericum transire, clamauit, obsecrans vt per sanctitatis eius preces, à Sole iustitiæ, Christo Domino, illuminari mereretur. Itaque vir sanctus, diuinæ misericordiæ confidens, dextera sua, oculis cæca caligine diu pressis, sanctæ Crucis signum impressit, & ecce cæcitatem omnem sancta manu detersit. Porrò beatus Episcopus cœpto insistens itineri, ad sancti Martini sepulcrum peruenit: vbi à Fratribus magno gaudio acceptus, peracto opere cuius causa eò venerat, ad suam ecclesiam redire ocyus voluit. Obtinuit autem cathedram suam vir beatus ad annos plus minùs triginta nouem. Obdormiuit autem in Domino 3. Idus Augusti, sepultus in basilica quæ est in montis vertice, ab ipso in honorem S. Medardi constructa; qui locus, haud procul abest Cameraco, olim dæmonum cultui dedicatus. Sed vir Dei Gaugericus idola ibi exterminauit, lucum succidit, & locum spurcitiis addictum in orationis & sacrificij ædem commutauit, ad laudem Domini nostri Iesu Christi.

Visit sepulcrum S. Martini.

Illuminat quendam cæcum.

Migrat ad Christum, sepultus in æde a se constructa.

VITA S. CLARÆ VIRGINIS,

ex ea quæ est conscripta iussu Alexandri quarti.

XII. AVGVSTI.

ADMIRABILIS virgo, Clara vocabulo & virtute, originem traxit claro satis genere, de ciuitate Assisij, conciuis beato Francisco. Prægnans eius mater, cùm ante crucem in ecclesia oraret, vocem audiuit dicētem: Ne paueas mulier, quia quoddam lumen salua parturies, quod ipsum mundum clariùs illustrabit. Intra teneros annos libenter extendebat manum ad pauperes, proprio corpusculo delicata subtrahens cibaria, clamque per internuncios reficiens viscera pupillorum. Et quia signacula non habebat, quorum euolutione diceret orationes Dominicas, congerie lapillorum suas oratiunculas quoque Domino annumerabat. Denique suis eam nobiliter maritare volentibus, nullatenus acquieuit, sed cælesti

S. Clara conciuis S. Frācisci.

Eius sancta pueritia.

igne succensa, ad beatum Franciscum accedit, eius consilio se totam committens. Quin etiam aggreditur tandem nocte quadam optatam fugam, ad S. Mariam de Portiuncula festinat, manu Fratrum crines deponit, pœnitentiæ incipit insignia. Et quidem furunt consanguinei conglobati in vnum, sed crescit virginis animus, bello crescente suorum. S. Franciscus autem statim eam duxit ad ecclesiam S. Pauli, inde ad S. Angeli de Panso, ac tandem ad ecclesiam S. Damiani, illam scilicet, in qua dum Franciscus quondam oraret, vox ad eum de ligno Crucis delapsa insonuit: Francisce, vade repara domum meam, quæ, vt cernis, tota destruitur.

Suscipit habitum pœnitentiæ, fratres crines à ... ...

In huius scilicet cauerna maceriæ columba deargentata nidificans, virginum Christi collegium genuit, pauperum dominarum ordinem inchoauit. Sed & innumeræ virgines, Claræ rumoribus excitatæ, dum ad claustralem vitam transire non præualent, in patriis domibus sine regula regulariter viuere student. Tanta salutis germina virgo Clara suis parturiebat exemplis. Infirmarum sedilia ipsa lauabat, ipsa tergebat. Lauabat quoque semel cuiusdam seruientis sororis pedes: quos dum deosculari properat, illa tantam humilitatem non ferens, pedem subtrahit, dominamque suam in ore percussit. At illa pedem famulæ blandè resumens, sub ipsa planta strictim osculum figit. Sed & volens Religionem suam intitulari titulo paupertatis, à bonæ memoriæ Innocentio tertio paupertatis Priuilegium sollicitè postulauit. Cui cùm suaderet aliquando felicis recordationis Gregorius Papa, vt propter euentus temporum, & pericula seculorum, aliquas possessiones assentiret habere, quas & ipse liberaliter offerebat; fortissimo animo restitit: Quin & respondente Pontifice, si votum formidaret, se eam à voto absoluturum; Sancte Pater ait, nequaquam à Christi sequela absolui desidero in perpetuum. Eleemosynarum autem fragmina, panumque minutias, quas eleemosynarij deportabant, valde suscipiebat hilariter; & quasi mœsta de panibus integris, exultabat in fragmentis. Vnde nec vnquam eam deseruit Deus.

Assignatur ei à S. Francisco ecclesia S. Damiani.

Mira illius humilitas & mansuetudo.

Solicitè procurat Ordini suo Priuilegium paupertatis.

Nota.

Vnicvs erat aliquando in monasterio panis, cùm iam instarent & fames & hora edendi. Dispensatrice vocata, iubet Sancta panem diuidi, partem Fratribus mitti, partem intus pro Sororibus retineri: iubet quinquaginta fieri, iuxta dominarum numerum, incisuras: & ecce, crescit diuino munere inter frangentis manus parua illa materia, & cuilibet de conuentu

Diuinitus sufficit quinquaginta sororibus vnius dimidiatus panis.

nentu sua exstitit portio copiosa. Reperitur quoque & aliàs vas oleo plenum S. Claræ oratione, in solamẽ pauperum filiarum. Procurauerat verò sibi virgo sanctissima vestẽ de corio porci, quam, versa ad carnem hispida tõsura pilorum, secretò sub tunica deferebat. Quin etiam vtebatur nonnunquam duro cilicio de pilis equorum nodosè conserto, quod hinc inde cordulis rudibus stringebat ad corpus. Quam vestem dum vni de filiabus semel accommodasset, illaque se vestisset, tantæ protinus asperitati succumbens, non tam hilariter petiit, quàm celeriter post triduum resignauit. Nuda humus, & interdum sarmenta vinearum erant pro lectulo, lignumque durum præstabat sub capite officium puluinaris, nisi quod processu temporis; corium debilitato corpori substrauit; capiti modicam paleam clementer indulgens, idque quousque corpus tam seuerè tractatum, longa cœpit occupare infirmitas: quando tandem iubente beato Francisco, sacco pleno paleis est vsa. Sanitatis tempore maiorem Quadragesimam, & Quadragesimam S. Martini, quotidie in pane & aqua ieiunans, solis diebus Dominicis; vinum, si habebat, gustabat.

Utitur ad carnem hispida quadam veste, & durissimo cilicio.

Pro lecto, vix tãdem sibi indulget saccũ paleatum.

Et vt mireris, auditor, quod imitari fortè non potes, tribus diebus in hebdomada, secunda videlicet, quarta, & sexta feria, nihil omnino in illis Quadragesimis sumebat in cibum, donec prohibuêre tandem B. Franciscus, & Episcopus Asisij, trium dierum illud exitiale ieiunium, præcipientes vt nullum transeat diem, quin saltem vnciam & dimidiam panis sumat in pastum. Sæpissimè verò ad orationem prostrata in faciem, terram infundebat lacrymis, osculisque demulcebat, vt semper suum Iesum tenere videretur in manibus, in cuius pedes lacrymæ illæ fluerent. Lacrymanti autem semel profunda nocte adstitit angelus tenebrarum in forma nigri pueri: Ne tantùm inquiens; plores, quia cæca fies. Cui cùm ilico illa responderet, Cæcus non erit qui Deum videbit: confusus ille, discessit. Sed & cum in Asisium hostilis semel furor irrueret, iamque Saraceni gens pessima apud S. Damianum, intra loci terminos, imò intra ipsum confluxissent virginum claustrum, ante ostium infirmam se S. Clara duci iubet, præcedente eam capsa argentea, in qua Sancta sanctorum deuotissimè seruabantur, sacratissimum scilicet Christi corpus. Tum verò illa, Custodi, ait, Domine, precor, has famulas tuas; cùm mox de nouæ gratiæ propitiatorio, vox quasi pueruli ad eius aures insonuit: Ego vos semper custodiam.

Ieiunat rigidissime.

Cogitur sanctitas Frãciscus ipsius feruore indicare modum.

Apparet ipsi diabolus.

Militabant hi sub Frederico sc. anno.

Auditur vox de nouo propitiatorio.

diam. Nec mora; ſtatim canum illorum pauefcit audàcia, & per muros quos adſcenderãt,celeriter exeuntes, orationis virtute ſunt deturbati,ac deinde illa ad filias:Cauete,ait, per omnem modum chariſſimæ filiæ, ne vocem illam, dum corpus ago,cuiquam referatis.

Summè eam venerabatur Gregorius Papa.

VNDE non ſine cauſa in huius Sanctæ orationibus fidem habebat mirabilem Dominus Papa Gregorius; ſæpeque noua, vt aſſolet, emergente difficultate, & cùm eſſet Oſtienſis Epiſcopus, & poſtquam ad culmen Apoſtolicum eſſet euectus, ſupplex eidem virgini per literas factus popoſcit ſuffragium, ſenſitque auxilium. Familiaris autem erat ei planctus Dominicæ paſſionis,ita tamen,vt inter horas diei,ſexta & nona, maiori compunctione afficeretur, quo tempore etiam ſemel orantem in cellula, diabolus in maxilla percutiens, oculum ſanguine,genam liuore ſuffudit, ſed crucifixi deliciis abſque intermiſſione illa paſcebat mentem. Chordulam autem tredecim nodorum ſcopulis annulatam,ſubtus ad carnem cingebat ſecretò,in memoriale vulnerum Saluatoris.Sed & aduenerat quodam tempore dies ſacratiſſimæ cœnæ,qua Dominus in finem dilexerat ſuos. Tota igitur nocte illa, & die ſequenti ſic abſorpta,ſic à ſeipſa permanſit aliena, vt irreuerberatis circa vnum ſemper intenta luminibus,confixa Chriſto, ac prorſus inſenſibilis videretur.

In die cœnæ Domini patitur longiſſimã ecſtaſim.

SANE quia erat magiſtra rudium,& quaſi in magni Regis palatio Præpoſita puellarum, tanta eas diſciplina informabat, tantoque fouebat pietatis amore, quod ſermo nullus explebit.Docebat primò ſtrepitum omnem de mentis hoſpitio pellere,carnalium deinde propinquorum amore non affici,& domum patriam,vt Chriſto placeant,obliuiſci. Monſtrat inſidioſum hoſtem occultos puris mentibus iniicere laqueos, aliter ſanctos, aliter tentare mundanos. Monet ad actiuam, certis horis eas hortans, ita manibus operari, vt protinus ad Conditoris deſiderium per orationis exercitium recaleſcant. Nuſquã maior cenſura ſilentij,nuſquam amplior & color & tenor omnis honeſti. Neque verò filiarum ſuarum ſolas diligebat animas, ſed & ipſarum etiam corpuſculis miro ſtudio charitatis inſeruiebat. Sæpè in frigore noctis propria manu cooperiebat dormientes: & quas ad rigorem communem ſeruandum cernebat inualidas,contentas eſſe volebat moderamine remiſsiori.Si quam turbaret tentatio,ſi quam,vt aſſolet,inuaderet mœſtitudo,ſecretò vocatam,cum lacrymis conſolabatur. Aliquãdo etiam

Quomodo inſtruxerit ſuas ſpirituales filias.

Itẽ curat ſedulo earundẽ corpora.

do etiam se ad pedes prosternebat mœrentium, vt maternis blanditiis alleuiaret vim doloris. *En veram matrem.*

QVADRAGINTA annis iam in stadio cucurrerat altissimæ paupertatis, cùm ecce ad brauium supernæ vocationis, præcedente languore multiplici, appropinquabat. Cuius miranda virtus qualiter fuerit in infirmitate perfecta, hinc maximè liquet, quòd in viginti octo annorum languore diutino semper processit gratiarum actio, semper sanctum colloquiū. Summo autem Pontifice cum Cardinalibus moram trahente Lugduni, virgo sancta præ solito etiam cœpit morbo vrgeri. Post modicum autem venit curia Romana Perusium. Itaque properat primò de Perusio Dominus Ostiensis inuisere sponsam Christi. Cui cùm filias illa cum lacrymis commendasset, illud super omnia rogauit, vt Priuilegium paupertatis à Domino Papa cum Cardinalibus sibi impetret confirmari. Festinat etiam ad eam postea ipse sanctissimus Dominus Innocentius quartus, vnà cum Cardinalibus, non dubitans scilicet Papali præsentia, eius venerari mortem, cuius vltra feminas nostri temporis probauerat vitam. Egreditur autem anima illius sāctissima, præmio perpetuo laureanda, in crastino beati Laurētij: quam ascripsit Catalogo Sanctorum Dominus Alexander quartus, Anno Pontificatus sui primo, incarnationis verò Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto.

Languet [illegible] 28. annis. semper in Domino hilaris.

Inuisit eam summus Pontifex.

Transit virgo sanctissima ad Christum.

VITA S. RADEGVNDIS REGINÆ,

ex ea quam scripsit Fortunatus Episcopus.

XIII. AVGVSTI.

BEATISSIMA Radegundis, natione barbara, de regione Turinga, auo Rege Basino, patruo Herminefrido, patre Rege Berchario fuit. Quæ cum suis parentibus breui commanens tempore, tempestate barbarica Francorum victoria regione vastata, vice Israëlitica exit & migrat de patria, veniensque in sortem præcelsi Regis Clotarij in * Viromandensem ducta, Atheias in villa regia, nutriendi causa, custodibus est deputata. Ibi iam tunc infantula, quicquid sibi remansisset in mensa, collectis aliis paruulis ipsa inferebat, ipsa miscebat. Quam præparatis expensis cùm voluisset Rex prædictus accipere, per * beracham ab Atheias nocte cū puellis est elapsa. Deinde Suessionis cùm eam direxisset vt Reginam eligeret,

S. Radegundis, filia Regis Turingiæ, [illegible] capta à Francis.

** cimbam.*

fugit, euitans pompam regalem, ne seculo cresceret. Sed cui debebatur, & humana gloria non mutatur. Nubit ergo terreno Principi, eleemosynæ deinde se totam dedicans, vnde & hoc tãtùm se reputans perdere, quod pauperibus non dedisset; quò ire pede non poterat, eò misso munere circuibat. Instruit etiã Atheias domum, quo lectis cultè compositis, congregatis egenis, feminas ipsa lauans in thermis, morborum curans putredines, virorum capita diluens, quos anteà lauerat, eisdem sua manu miscebat. Sicque deuota femina nata & nupta Regina, pauperibus seruiebat ancilla.

Nubit Regi Clotario.

Ipsa suis manibus seruit pauperibus & morbidis.

In mensa verò subocculte, ne cognosceretur ab aliquo, anteposito cum legumine ferculo, inter epulas Regum, more trium puerorum, faba delectabiliter vescebatur, vel lenticula. Nocturno quoque tempore cùm reclinaret cum Principe, rogans se pro humana necessitate velle consurgere, egressa cubiculo, tamdiu antè secretim orationi incumbebat iactato cilicio, vt solo calens spiritu iaceret gelu penetrata. De qua & Regi dicebatur, habere eum potiùs iugalem monacham, quàm Reginam. Vnde & ipse irritatus erat asperrimus: Sed ipsa pro parte leniens pro parte tolerabat. Si autem Rex deerat, quis credat qualiter se tamquam præsentis Christi pedibus alligabat? Quibus beatis actibus occupatam in tantum prouexit diuina clementia, vt etiam per eam adhuc in palatio laicam declararentur miracula. Verum enimuerò, quemadmodum frequenter diuinitate prosperante casus cedit ad salutem: vt hæc religiosiùs viueret, frater interficitur innocenter. Directa igitur à Rege veniens ad beatum Medardum Nouiomum, supplicat instanter, vt ipsam, mutata veste, Domino consecraret. Sed memor dicentis Apostoli, Si qua ligata sit coniugi, ne quærat dissolui, differebat.

O mirum feminæ coniugatæ feruorē.

Quid enim? secundum Apostolum, dammnumodo, si ne etiam sanctam per occasionem?

Ad hoc & beatum virum perturbabant proceres. Quo sanctissima cognito, intrans in secretariũ, monachiæ veste induitur: procedit ad altarium, & beatissimum Medardum his alloquitur verbis: Si me, ait, consecrare distuleris, & plus hominem quàm Deum timueris, de manu tua pastor ouium animam requirat. Quo ille concussus tonitruo, manu superposita, Diaconam consecrauit. Accedit itaque ad cellam S.* Nimeris, inde ad cellam venerabilis Daddonis. Post quod & sancti Gundulphi, pòst facti Meris Episcopi, progressa receptaculo, non minori laboratu nobilitauit Synergium. Sed & hinc felici nauigio Turones appulsa, quæ suppleat eloquentia quid egerit circa

Consecratur à S. Medardo Diaconissa.

** Eunienu.*

circa S. Martini altaria, templi basilicam, flens, lacrymisque insatiata? Accedit autem tandem ad territorium Pictauum. Ex illo sanè tempore, quo B. Medardo consecrante est velata, vsque ad finem, præter legumen & olera, non pomum, non piscem, non ouum, vel aliud quid edit. Prętet quotidianam autem mēsam, duobus sēper diebus sabbathi, quinta & sabbatho, balneo parato, ipsa capita lauans egenorum, defricansque quicquid erat crustæ, scabiei, tineæ, nec purulenta fastidiens, interdum & vermes extrahebat. Deinde tribus ferculis illatis, stans ante prandentes ieiuna, præsens conuiuis ipsa incidebat panem, carnem, vel quicquid apponeret, languidis & cæcis non cessans cibos cum cochleari porrigere.

S. [illegible] supra modum parca, pauperibus est benignissima.

CVM leprosi venientes signo facto se proderent, sola subsequente, intromittebantur furtim, quò eos nemo perciperet. Ipsa autem mulieres variis lepræ perfusas maculis comprehendens in amplexibus, osculabatur etiam vultus, toto in Deo diligens animo. Tanta verò congressio popularis exstitit, die qua se Sancta deliberauit recludere, vt quos plateæ non caperent, adscendentes tecta complerent. Prima autem Quadragesima, qua se reclusit tota, panis cibaria nōsumpsit, nisi die Dominico tantùm. Radices verò herbarū aut olera sine olei gutta, sine sale sumebat, ex aqua toto ieiunio nec sumens sextaria duo: nec non & strato suo cinere superiecto, cilicio pro lectulo vtebatur. Sed ita tamen se tractabat, vt hæc nec Abbatissa sentiret. Quin etiam monachabus omnibus soporantibus, calceamenta ipsa tergens & vngens, per singulas transmittebat. Aliis autem Quadragesimis aliquid relaxans, quinta feria sumebat, deinde die Dominica. Denique nulla monacharum de posticio, nisi illa, quantum ligni opus erat, sola ferebat, aquam etiā de puteo trahens, & per vascula dispensans. Sed & post tot labores, quas sibi pœnas intulerit, & ipse, qui voce refert, exhorrescit.

Tota Quadragesima vixit sine pane.

Libēter se occupat in [illegible]ribus seruilibus monasterij.

QVADAM vice dum sibi translatos tres circulos ferreos diebus Quadragesimæ collo vel brachiis innexuisset, & tres catenas inserēs, circa suum corpus strictiùs alligasset, inclusit durum ferrū supercrescens tenera caro. Vbi transacto ieiunio, cum voluisset sub cute clausas catenas extrahere, nec valeret, caro per dorsum atque pectus super ferrum catenarum necessario est incisa, ita vt sanguis effusus, ad extremum ferè exinaniret corpusculum. Et similiter vice altera iussit fieri laminam aurichalceam in signum Christi, quam accensam in cellula,

En quid possit ardor [illegible] in Iesum crucifixum.

locis duobus corporis altiùs sibi impressit, tota carne depict a Sic scilicet spiritu flammante, membra faciebat ardere pro Christi dulcedine. Sed quod abdiderat ipsa, hoc miracula nequaquam tacuerunt. Matrona Gislahadi proceris, nomine Bella, sed longa cæcitate miserrima, rogauit se de Francia Pictauos ad Sanctæ præsentiam deuotè duci. Prostrata ad eius genua, vt signare dignaretur eius oculos, vix impetrauit. Impressit tandem signum Crucis, cæcitas fugit, lux rediit. Item puella Fraifledis, inimico instigante, dum nequiter torquetur, sacras inter manus, nec data dilatione, curari promeruit. Sed de Beatę virtutibus sufficiat exiguitas, ne fastidiatur vbertas. Clausi sũt eius oculi quarta feria mane, Idibus Augusti. Porrò tumulata est honorificè, quia Episcopus Pictauensis tunc non erat domi,* per virum Apostolicum, Dominum Gregorium Episcopum Turonensem, in basilica S. Mariæ.

Duo insignia miracula.

Obdormit in Domino.

* *Orig li. 2.*

VITA S. HIPPOLYTI MARTYRIS, EX *Ioan. Maldonato Hispano.*

XIII. AVGVSTI.

HIPPOLYTVS, apud quem iussu Valerij D. Laurentius in custodia tenebatur, postquam cæcos vidit à Laurentio signo crucis illuminari, statim credidit: & cum omni familia baptizatus est. Quem à funere Laurentij reuersum, parantemque cum familiaribus Christi corpus sacrosanctum sumere: irrumpentes milites comprehenderunt: & ad Decium vinctum perduxerunt. Quærebat ex eo Decius, an magus esset, quando cadauer Laurentij tantopere sepeliendum curasset: cui Hippolytus Christianum se, non vtique Magum esse, respondit. Iratus Decius, os eius imperat lapidibus tundi: & perseuerantem, ad exemplum Laurentij, confici velle, dicere, fustibus ferreisq; chordis laniari. Sed cum hac via parum procederet, quod machinabatur Decius, vestibus Christiani ritus exutum, sago indui militari præcepit: inuitans ad amicitiam, pristinósque militares vsus. Ille cùm militare se Christo diceret, traditus est Valerio præfecto, qui bona eius occuparet, & tormentis vel vinceret, vel è medio tolleret. Valerius, tormenta tam in dominum, quam in seruos expertus, nihil valere, extra portam Tyburtinam famulos omnémque familiam iubet, coram domino trucidari: Hippolytum ipsum furentibus ab equis distrahi. Funera cunctorum Iustinus quidam presbyter procurauit.

EX

EX AVR. PRVDENTIO, DE EODEM.

INNVMEROS cineres sanctorum Romula in vrbe
   Vidimus ô Christi Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, & singula quaeris,
   Nomina difficile est vt replicare queam.
Tantos iustorum populos furor impius hausit,
   Quum coleret patrios Troia Roma deos.
Plurima litterulis signata sepulchra loquuntur,
   Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas,
   Marmora quae solum significant numerum.
Quanta virûm iacent congestis corpora aceruis
   Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defossas mole sub vna
   Relliquias memini me didicisse hominum.
Quorum solus habet comperta vocabula Christus,
   Vtpote quos propria iunxit amicitia.
Haec dum lustro oculis, & sicubi fortè latentes
   Rerum apices veterum per monumenta sequor:
Inuenio Hippolytum qui quondam schisma Nouati
   Presbyter attigerat, nostra sequenda negans.
Vsque ad martyrij prouectum insigne tulisse
   Lucida sanguinei praemia supplicij.
Nec mirere senem peruersi dogmatis olim
   Munere ditatum Catholicae fidei,
Quum iam vesano victor raperetur ab hoste
   Exultante anima carnis ad exitium,
Plebis amore suae multis comitantibus ibat,
   Consulitus quaenam secta foret melior,
Respondit: fugite, ô miseri, execranda Nouati
   Schismata catholicis reddite vos populis.
Vna fides vigeat prisco quae condita templo est,
   Quam Paulus retinet quámque cathedra Petri, &c.
   Dicitur? affirmant dicier Hippolytum.
Ergo sit Hippolytus, quatiat, turbétque iugales,
   Intereátque feris dilaceratus equis &c.
Postquàm composito satis instruxere paratu
   Martyris ad poenam verbera, vincula, feras,
Instigant subitis clamoribus atque flagellis,
   Iliáque infestis perfodiunt stimulis.

ctorum patrociniis oppidò dicatur, plebs sancta prædicatione sanctificatur.

FVIT enim hic vir sanctus vltra vires fandi præditus etiam exhibitione bonorum operum:& quod salutari admonitione præmonuit, moribus & exemplis simul ostendit, consolatione prouidus, humilitate nulli comparandus, susceptione pauperum imitandus, omniumque morum honestate perspicuus. Quiquid terrenę facultatis vel aliorum largitione, vel propriæ operationis labore susceperat, nil vltra naturalem vsum sibi popoſcerat, sed per manus pauperum ad superni Regis studiosè transmisit ærarium. Nec verò satis sancto viro videbatur, si ibidem dumtaxat illius patriæ plebem Domino lucraretur, sed & ecclesiam in villa VVestervoert nominata constructam quæ in ipsa Rheni fluminis ripa sita esse cognoscitur, à supradicto Pontifice sub cura regendi suscepit gubernandam. Atque ita scilicet vir per omnia Deo deuotus, cælesti romphæa viriliter armatus, ecclesiasticæ rei destructa reædificat, pessundata strenuè restaurat, & restaurata deificè gubernat, spiritali vomere corda plebis euidenter exarans, insuper & Euangelicę lucis semina non parcè seminans. Quæ & quibus similia dum sanctus per singula plenè peregit, vtrorumque locorum regimen in Christo firmiter stabiliuit.

Eius præclaræ virtutes.

Restaurat ecclesiam in VVestervort.

PORRO iam suæ resolutionis imminebat tempus. Vir igitur sanctus in villa VVestervoert supradicta, vi febrium corporaliter attactus, adoptabili dierum iam numero prouectus, cœpit carne languescere. Conuocatis itaque ad se religiosis viris vtriusque Ordinis, eos, vt pater egregius, in fine confortabat, eisque mox se migraturum esse de carne, reuelabat: nec longo pòst interuallo facto, meritorum trophæo insignis, ex huius carnis migrauit ergastulo. Tunc verò tota Batua gemēs atque mœrens, per profunda supradicti fluminis stagna ruit: vndique confluentes, corpus exanime dolentes, circumstetêre. Fit ratio de sepultura. Feruet dolor vnus adstantium, sed non eadem voluntas omnium. Insulanensis enim multitudo sanctum corpus ad Elste deferri debere, depromit. Nobis inquiunt, viuus exstitit pastor, noster erit & apud Deum perpetuus intercessor. Ad quæ aduersa pars altera populi, Rectè etenim, inquit, hic requiescit corpore, vbi ipse spiritum voluit relaxare. Sit vobis satis eum habuisse carne viuum quem habere gaudemus modò mortuum. Sed populo satis diu inter se altercante, quidam Presbyterorum consilio meliores

Vtraque ecclesia firmiter in Christo stabilita, migrat in calũ.

Fit concertatio de ipsius sacro corpore.

1. Reg. 6. *Proponitur vt dirimatur lis, sicut olim fuit de arca Domini.*

liores in hanc prorupêre vocem: Legimus, inquiunt, de arca testamenti Domini, quondam in captiuitatem ducta, quòd ipsi qui eam captiuauerant, super nouum plaustrum eandem imponerent, binasque vaccas, domi reclusis illarum vitulis, eidem plaustro subiugarent, vt ab eis plaustrum cum arca traheretur & ad propria, nutu diuino, deduceretur, quod & factum est. Itaque, inquiunt, fiat & inde huiuscemodi rei approbatio, Ad quæ protinus omnes assensêre.

Nauis ferens sacrum thesaurum, dirigitur prorsus ductu Angelico.

NEC mora, nauim quantocyus præparant, feretrum cum hymnis & psalmodiis ad littus deportant, nauem deponunt, neminem intrare permittunt. Res admodum cunctis miranda: Nauis eadem tam recto itinere amnem transmeans, se ad alterum litus applicuit, vt ipsam Angelico remige ductam esse cunctis patenter innotuerit. Plaustrum deinde nouum cum vaccis duabus citiùs acquiritur, & sanctum corpus in eo reuerenter superponitur. Vaccæ quæ nunquam iuga sustinuere, per deuia nequaquam errantes, per certam semitam iter retenderunt, sanctumque corpus vsque ad Elste perduxerunt, cum Angelorum, vt credendum est, comitatu, atque populorum Deum collaudantium concursu. Illic autẽ, vt dignum fuit, cum omni veneratione tantæ pretiositatis thesaurus commendatur sepulturæ: vbi per tanti Patris intercessiones, multæ miraculorum declarantur à Domino virtutes.

Multis claris miraculis.

DE ASSVMPTIONE DEI GENITRICIS *Mariæ ex D D. Athanasio & Damasceno.*

XV. AAGVSTI.

a D. Athanasius.

S. Maria assumpta sin... carne & spiritu.

HODIE Regina, dilectissimi, assistens à dextris Filij vbique regnantis, quasi in vestitu deaurato, incorruptionis & immortalitatis circumamicta varietate, sacris & solennibus verbis celebratur: non quod secundùm spiritum tantùm, quasi sine corpore & carne assistat, sed quòd induta sit, quantum spectat ad sanctissimam eius carnem, incorruptibilitate & immortalitate. Circumamicta varietate rursus est, quantum attinet ad ossa sanctissima, quæ eius carnem suffulciunt. Nam ex carne eius, & ex ossibus eius, veluti ex veteri Adamo, nouus iste Adam, vt vicem eius expleret, costam sibi finxit, nimirum idem incarnationem, eamque semel inductam, perpetuò gestat. Ac proinde noua ista Eua, mater vitæ appellatur, circumamictaque varietate, permanet ad primitias vitę

immor

immortalis omnium viuentium.

Hodie sacra & animata arca Dei viuentis, quæ suum in vtero concepit creatorem, requiescit in templo Domini, quòd nullis est excisum manibus: & Dauid exsultat eius parens, & cum eo choros ducunt Angeli, celebrant Archangeli, & Virtutes glorificant, Potestates collætantur, gaudent Dominationes, Throni festumdiem agunt, laudant Cherubim, gloriam eius prædicant Seraphim. Hodie Edem noui Adam paradisum suscipit animatum, in quo soluta est condemnatio, in quo plantatum est lignum vitæ, in quo operta fuit nostra nuditas. Hodie virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed cęlestibus educata cogitationibus, nō in terram reuersa est, sed, cùm esset animatum cælū, in cælestibus tabernaculis collocatur. Ex qua enim omnibus vera vita manauit, quomodo illa mortē gustaret? Sed cedit legi latæ ab eo quem genuit, & vt filia veteris Adam, veterem sententiam subiit, (nam & eius filius, qui est vita ipsa, eam non recusauit) vt autem Dei viuentis mater, ad illum ipsum dignè assumitur.

Damascenus.

S. Maria est instar arcæ, ante quā ludebat Dauid.

Itē est instar noui paradisi voluptatum.

Siquidem ex antiqua accepimus traditione, quòd tempore gloriosæ dormitionis beatæ Virginis, vniuersi quidem sancti Apostoli, qui orbem terræ ad salutem gentium percurrebant, momento tēporis in sublime elati, cōuenerunt Hierosolymis: cumque illic essent, eis visio apparuit Angelica, & audita est psalmodia cælestium Potestatum, & sic cum diuina gloria in manus Dei sanctam tradidit animam. Eius autem corpus, quod Deum suscepit ineffabili quadam ratione cū Angelica & Apostolica hymnodia elatum, in loculo fuit depositum Gethsemane, quo in loco Angelorum chorea & hymnodia mansit tres dies perpetuos. Post tres autem dies Angelico cantu cessante, qui aderāt Apostoli (cum vnus Thomas, qui abfuerat, post tertium diem venisset, & quod Deum susceperat corpus, adorare voluisset) loculum aperuerunt, sed omni ex parte sacrum eius corpus nequaquam inuenire potuerunt. Cùm ea autem tantùm inuenissent, in quibus fuerat compositū, & ineffabili, qui ex iis proficiscebatur, essent odore repleti, loculum clauserunt, eiusque mysterij obstupefacti miraculo, hoc solum cogitare potuerunt, quòd cui placuit ex Maria virgine carnem sumere, & hominem fieri, & nasci, cùm esset Deus Verbum, & Dominus gloriæ, quique post partum eius incorruptam seruauit virginitatem, eidem etiam placuit, & ipsius, postquam migrauit, immaculatum corpus, incor

In eius dormitione omnes Apostoli simul conuenerunt.

Per tres dies mãsit ad eius sepulcrum hymnodia Angelica.

Aperto sacro tumulo, corpus sacrū nō inuenitur.

incorruptum seruatum, translatione honorare, ante communem & vniuersalem resurrectionem.

ADERANT tunc cũ Apostolis sanctissimus Timotheus, primus Episcopus Ephesiorum, & Dionysius Areopagita, sicut ipse testatur in iis quæ de B. Hierotheo, qui ipse quoque tunc aderat, scripsit ad dictum Timotheum, sic dicens: Nam etiam apud ipsos à Deo afflatos sacrorum Antistites, quando nos quoque, vt nosti, & multi ex sanctis nostris fratribus, ad contuendum corpus, quod vitæ principium dedit, & Deum suscepit, conuenissemus (aderat autem & Domini frater Iacobus, & Petrus, suprema & antiquissima Theologorum summitas). & viso sacro corpore, placuit omnibus, prout quisque poterat, hymnis celebrare infinitam bonitatem diuinarum virium. Hæc ille. * Cæterum ô tu beatissima Virgo & mater, meritò scilicet beatam te prædicant omnes Angelorum & terrestrium Hierarchiæ, meritò & in cælis benediceris, & in terris beata prædicaris: Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui: Aue gratia plena, Dominus tecum: intercede Hera & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis, qui editus est ex te, incarnatus Deus noster est, quem decet gloria & magnificentia, omnisque honor & adoratio, & gratiarum actio, cum Patre initij experte, & cum Sancto bono viuifico Spiritu & nunc & semper.

Nota fidem tam dictorum Dionysio Areopagita.

**Rursum D. Athanasius.*

En inuocatur Deipara iam ante annos. 130.

VITA S. ARNVLPHI EPISCOPI
Suessionensis, ex ea quæ est per eius successorem Lisiardum.

XV. AVGVSTI.

PER id tempus quo Flandriæ regio Balduini Comitis & Adelæ coniugis eius regimine ornabatur, regnum Francorum moderante Henrico filio Roberti, & apud Anglos regnante Eduardo pio Rege, fuit vir nobilis Fulbertus nomine, in pago Brabantiæ, apud fluuium Scaldem, in villa quam vocant Thidegem, qui ex nobilissima coniuge * Meinsinde filium elegantem sustulit: qui cùm iam esset adultus, ex hac luce subtractus est, cuius mors grauissimum dolorem attulit. Iam menses aliquot in illo dolore erant consumpti, cùm ecce in somnis apparet matronę vir speciosus, ita dicens: Quid ita teipsam mœrore afficis, imo verò summopere exsultes quòd in vtero gestes puerum, qui superna prædestinatione magnus est futurus, quem vbi in lucem protuleris, Chri

S. Arnulphi etas natales.

** Meinsuenda.*

Prædiscit mater de ipsius sanctitate.

Christophorum vocari curabis. Peperit mulier opportuno tempore filium diuinitus promissum eumque è sacro fonte suscipiendum direxerunt pro more ad Arnulphum Aldernadensem, virum potentia insignem, ex paterno sanguine cognatum. Porro præ nimio propinquitatis amore & fastu quodam, non permisit is eum vocari Christophorum, sed voluit, à se dici Arnulphum.

Vocatur à matre Arnulphus Christophorus.

QVI adultus, Arnulphus Christophorus dictus (sic enim eũ mater ex diuinã sponsione maluit appellare, cuius scilicet prosapia ex Comitum erat genere, nempe Ducis Louaniẽsis, & Comitis Namurcensis, Losnensis, Dusacensis atque Montensis) cœpit esse blandus alloquio, promptus obsequio, & fortissimus membrorum robore, tanta virium excellentia eminens, vt quatuor aut quinque coætaneorum vires excederet; ita vt omnes eum fortem Arnulphum nominarent. Vnde etiam, cum pro voto amicorum militiæ arripuisset signa, militibus aliquãdo apud Traiectum in aula Imperatoris iactandis lanceis pro honore occupatis, ipse lignum quod in vertice mali positum velum cõtinet, procul coniicibus, Flandrensibus eo in ludo, omnium acclamatione, victoriam reportauit. Erat interim semper erga pauperes profusus, in iudiciis rectus simul & misericors. Omnia ille militiæ exercitia & studia percurrit, Imperatoris atque Regiis bellis interfuit, Flandriæ & Brabantiæ lites & rixas compescuit, probis omnibus vbique charus & amabilis, improbis terribilis. Sed cùm tot & tanta virtutum germina, quæ diuina in illo gratia seminauerat, non possent vberes satis proferre fructus, neque sese satis diffundere, terrena militia illum retardante, statuit labores militiæ in aliquid melius commutare.

Miles factus, valet stupendo quodam robore corporis.

Multas compescit lites Flãdrorũ & Brabantorũ.

ITAQVE conuocatis duobus armigeris suis, iubet quamprimum omnia armorum genera expediri, quasi vt cum eximio ornatu Francorum Regis aulam possit adire. Parent armigeri, præparant equos, arma componunt. Tum Arnulphus matri valedicens (iam enim pater obierat) arripit iter versus Franciam. Sed neglecta Regis Philippi aula, festinus expetit ecclesiam almi Confessoris Medardi, quæ sita est apud muros Vrbis Suessionensis. Erat tunc in illo monasterio præclara monachorum congregatio, totius Franciæ & Romanæ atque Rhemensis curiæ crebra visitatione celebris, sub Abbate Reinaldo. Excipiũt ergo fratres vt par erat, Arnulphum præcipua deuotione ad Christum properantem: denique ton-

Fit monachus Suessione.

dent

dent, tonsúmque habitu induunt regulari. Post hoc autem cœpit egregius Christi miles multa se carnis mortificatione constringere vigiliis & ieiuniis sedulo operam dare, atque in omnibus probabilem se exhibere. Quin etiam vt funditus risum omnem & lætitiæ mūdanæ motus comprimeret, asperrimo & nodoso tribuli ramo corpus sub veste cinxit, omnibus nihilominus vultum hilarem & iocundum exhibens.

Gestat super nuda carnem nodosos tribulos.

ERAT autem in illo monasterio per id tempus monachus Ereboldus causa amoris Dei inclusus, vel solitariè degens. Qui è Flandria ortus, duram & asperam agebat pœnitentiam; diuinæ contemplationi perpetuò inhærens, eique scilicet Arnulphus solicitè inseruiebat. Itaque & cùm post multos continentiæ agones, ille ad vitam transisset immortalem, nō cessauit venerabilis Arnulphus, donec impetraret quod optabat, nimirum vt posset eandem secretæ conuersationis rationē sectari, & ita inclusus degere. Et quis, oro, audiēs Arnulphum nuper præpotentem militem, ac valdè celebrem mundi pompam respuisse, non cōtinuò mundi à se amorem omnem abijceret? Multi sanè è Brabantia & Flandria, tam clerici quàm laici ad sacrum B. Medardi monasterium aduolarunt; quòd illic monasticus ordo floreret, & venerandi alumni eius Arnulphi iam inclusi amor eos mirificè attraheret. Ille verò de virtute in virtutem quotidie proficiscens, & quæ hactenus egisset, pro nihilo ducens, cellulæ angustias intra quam se incluserat, nimias delicias paradisi æstimabat. Quamobrem quoque cellam egrediens, foris sub dio effecit fossam; in qua residens stillicidia à tecto ecclesiæ super caput & collum eius decidentia continenter excepit, nec mutauit omnino illam fossę habitationem & sessionem, etiam pluuia & niue cadente, perseueranter orans & psallens, gemens & plorans.

Multi eius exemplo conuertuntur ad sacram religionem.

TRIBVS etiam annis & sex mensibus nulli mortalium vllum locutus est verbum, assidua verbi Dei delectatus meditatione. Panis quoque ex hordeo semitrito & raró & parcè in cibum sumebatur, alius nunquam. At verò interea defungitur Abbas Reinaldus, cùm ecce Pontius quidam pseudomonachus, gradu comparatiuo, non secundùm Grammaticam, sed iuxta Simoniam, à Rege Francorum Philippo nomen & sedem adipiscitur Abbatis, qui & profusè victitans, omnē loci substantiam breui exhausit, ecclesiæ etiam ornamenta ipsa in vsus militum ipsum stipantium, vesanè profundens. Conferunt igitur inter se Fratres quid sit remedij. Inflectitur animus

Pænitentiā agit durissimam.

Regis

Regis, omnes concorditer Arnulphum Abbatem sibi eligunt. Tum verò Antistes Theobaldus cum Fratrum caterua abit ad inclusum, rogat, obsecrat, monet, imperat, Abbatis locum in Christi nomine suscipiat. Sed ille, quippe qui iam triennij & sex mensium silentiũ tenuerat, nimium expauescens, arrepta tabella tale scripsit responsum: Rogo vos, Patres charissimi, parcite mihi: & me peccatorum mole prægrauatum sinite aliquem Deo offerre fructum pœnitentiæ. Quod si modò non vultis cedere precibus meis, inducias vel vsque manè mihi detis, vt possim hac in re explorare Dei voluntatem.

Eligitur Abbas.

ET quidem dantur induciæ, sed tamen disponuntur etiã in circuitu custodes. Quos vbi vir sanctus aduertit sopore correptos, statim per murum aufugit. Peruenerat autem iam in pagum iuxta* pontem Laudunensem, cùm ad desêrta tendenti lupus subitò se comitem adiungit. Vnde ille ratus ex lupi comitatu se faciliùs ad auia loca peruenturum, sequitur præeuntem. Sed duce lupo, vel potiùs auctore Deo, nocte redit ad vrbem Suessionensem, sicut sedens in cliuo ei propinquo, orto sole, agnouit. Ex quo quale gaudium, quanta celebritas mox in vrbe exstiterit, non putamus fieri posse, vt ab vllo homine referatur. Exeunt monachi cum clericis, nobiles cum vrbanis, & ligatum fugitiuum suum pertrahunt ad B. Medardi ecclesiam, inuito demandantes munus locumque Abbatis, cùm vix tandem ille ora resoluens, Reuera, ait, nisi diuinis nutibus resistere formidarem, quod imponitis prorsus abnuerem. Credi autem vix possit quàm breui tẽpore totius cœnobij status ad primæ integritatis & honestatis formam per ipsum reductus sit. Sed & habebat quoque seruus Dei ante fores cellæ suæ quasdam arbusculas; quarum poma eius iussu ægroti edentes, mox pulsis languoribus erigebantur. Ad infirmos etiam longiùs positos, crebrò transmisit panem vel vinum sua benedictione conditum, quo gustato, confestim meliùs habebant.

Postulatis induciis noctu fugit.

** montem.*

Dei nutu cogitur esse quod fugerat.

Plures sanat infirmos pomis vel pane a se benedictis.

VERVMENIMVERO Philippus interea Francorum Rex à malis consiliariis deprauatus, cùm esset contra hostes arma sumpturus, misit ad D. Arnulphum legatos, qui dicerent Abbatiam magnis opibus & possessionibus instructam, militibus etiam qui Regibus essent beneficiarij circumfultam, qui & antiquitus consueuissent cum Abbate Regiæ expeditioni interesse. Faceret ergo quod mos haberet antiquus, aut sanè loco cederet. Quo audito vir eximius mox cellam repetens, se in ea iterum includit, successore constituto viro non minùs digno

Iterum redit ad suum inclusorium.

Geraldo, omni honestate conspicuo: atque interim Theobaldus Suessionum Antistes, Deo iubente, è vita excessit. Post quod mox rursum attrahitur vir Dei Arnulphus; & nec ad momentum excusandi dato spatio, infula ei imponitur. Occupabat tum sedẽ, non matris Ecclesiæ electione, sed palatij iure Vrso quidã Geruasij regij Dapiferi germanus frater, circumcinctus turba armatorum. Verùm cùm sedes non faciat Episcopum, sed Episcopus sedem, mansionem sibi constituit S. Arnulphus, fouente illum Comite Theobaldo, in quodam castello eiusdem diœcesis, quod Vlciacum vocant; accurrentibus ad eũ promiscuis populorũ turbis, vbi & egregiè officio suo est perfunctus. Obdormiuit autem feliciter in Domino 18. Cal. Septemb. Anno Christi 1087. Altemburgi in Flandria, quò tum, ita Deo disponente, ad contentiones quasdam Flandrensium componendas erat euocatus; vbi & sepultus est in ecclesia S. Petri, ante & post obitum miraculis clarissimus.

Eligitur Episcopus Suessionensis.

Obdormit in Domino.

VITA S. ARNVLPHI EPISCOPI
Metensis, ex ea quæ est apud R. P. Surium.

XVI. AVGVSTI.

S. Arnulphi genus, & quo modo quidam prædixerit de eius sanctitate.

BEATVS Arnulphus Metensis Episcopus, Francorum prosapia ortus, altis sanè & nobilibus parentibus, sed nobilior postea fuit in fide. Erat eo tempore peregrinus quidam seruus Dei Stephanus nomine, cui cùm reuelata fuissent natiuitatis Arnulphi pueri exordia; Scitote, ait, omnes, quòd puer iste & apud Deum, & apud homines magnus erit. Quod & ita postmodum rerum probauit successus. Hic cùm esset præclara indole, opportuno tempore traditus est præceptori literarum studiis imbuendus. Vbi cùm iam bene esset edoctus, in bonis actibus exercitandus oblatus est Gundulpho Subregulo, siue palatij Rectori. Quem ille per multa & incepta experimenta probatum, Theodeberti tandem Regis ministeriis applicuit, vbi statim effectus est summus; ita vt sex prouinciæ, quas nunc totidem curant Regis domestici, sub illius administratione eius solius arbitrio regerentur. Fuit autem simul sedulus in oratione, in ieiuniis; & in misericordia pauperibus exhibenda, &, sicut scriptum est, Reddebat Deo quæ sunt Dei, & quæ sunt Cæsaris Cæsari. Et quidem amicis & parentibus ipsum cogentibus vix cedens, ex nobilissima gente duxit vxorem, ex qua & duorum filiorum gaudia

Educatur in aula Regis Theodeberti.

dia suscepit: ita tamen vt iugis eius meditatio circa monasteria & loca sancta versaretur.

Viuens in coniugio, semper cogitat aut monasteria aut loca sancta.

PORRO per id tempus erat in Regis ministerio Romaricus vir egregius: qui & eius cognito desiderio, sancto & familiari ei affectu iungitur, atque adeo tandem relictis omnibus, ad * Lirinense monasterium propter Christum peregre proficisci statuunt. Sed in hac re vtriusque desiderio voluntas obstitit altissimi. Etenim euenit, vt vrbis Metensis Praesule mortuo, cunctis subito vna fuit vox populorum, Arnulphum Regis domesticum & Consiliarium dignum esse Episcopatu. Quod ille cernens Deo sic visum esse, compulsus cum lacrymis eam vrbem gubernandam suscepit, ita Pontificalem ferens infulam, vt quamuis nolens, cogeretur etiam curam & solicitudinem, qua tenebatur Regis domestici, itemque palatii Primatum seu Magisterium retinere. Mox autem tanta illi accessit, tamque profusa in pauperes munificentia, vt, fama perferente, etiam de longinquis regionibus & ciuitatibus innumera pauperum multitudo ad S. Arnulphum Antistitem refocillanda festinaret. Erat vero ille iugiter solicitus de bonis operibus, praesertim suscipiendis monachis & peregrinis deuotissime intentus; ita quoque, vt quos hospitio recepisset, suis ipse manibus abluerет pedes, ac deinde vestitos, & cibo potuque refectos cum honore dimitteret, sicque alios refocillandos exciperet alios. Abstinentiae vero eius modum non facile explicauerit quis, cum praesertim interdum post triduana vel prolixiora ieiunia, pane hordeaceo, & aqua parum victitarit. Indutus quoque, licet clam, cilicio, eius proponebat sibi exesis & maceratis membris, continuis addebat vigiliarum & inediae cruciatum.

** Lerinum.*

Ex consiliario Regis fit Episcopus Metensis.

Profusissimus est in pauperes.

Ieiunat saepe integrum triduum.

MVLTA & alia eius miracula exstant, sed ego non nisi vnum commemorabo aut alterum. Eo tempore quo triduanum ieiunium Ecclesia vniuersalis celebrare consueuit, vir sanctus extra ciuitatem cum crucibus atque promiscua plebe orandi gratia iuxta morem processit; & ecce e media hominum frequentia, femina a daemone arrepta terribiliter clamare incipit. Quam mox vidit Episcopus, Crucis vexillo iniecto quamprimum eam ab hoste liberauit. Sed & illud quoque silentio praetereundum non est. Noddo quidam homo scelestus, cibo benefartus, & vino aestuans, cum complicibus suis non verebatur obtrectare sancto Episcopo, dicens illum non Dei esse cultorem, sed hominem potius voluptati addictum, ad cuius lectum non solum Rex, sed etiam Regina tanquam consilium captantes,

Sanat quandam daemoniacam.

Non veretur temeraria iudicia.

nocturnis horis properarent. Qui cùm cubitum iuisset cum socio detractore, ecce iubente Domino, omnia illorum vestimenta flamma corripuit. Itaque exsilientes, magnis vocibus aquam expetunt. Sed aqua iniecta, flammam diuinitus immissam non exstinxit. Ardebant acriter circa nates & verenda interulæ illorum, nec poterant ardentes vestes exuere. Quin & cùm non possent aliud, foras exsiliunt, & instar porcorum in luto vociferantes sese volutant. Sed magis magisque in eorum membra genitalia ignis sæuit: scilicet ita iusto Dei iudicio, illis in locis pœnas luerunt, de quibus illi sanctum virum sua obtrectatione infamare voluerunt. Sed & non diu pòst, idem Noddo in eiusmodi flagitiis deprehensus fuit, vt regia animaduersione, iure illi vita adempta sit.

Puniuntur à Deo, qui viro sancto detraxerant.

CVM autem id genus permultæ virtutes per eum in populo crebrescerent, remotiora à vulgi strepitu loca experiit; quibus crebrò ceu ergastulo inclusus, soli Deo offerendis precibus studiosissimè vacaret: sicque sæpiùs in villa Dodmiaca, quæ est apud Vosgarum, interdum Calciaci non longè ab vrbe in cellulam retrusus, cælum diurnis nocturnisque precibus pulsabat. Multa sanè fide Clotarius Rex, virum sanctum, & amore prosequebatur, adeò vt etiam tum, cùm Dagobertum filium suum ad Principatus culmen euexisset, illi & regnum gubernandum, & ipsum Dagobertum erudiendũ tradiderit. Qui vir beatus, cùm tandem insuperabili desiderio ad eremum adspiraret, Rex Dagobertus suspicatus se eum minis absterriturum, ne illius consiliis & solatiis destitueretur, sic ait ad eum: Charissimi filij tui caput amputabo, si nobiscum nolis permanere. At vir sanctus ei respondit: Filij mei vita in manu Dei est. Tu verò compos vitæ non eris, si insontium vitam perdere volueris. Et tum quidem iratus Rex ensem manu corripit. At beatus Episcopus Regis morituri iram parui pendens, constanter ait: Quid facis miserrime? Itane mala pro bonis vis reddere? En habes me paratum. Ego pro illius mandatis mori non dubito, qui & vitam mihi dedit, & pro me mortuus est. Tum verò vnus è proceribus dixit: Noli, bone Rex, contra te ipsum impiè agere. Quibus verbis, iubente Deo, Regis ira nonnihil repressa est. Interea quoque adest Regina, & ambo simul ad pedes sancti Præsulis corruentes, Abi, aiunt, Domine, ad eremum pro arbitratu tuo: tantummodo te placatum habeamus.

Committitur ipsi institutio & regimen iuuenis Regis Dagoberti.

Supra modũ fuit iratus.

Tandem obtinet quod diu desiderauerat.

ITAQVE vir sanctus, data illis venia, ad orationum pergit certamina;

certamina; cùm non multo tempore interiecto, viro iusto iugi id intentione expetenti, sanctus Goëricus, cognomento * Abdo, successor eligitur. Quod vbi percepit vir egregius Romaricus, à partibus * Vogasi egressus, ad beatum Arnulphum venit, & vtroque in id consentiente, in vasta eremo aptum illi locum præparauit, vbi adscitis nonnullis monachis, atque etiam leprosis, suis manibus vir sanctus Arnulphus fidissimam operam & seruitutem eis iugiter impendebat, calceamenta à pedibus eorum detrahens, eaque detergens, item capita & pedes illorum crebrò abluens, & lectos quotidie studiosissimè componens, imò & à coquinæ etiam seruitio non abstinens, idem scilicet & Episcopus & cocus. Quibus virtutum meritis vir sanctus vel maximè illustris cùm esset, tandem sancta eius anima manibus sanctorum Angelorum ad Christum defertur. Porro corpus eius, quo potuit honore in castello sepulturæ mandauit vir egregius Romaricus, quod anni fermè exactis spatiis successor eius Goëricus Episcopus ad vrbem transtulit, in basilicā sanctorū Apostolorum ad gloriam & laudem Dei.

* *Abdo.*

* *Vosagi.*

Suis ipse manibus seruit leprosis & aliis pauperibus.

DE S. ROCHO CONFESSORE, *ex Fastis Carmelitarum.*

XVI. AVGVSTI.

Rochvs Confessor gloriosus, Narbonensis, oppido Mōtispessulani natus, ex vtero rubra cruce signatus fuit. Is biduo in hebdomada, scilicet quarta & sexta feria, semel tantùm mammillam matris sugebat. Parentibus orbatus, patriam, & amicos, ac bona quæ à progenitoribus habebat, deseruit, & ea pauperibus erogauit. Inde vestem peregrini assumens, Romam versus pergere proposuit. Profectus, priusquam illo perueniret, primò Aquam-pendētem ciuitatem ingressus, Vincentio, hospitali magistro, se iunxit: cum quo seruiens, omnes peste captos, facto signo crucis, sanauit. Inde varias Italiæ ciuitates, eodē malo infectas, liberauit: demū & ipsam quoque Romam ciuitatem, in qua inter alios Cardinalem quendā sic curauit, vt crux facta, fronti ipsius à Rocho impressa, perpetuò remaneret. Postremò humanæ laudis metuens, Galliā repetens, plurimis vbique curationibus mirus, febri in via corripitur, sicque in eremi solitudine sub arbore iacuit, hominibus quidem ignotus, sed cani nobilis cuiusdā, Deo id

S. Rochi natales & mira infantia.

Seruiens in Nosodochio, signo crucis sanat laborantes peste.

agente cognitus, qui ei panem de domini mensa quotidie proferebat. Ad extremum, cum ad oppidum suum in Gallia tum bellis anxia, peruenisset, creditus explorator, carceri coniicitur: vbi peste exanimatus, mortem adesse sentiens, Ecclesiæ Sacramentum, & Angelicam visionem habuit, sicque corpore solutus, migrauit ad Christum decimo sex. kal. Septemb. [illegible]

Alitur diuinitus ministerio canis.

Transit feliciter.

VITA S. MAMMETIS, EX *Io. Maldonato Hispano.*

XVII. AVGVSTI.

Annum agens Mammes duodecimum, parentibus iam defunctis, Cæsarea Capadociæ natali solo egressus, montē conscendit, quo persequutionem Aurelianam vitaret. Et pascendis intentus ouibus, earum lacte victitabat: piis etiam interdū suppliciis indulgebat. Cælesti tamen oraculo monitus, cum in camporum planiciem descendisset: codicem Euangeliorum, & baculum forte oblatos sustulit, & in montem secum reportauit. Lectioni vacabat euangelicæ Mammes, cum ecce multitudo ferarum conuenit, & vbera mulgenda præbuit. Idque cum fieret quotidie, Mammes ferarum lac cum ouillo lacte in caseum pressum, ad portam ciuitatis distrahebat: pecunias in pauperes erogabat. Præses ciuitatis audita munificentia, vere pia, milites duos misit, qui Mammetem comprehenderent: feris tamen septum non ausi contingere, refugerunt trepidi. Mammes eos consequutus, ad præsidem venit, & Christianum se professus est. Præses pueri miratus audaciam, veritusque ne ad eius exemplum discerent alii contemnere diuos: in eculeo torqueri, mox pertinacem in carcerem trudi præcepit. Mammes in vinculis quadraginta corporis Christianos inedia marcidos intabescere, Christum exorauit, & refractis ostiorū vectibus, cunctos emisit. Præses prodigiosi facinoris admonitus, in caminum ignis Mammetem coniecit: cumque intactum conspiceret ab igne medio in amphitheatro leonibus deuorandum exposuit. Sed horribilis leo humana voce testatus, imperio Dei se facere: quam plurimos ex Iudæis ac gentibus interemit. Ad postremum lapidibus obrutus Mammes, circumstrepentibus Angelis emigrauit. Sub Aureliano Imp. anno Christi 171.

Mammes persequutionem Aurelianam vitat.

Christianū se profitetur.

DE S. HELENA MATRE CONSTANTI-
ni Magni Imperatoris, ex Eusebio, & Theodoreto,

XVIII. AV

XVIII. AVGVSTI.

HELENA mater Constantini, cùm Deo omnium gubernatori debitũ piæ mentis & affectionis munus impertire in animo haberet, & pro filio suo, tanto & tam præclaro Imperatore, proque liberis eius Cæsaribus Deo charissimis, suis nepotibus, gratias per preces esse agendas putaret, ætate iam ingrauescente, singulari quodam consilio, & prouida animi cogitatione vereque regia adducta, propere instar adolescentulæ venit, tum sacrosanctam terram oculis lustratura, tum gentes Orientem incolentes, plebémque pariter ac populi multitudinem conspectura. Quæ posteaquam in locis, in quibus Seruatoris erant impressa vestigia, debitam venerationem adhibuit, conuenienter prophetico sermoni dicenti, Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius, statim pietatis suæ monimenta, quibus post se relictis posteris prodesset, fabricare aggreditur. Nam Deo, quem adorauerat, duo dicauit templa, quorum alterum ædificauit in monte vbi ascenderat, alterum ad obscurum illud antrum Natiuitatis eius. Etenim nobiscum Deus in terris nasci pro nobis sustinuit: ac propterea Imperatrix sanctissima Deiparæ partum eximiis monimentis exornare, & sacrũ illud antrũ variis cuiusque generis insignibus illustrare studuit, locus apud Hebræos Bethlehẽ appellatur. Imperator quoq; paulo pòst eundem locum ornamentis regalibus honorare, & monimentis ex auro & argento, variisque aulæis matris suæ magnificentiam adaugere cœpit.

Euseb. de vita Constantini, li. 3. c. 41. & sequent.

S. Helena pro salute filij & nepotum venit Hierosolymam.

Duo exstruit ibidem templa.

Ornât illa tum ipsa, tũ etiam Imperator magnificentissimis donis.

SED & rursus eius mater, quo omnium nostri Seruatoris in cœlos adscensionis memoriam celebraret, excelsa quædam ædificia in monte Oliuarum exstruere parat. Ac primùm in summo totius montis vertice sanctuariũ Ecclesiæ Dei erexit: templúmq; inferius etiã exædificauit in eo ipso antro, in quo, vt vera & sacrata Dei testantur eloquia, discipuli & Apostoli à Seruatore omnium arcanis mysteriis initiati fuerunt. Imperator quoque ibidem variis monimentis & insignibus Regem magnũ Deum veneratus est. Ista igitur duo templa, memoria perpetua celebranda, augusta & eximia in duobus obscuris, quasi antris & mysticis, Helena Augusta, pij Imperatoris pia mater, suæ piæ mentis tamquam indicia, Deo seruatori fundauit. Porrò autem, dum regiarum opum magnificentia instructa, omnem Orientem peragrat, cum vniuerso populo quasque ciuitates incolenti simul, tum priuatim singulis eorũ qui ad ipsam accedebant, infinita munera largita est. Quæ eadem

Nota de antro ad montẽ Oliuarum.

Quaqua versum spargit odorem sua munificentia

Augusta, ea quæ pauperibus omnibus rebus nudatis, omniq́ue ope & auxilio destitutis, dispertiit, vix enumerari possunt. Quippe in alios grandem pecuniarum vim conferre, aliis corporis integumenta prolixè & largiter suppeditare, vinculis eripere alios, alios tū laboribus in metallis effodiendis afflictos, tum fraude & iniuria oppressos, liberare, denique ab exsilio alios in patriam reuocare dignata est. Quæ quidem licet eiusmodi rebus esset insigniter nobilitata, alia tamen propterea in Deum pietatis munera minimè quoque neglexit.

VBIQVE cernebatur in Ecclesiam Dei intrare, templáque splendidis exornare monimentis, inq́ue ædes sacras, vel in minimis vrbibus exstructas, suam benignitatem ostendere licebat: Preterea & videre eam decoro eximióque apparatu admirabilem sæpè versari cum multitudine, & verum cultum erga Deum omnibus piis vitæ officiis declarare.* Sed & aliud etiā facinus, quod posteriorum memoriæ meritò commendari debet, obiit. Nam mulieres quæ toto vitæ tempore virginitatem excolebant, primùm omnes in vnum congregari, & sedibus præparatis accumbere iussit. Deinde illa ipsa ancillæ munus exsequi, apponere cibaria, pocula illis porrigere, fundere vinum, & gutturnium cum maliuuio adferre, aquam denique earum manibus, dum lauant, ministrare non est dedignata. Quas res atque similes hisce cùm confecisset, rediit ad filium, atque ecce non multo pòst, læto animo ac tranquillo, vbi filio de pia viuendi ratione plurima præceperat, & eum benedictionibus, quæ ab exeuntibus è vita dari solent, muniuerat, hinc ad alteram vitam demigrauit. Cui sanè post mortem talis tributus est honos, qualis ei, quæ Deum omnium moderatorem tam assiduo atque adeò ardenti studio coluerat, meritò tribuendus erat.* Euocata est autem ad meliorem statum, cùm confecisset annum ætatis suæ ferè octogesimum, cuius tabernaculum splendidis est exsequiis decoratum, maximáque satellitum turba, ad ciuitatem quæ principem locum tenet imperij, deportatum, ibiq́ue regali sepulcro conditum.

** Theodoretus li. 1. c. 18. En antiquissimū testimonium pro colenda perpetua virginitate.*

Transit ad Christum.

** Rursum Eusebius eodē li. 3. c. 45.*

VITA B. RAINALDI ARCHIEPISCOPI *Rauennatis, ex Hieronymo Rubeo.*

Lib. 6. hist.

XVIII. AVGVSTI.

MORTVO Opizone, Archiepiscopo Rauennate, sacrati viri Rauennates de more in Vrsiano templo comitiis habitis, cùm non vnum sentirent, elegerunt duos, Raynaldum

Concorregium Mediolanensem, & Leonardum Fliscum, ecclesiæ Brugensis, quæ est in Tornacensi diœcesi, Præpositum. Verùm Benedictus vndecimus Pontifex Maximus, qui tunc primùm Bonifacio successerat, Raynaldum probauit, qui rem diuinam coram Pontifice fecerat, Canonicus primò Laudunẽsis, mox vniuersæ Flaminiæ Præses, deinde Episcopus Vincentinus. Ad Archiepiscopatum Rauennatem euectus, decimo tertio Calendas Decembris apud Lateranum, anno Pontificatus primo, à Benedicto Pontifice consecratur, cùm omnes quoque illum Rauennates, ob sanctitatis famam, à Pontifice Archiepiscopum postulassent. Qui factus Archiepiscopus, in dies virtutibus ac religione proficiens, purissimum cultum numinis diuini, legibus persanctè editis, propagandum apud suum populum diligenter curauit: quapropter & sæpè Archiepiscopatus oppida, Argentamque præsertim, inuisit, ac Prouinciale Concilium anno ab ortu Christi millesimo trecentesimo septimo Rauennæ celebrauit, curauitque vti Senatui Rauennati, Lamberto præsidente atque suadente, placeret Rauennæ monetæ pecuniæque ad Anconæ modum vt cuderentur. Estque id habitum non multo pòst, quàm Clemens quintus, qui Benedicto subrogatus fuerat, in Galliam Pontificatus Maximi sedẽ transtulisset.

B. Raynaldus primo Capellanus Summi Pontificis.

Creatus Archiepiscopus Rauennæ, strenuè suo munere fungitur.

SED & cùm Henricus Cæsar Cisalpinarum dissensionum peritissimus, regniique propagandi cupidus, in Galliam Cisalpinam descendisset, familiarissimo semper grauissimoque Senatore vsus est hoc Archiepiscopo Raynaldo: cuius etiam, aliorúmque præterea Senatorum consilio, cùm esset Astæ Coloniæ, omnes Cisalpinarum ciuitatum exsules in patriam quemque suam reuocauit, tametsi non ita multo pòst, mutata sententia, omnem ferè Italiam perturbarit, atque adeò etiam Robertum Siciliæ Regem pronunciato publicè edicto, regno priuauerit. Accessit autem simul etiam causa equitum Templariorum, quos Clemens Pontifex per hos dies acriter persequens Raynaldo Archiepiscopo eam causam cognoscendam amandauit, religione hominis & virtute plurimum fretus. Cæterum Raynaldus, vt iudicium legitimo iure faceret, cùm anno millesimo trecentesimo nono Bononiæ habito conuentu, aliquot sibi subiectorum Episcoporum studiosè inquisisset, tandem anno millesimo trecentesimo vndecimo, eadem de re Concilium Rauennæ habuit, in quo hi fuere: Vgo Placentinus, Vbertus Feretranus, Fredericus Arimi-

Multum eum venerabatur Henricus Imperator.

Committitur ei a summo Pontifice disquirẽda causa Templariorum.

Celebratur ab eo ad hoc Cõcilium aliquot Episcoporum.

nensis, cæteriq; de vsque ad octodecim.

OMNIBVS igitur suo quisque loco in æde Vrsiana considentibus, introducti sunt septem Templarij Ordinis equites, Qui iurati, cùm nihil essent obiectis criminibus testibúsque aduersis debilitati atque abiecti, ad omnia breuiter constanterque seorsim singuli responderunt. Erant autem hæc ferè quæstionis capita: Cùm in ordinem cooptabantur, in ipsis sacrorum initiis, Christúmne aut Deum, aut Virginem Deiparam, aut Diuos abiurassent, vel vt abiurarent moniti fuissent, aliósve ipsi ad abiurandum incitassent. An simulachrum quodpiam, & idolum fictum & commenticium diuina veneratione coluissent. An tyrones adolescentulos, præsertim libidinosè, atque alia quàm decet parte osculati fuissent. An dum rem diuinam facerent, sacra mysteriorum & consecrationis verba omisissent, an verò scelestũ & nefarium facinus putarent hæc cõmittere. Quôd cùm affirmassent, cæteris fortiter perpetuóq; negatis, ab Concilio dimissi sunt. Et quidem Raynaldus Concilium tunc consuluit de tota re quid fieri placeret: in quo cùm multæ sententiæ dicerentur, omnia autem Clemens Pontifex accepisset, sic de tota tandem re iudicauit, vt multis eorum cõbustis, vniuersum Ordinem deleuerit.

Capita eorum quæ Teplariis obijciebãtur.

Ordo templariorum per Pontificem abolitur.

PAVLO pòst quoque idem Raynaldus Archiepiscopus, Ioannis Pontificis iussu & auctoritate, Frederico, Guidoni, & Sperantiæ, Comitis Vrbinatium fratribus, ipsisque Vrbinatibus sacris interdixit, quòd cædibus indignissimis maximisque factis, Vrbinum, & pleraque alia Romanæ Ecclesiæ subiecta oppida occupassent, ciues multos expulissent, reliquosque durissimo imperio opprimerent. Neque verò has Pontificias Interdicti literas Raynaldus solùm intrepidè recitauit, diuulgauitque, sed omnes iussit curauitq;, ad quos ipse eas misisset, vt idem efficerent. Tandem autem cùm Bononię anno millesimo trecentesimo decimoseptimo Cõcilium Prouinciale habuisset, Rauennæque in æde Vrsiana aram Crucis erexisset ac dedicasset, in qua ex marmore arcam multis ac præstantibus Sanctorum reliquiis plenam incluserat, ac eam certis legibus latis, prædiis ditasset, nec non Sacerdotum conuentum illum, qui certis statisque diebus parentant, & pro mortuis Psalmos & preces ex libris sacris conceptas recitant, multis quidem antè seculis institutum, sed tunc ob Sacerdotum licentiam corruptum, restituisset, anno millesimo trecentesimo vigesimo primo, non absque ingenti apud omnes sanctitatis opinione,

Multa præclara B. Raynaldi in ecclesiã Rauennatem monimenta.

quin

quinto decimo Cal. Septembris tranquillè decedens, in cælestem patriam euolauit.

SEPVLTVS est verò in monumento ex marmore in æde Vrsiana: quod cùm superioribus annis Iulius Feltrius ab Ruuere Cardinalis, Rauennatum Archiepiscopus aperire coram se mandasset, viri sancti corpus integrum ac penè recens, promissa barba, ingenua forma, & specie ad dignitatem apposita, inuentū est. Simulq; ad eius corpus, cùm adhuc in sepulcrum illatum non esset, multa miracula, & insequentibus etiā diebus & annis facta sunt. Et vt reliqua omittam, imprimis Iacobus Bennicasa, Iurisconsultus Rauennas, cùm desperata omni salute, & penitus destitutus, acerrimis podagræ doloribus affligeretur, seque voto nuncupato diem Rainaldi festum quotannis solenniter celebraturum obligasset, postridie eius diei doloribus & morbo solutus est. Ex agro item Rauennati eo vico cui Herbosæ nomen est, mulier Blonda vocata, cacodæmone supra quàm dici potest agitata, à cognatisque suis maxima vi ad Raynaldi sepulchrū pertracta, liberata fuit. Quæ pauca de multis quæ indies fiunt, collegisse, sat fuerit: ex quo sit summo Deo honor & gloria.

Migrat ad Christum.

Liberatur quidam e morbo podagra.

VITA S. BERTVLPHI ABBATIS
Bobiensis in Italia, ex ea quæ est per Ioan. Monachum.

XIIX. AVGVSTI.

QVIS, quantusque fuerit venerabilis Bertulphus Bobiensis cœnobij Abbas, non debemus committere vt taciti præterisse videamur. Genere sanè nobilis fuit, attamen gentilis, sanguine coniunctus beato Arnulpho Metensi Episcopo: quem, cùm post mundi huius honores pompasque ad religionis cultum & studia anhelare conspiceret, conatus est etiā ipse, calcatis rebus caducis & terrenis, cælestibus inhiare, sicque ad Arnulphum, quem diximus, Præsulem sese adiunxit. Apud quem cum aliquandiu mansisset, ad venerabilem virum Eustasium, Luxouiensem Abbatem se contulit, atque illic monasticæ regulæ & religioni subditus diu permansit omnibus charus & gratus; donec adueniente eò beato Attalo ex Ausoniæ partibus, cum bona pace & voluntate venerabilis Eustasij ei se adiunxit. Abit ergo, cum venerabili Attalo Ausoniæque finibus receptus, in Bobiensi cœnobio sub eius obedien

S. Bertulphus cognatus S. Arnulphi Metensis Episcopi.

Fit monachus in Luxouio.

obedientia permansit. Vbi cùm rerum omnium conditor beatum Patrem Attalam ex his seculi ærumnis ad cælestia regna euexisset, omnis concio monachorum paterni honoris successorem Bertulphũ acclamauit, quippe qui annis tredecim omni studio & diligentia plebem salutaribus monitis instituere non omisisset. Sed hic simul quoque memoriæ tradendum est, quid hisce annis ille fecerit.

Creatur Abbas Bobiensis.

CVM bonitate, disciplina & scientia instructus, optimis moribus plebem imbueret, antiquus serpens mentem eius cœpit rebus aduersis infestare. Excitauit enim quendam Procum nomine * Cleionensis vrbis Pontificem, vt aduersus eum, Primates linguis, Pontifices verò muneribus parans, commoueret. Qui cùm iunctum sibi gauderet Regẽ, illum adiit, animo persuadendi quod obtabat: Regnabat autem eo tempore * Auriovvaldus Lõgobardus. Sed cùm nihil aliud à Rege respõsi tulisset, nisi vt ecclesiastico iure probaret, cœnobia procul ab vrbibus posita Episcoporum debere parére dominio, ille omnes quos potuit, in suã sententiam pertrahere conabatur. Quæ cùm agerentur, quidã ex aula Bertulpho de ijsdem indicauit. Misit ergo Bertulphus quosdam ad Regem explorandi causa. Quibus Auriovvaldus Rex ait: Non est meum Sacerdotum causas discernere, sed Synodalis examinatio ad purum debet cuncta excutere. Quibus sciscitantibus num Episcoporum velit fauere consiliis, Nequaquam, ait, ego illis faueo qui Dei famulo vellent creare molestias. Cernens ego Bertulphus ita se gerere, quamuis babarum & Arrianæ sectæ addictũ Regem, poposcit vt publico supplemento fultus, Romam ad Sedem Apostolicam peruenire queat.

** Aricaldus Insurgit contra eum quidam Episcopus.*

Causæ Ecclesiasticorũ non sunt discutiendæ per laicos.

REGIO igitur subsidio Romam veniens vir Dei Bertulphus (cuius obsequio & ego interfui.) Honoriũ Papam accessit. Cui cùm causam aduentus sui patefecisset, ille de industria quærit quæ sit Regularis consuetudinis disciplina. Ad quod postquam ille alacri animo Pontifici omnia explicuisset, placuit beato Honorio, vt Regularis series, religionisque cultus humilitatis indicia teneret, sed & aliquandiu quotidianis colloquiis Bertulphum roborare nitebatur, vt cœpti itineris laborem non abijceret, sed simul Arrianæ postis perfidiam Euangelico mucrone feriret. Erat enim venerabilis Præsul Honorius sagax animo, vigens consilio, doctrina clarus, comitate & humilitate põllens: lætabaturque è gentibus socium se inuenisse, qui suauis esset eloquio: nec prorsus ferre sustinuit, vt

Nota fidem scriptoris.

Indicat pro ipso Honorio Papa.

Habet eum summus Pontifex velut pro facie.

nuit, vt citò ab eius consortio separaretur, sicque cum æstus vehemens longa quiescendi spatia præberet, libenter optatum illi munus impertiit, priuilegiis Sedis Apostolicæ eũ afficiens, ne quis Episcoporum in eius ministerio quolibet sibi dominij ius vendicaret. Quod peroptatum munus adepti, ad nostros remeare studuimus.

SANE hic vir Dei Bertulphus, cùm quodam tempore, expleto psallendi officio, vnà cum Fratribus hora diei secunda à beati Petri ecclesia egrederetur, obuium habuit hominem Viatorem nomine, dæmonis rabie plenum. Quo viso, sublatis ad cælum oculis, Conditorem rogauit, hominem vt curaret, cùm ecce vis rabida dæmonis mox profligata est nec prorsus ausus est sathan Dei imaginem contaminare, sed miserabiliter hominem discerpens, fugit ab eo. Interiecto quoque inde tẽpore, alius sæua dæmonis infestatione vexatus infantulus (Dominicus is dicebatur, filius Vrbani cuiusdam) ad eum salutis causâ perductus est, ac similiter dæmonem increpans, coëgit ab homine exire. Sed & alio tempore quidam multa lepra perfusus, qui nulla vnquam medicorum opera se salutem consecuturum spetaret, ad venerabilem virum Bertulphũ venit, orans vt precibus ipsius posset Dei misericordiam experiri: qui peracto biduano ieiunio, oleo perfudit lepra obsitum, moxque didicere membra, post viscerum putredinem, redire ad sanitatem. Sic nimirum præpotens Deus opitulatur famulis suis.

Sanat S. Bertulphus quendã dæmoniacum.

Item alterũ dæmoniacũ, simul & vnũ leprosum.

DE S. LVDOVICO EPISCOPO
Tholosano, Diploma Ioannis xxij.

XIX. AVGVSTI.

IOANNES Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabilibus Fratribus, vniuersis Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, &c. Salutem & Apostolicam benedictionem. Qui facit mirabilia magna solus, dilectum suum, Confessorem eximium, beatum videlicet Ludouicum, nouiter vt exemplar præfulgidum produxit, cunctis fidelibus imitandum, eius quoque vitæ excellentiam crebris miraculis manifestans. Igitur lætentur cæli, & exsultet terra, & iucundetur pariter totus orbis. Hic scilicet felix sanctus, ex regali prosapia, patre videlicet claræ memoriæ, Carolo Rege Siciliæ, matre verò charissima in Christo filia nostra

S. Ludouicus filius Regis Siciliæ.

Maria,

Maria, Siciliæ Regina, ex Hungaria originem suam trahens, alteram sui generis recusauit sapere, humilia semper diligens & amplectens. Et quanquam singula præclara opera lucidæ vitæ suæ, verbis paucis enarrari non possent, aliqua tamen de quàm plurimis referemus. Sanè Sanctus iste, sicut probatum est testimoniis fide dignis, in ætate existens tenera cum sub magistri religiosa diligentia cum suis fratribus teneretur, ipso tamen ibi maturis intendendo moribus, sub tenello pectore gestare se senilem animum ostendebat.

Eius pia educatio.

DVCTVS in Cataloniam cum duobus è suis fratribus, datus obses pro liberatione antedicti Regis, tam feruenter dedicauit se studio, quòd infra septennium, quo ibi obses fuit, sub instructione fratrum Minorum, quos secū habebat in socios, in primitiuis scientiis & sacra pagina sic profecit, quod vir Dei pollens ingenio, de prædictis scientiis non solum publicè ac priuatè subtiliter disputare, sed & solenniter clero & populo proponere verbum Dei valeret, ita vt putaretur scientia hæc infusa sibi magis diuinitus, quàm humanitus acquisita. In orationibus sedulus & deuotus, mentem ad Deum eleuatam assiduè tenuit, sacramentali quoque Confessione præmissa, Missas audiens deuotè. In magnis verò festiuitatibus, cum præparatione multa corpus sumebat Dominicum. Factus autem Sacerdos diebus singulis celebrabat. At verò castitatis amor à decora puero affecerat eius mentē, quòd ob ipsius fidam custodiam, mulierum consortia fugiebat omnino, intantum, quòd, nisi forsan cum matre & sororibus, solus cum sola nullo vnquam tempore loquebatur. Verba etiam inhonesta horrebat audire, ac loquentes talia, grauiter arguebat, attendens prudenter, quod corrumpunt mala colloquia bonos mores. Fratres nihilominus duo, & interdum quatuor, in sua iacebant camera, in suæ testimonium nitidæ puritatis.

Sapientia ita profecit, vt solenniter possit prædicare verbum Dei.

Studiosissime vitat consortia mulierum.

CVM Apostolo Paulo sobrietate cibi & potus corpus suum castigabat assiduè, seque frequenter manu sua, quandoque etiam alicuius Fratris consocij, cum catenis ferreis disciplinabat, vestiendo pro camisia rude stamen, & deferendo ad nudum pro cingulo chordam grossam, sicque ipsam carnem in seruitutem redigebat. Summo etiam studio terrena cuncta calcare studuit, ex desiderio æternorum. Quin etiam considerans sanctus iste, quod mundus totus sit positus in maligno, quodque cum concupiscentia sua transit, ipsum fugiendo, totaliter deseruit, & contempsit. Nam rediens de Catalonia

Flagellat se ipsum catenis ferreis.

cum Rege prædicto, votum quod de intrando Ordinem Fratrum Minorum in obsidione fecerat, in conuentu eorundem Fratrum de Montepessulano statim voluit adimplere. Sed & videns quòd timore dicti Regis, ipsum Fratres recipere non audebant, votum ipsum solenniter iterauit. Vnde etiam, quia vouentibus præceptum nouerat de reddendo, suadenti felicis recordationis Papæ Bonifacio, prædecessori nostro, quòd assensum præberet prouisioni de se factæ ecclesiæ Tolosanæ, nullatenus cõsensit quoadusque votum dictum, quod fecerat, compleuisset.

ITAQVE annuente prædecessore nostro prædicto eius deuotioni, habitu Ordinis prædicti suscepit, ac in præsentia bonæ memoriæ Ioannis Episcopi Portuensis, tunc eiusdem Ordinis Generalis Ministri, expressam professionem, flexis genibus, in manibus suis facit, sicque prouisioni prædictæ suum præbendo assensum, mandatis Apostolicis obediuit. Miranda profecto res, & aliâs insueta. Vir namque virtutum positus in sublimi, iuri primogenituræ renunciauit & regno, regalis solij spreta pompa, pro regno corruptibili æternum ac plenum delicijs mercans. Mira vero compassione ad pauperes ferebatur, quibus largas tã priuatas quã publicas eleemosynas faciebat. Etenim & iam factus Episcopus Tolosanus, per vnum suum familiarem secretarium mandauit inquiri de suorum quantitate redituum, quantumque sibi sufficeret pro moderatis expensis faciendis, & rationabilibus, volens quòd totum residuum in sustentandis pauperibus poneretur.

Id quod diu ipsi, negatum erat, tandem solenniter vnà cum Episcopatu Tolosano suscipit habitũ S. Francisci.

Mira compassione afficitur erga pauperes.

SED & cum iret Parisios pauperem quendam reperit nudum, cui multum compatiens, absconditè, cappam contulit quam portabat, sibique fecit aliam secretè apportari. Ipse quoque viginti quinque pauperes in domo sua reficiebat quotidie, aquam in manibus eorum fundens, manuque sua ipsis fercula apponebat, ac panes scindebat, eisdem etiam genu flexo in ipsis Christo seruire, & ipsum recipere se delectans. Pontificatus interim etiam officium exercebat cum diligentia, Missas dicendo assiduè, & deuotissimè Ordines celebrãdo, clericosque, quibus de beneficijs prouidere volebat, examinãdo de virtutibus & vitijs, & articulis fidei, vitaque & moribus, diligenter. Iudæos quoque & Gentiles, zelo feruens Dei, inducebat sedulò ad baptismum, quorũ quosdam etiam de sacro fonte leuauit, ac sic scilicet tandem gloriosam resolutus est in mortem, Deum suum contemplaturus.

Tradit pauperi ipsam suam cappam qua erat indutus.

Egregiè quoque administrat munus Episcopi.

Qui

Qui quomodo etiam per eum miracula operari sit dignatus, itidem ad Sancti huius declarandam gloriam, præsentibus duximus annotandum.

Mortua nata e.us meritis reuixit & baptizatur.

QVAEDAM mulier, quæ duas conceperat filas, vna illarum in ventre mortua ex casu dictæ matris de asino, & in eius ventre ex mora diutina putrefacta, cœpit puerperio laborare. Cumque dictus partus iā putridus, per frusta fuisset extractus, & alia quoque filia mortua, iam educta esset obstetricum ministerio violenter, & proiecta in stabulo super fimum, emisso ad ipsum Sanctum voto, puella cœpit palpitare, & baptizata septem superuixit mensibus. Quidam etiam puer ętatis annorum septem, dum sub lecto, in quo cum suis iacebat parētibus, repertus mortuus, rigidus & frigidus aliquo tempore permansisset, facto per parentes ad hunc Sanctum voto, fuit diuinitus suscitatus. Sed & sanitatis etiam beneficium statim est consecutus, quòd eius limina visitaret, vir quidam passus annis sex guttam in manu & brachio, ventre ac humero.

Sic experiuntur eius beneficiū & alij.

CANANT itaque altissimè Franciæ, Siciliæ, ac Hungariæ, regna felicia, de quorum horto candoris niuei flos erupit. Lætetur ciuitas Tolosana, tanto ditata Præsule. Felix quoque es, ô tu Massilia, facta diuinorum aromatum tam sancti corporis apotheca. Sed & Fratrum Minorum Ordo conspicuus, nouæ laudis canticum promere non desistat. Cæterùm nos post examinationem & discussionem solennem, de Fratrum nostrorum consilio & assensu, ipsum sanctorum Confessorum Catalogo duximus adscribendum, mandantes quatenus quarto decimo Cal. Septembrium festum eiusdem Episcopi & Confessoris deuotè celebretur. Datum Auinione 7. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

Adscribitur Catalogo Sanctorum.

VITA S. PHILIBERTI ABBATIS GEMmeticensis, ex ea quæ scripta est ad Abbatem Coschinum.

XX AVGVSTI.

S. Philiberti genus.

BEATVS Philibertus, Helisano territorio ortus, secularis literaturæ minimè rudis, pro gentis illius more planè strenuus, in vico Iulij est educatus, ea ratione quòd patrem eius Philibandem fauore regio laicæ functionis ministerio absolutum, eius loci ciues sibi episcopum expetiissent. Qui cùm iam pridem cognouisset adolescentem Philibertum bona ac

liberali

liberali esse indole, eum Regi Dagoberto commendauit, quē inter Francorum Reges constat fuisse fortissimum. At verò Philibertus nobilitate conspicuus, in Audoëni optimatis familiaritatem admissus est, qui sanè aureo licet baltheo cinctus, Deum impensè amabat, clarissimisque vitæ meritis insignis, Rothomagensis ecclesiæ postea factus Episcopus, virtutum signis modò egregiè coruscat in terris. Qui idem Philibertus adolescens, postquam vicesimum ætatis expleuit annum, diuina præcepta audiens, ad cœnobium Rasbacense se contulit, vbi à beato Aglio, per sanctum Audoënum è Luxouiensi monasterio illuc accito amanter exceptus, capitis comam deposuit, adeò deinde in omni religione & sanctitate excrescens, vt etiam perfecti viri in eo cernerent, quod meritò imitarentur. Iussus quoque in prima mensa sedere, omnibus magis ministrare studuit; ita vt eius refectio in fraterna seruitia mutaretur.

Cōmendatur Regi Dagoberto.

Tondetur Clericus in cœnobio Rasbacensi.

VErùm cùm antiquus hostis, eius inuidens abstinentiæ, animum eius pulsaret vt largioribus epulis indulgeret, volente Deo fraus eius detecta est, nequissimo dæmone illi in somnis ostenso. Etenim cùm nocte quadam cibo refectus esset, improbus ille ventrem eius palpans, Modò, inquit, hîc bene; modò hîc bene. Vnde & Christi miles pristinum abstinendi rigorem repetens, diuinum auxilium implorauit. Sed & nocturnis horis, illo ad ecclesiam abeunte, rursum tortuosus coluber tribus modis eum voluit impedire. Prima scilicet nocte, sumpta vrsi specie, intra ecclesiam eum terret; secunda, candelabri ferro confodere nititur: tertia, transuersim in ecclesiæ foribus stans, eum aditu arcere conatur. Sed cuncta machinamenta, virtute Christi, Philibertus dissoluit, Crucis expresso signo. Quin etiam postquam beatus Aglius obdormiuit in Domino, Fratrum vnanimi consensu Philibertus in eius locum est subrogatus: quem tum videre licebat mira humilitate pollentem, domum ipsi creditam strenuè gubernantem, vitia reperta radicitus exstirpantem. At verò quidam è Fratribus excitata rebellione, eum non dubitarūt ex Ecclesia extrahere. Sed vltrix manus præpotentis Dei non passa est impunè id abire. Vnus enim ex eis fulminis ictu interiit, aliusque instar Arrij in sterquilinium viscera effudit: quæ res cæteris metum attulit, ita vt veniam ab illo petentes, in pristinum honoris gradum eum reuocarent, & deinceps amanter ei obedirent.

Variis patitur infestationes diaboli.

Abbas factus primò patitur multas contradictiones, sed paulo post ab omnibus veneratur.

SED quia perfecti viri semper ad meliora contendunt, Sacerdos Christi sanctorum quoque lustrauit cœnobia, vt possit aliquid haurire emolumenti ex illorũ perspecta sanctitate. Itaque inuisit Luxouiense, Bobiense, & alia S. Columbani instituta complexa monasteria; nec ea dumtaxat, sed & quæcũque in Gallia, Italia, vel Burgundia exstabant. Legebat studiose Basilij præclaras constitutiones, Macarij Regulam, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima, atq; ita onustus virtutũ aromatibus, sectatoribus suis egregia de se exempla præbebat. A Rege Francorum Clodoueo, & eius coniuge Baltilde, locum in pago Rothomagensi obtinuit, quem antiquitus Gemmeticum appellabant, illicque egregium cœnobium ædificauit, vbi Sequana fluuius cernitur latè ambiens; Quo in loco cùm vir Domini præclaris meritis & virtutibus augeretur, & quicquid sibi abstinentiæ studio subtraheret, in pauperes & hospites conferret, ecce quodam die laborantibus Fratribus panis defuit. Tum verò ille confirmans eorum animos, aiebat scriptum esse & promissum, non affligturum Dominum fame animam iusti, cum ecce repentè adest Francus quidam, septem panes & sex farinæ sata adferens. Sed & deinceps numquam eius loci habitatoribus frumenta necessaria defuêre.

Visit varia monasteria, ad e vide cunque prorit ut disceat.

Construit cœnobium Gemmeticense.

Fratribus eius inopia laborantibus, diuinitus subuenitur.

VOLEBAT quoque vir Dei curusdam negotij expediendi causa (erat autem illud monasterij sui negociũ) mittere quẽdam ad Ebroinum Francorum Principem. Quem cùm comperisset acri febre prostratum, in virtute Christi negotium obedientiæ illi demandans, solo verbo ait ad eum: Abi, & reuertere, & desine hac febri laborare, cùm mox ille surgit incolumis, & sine mora exsequitur quod erat iussus à sancto viro; simulque & causam obtinuit quam volebat ab Ebroino, & morbum abegit à Fratre. Habebat verò etiam gratiam lacrymarum, ita vt in preces incumbentis oculi repentè multo lacrymarum imbre manarent: atque summopere id illi curæ erat, vt non antè ad sumendum cibum accederet, quàm illius pectus compunctionis gratia Christus visitasset. Solebat quoque vir pius, ob animarum curandam salutem, Fratres è monasterio ablegare, vt suis exhortationibus homines instituerent: vnde & confluebant ad eum multi viri nobiles & potentes, propriaque calcata voluntate, Christi seruitio se mancipabant. Quin & aliud quoque condidit cœnobium, quod Pauliacum vocant, decimo milliario à Gemmetico, in quo habitare voluit sanctas feminas, quibus præfecit matrem

Pollet insigni gratia lacrymarum.

Fundatur ab eo monasterium Pauliacum.

prudentissimam, illustri familia ortam, Austreberthant. Ac denique multa etiam alia eius exemplo constructa sunt monasteria in Neustria.

DIFFICILE autem dictu est, quantum eius opinio creuerit, vt etiam Abbates alij sua monasteria relinquerent, vel probatissimos monachos suos ad eum ablegarent, vt multo tempore apud eum degentes, ad suos reuersi, rectius illis consulere possint. Multa verò ei pecunia à Rege & fidelibus offerebatur, cuius ille decimam partem inde septies detraxit. Quod cũ anno integro fecisset, semper tamen plus ei pecuniæ accessisse comperit: Eas verò decimas captiuis redimendis, & alendis pauperibus assignabat. Quin etiam, cùm pestifer ille Ebroinus, qui ob nimiam crudelitatem à Francorum gente, Palatino priùs fuerãt honore nudatus, & in Luxouiensi cœnobio tonsus, vilis apostata factus, pristinum iterum postea recuperasset honorem, sanctus Philibertus ad eum profectus, apostatam eum appellauit, asserens nullum hominem Christianum cum ipso communicare debere. Fecit autem hoc vir Dei, quòd speraret se ad martyrij palmam peruenturum. Sed Dominus eum multorum profectui seruauit.

Admodũ ipsi cordi sunt pauperes.

Audacter reprehendit impium Ebroinum.

AD hoc etiam diabolus quosdam in beatum virum Rothomagenses clericos informauit: qui, vt inter eum & beatum Audoënum Rothomagensem Præsulem discordiam sererẽt, apud Episcopum illum, virum Dei falsò detulerunt, tantumque etiam efficere potuerunt, vt Philibertum, quem antea præcipuè charum habuerat, iusserit in custodiam duci. Sed ecce dum vir Dei in illo ergastulo Psalmos Dauidicos concinit, vespertiliones, qui illic magno numero congregati erant, diuina virtute suauissimum de se reddiderunt odorem. Et iam quidem carcere literis Audoëni erat dimissus, cùm ad Ansualdum deinde virum nobilẽ, Pictauorum Episcopũ, monasterij construendi causa est profectus. Qui cùm eum vellet secum in vrbe retinere, ille verò semper eremi vastitatem appeteret, in maris insula * Herio cænobium instruxit. In quem locum de Gemmetico fauo mella commigrarunt cum examine animarum. Atque interea succedens ei ex beati Audoëni voluntate Ragentramnus, Archidiaconus Abrincatinæ ecclesiæ est præfectus, atque eodem tempore Ebroinus apostata interfectus est. Tum verò sanctus Spiritus beati Audoëni pectus inflammans id effecit, vt is legatos suos ad Philibertum mitteret, hortans eum vt rediret, & vt mutua inter ipsos

En quid non possint detractores.

Expulsus è suo monasterio, agit apud Episcopum Pictauiensem.

possset concordia sarciri.

Tandē octauo anno ad sua reuertitur. OCTAVVS tum erat annus, cùm Philibertus, gratulante Neustria vniuersa, cœnobium suum recuperauit, quod quidem ita fore, & ipse antea prædixerat. Vt firma autem inter Audoënum & ipsum charitas permaneret, conuenit inter eos, vt vbicumque visum esset, Philibertus degeret, atque aliis interim monasteriis suis Rectores præficeret. Sed & eodem tempore Vuaratto palatij princeps, in Caltino territorio oppidum donauit S. Philiberto, vt in eo virginum monasterium construeret, Villare id appellant, vbi hodieque viget sacra religio. Porro vir Dei profectus Pictauium, voluit Aichradum, electum discipulum suum, Gemmetici monasterij administrationem suo loco suscipere, ac deinde in insulam Herios est reuersus. Quinciaco interim monasterio similiter vnum præponens. Sed nostra facultas tanta non est, vt eius facta omnia commemorare possemus. *Obit feliciter.* Semper in ore eius Christus, semper in eius pectore Spiritus sanctus. Denique migrauit ad Christum anima eximij Sacerdotis 13. Cal. Septembris.

VITA S. BERNARDI ABBATIS,

ex illa eius solenni comprehensa libris quinque.

XX. AVGVSTI.

S. Bernardi patria & parentes. BERNARDVS Burgundiæ oppido oriundus, parentibus fuit claris secundùm seculi dignitatem; sed dignioribus etiam secúdùm pietatem. Pater eius Tescelinus, mater Aleth, ex Castro cui nomen Mons Barrus: quæ septem liberos genuit, non tam viro suo quàm Deo; sex mares, feminam vnam: mares omnes monachos futuros, & feminam sanctimonialem, nequaquam patiens delicatioribus eos cibis assuescere. Quæ cùm in ordine filiorum tertium Bernardum haberet in vtero, vidit catellum candidum totum, in dorso rufum & latrantem se in vtero habere. *Præsagium matris, de eo nasci turo.* Super quo cùm religiosum quemdam virum consuluisset: Ne timeas, inquit ille: Optimi catuli mater eris, & qui domùs Dei futurus custos, magnos pro ea contra hostes fidei editurus est latratus, gratia etiam linguæ medicinalis. *Educatur in ecclesia Castellioni.* Quo responso læta mater, quo citiùs potuit in ecclesia Castellionis magistris literarum eum tradidit erudiendum: in quibus ipse supra ætatem proficiebat, simplicissimus in secularibus. Hic cum adhuc puerulus graui capitis dolore vexaretur, adducta est ad eum muliercula, quasi dolo-

rem

tem mitigatura carminibus. Quam cùm ille appropinquantem sentiret, in ipso impetu spiritus surgens, & eam abhorrens ab omni dolore se mox liberatum esse cognouit. *Notent qui obseruant superstitiones in febribus.*

SED & ex hoc, cùm non parum in fide proficeret, nocte etiam solenni Natiuitatis Dominicæ, adfuit puero suo, se reuelans pueri IESV natiuitas; apparuit ei quasi iterum ante oculos nascens ex vtero matris Virginis Verbum infans, cùm interea mater eius feliciter migrauit ad Dominum, & Bernardus magnæ spei adolescens prædicabatur. *Apparet ei puero Verbũ Infans. caro factum.* Qui cùm curiosius aliquando adspiciendo defixos in quandam fœminam oculos diquamdiu tenuisset, continuo ad se reuersus, seuerissimus in seipsum vltor exarsit. Stagno siquidem gelidarum aquarũ quod in proximo erat, collo tenus insiliẽs, tamdiu ibi permansit, donec penè exsanguis effectus, à calore etiam refriguit carnalis concupiscentiæ. *Grauissimè punit in se adspectum incautum mulieris.* Sed & inter hæc perdendens quod vulgo dicitur, Non est tutum cohabitare serpenti, fugam meditari cœpit, de conuersione secum pertractans. Quod cum fratres eius; & qui carnaliter eum diligebant, persenserunt, id omnibus modis agunt, vt amore scientiæ secularis arctiùs eum seculo implicent. *Notent incipientes in via Domini.* Qua nimirum suggestione, sicut fateri solet, propemodum retardati fuerant gressus eius: sed matris sanctæ memoria importunè animo iuuenis instabat.

NEC verò surda aure percepit vocem illam dicentis: Qui audit scilicet, dicat, Veni. *Apocalip. 22.* Primò enim quinque fratres suos aggreditur, deinde cognatos & notos reliquos de quibuscunq; poterat esse spes conuersionis. Iamque eo publicè & priuatim publicante, matres filios abscondebãt, vxores detinebant maritos, amici amicos auertebant, siquidem voci eius Spiritus sanctus tantæ dabat vocem virtutis, vt vix aliquem aliquis teneret affectus. *Vox Bernardi, vox virtutis.* Erat Castellioni domus vna propria & communis omnium. Ibi ergo quasi mensibus sex post primũ propositũ in habitu seculari stabant, vt perinde plures congregarentur, dum quorundam negocia per id temporis expediebantur. Sed & adueniente die reddendi voti, cùm exirent de mansione Guidonis primogeniti; quæ Fontanæ dicebatur, Guido videns * Niuardum fratrem suum minimum in platea puerum cum pueris aliis, Eia, inquit, frater Niuarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ. *Vvinaldũ.* Ad quod puer non pueriliter motus, Vobis ergo, inquit, cælum, & mihi terra? Non ex æquo diuisio hæc facta est. *Insigne dictũ cõtra amatores diuitiarũ.* Quo dicto, abeuntibus illis, tunc quidem domi ipse cum patre remansit, sed modico

post euoluto tempore, fratres secutus, nec à patre nec à propinquis potuit detineri.

Ingreditur S. Bernardus Cistertium cum triginta sociis.

Eo tempore nouellus & pusillus grex Cistertiensis sub Abbate degebat, viro venerabili Stephano, cùm iam grauiter ei tædio esse inciperet paucitas sua, & omnis spes posteritatis decideret. Sed ecce ingreditur Cistertium cum sociis ferme triginta seruus Dei Bernardus, annos natus circiter viginti tres, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo tertio decimo, à constitutione domus Cistertiensis quintodecimo, sub Abbate Stephano, suaui iugo Christi collum submittens. Quin etiam quia ex prædictis sociis eius vxorati aliqui fuerant, per ipsius solicitudinem ædificatum est simul cœnobium Sanctimonialium feminarum, quòd Villetum dicitur, in parochia Lingonensi. Frequenter autem in ore habebat vir Dei: Bernarde, Bernarde, ad quid venisti? Sed & curiositatis sensu prorsus mortificato, multo tempore frequentauerat, intrans domum ecclesiæ, cùm in eius capite vnam tantùm esse fenestram arbitraretur, ieiuniis & vigiliis, suprà quàm dici potest, intentus. At verò misit interea Deus in cor Stephani Abbatis, ad ædificandam domum Claræuallis mittere fratres eius, & cum eis simul alios viros religiosos: quibus abeuntibus, ipsum etiá dominum Bernardum præfecit Abbatem.

Nota mirabilem mortificationem sensuum.

Constituitur Abbas Claræuallis.

Atque ô viros Dei! Pulmentaria sæpiùs ex foliis fagi conficiebant: panis instar prophetici illius ex hordeo, & milio, & vicia erat. Atque hæc erat sub Abbate Bernardo insignis illa spiritualium schola studiorum. Sed tamen, vtinam se circa semetipsum talem adhuc exhibuisset, qualem circa cæteros, tá benignum, tam discretum, tam solicitum. Videbant eum, & conuersationem eius homines medici, & mirabantur: tantámque vim eum in seipso causabantur inferre naturæ, ac si agnus ad aratrum alligatus arare cogeretur. Sed & cùm crebra illa ex corruptione stomachi, per os eius indigestæ cruditatis eruptio alus inciperet esse molestior, non tamen ilico collectas Fratrum deseruit, sed iuxta locum stationis suæ procurato, ac defosso in terra receptaculo, doloris illius sic aliquamdiu, prout potuit, necessitatem transegit. At vbi nec hoc permisit intolerantia rei, tunc demum Collectas deserere, & seorsum habitare est compulsus, nisi quantum disciplinæ claustralis necessitate, conuentui cum Fratrum aliquando interesse oportebat, quamquam nec omnino infirmitatis eius effectus vsquequaque plangendus sit & dolendus. Quid enim, si voluit sapientia

Patitur mirabile martyrium ex stomacho.

Dei

Dei per infirma potiùs illius hominis tot tantáque confundere fortia mundi huius. 1. Cor. 1.

ETENIM cùm in illa valle sua, & vicinis ciuitatibus, quas aliquoties eum inuisere domesticæ curæ ratio cogebat, magnis floreret virtutibus & miraculis, cœpit etiam seu communibus Ecclesiæ necessitatibus, seu obedientia maiorum, ad remotas regiones pertrahi. Missi erant à Domino Papa Innocentio in Gallias nuncij, quo schismatis à Petro Leonis facti ordinem Gallicæ intimarent Ecclesię: vnde conuocato ad Stampas Concilio, Abbas sanctus Claræualensis specialiter ab ipso Rege, & precipuis quibusque Pontificibus accersitur, vnus omnium ore locutus, suscipiendū Innocentium nominauit. Peruenit interea ipse Dominus Papa Aurelianum, Petro Leonis scilicet vrbem Romam armis & largitionibus obtinente, vbi & occurrentibus Episcopis, à Rege piissimo Francorum Ludouico honorificè est susceptus. Inde autem à Gaufredo Carnotensi Episcopo, Carnotum deducitur, vbi etiam aderat gloriosus Rex Anglorum Henricus, quem venerabilis Abbas ad eum premissus, vix tandem persuasit Innocentium recipere, nimirum antea ab Episcopis Angliæ penitus erat dissuasus. Multa ibi dicta & facta sunt, multáque ibi secularia & ecclesiastica negotia definita, cùm interea reuersi de Germania Legati Domini Papæ, tam Episcoporum quàm Regis consensum & literas detulerunt, deprecationem simul etiam vt ad eos transiens, suam eis desideratam exhiberet præsentiam.

Li. 1. c. 13. Multis claret virtutibus & miraculis. Lib. 2. c. 1. Tempore schismatis summa auctoritate suadet Gallis pro vero Papa stare. Item & Regi Angliæ.

PERLVSTRATA igitur Francia, Rhemis conuocauit Concilium, abbatem nusquam à se separari patiens. Inde Leodium Romanorum Regi occurrit, vbi sicut honorificè susceptus est, ita velociter obnubilata est illa serenitas. Siquidem importunè idem Rex instilit, tempus se habere reputans opportunum, Episcoporum sibi restitui Inuestituras, quas ab eius prædecessore Imperatore Henrico per maximos quidem labores & pericula Romana Ecclesia vendicarat. Ad quod verbum expalluêre Romani, grauiùs se apud Leodium arbitrati periculum offendisse, quàm declinauerant Romæ: nec consilium suppetebat, donec murum sese opposuit abbas sanctus, audacter resistens Regi, verbúmque malignum mira auctoritate compescens. Longum est texere per singula, quo pacto à Rege Lothario postea Dominus Papa vi exercitus in Lateranense palatium sit deductus; quo pacto etiam Petrus Leonis in editioribus turribus manens, Lotharij

Innocentius Papa suscipitur in Germania. Grauiter opponit se Regi sancti animarū pro domo Dei contra potestatem secularem.

ludificarit virtutem, atque adeò is Innocentium iterum tandẽ Pisas reuerti coëgit. Certè vbique præsens sanctus Abbas, primò Mediolani schisma per Anselmum factum omnino sustulit, deinde etiam in Aquitania furentem comitem, partes fouẽtem Petri Leonis, velut fulmine quodam prostrauit, corpus scilicet Domini super patenam ponens, ac sic terribiliter eum compellans.

Hic est Gulielmus, postea sanctissimus eremita, de quo 10. Febr.

Vnde & tandem, confuso etiam per eum & Siciliæ Rege, nec non & diuinitus percusso Petro Leonis, ridiculus Pontifex ipsius hæres, ad virum Dei se contulit noctu, quem ille ad Domini Innocentij deinde adduxit pedes. Et hęc quidem valde eximia: sed & rursum è diuersissimis regionibus odore religionis illius vbique diffuso, subitò Fratres ad fundanda monasteria inuitantur: Fũdata quoque & statuta seditioni eius subiiciunt. Sed & diuersarum regionum ciuitates non ferentes moram, quamprimùm ex hoc collegio meruêre Episcopos. In primis Roma summo ornatur Pontifice Eugenio illo tertio, Præneste Stephanum habuit totius modestiæ virum, Ostia virum magnum Hugonem, in ipsa quoque Romana curia Henricus & Bernardus, alter Presbyter, alter Diaconus ordinati sunt Cardinales, prope vrbem Romam Nepa quoque sub Huberto refloruit, in Tuscia Pisis natalis soli gloria, & magnum Ecclesiæ lumen effulsit Balduinus, citra Alpes Lausannæ datus est Amedeus, Seduno, Garinus, Lingonis, Godefridus, Antisiodoro, Alanus, Nannetis, Bernardus, Beluaco, Henricus, Tornacò, Giraldus, Eboracò, Henricus, in Hibernia etiam Episcopi duo re & nomine Christiani. Et quis recenseat vniuersa?

Multis vtrò citròque fa[...] [...] esse, [...] schismate.

Nomina aliquot eorum qui mox facti sunt ex ipsius ordine Episcopi.

Li. 3. c. 4.

ET mirum videri posset, tot ac tanta vnum hominem moribundum & languidum conficere potuisse, nisi quòd Dominus vbique sermonem eius confirmaret sequentibus signis, quę numerare, nedum enarrare, difficile foret. Nam & eodem tempore scribi cœperant, sed ipsa demum Scriptorem numerositas scribendorum superauit: nimirum cùm aliquando vna die viginti, seu plures ab incommodis variis sanarentur: nec facilè ab huiusmodi dies vlla vacaret. Denique & quo pacto etiam pro fide magnificè egerit, contra Petrum Abaillardum dico, Gillebertum Porretanum, Henricum etiam monachum apostatam Tolosanum, quorum Petrum in Concilio Senonensi, Gillebertum in Concilio Rhemensi, vtrumque cominus, tertium fuga elapsum publicè Tolosæ concionando prostrauit, tum ipsius, tum aliorum scriptis toti iam mundo innotuit. Ob-

Miracula ipsius verè innumerabilia.

Egregia aliquot certamina ipsius pro fide.

Migrat ad Christum.

Li. 5. c. 2.

dor

dormiuit autem inter manus filiorum dilectus Domini Bernardus, Clareuallensis cœnobij primus Abbas, aliorum quoq; ampliùs quàm centũ sexaginta monasteriorum Pater, expletis vitæ suæ annis circiter sexaginta quatuor, 13. Cal. Sep.; relinquens ea die inhabitantes in ipsa Claraualle animas Domino seruientes septingentas septuaginta.

Nota.

VITA S. STEPHANI REGIS HVNGArorum, *ex ea quæ est per Episcopum Chartuitum.*

XX. AVGVSTI.

EA tempestate qua Hungarorum gens Dei Ecclesiam populabantur, fuit in ea Princeps quidam, quartus ab eo, qui Hungaris in Pannoniam ingressuris Ducem se prębuit. Is Geisa dicebatur, seuerus sanè & crudelis homo in suos, erga alios tamen, præsertim Christianos, humanus. Ad hoc Clericis & Monachis fecit potestatem in ipsius quoque consplectum veniendi. Quos cùm propenso animo audiret, credidit ipse tandẽ cum familiaribus suis, vndisque salutaribus expiatur. Multum erat solicitus de edomandis rebellibus, & de Episcopatibus statuendis, cum ecce adest ei nocte Dominus, dicens: Pax tibi Christi electe. Non fiet tamen per te id quod meditaris, habes enim manus humano sanguine pollutas, nascetur autem tibi filius, qui diuinæ prouidentiæ consilio id efficiet. Apparet autẽ deinde & eius vxori protomartyr Stephanus, idem nuncians, nec non & nomen suum nasciturо imponens. Nascitur infans in oppido Strigoniensi, Stephanum eum beatus Albertus Pragensis pręsul baptizat. Interea verò creuit accuratè educatus, cùm pater eius iam grandæuus anno à Christo nato nongentesimo nonagesimo septimo, vitæ huius ærumnas cum cælestibus gaudiis commutauit: quo eodem anno beatus Adalbertus, cùm in Prussiam eius etiam gentis conuertendæ causa esset profectus, martyrij palmam est adeptus.

Pater S. Stephani licet seuerus esset in suos, tamen in Christianos est valde humanus.

Pronũciatur ipsi nasciturus hic sanctus filius.

Moritur eius pater.

STEPHANVS igitur adhuc adolescens patri subrogatus in veritatis propagationem incubuit animo ardentissimo. Et primò quidem eos qui ex suis, ob Christianam fidem, eius se volebant Imperio subducere, in armis confidentes, ipse fide armatus, sub signis Deo dilecti Pontificis Martini, quem Pannonia apud se natum gloriatur, & clarissimi martyris Georgij, apud Vesprinum superauit, ex hostium spoliis iuxta eiusdem Præsulis fundum, eo loco qui Sacer mons dicitur, vbi & sanctus Martinus precari solitus erat, sub eius nomine monasteriũ

Victoria parta ex hostibus fidei, Rex pius max cõstruit insigne monasteriũ.

construens. Deinde hostibus sub iugum missis, per nuntios & literas in partes omnes suum declarauit votum & desiderium, quo tempore ad eum conuolarunt Astricus Abbas cum discipulis suis, & duo e Polonia eremiticæ vitę studiosi, Andreas & Benedictus: ex quibus Astricus cum suis honorificè acceptus, ad radices montis Ferrei cœnobium in S. Benedicti honorem construxit. Porro post hæc Christianissimus Princeps prouinciam distribuit in decem Episcopatus, quorum metropolim & magistram voluit esse ecclesiam Strigoniensem, petens, per Astricum eundem, Episcopum tunc Colocensem electum, qui etiam Anastasius dictus est, à Petri Apostolorum Principis successore omnia confirmari, qui & adeò largam benedictionem recens conuersæ Pannoniæ impertiit, vt ipsius Ducem Regio diademate Miesc hæ Polonorum Duci ab ipso iam tunc parato, cohonestarit, admonitus simul diuina iussione: quod factum est anno ab obitu patris quarto.

Itē distribuit prouinciā in decem Episcopatus.

DEHINC autem & consortem regni, præcipuè sobolis propagandæ causa, sibi adsciuit Christi Apostolus à summo Pontifice appellatus Rex Stephanus, sororem Henrici Imperatoris G.selam, qui Imperator, ob morum comitatem & mansuetudinem, Pius est appellatus. Quæ Chrismate vncta, & corona Regia insignita, qualem se præbuerit erga Dei cultum ornandum, multarum ecclesiarum Cruces, vasa sacra, & vtensilia, miro opere effecta vel contexta in hunc vsque diem testantur, præcipuè tamen ecclesia Vesprimiensis, quam illa à fundamentis constructam in auro, argento, multigenisque vestibus præclarè ornauit. Erat autem & ipse Rex quoque Deo toto pectore addictus, seipsum, suúmque regnum in perpetuæ Virginis Mariæ tutelam assiduis precibus commendans: vnde & in ipsa Regiæ sedis ciuitate, quam Albam vocant, ad eius honorem in primis celebrem basilicam condidit opere sanè mirifico, celatis chori parietibus, & pauimento marmore strato. Quam basilicam qui vidit, testimonium perhibebit dictis nostris, innumera illic haberi palliorum, & eorum quæ paramenta vocant, genera, tabulas quoque altarium non paucas ex auro purissimo, pretiosissimorum lapidum ordinibus conspicuas. Exstruxit etiam in ipsa Hierosolyma, vbi Dominus noster Iesus Christus in carne versatus est, monachorum cœnobium, idémque prædiis & vineis ditauit.

Ducit vxorē sororem Henrici Imperatoris.

Exstruit magnificū templum in Alba regali.

Itē facit pias fundationes Ierosolymis, Romæ, & Constantinopoli.

ROMAE quoque, quæ est mundi caput, sub Protomartyris Stephani titulo duodecim Canonicorum condidit Collegium.

grum, rebus necessariis, & ad eiusmodi Collegium attinentibus, abundans: domos quoqe & hospitia Hungarorum, qui orationis causa Romam ad beati Petri Apostolorum Principis limina venirent, exædificauit. Tum quoque vrbem regiam Cōstantinopolim noluit suæ liberalitatis esse expertem, mirifici operis in ea conpens ecclesiam. Inter omnia autem cælestis gratiæ numera beato Regi diuinitus collata, præcipuè admiranda videtur misericordia eius & benignitas, qua ita pauperes Christi, imò pauperibus ipsum Christum complectebatur, vt ad recreandos egenos, quotidianas expensas fieri iuberet. Sed & quadam nocte, cum crumenam nummis plenam accipiens, ad pauperes esset ingressus illi distribuendæ pecuniæ nimium inhiantes, barbam beati viri euulserunt, ea improbitate illius meritis testimonium perhibentes: quo tempore ille etiā gaudio perfusus, ad beatissimā creatoris omnium matrem se confert, humi prostratus, gratias agens. Nec hîc prætermittendum etiam puto illud, quod diuina virtus in beati viri vita demonstrare voluit cuius esset menti. Nam quoties ad aures eius peruenisset, quempiam aduersa laborare valetudine, medicinæ loco misit ei siue panis, siue pomi, vel herbæ odoriferæ particulam, simul mandans vt sanus surgeret. Mox verò diuinæ misericordię fauore eius sermonem prosequente, incolumis ille efficiebatur.

Insigne exemplum munificentiæ in pauperes, & summæ patiētiæ.

Multi ægroti eius meritis sanantur.

DEFVNCTO quoque beati Regis amico Romanorum Imperatore Henrico, Conradus ei in Imperio successit, Pannoniæ infesta signa inferens. Tum vero Rex Stephanus perpetuæ Dei genitrici suas iniurias, nouellamque simul Christianismi plantationem deuotè commendans, fidenter mouit in hostes, cùm ecce altera die nuncius venit ad singulos quosque Duces exercitus Germanorum, ab Imperatore literas afferens, quibus iubebatur pedem retrò referre. Quod cùm intellexisset Imperator, sciens nuncium illum haudquaquam è se fuisse missum, deinceps ab eius inuadendo regno timore illius æterni Iudicis sese cohibuit. Hic etiam Rex pijssimus, erga regni sui politicam gubernationem religiosa sollicitudine occupatus, diurnum tempus colloquiis & consultationibus impendebat, nocturnis horis in vigilias, preces, & lachryma incūbens. Aderat denique, tā felix ille dies, eius obitu mox felicitatis aliquam accessionē habiturus: circumstabant eum clero Episcopi, cum ministris Principes & Comites & ecce Rex in medio iacens, sacram percipiens Vnctionem,

Deus aduersus pugnat pro ipso contra Conradum Imperatorem.

iunctam

sanctam animam corporis & sanguinis Christi recreatam viatico, in manus perpetuæ virginis, & sanctorum Angelorũ æternæ quietis beatitudini inferendam tradit, anno Dominicæ Incarnationis millesimo tricesimo quarto. Cuius corpus perductum est ad vrbem Regiam, puta Albam, ibique in ecclesia celeberrima beatissimæ Virginis supradicta est humatum: vbi compluribus annis, ob eius merita, Dominus malè habẽtibus innumera præstitit beneficia.

Munitus sacramentis Eucharistiæ, & sacri Olei, migrat ad Christum.

VITA S. SYMPHORIANI, EX *Breuiario Viennensi.*

XXII. AVGVSTI.

SVB Aureliano principe cùm aduersus Christianæ nomen persecutionis dira procella detonaret, & ad delendam religionem catholicæ legis imperij sui decreta conuerteret, erat tunc in Augustodunensi vrbe Fausti nobilis viri filius Symphorianus, christianæ familiæ literis bene institutus & moribus, Ita vt primæuæ indolis florentes annos, senum anticipans vitam immaculatæ mentis synceritate superaret. Erat tũc Hedua ciuitas antiquæ nobilitatis titulis & sacrilegæ religionis referta cerimoniis errori famulans diuersis idolorum templis, vanæ superstitionis amore tenebatur, Berecinthiæ Apollinis, & Dianæ cultum speciali dilectione venerata est. Ad Berecinthiæ matris dæmonum prophanam solennitatem populorum multitudo conuenerat. Heraclius illius temporis consularis in eadem vrbe residebat, ad requirendos discutiendosque Christianos sagaci inquisitione sollicitus. Symphorianus, affuit: & quia statuam Berecinthiæ adorare noluisset comprehensus tenetur & Heraclio consulari statutus ingeritur. Cui ille de tribunali residens dixit, Nomen conditionemque designa. Ille respondit, Symphorianus dicor: Christianus sum. Iudex dixit: Cur deæ matris effigiem adorare noluisti? Symphorians respondit, Paulò antè dixi Christianus sum, Deum viuum adoro, qui regnat in cælis, simulachrum verò dæmonum non solum non adoro, verùmetiam si permittis, malleis illud mea auctoritate comminuo. Iudex dixit, nisi Deæ Matri Sacrificaueris, hodie te dilaniatum omnibus pœnis capitalis sententiæ damnatione prosternam. Symphorianus dixit. Ego omnipotentem Deum, qui me fecit, timeo & ipsi

Impietas maxima Hedua ciuitatis.

Comprehenditur S. Symphorianus.

Eius constantia & magnitudo animi.

& ipsi soli seruio. Tu corpus meum ad tempus in potestate habes, animam verò meam non habes. Hæc sancto Symphoriano loquente: iudex iracundia succensus dixit. Symphorianus publici crimini reus, qui diis sacrificare detrectans maiestatis sacrilegium perpetrauit, sacris etiam altaribus nephariis vocibus irrogauit iniurias, gladio vltore feriatur: vt dum crimina funesta resecantur, deorum pariter & legum vindicetur iniuria. Sic data sententia dum beatus vir duceretur ad victimam, venerabilis mater sua de muro sedula illum voce commonuit dicens, Nate, nate Symphoriane, in mente habe Deum tuum, Resume constantiam fili, Timere non possumus mortem, quæ sine dubio perducit ad vitam. Sursum corda suspende fili aspice illum qui regnat in cœlis, hodie tibi vita non tollitur sed mutatur in melius. Et quanlibet angustus callis iter durum & scrupulum erumnosæ tribulationis indicat. Hæc vita est in qua percussorem tuum prostratus interficis. Si perduraueris hodiæ, nate, ad supernam nobilitatem felici commutatione migrabis. Sic sanctus Symphorianus extra murum ductus, & à persecutore prostratus; & à religiosis latenter inde est sublatus. Sic Martyr delatus ad fontem qui extra publicum campum est, & ibi in parua cellula tunc sepultus, semper tamen se virtutibus publicauit: ita vt gentilibus stupentibus propter mira dona sanitatum in honore maximo etiam illis temporibus haberetur.

Sententia in eum datur.

Vox matris ad eum dū ad victimam duceretur.

Eius obitus & sepultura.

DE S. SIDONIO EPISCOPO *Aruenorum, ex D. Gregorio Turonensi lib. 2. historia Francorum.*

XXIII. AVGVSTI.

MIGRANTE Eparchio Aruernorum Episcopo, Sydonius ex præfecto Episcopus substituitur, vir secundum seculi dignitatem nobilissimus, & de primis Galliarum Senatoribus; ita vt filiam sibi Auiti Imperatoris in matrimonio sociaret, Huius tempore cùm adhuc apud vrbem Aruernam Victorius, cuius suprà meminimus, moraretur, fuit in monasterio beati Cyrici, vrbis Ipsius Abbas, Abraham nomine, qui fide atque operibus Abrahæ illius prioris refulgebat, sicut in libro vitæ eius scripsimus. Sanctus verò Sidonius tantæ facundiæ erat, vt plerumque ex improuiso luculentissimè,

S. Sidonius nobilissimus in seculo, atque adeò gener Auiti Imperatoris.

Claret magna facundia & eruditione.

ſimè, quæ voluiſſet, nulla obſiſtente mora componeret: vnde & quadam die, cùm ad feſtiuitatem baſilicæ monaſterij, cuius ſuprà meminimus, accederet, ablato ſibi nequiter libello, per quem ſacroſancta ſolennia agere conſueuerat, ita paratus ex tempore cunctum Feſtiuitatis opus explicuit, vt ab omnibus miraretur, nec putaretur ab adſtantibus hominem ibi locutum fuiſſe, ſed Angelum, quod in præfatione libri, quē de Miſſis ab eo compoſitis, coniunximus, pleniùs declarauimus. Cùm autem eſſet magnificæ ſanctitatis, atque, vt diximus, ex Senatoribus primis, plerumque neſciente coniuge, vaſa argentea auferebat à domo, & pauperibus erogabat. Quod illa cùm cognoſceret, ſcandalizabatur in eum: ſed tamen dato egenis precio, ſpecies domui reſtituebatur.

Item eſt liberaliſſimus in pauperes.

Epiſcopus factus, patitur ſibi infenſiſſimos duos preſbyteros.

SED & cum ad officium Dominicum fuiſſet mancipatus, & ſanctam ageret in ſeculo vitam, ſurrexerunt contra eum duo Presbyteri, & ablata ei omni poteſtate à rebus Eccleſiæ, arctum ei victum & tenuem relinquentes, ad ſummam eum contumeliam redegerunt. Sed non longi temporis ſpatio inultam eius iniuriam diuina voluit ſubſtinere clementia. Nam vnus ex his nequiſſimis & indignis presbyteris, cùm ante noctem minatus eum fuiſſet de Eccleſia velle extrahere, ſignum ad Matutinas audiens fuiſſe commotum, feruens felle, contra ſanctum Dei ſurrexit, hoc iniquo corde explere cogitans, quod die præcedente tractauerat. Ingreſſus autem in ſeceſſum ſuum, dum ventrem purgare nititur, ſpiritum exhalauit. Dehinc autem beatus ſacerdos vno adhuc manente nihilominus inimico, ſuæ reſtituitur poteſtati. Tandem verò factum eſt, vt accedente febre ægrotare cœpiſſet vir ſanctus: quare & rogat ſuos vt eum in Eccleſiam ferant. Quò cùm illatus fuiſſet, conueniebat ad eum multitudo virorum ac mulierum, ſimulque etiam puerorum plangentium atque dicentium: Cur nos deſeris paſtor bone? Tum verò ille: Nolite, inquit, timere, ô populi, Ecce frater meus Aprunculus viuit, & ipſe erit Sacerdos veſter. Qui non intelligentes, putabant eum loqui aliquid in ecſtaſi. Migrante autem eo, preſbyter ille nequam, alter ex duobus qui remanſerat, protinus omnem facultatem Eccleſiæ, tanquam ſi iam Epiſcopus eſſet, inhians cupiditate, præoccupat, dicens: Tandem reſpexit me Deus, cognoſcens me iuſtiorem eſſe Sidonio, largituſque eſt mihi hanc poteſtatem. Cumque per totam vrbem ſuperbus ferretur, adueniente die Dominico, qui imminebat poſt

Aegrotat, & paulò poſt moritur.

Et terribile q̃ ſtionem cum iſſi... ſuperbi presbytero.

post transitum viri Dei, præparato epulo, iussit cunctos ciues in domo ecclesiæ inuitari, despectisque senioribus, primus recumbit in toro.

SED ecce diuinam vltionem. Cùm ei offerret pincerna poculum, ita ait ad eum: Domine mi, vidi somnium, quod, si permittis, edicam. Videbam hac nocte Dominica, & ecce erat domus magna, & in domo erat thronus positus, in quo quasi iudex residebat, cui assistebant multi sacerdotum in vestibus albis, sed & promiscuæ populorum turbæ innumerabiles. Quod cùm trepidus cõtemplarer, vidi inter eos beatum adstare Sidonium, cum presbytero illo tibi charissimo, qui ante hos paucos annos de hoc mundo migrauit, attentè litigantem. Qui idem presbyter cùm esset deuictus, iubet Rex, vt in imis carceris angustiis retrudatur. Post quod contra te quoque suggeritur, vt qui in eodẽ scelere, propter quod prior ille damnatus fuerat, fueris particeps. Vbi postquam Iudex, quem ad te transmitteret, cœpit inquirere, ego me inter reliquos occulere cœpi, ne fortè ego, qui nefas sum, mitterer. Tum verò ille ad me, Ne timeas puer, inquit, sed vade, dic presbytero illi: Veni ad respodendum causam, quia Sidonius te accersit: Tu verò ne moram facias ad eundum, quia sub graui testificatione mihi præcepit Rex ille hæc loqui, simul addens: Si tacueris, morte pessima morieris. Quæ eo loquente exterritus presbyter, elapso de manu calice, reddidit spiritum, Atque ita scilicet Dominus vindicat iniurias seruorum suorum.

Consonat huic mirum quod est in Apocalypsi: Vsquequo Domine non vindicas sanguinẽ nostrum?

Sistitur diuino tribunali S. viri amulus.

DE S. BARTHOLOMÆO APOSTOLO

ex Ordinario nono.

XXIIII. AVGVSTI.

BARTHOLOMEVS Apostolos Galilæus, cùm in Indiam citeriorem, quæ ei in orbis terrarum sortitione ad prædicandum Iesu Christi Euangelium obuenerat, progressus esset, aductum Domini Iesu iuxta sancti Matthæi Euangelium illis gentibus prædicauit. Sed cùm in ea prouincia plurimos ad Iesum Christum conuertisset, multos labores calamitatesque perpessus, venit quoque in maiorem Armeniam. Ibi Polemonem Regem, & coniugem eius, ac præterea duodecim ciuitates ad Christianam fidem perduxit, Quæ res in eum magnam inuidiam concitauit illius gentis sacerdotum

B. Bartholomeus prædicat Indis.

Item Armenia.

tum: nam vſque adeò Polemonis Regis fratrem in Apoſtolum incenderunt, vt is viuo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi iuſſerit, ac caput abſcindi: quo in martyrio animam Deo reddidit. Eius corpus Albani, quæ eſt vrbs maioris Armeniæ, vbi is paſſus fuerat, ſepultum eſt: quod poſtea ad Lyparam inſulam delatum, inde Beneuentum tranſlatum eſt: poſtremò Romam ab Othone ſecundo Imperatore, Gregorio quinto Pontifice Maximo, portatum, in Tiberis inſula, in eccleſia eius nomine dicata, collocatum fuit. Agitur autem Romæ dies feſtus octauo Calendas Septembris, & per octo conſequentes dies illa baſilica, magna populi frequentia celebratur.

Tandem conſummatur crudeli martyrio.

Reliquiæ eius delatæ Romā ab Othone 2.

VITA S. AVDOENI EPISCOPI

Rothomagenſis, ex ea quæ eſt per Fridegodum.

XXIIII. AVGVSTI.

TEMPORIBVS Clotarij clariſſimi Principis, filij Chilperici Regis Francorum, anno plus minùs viceſimo regni eius, pago Sueſſionico, quinque milliaribus ab ipſa ciuitate diſtante, eo loco quem Sanſiacum vocant, orti ſunt tres venerabiles viri ex vno ſemine, nobiles in ſeculo geniti, & gratia omnipotentis Dei poſtea mirificè illuminati, puta, Ado, Dado, & Rado, quod etiam de iis, etiamnum pueris Deo dilectus prædixerat Columbanus, genere Scotus, cœnobiorũ Luxouienſis in Gallia, & Bobienſis in Italia fundator. Nati ſunt autem patre Anthario, matre verò Aiga. Primogenitus Ado, monaſticam appetens vitam, monaſterium condidit Lodarienſe ad * Matronæ fluuium, in proprio ſolo, ad præſcriptum Regulæ almi Patris Columbani. Rado, qui extremum natiuitatis ordinem tenebat, theſaurorum regalium ſummus Procurator effectus eſt, quos ille iuſto diſpenſans ordine, fideliter & Chriſtianè cuſtodiuit, erga Dei etiam præcepta iuſtus & religioſus. Porrò ſanctus Audoënus cognomento Dado, auricularij locum & munus in aula Regis obtinuit, ſigillum vel annulum Regis cuſtodiens. Ad illius ſcilicet nutum omnia palatij negotia gerebantur, eius conſiliis Optimates omnes, atque ipſe etiam Dagobertus Rex, Clotarij filius, ceu diuinis oraculis parebant. Florebat verò in aula Regis etiam beati viri ſoda

S. Audoeni patria.

Eius duo venerabiles fratres & parentes.

Eſt in eius cuſtodia ſigillu Regũ.

ri sodalis Eligius, virtutum sanctitate mirandus; quem haud secus atque animam suam diligebat.

Et quidem etsi beatus Audoënus in palatio Regis militari habitu tectus videretur, attamen ab omnibus ferè monachus potiùs quàm laicus habebatur. Sæpissimè enim preciosis vestibus, & aureo baltheo extrinsecus ornatus, subtus vtebatur cilicio, persistebatque infatigabiliter in orationibus, in vigiliis, in ieiuniis, in lectione diuina: pauperum verò & infirmorum ministerio penè semper deditus erat. In Brigiensis quoque sylux recessibus Rasbacis fluuioli officinas perlustrans, in suo patrimonio monasterium supradictæ Regulæ, quod Hierosolymam voluit dici, construxit, monachorum multitudinem illic congregans, virumque vnum ex almi patris Columbani discipulis eis præficiens Aglium nomine. Iamque meditabatur, vt cunctis seculi dignitatibus reiectis, soli Deo intra monasterij claustra seruiret; sed resistebant tam Rex quàm Optimates, dicentes debere eum potiùs plurimorum vtilitati consulere. Interea verò, defuncto Dagoberto Rege Christianissimo, filius eius Clodoueus in regnum successit in cuius regni exordio hæresis infanda totum penè fœdauit Orientem; intantum, vt ipse etiam Paulus Constantinopolitanus Episcopus, & Alexandrinus quoque Patriarcha, peruerso dogmate corrumperentur. Nec multo pòst, quidam etiam ipsius impij dogmatis assertor ex Asia pulsus, in Galliarum ciuitatem Heduam, quæ nunc Augustodunum dicitur, perfidus apostata peruenit.

In aula viuit vitam pro- fus monasticam.

Construit monasterium in ... rio suo fundo.

Est hæresis Monothelitarum.

Qvod cùm in aula Regis Francorum relatum esset, ilico Synodalem conuentum Sacerdotum apud Aurelianensem vrbem idem Rex adunari iussit: vbi beati viri Audoënus & Eligius illius hæretici versutiis, obiectionibus validissimis restitêre, modestię interim causa, eius victorię palmam B. Saluio Episcopo & Martyri concedentes. Posteà verò & B. Audoënus Clerici quoque tonsuram accepit, vno eodemque tempore, ipso etiam Eligio viro Dei comam ponente: cùm paulò post, defuncto Romano Rothomagensis vrbis Episcopo veneratione digno, B. Audoënus consensu omnium ad eius Episcopatus subeundum onus compellitur. Sed non ausus fuit statim sacrum Ordinem percipere, sciens videlicet cum quanto periculo coniuncta sit Neophyti ordinatio. Mox itaque penitus valere iussis curis palatij, & propria sede relicta, ob verbum Dei gentibus procul positis prædicandum

Fit Cleri us vna cum S. Eligio.

Discurrit per varia loca in

prædicatione Euangelij. exsulem se fecit, transmissisque Sequana & Ligeri fluminibus, cunctos in iis regionibus habitantes, lumine verbi, salutaris, quasi Sol quidam, illustrauit, in aliis fidei fundamenta ponẽs, alios in fide confirmans, quosdam etiam hæresi deprauatos ad normam Ecclesiasticæ fidei reuocans. Et per hoc etiam tempus cùm in Hispanias peruenisset, reperit populos illic commorantes iamdudum nimia siccitate laborare. Iam enim septem anni fluxerant, quibus nec exiguum pluuiæ stillicidium eas regiones irrigârat. Tum verò sine mora preces viri Dei, vt Eliæ quondam, tanta pluuiæ abundantia est consecuta, tantaque aëris commoditas, vt penè veterum malorũ damna præsens abundantia compensare videretur.

Impetrat Hispanis post septem annos siccitatis, pluuiam

COMFIRMATIS autem Hispaniarum populis in fide verbis & miraculis, ad sedem propriam redire constituit. Quare & perueniens Rothomagum, Ordinem Pontificalem vnà cum beatissimo Eligio suscepit. Vno namque apud Rothomagum ambo pariter sunt ordinati, sanctus Audoënus eiusdem vrbis Archiepiscopus, sanctus verò Eligius Nouiomensis. Qui quidem vir beatus Audoënus suscepto Episcopatu qualem se exhibuerit, haud facilè quis pro dignitate explicare queat. Peccata ne ipse admitteret, sedulo cauebat, ab aliis admissa haud secus ac sua lugebat. Proteruos non armis vincebat, sed patientia semper erga pauperes obsequiosus: quibus & eiusmodi præstabat obsequia, vt nisi quis fundatam in Christo haberet mentem, non dignaretur vel æqualibus impendere, quæ ille perpetim luridis & abiectis hominibus exhibebat. Rigorẽ nimiæ abstinentiæ ora pallida demonstrabant, sicut & maxillæ lachrymis humectæ prodebant cordis contritionem. Lactea colla ferrei premebant circuli, ventrem & brachia ferrum æquè constringebat. Eius quoque lectus ex asperis sternebatur virgultis, non ex mollibus plumis pictisve tapetis.

Ordinatur Episcopus Rothomagensis.

Summa eius austeritas in victu & ceteris.

ARDEBAT verò summo studio monasteria & loca sacra per omnes Franciæ prouincias construendi, maximè verò in propria sua diœcesi, vbi sanè multa cœnobia, eaque ampla & nobilia à fundamentis condidit, non pauca etiam instaurauit. Exstruxit quoque xenodochia & matriculas, sufficientem annonam illic habitantibus suppeditans: atque, vt vno dicatur verbo, tranquillatum, & in fide fundatum reddidit totius Franciæ regnum. Adit postremò vrbem Romam, quam Apostolorum Principes suis corporibus ornant, multis

Visit limina Apostolorum

multis venerabilibus viris comitátibus, inter quos erat & S. Sidonius, genere Scotus, exstructor monasterij quod nunc Sanctum Sidonium appellant. Vbi absolutis diu optatis precibus, cùm ad sedem propriam esset reuersus, audit palatij Principes discordiæ peste correptos, quos vt iterum inter se conciliaret, multas molestias & afflictiones beata eius senectus pertulit. Sed & orta discordia inter Francos & Austrasios, vir beatus componẽdæ pacis causâ venit Coloniam: vbi quoque mutum quendam obuium habens, qui iam annis vndecim nullum cuiquam fuderat verbum, Crucis signo ab eo consignatum, statim loquentem reddidit. Rexit verò Rothomagensium Ecclesiam annos quadraginta & tres, menses tres, dies decem. Nonagenarius autem migrauit ad Dominum, apud villam Olypiacum: vbi tum de pace inter Francorum populos constituta, nuntium attulerat, nono Calend. Septembris, anno Christi sexcentesimo septuagesimo septimo: Sepultus Rothomagi in basilica B. Petri.

Sanat quẽdã mutum.

Obdormit in Domino.

VITA S. LVDOVICI REGIS FRANCORUM, *ex Gaufredo de Bello loco, eius Confessario.*

XXV. AVGVSTI.

BEATVS Ludouicus Francorum piissimus Rex, patrem habuit Lodouicum Christianissimum Regem, qui in Albigesio & comitatu Tolosano hæreticos oppugnauit: in reditu autem lethali correptus morbo, ad montem Pensœrium excessit è viuis, anno ab orbe redempto millesimo ducentesimo vicesimo septimo: in cuius locum successit hic filius eius Ludouicus, Rhemis consecratus, annos natus circiter duodecim. Interim permansit puer sub tutela & moderamine matris suæ Blanchæ, Regis Castellæ filiæ: quæ illum tenerrimè diligens, ex consilio Religiosorum hominum, præsertim Dominicanorum & Franciscanorum, singulari cuidam magistro tradidit moribus ac literis instituendum, in quibus mirè ille profecit. Agente autem matre & Proceribus regni, anno salutis millesimo ducentesimo trigesimo quarto duxit vxorem Margaretam, Comitis Prouinciæ filiam. Atque anno proximò dira fames afflixit Gallias, præsertim in Aquitania, ita vt homines instar iumentorum herbis agrestibus vescerentur. Nam frumenti sextarius apud Pictauos centum

S. Ludouici pater oppugnat hæreticos Tolosanos.

Educatur potissimum ex consilio Dominicanorũ & Franciscanorum.

Ducit vxorẽ.

Pugnat pro eo Dominus cõtra quosdam qui eum volebãt occidere. væniebat solidis. Sequenti quoque anno Arsacidas senior Assasinorum misit nuntios in Franciam, quibus id mandatis dederat, vt Regem Ludouicum interficerent. Sed Deo animum eius ad pacem & humanitatem inclinante, crudelis mandati pœnitentia ductus, misit alios celeres nuntios, qui Ludouicum Regem admonerent, vt à primis Legatis sibi caueat: à quo tempore plures suo corpori adhibuit custodes.

SED & anno millesimo ducentesimo quadragesimo secundo duxit exercitum in Hugonem Marchiæ Comitem, qui Henrici Angliæ Regis, & Richardi fratris eius auxiliis fultus, aduersus Regem rebellarat, qui ambo habebant vxores, filias Comitis Prouinciæ, sorores Reginæ Franciæ. Misit autem tum Comitis vxor qui Regem Ludouicum & fratres eius veneno tollerent è medio. Sed frustra: nam & illi à Rege comprehensi, in carcerem abducti sunt, & commisso postea prœlio, non sine multa strage Anglorum, Comes vnà cum vxore, cũ lacrymis & suspiriis à Rege veniam petunt. Anno verò deinde, hoc est, millesimo ducentesimo quadragesimo tertio natus est Ludouicus Ludouici Regis primogenitus, atque altero inde anno Philippus filius secundus. Post quod circa Idus Decembris, Rex Ludouicus apud Pontisaram ex morbo decumbens, adeò extra se raptus est, vt multi putarent eum iam planè obiisse. Sed ad se reuersus, mox transmarinæ militiæ Crucem petit & accepit. Multo autem tempore intima veste cilicina vtebatur, qua si non esset vsus, dehortante eum Confessario, propter nimiam imbecillitatem, volebat vt idem Confessarius pro quadam compensatione, diebus singulis quadraginta solidos Parisienses clanculum in pauperes erogaret. Semper verò ieiunauit sextis feriis, & iis diebus, præsertim in Aduentu & Quadragesima, nec piscibus nec fructibus vesci voluit, vigiliis, orationibus, & clandestinis abstinentiis perpetim se affligens.

Vincit bello Hugonem Comitem Marchiæ.

Post grauem morbũ subito se dat militiæ Crucis.

Gestat cilicium.

Item vacat strenuè vigiliis & abstinentiis.

QVOLIBET Sabbatho in loco secretissimo aliquot pauperum suis manibus abluebat pedes, lotos tergebat, tersos exosculabatur. Crebrò etiam centum viginti pauperibus, qui in eius aula quotidie abundè reficiebantur, atque certis quibusdam diebus, & solennibus vigiliis, ducentis pauperibus, priusquam ipse cibum sumeret, suis manibus cibos apponebat. Semper præterea & in prandio & in cœna prope se tres habebat senes inopes, iisque de appositis sibi ferculis humanissimè transmittebat, quin etiam interdum scutellas, & cibos quos Christi pauperes manibus contrectauerant, offas

Semper habet secum in mẽsa pauperes.

præter

præsertim, quibus libenter vescebatur, vt inde aliquid ederet, ad se reportari iubebat, Christum pauperem in eius pauperibus venerans. Decreuit quoque pius Rex septennio peregrinari, & loca sancta inuisere. Venit igitur Perusium ad sanctum Ægidium Franciscanum, instar pauperis peregrini & ignoti, vnà cum sociis suis. Sed ostiario monasterij indicante Ægidio, peregrinum quendam ipsius expetere colloquium, ille, Spiritu docente, agnoscens quis esset, properè accurrit; paritérque flexis genibus in mutuos ruunt amplexus, & nihil tamen loquuntur, cùm vtrique alterius cor pateret.

Visit loca sanctorum in habitu peregrini. Agnoscitur Spiritu docente à S. Ægidio Minorita.

PORRO anno salutis millesimo ducentesimo quadragesimo octauo Crux prædicabatur in diœcesis Coloniensis pago, quem vulgò Bedonftrisum vocant: vbi tum feria sexta ante Pentecosten tres Cruces visebantur in aëre. Visa fuit etiam Crucis forma alio tempore in Enchusen videlicet Phrisiæ oppido, cùm ibi prædicaretur: in Traiectensi quoque diœcesi in Doccum in S. Bonifacij martyris die. Creduntur scilicet bis apparuisse Cruces, ne quis ambigeret de prima apparitione: atque ita factum est, vt Coloniensis prouincia ad trecentas ferè naues appararet. Quin & anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, petente Ludouico Christianissimo Rege, magna Dominicæ Crucis portio Constantinopoli Parisios translata est, cùm ecce proximo inde anno Rex Ludouicus sexta feria à Pentecoste iter transmarinum suscepit. Iuerunt autem cum eo Odo Tusculanus Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, & duo fratres Regis, Robertus Comes Atrebatensis, & Carolus Andegauensis Comes, cum vxoribus suis, & multis Franciæ Episcopis & Nobilibus. Et quidem erat etiam Alphonsus Comes Pictauensis, Regis frater, Cruce signatus, sed eo anno cum Blancha Regina matre, ob regni tuitionem mansit domi. Appulit autem Rex ad Cyprum paulo ante ferias B. Matthiæ: vbi cùm hiemassent, sabbatho post Domini adscensionem omnes Damiatam contendunt. Capta est autem Damiata, quam alij Heliopolim vocant, anno ab orbe redempto millesimo ducentesimo quadragesimo nono.

Varia apparent Cruces in cælo pro recuperanda Terra sancta.

Proficiscitur Rex sanctus cum multis aliis ad bellum sacrum.

Capit Damiatam seu Heliopolim.

ET aliquamdiu quidem res Christianorum se habebant prosperè, donec occulto Dei omnipotentis iudicio, multis eorum morbo absumptis, Saraceni cum maximis copiis in eos incurrunt: denique & ipsum Ludouicum sanctissimum Regem, & duos simul fratres eius, Alphonsum scilicet, qui iam tum etiam aduenerat, & Carolum capiunt, cum multis

Capitur cum duobus suis fratribus à Saracenis.

 aliis,

aliis, eósque in carceres coniiciunt. Sed tandem initæ sunt induciç decennales, his conditionibus: vt Sulthanus Regem Ludouicum, & captiuos Christianos omnes è suis ditionibus dimittat liberos: vt Christiani retineant loca aliquot Terrę sanctæ: portò Rex Ludouicus restituat Damiatam, & pro factis in illud bellum impensis, simul octo millia Byzantiorum, reddatque captiuos Saracenos omnes. Exspectabat itaque pius Rex vt omnes captiui, vti conuentum erat, dimitterentur, sed cùm diu expectasset, ex duodecim millibus ægrè quadringentos recepit, impiis illis Saracenis fidem violantibus. Vnde & quinque deinceps annis mansit in Syria, nec ociosus sanè, sed multos Saracenorum ad Christi religionem traducens, multos captiuos redimens, & vrbes aliquot & castra ęgregiè communiens: Offendit tum apud Sidonem permulta cæsorum Christianorum corpora iam putentia, non pauca à feris belluis lacerata: quæ ipse propriis manibus sepeliuit humiliter & deuotè, vsus tamen simul etiam opera quorundam è suis, qui illum fœtorem vix ferre potuerunt.

A Emilius habet octo millia auri pondo.

Nota miram pietatem & humilitatem.

QVOTIDIE quoque manè flexis genibus Dauidicum Psalterium recitabat. Qui postquam resciuit de obitu matris Blanchæ, Nobilibus ipsius id consulentibus, in Gallias reuersus est, vbi omnium gratulatione exceptus, atque ab eo tempore magis etiam magisque de virtute in virtutem proficiens, ad omnimodam vitæ perfectionem peruenit. Multa Dominicanorum & Franciscanorum condidit cœnobia à fundamentis, multisque aliis pauperibus religiosis ecclesias & ædificia opportuna construxit, largis additis eleemosynis. Cęcis in qualibet ferè ciuitate & castello regni sui, domos ipsis congruas & opportunas benignissimè attribuit, certos illis prouentus assignans. Pręcipua verò deuotionę sanctas venerabatur reliquias, cultúmque Dei & honorem Sanctorum semper amplificare nitebatur. Vnde & Parisiis in palatio Regali Sacellum exstruxit elegantissimum, in quo sacrosanctam Domini Iesu coronam spineam, magnam sanctæ Crucis portionem, ferrúmque lanceæ quod Saluatoris latus fodit, admodum reuerenter reposuit, cum multis aliis reliquiis, quas à Constantinopolitano Imperatore immenso labore, & magnis impendiis acceperat. Cæterùm quam fuerit Deo grata tanti Regis summa humilitas, Rex regum omnium Christus Deus euidenti miraculo declarauit. Etenim cùm Comes Geldriæ nuncium cum literis misisset Parisios, ilico rediturum, ex eo reuerso sciscitatur, num Regem

Reuertitur in Gallias: vbi deinde varia condit cœnobia & nosocomia.

Exstruit Parisiis Sacellũ Regale, vndique illuc aduocans sacras reliquias.

Regem Franciæ Ludouicum vidisset. Tum ille subsannans, collumque contorquens, Vidi, inquit, vidi illum miserum papilardum Regem, ad scapulas capitium gestantem. Sed vix verba finierat, & ecce facies eius retrorsum acta, ita contorta permansit.

Nota diuinã punitionẽ in irrisorem sancti Regis.

SED & tandem post multorum annorum curricula, quibus se in omni virtute exercuit sanctus Rex, certa ad eum allata de periculis Terræ sanctæ fama, alteram suscepit nauigationem. Nimirum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo, Cal. Martij, cum tribus liberis, Philippo, Ioanne, Petro, è Massiliæ portu soluens, adiuncto etiam sibi Nauarræ Rege, & permultis aliis, aggrediuntur regnum Tunetanum, quòd magna illud in Syriam nauigantibus obiiceret impedimenta: iamque ceperant portum Carthaginis, * quæ Tuneto haud procul abest. Sed ecce morbus qui illo anno ijs in locis mirè grassabatur, in Christianorum exercitum sæuè inuadit: ex Regis filiis tollit Ioannem, tollit & ipsum sanctissimum Regem. Cuius morte non mediocriter consternato exercitu Christianorum, subitò cum multò milite aduenit Carolus Siciliæ Rex, in bellis strenuus, qui & leuibus sæpè præliis cum Barbaris conflixit, donec tandem iis petentibus pacem, certis conditionibus dedit. Obiit verò piissimus Rex Ludouicus vicesima quinta Augusti, tum in vita, tum post obitum multis clarus miraculis. Relatus est autem in Sanctos à Bonifacio Pontifice eius nominis octauo.

Secundò nauigat ad Terram sanctã.

** qui Moritur in Africa; ô iudicia Dei verè abyssus multa.*

Refertur in Sanctos.

VITA S. HVNNEGVNDIS VIRGINIS
Gallicanæ, ex ea quæ est apud R P. L. S.

XXV. AVGVSTI.

GENITA est sancta virgo Hunnegundis nobili stirpe, parentibúsque Christianis, in villa quam Lembaidem vocant, Veromandensis pagi, quem clarissimi martyris Quintini suffragia ornant. Atque hæc quidam à sacro fonte suscepta est ab Eligio Nouiomensi ac Veromandensi Episcopo. Cùm esset autem claris orta natalibus, in ipsis incunabulis cuidam desponsata fuit, qui pari erat generis claritudine. Sed quia Sponsus cælestis eam sibi seruare constituerat, occulto Dei iudicio, ille morte subtractus est. Sed & postquam sancta virgo adoleuit, essetque liberali atque eleganti vultu, Eudaldus

S. Hunegũdis clari natales.

quidam homo nobilis nihilominus eam sibi despondit, multis ei collatis muneribus, mancipiis & villulis. Qua in re licet à parentibus inuita cogeretur, attamen vultu placido & mente casta id perferens, iam secum animo meditabatur quemadmodum & se & dotem suam Christo sponso offerret, fieretque sanctimonialis in beatissimæ matris virginis monasterio. Atque adeò, cùm iam sanctum mentis suæ propositum in opus conferre vellet, sapienti vsa consilio, sponsum, qua potuit, arte, tentauit blanditer emollire: suadet Apostolorum Principem prius inuisere: quod ea ingenij dexteritate est consecuta, vt sumptus apparandis nuptiis destinati, in res conferantur itineri necessarias.

Inuita nubit cuidam homini nobili.

Pia fraude suadet sponso vt simul eant Romam.

TENDVNT igitur vterque Romam cum omni corporis & fidei integritate. Quò cùm peruenissent, & loca Vrbis orbis dominæ perlustrarent, & sponsus quidem superbo apparatu sodalibus vndique septus, diuersa Sanctorum inuiseret pignora, illa vitans ambitiosum comitatum, sola ad Apostolorum limina accedebat, ibique in precibus, vigiliis, ieiuniisque perseuerans, vix ad hospitium reuertebatur, omnia simul quæ habere poterat, pauperibus erogans. Quin tandem, vbi dies aduenit Apostolicæ stationis, ad pedes Antistitis sanctæ & Catholicæ matris Ecclesiæ aduoluta, Christo suam offert virginitatem ab illo hactenus defensam, orátque Pontificem, vt capitis velamen sibi imponat, quod ille libenter fecit, posteaquam sancta virgo, quæ & vnde esset, prolixè & sapienter apud eum esset prosecuta. Quæ dum Eudaldus sponsus eius audiuit, iámque se cerneret à virgine Christi contemptum, toto animo commotus, statuit eam gladio confodere. Sed veritus ne homicidij pœna plecteretur, pœnitentia ductus, non fuit eam ausus contingere, sed missis nunciis, separauit eam à consortio suo, solam illam relinquens, simúlq; res tanto itineri conficiendo necessarias omninò ei subtrahens. At illa humano destituta solatio, viriliter egit, & seipsam in Domino confortans, solam se dedit itineri in Gallias proficiscens, semperque Sanctorum suffragia implorabat.

Subito quadā die accipit à summo Pontifice sacrum velamen.

Relicta à sponso redit in Gallias in summa paupertate.

IBAT ergo per viam perinde ac si iam in monasterio degeret, vel potiùs instar eremicolæ Christo in remota solitudine famulantis. Diebus scilicet festis solo pane & aqua parcissima contenta, reliquis diebus pane cineribus permixto, & herbarum arborúmque pastu defessum fouebat corpusculum. Vbi & quodnam per eam Dominus voluerit efficere miraculum, non

Nota quia nō est consilium contra Dominum.

non est nostro silentio tegendum. Cum Eudaldus, vt diximus, ferret ægerrimè se ab illa contemptum, & vellet quidem, sed non auderet eam interficere, consilio cuiusdam comitis sui cũ magna celeritate ad paternam contendit domum, venditis etiam & distributis illis, quæ possent suo pondere iter retardare, vt citiùs rediret ad suos. Iam enim statuerat secum, omne sanctæ virginis patrimonium & res hæreditarias distrahere, quæ verò non possent vendi, ea prorsus destruere. Ibat ergo cum equis velocissimis expedito itinere. Sed virginẽ sanctam, in cuius pectore morabatur Dominus sciens omnia, nihil huius latuit. Quamobrem diuino permota instinctu, & Christi spiritu vegetata, vt erat pedes, alia pergens via, equos & currus eius omnes anteuertit: veniensque in patriam, omnia sua prius pro voto, loco illi, quem vulgo Humolarias vocant, beatissimę genitricis Dei, seque simul, vt concupierat, Christo illic seruituram obtulit. *Offert sancta virgo se suáque omnia monasterio Humolarias.*

NON diu autem pòst & Eudaldus secutus est, & rerum & facultatum eius omnium sibi dominium vẽdicauit, nesciẽs eas iam diuino cultui, & sanctissimæ virginis patrocinio nuncupatas & addictas. Sed ecce vbi id comperit, tandem in se reuersus gratias Deo offert, quod ipsum ab improbo conatu repressèrit: ac deinde cum multa cordis & corporis humilitate coram beatissimæ matris Dei altari prostratus, veniam à beata virgine poposcit, orans vt quem noluisset habere sponsum, saltem dignaretur habere seruum: Et ego, inquit, in rebus externis fidum me tibi procuratorem exhibebo, quin & cùm obiero, facultates meas omnes, & mancipia huius testamenti mei auctoritate volo cedere in ius & honorem omnipotentis Dei, & sanctissimę matris eius. Qui & cum multo plura quàm posceret necessitas, sacratissimæ virgini suppeditaret, instituto etiam xenodochio, victum & vestes præbuisset, fultus multimoda Christi virtute, in huiusmodi operibus vitam exigens, tandem exutus est huius mundi contagiis: pro cuius anima virgo Hunnegundis per manus sacerdotum sacrificium sacrificium salutare Deo obtulit, corpore in monasterio suo sepulto. Eo autem vita functo, arctiori etiam se, & seueriori vitæ beata virgo tradidit, cogitationes haud secus atque mala opera deplorans & castigans, crebrisque ieiuniis & vigiliis macerans corpus defessum: non ignorans, ad salutem satis non esse cœpisse bene, sed qui perseuerauerit vsque in finem, illum fore saluum. *Item offert se suáque omnia Deo cum sponsus.* *En sacrificium pro defuncto.*

Atque adeò in hac sancta animi meditatione, & deuotà fidei operatione totum vitæ suæ tempus duxit, non raró illud cum Psalmista dicens: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Non defuit autem sanctis eius desideriis superna pietas, sed longanimem eius peregrinationem attendens, dum quodam die oraret extensis manibus, corporis magnis ardoribus & molestiis eam affici permisit. Aderant ei vtriusque sexus permulti Christo seruientes, qui ex vicinis & longinquis locis, ad tantæ matris & virginis decessum côuenerant: Ad quos illa conuersa, sacræ Vnctionis oleum & Eucharistiam sibi petiit ministrari: ac non multo pòst ex cilicio & cinere erigens caput, suauissimo illic odore repentè cum immenso lumine diffuso, migrauit ad Dominum, octauo Calendas Septembris. Cuius sacrum corpus cum diu sub terra conditum iacuisset, quędam sanctimonialis Berta nomine, ieiuniis, vigiliis, & precibus intenta, ex diuina reuelatione locum sepulturæ eius cognouit, anno salutis nongentesimo quadragesimo sexto, Ludouico regnante. Leuatum est autem sanctissimum corpus septimo Idus Nouembris: vbi & ipso die eleuationis sanctissimę virginis, cùm sæuissimus morbus totum pagum adeò occuparet, vt vix esset domus, in qua non iaceret ægrotus, omnes illi, cum eleuato sacro corpore, simul è suis lectulis sani surrexêre.

Psal. 119. Cupit sancta virgo dissolui, & esse cum Christo.

Transit feliciter.

Insigne miraculum in eius eleuatione.

VITA S. GENESII MARTYRIS, EX *Breuiario Viennensi.*

XXV. AVGVSTI.

SVB Imperio Diocletiani fuit in ciuitate Romæ Mimus nomine Genesius qui ignorans Deum, Christianos sæpiùs irridebat. Hic dû vult Imperatori Diocletiano per artis suæ peritiam placere, scrutari per singulos Christianos cœpit secreta diuini mysterij, non vt credens, sed vt de his mysteriis risum populis exhiberet. Qui cùm aqua baptismatis credens fuisset perfusus, & Diocletiano Imperatori præsentatus, iussu Imperatoris in conspectu populi fustibus cæditur, fecitque eû à Pluciano præfecto suo ad sacrificium cogi. Qui cùm positus fuisset in equuleo vngulis attractus, lampadibus inflammatus in confessione Sanctorum persistens, dixit Iudici: Si centuplicaueris circa me ista tormenta Christum mihi auferre nôpoteris. Gesta hæc omnia. Plucianus regi Diocletiano ad palatini legenda portauit, quæ cùm lecta fuissent, iussit eum decolari, quam sententiam cum omni gaudio suscipiens S. Genesius,

Genesius sacrorum mysteriorum irrisor fit Christianus.

Eius verba ad iudicem in tormentis.

nesius, martyrizatus est pro nomine Domini nostri Iesu Christi proprium & indigenam Arelatensis vrbis beatissimum Genesium martyrem alumnum eiusdem iure nascendi, patronum virtute moriendi, celebrare iam à principio atque extollere omnium fideliũ studia debuerunt. Sanctus itaque Genesius cùm exceptoris fungeretur officio, ac sacrilega mãdata persecutionis iussa repudiaret, crudelissimus iudex interfici eum gladio imperauit, quem percussor assecutus festinantem ad idem animam, vinculis corporis quibus tenebatur, absoluit.

VITA S. CÆSARII EPISCOPI *Arelatensis, ex ea quæ est per Cyprianum eius discipulum,*

XXVII. AVGVSTI.

SANCTVS ac beatissimus Cæsarius Arelatensis Episcopus, territorij Cabilonensis fuit indigena: Cuius parentes * æqua prosapia, quod est illustre & præcipuum nobilitatis exemplum, præ cunctis ciuibus suis fide & moribus floruerunt. Hic sanctus etiamnum puer, cùm septimum aut eo amplius ætatis ageret annum, ex vestibus quas apud se habebat, incunctanter pauperibus impertiebatur. Sæpe autem seminudus domum reuertens, à parentibus seuerè examinabatur, quid de suis fecisset vestibus: quibus ille hoc solum respondebat, à prætereuntibus ipsi fuisse ablatas. Igitur paulo pòst, ignorante familia & parentibus, vestigiis se illius temporis pontificis S. Syluestri etiam prosternit, petens, vt ablatis sibi capillis, mutatoq; habitu, diuino ipsum seruitio manciparet, sub qua inchoatione seruiuit ibi biennio, aut eo amplius, donec deliberaret, non solum parentibus, sed etiam patriæ se extraneum exhibere. Lirinense itaque monasterium expetiit: vbi cùm iter agens cum vno tantum famulo, coram inquisitoribus ab eius matre missis, flumen transiret, visus tamen ab eis non est. Diabolus verò in quendam miserum ingressus, & eius iter insequens, sine cessatione à tergo illius clamabat: Cæsari, non vadas. Quem ille porrecto ei poculo benedicto, statim curauit; quod à memorato eius comite referente, compertum constitit.

** egregia S. Cæsarij genus & sanctissima pueritia.*

Inscijs parentibus proficiscitur ad monasterium Lirinense.

SVSCEPTVS igitur à S. Porchario Abbate, cœpit esse promptus in vigiliis, in obseruatione solicitus, in obedientia festinus: quin etiam mox vsque adeò se macerauit, vt imbecille adolescentiæ corpus immodica afflictione curuaret & frange

Viuit ibidem sanctissimè.

frangeret, exigua oleris seu pulticulæ coctione, quam Dominica die parabat, vsque in aliam Dominicam contentus. Vnde cùm eum Abbas aliquando compelleret Arelatem se transferre valetudinis causa, contigit, vt incideret in S. Eonium, eius ciuitatis Episcopum; qui eum mox ab Abbate Porchario expetiit, & licet ab inuito etiam impetrauit. Illicò autem primùm Diaconus, deinde Presbyter ordinatur, nec vnquam tamen Lirinensium Fratrum instituta reliquit. Defuncto quoque in suburbana ciuitatis insula Abbate, mittitur eò ab Episcopo Cæsarius: vbi cùm vltra triennium Abbatis officio egregiè fuisset perfunctus, discedens ad Dominum S. Eonius, rogat tum clerum tum alios, vt nullum sibi alium substituant quàm Cæsarium. Quod cùm ad notitiam eius peruenit, ilico se intra quædam sepulcra abscondit. Sed latêre non potuit quem detexit non culpa, sed gratia, cogiturque Episcopatus sarcinam suscipere. Habuit autem hoc peculiare vir sanctus, Deo id in illo agente, vt dum suas quibusque admonitiones proponeret, singulis ipsorum vitam omnem ob oculos statueret, vt qui eum audirent, cordium quodammodo confiterentur scrutatorem.

Ordinatur Presbyter.

Inuitus rapitur ad Episcopatum.

Nota.

VOLVIT verò, atque etiam compulit laicos & populares homines modulata voce, instar clericorum Psalmos & hymnos promere, alios Græcè, alios Latinè, prosas & antiphonas decantare, ne illis spatium superesset ad fabulas in ecclesia effutiendas, pauperibus & captiuis mirè semper intentus. Ecce autem interea Licumanus beati viri notarius, homo nequam, suggerit Alarico Regi per eos qui erant illi à secretis, beatissimum Cæsarium è Gallis genus ducentem, totis in id viribus incumbere, vt ditionem & vrbem Arelatensem Burgundionibus prodat. Qua iniqua delatione damnatus, ab Arelate extractus, cogitur exsulare apud Burdegalenses, vbi & aliquando suis precibus compescuit incendium, verùm postquam beati viri innocentiam comperit Princeps, licet Arrianus, orauit vt ad suam reuerteretur sedem, delatorem autem eius iussit lapidibus opprimi, quem tamen maluit vir Dei sua intercessione seruari agendæ pœnitentiæ. Solebat verò vir sanctus id accuratè obseruare, vt nemo ex illis qui ipsi parebant, si pro culpa sua flagellandi essent, amplius triginta nouem ictibus feriretur, ita tamen vt si quis in graui culpa esset deprehensus, permitteret vt post dies paucos vapularet iterum.

Exsulat apud Burdegalenses, sed non multo post rursum Arelate renocatur.

Admodum discretus est in domestica disciplina.

SED nec hic quieuit inuidus serpens. Francis enim & Burgun-

Burgundionibus vrbem obſidentibus, Alarico Rege à fortiſſimo Clodoueo Rege in conflictu perempto, Theodorico etiam Italiæ Rege, miſſis Ducibus ſuis, in eam prouinciam ingreſſo, clericus quidam, ciuis & cognatus beati viri ſe captum iri metuens, iuuenili leuitate permotus, vel dæmone potius eum incitante, funiculo ſeſe noctu à muro ſubmiſit, & proxima luce vltro ſe hoſtibus dedidit. Quod vbi Gotthi, qui erant intra opidum, compererunt, incurrunt in ſanctum virum, populus, & in primis Iudæi, vociferantur Antiſtitem vrbis prodendæ cauſa conciuem ſuum ad hoſtes noctu ablegaſſe. Itaque ex Eccleſiæ domo extrahitur Antiſtes, inque palatio artiſſimæ cuſtodiæ traditur. Interea verò Iudæus quidam ligatam ſaxo epiſtolam, tanquam in hoſtes illud vibrans, noctu in caſtra illorum coniicere eſt conatus, nomen ſuum religionemque exprimit, hortatur vt noctu eo loco, quo ipſi excubarent, ſcalas admouerẽt vrbem ingreſſuri, ea conditione, vt Iudæorum nullus rerum ſuarum iacturam faceret. Sed manè, digreſſis nonnihil à muro hoſtibus, quidam è propugnaculo egreſſi, epiſtolam illam conſpiciunt ac tollunt. Mox auctor epiſtolæ producitur, conuictuſque punitur, atque ita ſæua Iudæorum immanitas confunditur, Danielque noſter, id eſt, ſanctus Cæſarius, è lacu leonum educitur.

Filio delatus vir ſanctus, coniicitur in carcerem tamquã proditor.

Pateſcit calũnia aduerſus eum ſtructa.

IAM verò mirum dictu eſt quàm multi ab eo redempti ſint captiui: quod ſanè ſanctum opus ita eſt proſecutus, vt etiam ab illis quæ ad diuini miniſterij diſpenſationem pertinent, non abſtineret, thuribulis, calicibus, patenis pro eorum redemptione datis, videlicet ne homo rationalis, Chriſti ſanguine redemptus, aut Arrianus efficeretur, aut Iudæus, aut ex ingenuo ſeruus. Et nos quidem credimus & confidimus in Domino, miſericordia, fide, & precibus B. Cæſarij id effectum eſſe, vt ipſius tẽporibus ita obeſſa ſit ab hoſtibus ciuitas Arelatenſis, vt tamen nec capi potuerit, nec prædæ patêre. Atque ſic deinde à Vviſigothis in Oſtrogotthorum ditionem peruenit, hodieque in Chriſti nomine paret clariſſimo Regi Childeberto. Præter hæc autem præcipuum quoque illud monaſterium feminarum exſtruxit vir ſanctus, in quo venerabilem Cæſariam ſororem ſuam præficiens, adeò curauit omnes eò conuolantes includi, vt vſque ad ſupremum vitæ diem, nulli earum fas eſſet extra monaſterij oſtium progredi. Cuius rei occaſione, cùm accuſatione conficta Rauennam vſque ſub cuſtodia pertraheretur, ad Theodoricum Regem ingreſſus, intrepide

Pro alendis pauperibus impendit etiam ipſa ſacra vaſa.

Iterum ſtruitur contra eum calũnia, ſed ſimiliter fruſtra.

trepidè eum ſalutat, adſpectu venerabilis. Quocirca & diuinitus Rex concuſſus, reuerenter ei aſſurgit, quin & beato viro in hoſpitium ingreſſo, magni precij miſit diſcum argenteum librarum plus minus ſexaginta, & cum eo ſolidos trecentos, quos ſtatim in captiuos expendit.

VENIT autem poſt hæc etiam Romam. Vbi, cum beato Symmacho Pontifici, ac Senatoribus exhiberetur, agunt omnes gratias Deo & Regi, quod licuerit ipſis corporeis oculis illum intueri, quem iamdudum animi obtutibus conſpexiſſent. Permiſit verò ei ſpeciali priuilegio Pontifex etiam pallij vſum, Diaconoſq; eius perinde vt Romanæ Eccleſiæ Diaconos dalmaticis vti voluit. Ac denique ijs ita geſtis, ſanctus vir Arelatem reuerſus, excipitur cum Pſamodiis & canticis: & qui in Italiam exſulatum iuerat, confecta captiuorum redemptione octo ſoldorum millia ab Italia reportauit, cernere ſiquidem in beato viro licebat virtutes omnes, prudentiam cum ſimplicitate, ſeueritatem cum manſuetudine, eruditionem ſiue ſcientiam cum humilitate. Vnde & væ mihi miſero Cypriano, qui ad diſcendum tam tepidus fui, vt modò & agnoſcam & doleam me de tanti fontis vbertate non tantũ hauſiſſe, quantum mea poſtulabat auiditas. Erat autem & hoc illi vel maximè & in ore & in pectore, vt inimicos diligeremus, quò etiam nos tum ſermonibus ſuauiſſimis, tum exemplis ſuis prouocabat. Quin & biennio etiam antequam à vita excederet, merces pro rectè factis eius in cælis repoſita, in ſpiritu ei eſt oſtenſa. Sed multa eius adhuc ſuperſunt magnifica & præclara, quæ prolixitatis declinandæ cauſa omittimus.

Reuertitur ad ſuos cum ſumma gloria.

Nota ætatem Scriptoris.

Prædiſcit de ſua morte.

VITA S. AVGVSTINI ECCLESIÆ *Doctoris, ex Poſsidio eius diſcipulo.*

XXVIII. AVGVSTI.

S. Auguſtini patria & parentes.

BEATISSIMVS Auguſtinus ex prouincia Aphricana ciuitate Thagaſtenſi, de numero curialium, parentibus honeſtis & Chriſtianis progenitus, eorum cura omnibus diſciplinis imbutus eſt, quas liberales vocant. Grãmaticam priùs in ſua ciuitate, & Rhetoricam in Aphricæ capite Carthagine docuit: conſequenti etiam tempore trans mare in vrbe Roma & apud Mediolanum, vbi tunc temporis Imperatoris Valentiniani minoris Comitatus fuerat conſtitutus. In qua vrbe tunc Epiſcopatum adminiſtrabat acceptiſſimus Deo

Ambro

Ambrosius. Cuius frequentissimis in ecclesia disputationibus adstans Augustinus affixus, cùm aliquando Manichæorum apud Carthaginem adolescens fuisset errore seductus, protinus & doctrinam salutarem, & diuina percepit Sacramenta. Moxque ex intimis cordis medullis ad Deum conuersus, spem omnem quam habebat in seculo, dereliquit, non vxorem, non filios carnis, non diuitias, non honores seculi quærens. Et erat tunc annis maior triginta, sola superstite matre nomine Monica, sibi adhærente, & de suscepto eius proposito exsultante. Nam eius pater Patritius dictus, antea defunctus erat. Renunciauit etiam scholasticis quos Rhetoricen docebat, vt sibi magistrum alium prouiderent, eo quòd seruire Deo ipse decreuisset. Placuit verò ei percepta baptismi gratia cum aliis ciuibus & amicis suis Deo pariter seruientibus ad Aphricam & propriam domum agrosque remeare.

Adolescens capitur hæresi Manichæorum.

Conuertitur per S. Ambrosium.

Pungentur ipsi aliquot socij.

In quibus constitutus fermè triennio, & à se curis iam secularibus alienatis, cum iis qui eidem adhærebant, Deo viuebat, ieiuniis, orationibus, bonisque operibus vacans, in lege Domini meditans die ac nocte. Eo tempore in ecclesia Hipponensi Catholica Valerius sanctus Episcopatum gerebat. Qui cùm flagitante ecclesiastica necessitate de prouidendo & ordinando presbytero ciuitatis, Dei plebem alloqueretur: iam scientes Catholici sancti Augustini propositum & doctrinam, manu iniecta, (quoniam & idem in populo securus & ignarus quid futurum esset, adstabat) eum tenuerunt, &, vt in talibus consuetum est, episcopo ordinandum intulerunt, vbertim eo flente. Factus autem Presbyter monasterium intra ecclesiam mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit secúdùm modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam, maximè, vt nemo quicquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia, & distribueretur vnicuique prout cuique opus erat, quod iam ipse prior fecerat dum de transmarinis ad sua remeasset. Et docebat ac prædicabat ille priuatim & publicè in domo & in ecclesia salutis verbum cum omni fiducia aduersus Aphricanas hæreses, maximè contra Donatistas, Manicheos & Pelagianos, sicque adiuuante Domino, leuare in Aphrica Ecclesia Catholica exorsa est caput, quæ multo tempore iacebat oppressa.

Inuitus rapiêtur ad Presbyterum.

Instituit monasterium.

Decertat cõtra hæreses.

Qvi & per idem tempus coram Episcopis hoc illi iubentibus, qui plenarium totius Aphricæ concilium Hippone agebant, de Fide & Symbolo, Presbyter adhuc Augustinus dispu

disputauit. Sed & ille beatus senex Valerius cæteris ex hoc ampliùs exsultans, cùm metuere cœpisset, vt est humanus animus, ne ab alia ecclesia sacerdos probatus ad Episcopatum quæsitus auferretur, egit secretis literis apud Primatem Episcopum sedis Carthaginensis, vt Hipponensi eccclesiæ Episcopus consacerdos accederet Augustinus: quod in seipso postea fieri non debuisse, vt viuo suo Episcopo ordinaretur, & dixit & scripsit, propter Concilij vniuersalis vetitum, quod iam ordinatus didicit. Suscepto interim Episcopatu, multò etiam instantius ac feruentiùs verbum salutis prædicabat. Cæterum habebant Donatistæ per suas penè omnes ecclesias inauditum hominum genus peruersum ac violentum, velut sub professione continentium ambulantes, qui Circumcelliones dicebantur, qui etiam multos Dei seruos cædibus debilitauerunt, aliquibus etiam calcem cum aceto in oculos miserunt, aliosque occiderunt: sed tamen & proficiebat nihilominus doctrina diuina sub sancto & cum sancto Augustino in monasterio Deo seruientium. Et euenit quidem Dei prouidentia, sed ductoris hominis errore, vt per aliam viam cum suis comitibus aliquando famulus Dei Augustinus, quò tendebat, veniret: atque per hunc quem postea cognouit errorem, manus impias euaderet.

S. Augustinus miraculosè euadit insidias sibi præparatas.

AC denique tanta ab eodem dictata & edita sunt, tantaque in Ecclesia disputata, excepta atque emendata, vel aduersus diuersos hæreticos conscripta, vel ex canonicis libris exposita ad ædificationem sanctorum Ecclesiæ filiorum, vt ea omnia vix quisquam studiosorum nosse & perlegere sufficiat. Interpellatus quoque B. Augustinus à Christianis, vel à cuiuscumque sectæ hominibus, causas audiebat diligenter ac piè, aliquando quidem vsque in horam refectionis, aliquando etiam toto die ieiunans. Rogatus quoque à nonnullis in eorũ tẽporalibus causis, epistolas ad diuersos dabat; illud nihilominus suum addens, Quoniam plerúmque potestas quæ præstat, premit. Vestis eius & calceamenta & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum. Mensa vsus est frugali & parca, quæ quidem inter olera & legumina etiam, carnes aliquando propter hospites vel quosque infirmiores continebat. Semper autem vinum habebat modicè & temperanter. Cochlearibus tantùm argenteis vtens, cætera vasa quibus mensæ inferebantur cibi, vel testea vel lignea vel marmorea erant.

Nota de ipsius scriptis.

Vacat sæpè totos dies cõsultationibus ad se venientium.

Vestitus eius & victus nec sordidus nec pretiosus.

SANE hoſpitalitatem ſemper exhibuit: In ipſa autem menſa magis lectionem vel diſputationem diligebat, contra peſtilentiam humanę conſuetudinis ita in ea ſcriptum habens: *Supra modũ odit detractiones.*

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

Et ideo omnem conuiuam à ſuperfluis & noxiis fabulis & detractionibus ſeſe abſtinere debere admonebat. Nam & quoſdam familiariſſimos coëpiſcopos illius ſcripturæ oblitos, & contra eam loquentes, tam aſperè aliquando reprehendit commotus, vt diceret aut delẽdos eſſe illos de menſa verſus, aut ſe de media refectione ad ſuum cubiculum ſurrecturum. Quod ego & alij qui illi menſæ interfuimus, experti ſumus. *Nota fidem Scriptoru.* Pauperum verò ſemper memor erat, eiſque inde erogabat, vnde & ſibi ſuiſque omnibus ſecum habitantibus erogabatur, hoc eſt, vel ex redditibus poſſeſſionũ eccleſiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Domus, etiã eccleſiæ curam omnemque ſubſtantiam ad vices valentioribus clericis delegabat, numquam clauem, numquam annulum in manu habens: ſed ab eiſdem domus Præpoſitis cuncta & accepta & erogata notabantur, quæ anno completo eidem recitabantũr. Domum vel agrum ſeu villam nunquam emere voluit: ſi fortè tamen eccleſiæ à quoquam ſponte tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non reſpuebat. *Temporalia adminiſtrat per idoneos præpoſitos.*

DVM eccleſiæ pecunia deficeret, hoc ipſum populo Chriſtiano denunciabat, non ſe habere quod indigentibus erogaret. Nam & de vaſis Dominicis, propter captiuos & quamplurimos indigẽtes frangi & conflari iubebat, & indigentibus diſpenſari. Quod etiam venerabilis memoriæ Ambroſius in talibus neceſſitatibus indubitanter eſſe faciendum & dixit & ſcripſit. Cũ ipſo ſemper clerici vna etiã domo ac menſa, ſumptibuſque cõmunibus alebantur, & veſtiebantur. Ex quibus ſi quis prolapſus fuiſſet, vnam de ſtatutis perdebat portionem. Feminarum autem intra domum eius nulla vnquam conuerſata eſt, nulla manſit, nec quidem germana ſoror, quæ vidua Deo ſeruiens, multo tempore vſque in diem obitus ſui Præpoſita ancillarum Dei vixit. Sed neque patrui ſui filiæ, & filiæ fratris, quæ pariter Deo ſeruiebant, quas perſonas tamen ſanctorum Epiſcoporũ Concilia in exceptis poſuerunt. Dicebat enim, quia etſi de ſorore vel neptibus ſecum commorantibus nulla naſci poſſit mala ſuſpicio, tamen quoniam illæ perſonæ ſine aliis neceſſariis, ſecumque manentibus feminis eſſe non *Aliquando conflat vaſa ſacra in vſus pauperum. Lib. 2. offic. c. 18.* *Nota de diſciplina eius domeſtica.* *Studioſiſſimè vitat colloquia fœminarum.*

 poſſent.

possent,& quòd ad eas etiam aliæ à foris intrarent,de iis posse offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci. Et si fortè ab aliquibus feminis vt videretur vel salutaretur,rogabatur; nunquam sine Clericis testibus ad eum intrabant, vel solus cum solis vnquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset.

Nota tria singulariter ab eo commendata.

SERVANDVM quoque in vita & moribus hominis Dei referebat, quod in Institutis sanctæ memoriæ Ambrosij compererat: vt vxorem cuiquam nunquam posceret: neque militare volentem ad hoc commendaret: neque in sua patria petitus iret ad conuiuium. Ante proximum verò diem infirmitatis obitus sui à se dictatos & editos recensuit libros, siue eos quos primo tempore conuersionis suæ adhuc laicus, siue quos presbyter, siue quos Episcopus dictauerat. Et quæcunque in his recognouit, aliter quàm sese haberet Ecclesiastica regula, à se fuisse dictata & scripta, cùm adhuc Ecclesiasticum vsum minùs sciret, minusque intelligeret, à semetipso reprehensa & correcta sunt. Vnde etiam duo conscripsit volumina, quorum est titulus, De retractatione, vel librorum recensione. Verùm breui consequenti tempore, diuina voluntate, manus ingens diuersis telis armata,& bellis exercitata, immanium hostium Vvandalorum & Alanorum commixtam secum habentes Gothorum gentem, ex Hispaniæ partibus Aphricæ influit. Iam ad ipsam Hipponensium regionum ciuitatem ventum erat obsidendã, cùm ecce tertio illius obsidionis mense fructu suæ precis minimè fraudatus vir sanctus lecto decubuit, & febribus fatigatus vltima exercebatur ægritudine.

Sub finem vita reuisit libros à se scriptos.

Inceditur Aphrica à Vvandalis. Iam tertium mensem obsessa Hippona, ægrotat vir sanctus.

VIXIT porrò ille sanctus in vita sua prolixa, pro vtilitate ac felicitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ diuinitus condonata, annis septuaginta sex, in Clericatu autem vel Episcopatu annis ferme quadraginta. Dicere autem nobis inter familiaria colloquia consueuerat, post perceptum baptismum etiam laudatos Christianos & sacerdotes absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipse fecit vltima qua defunctus est ægritudine. Nam sibi iusserat Psalmos Dauidicos, qui sunt paucissimi de pœnitentia, scribi, ipsosque quaterniones, iacens in lecto, contra parietem positos, intuebatur & legebat, & per decem ferme dies iugiter ac vbertim flebat. Obdormiuit verò in pace nobis coram positis, ac cum eo pariter orantibus, proque eius corporis depositione sacrificium Deo oblatum est. Cuius profectò & illud singulare est, quòd consanguineos suos, vel in proposito vel extra

Vbertim flens frequenter legit Psalmos pœnitentiales & sic migrat ad Christum.

constitu

constitutos, nec in vita, nec in morte vulgi more tractauit. Quibus dum adhuc superesset, id si opus fuit, quod & cæteris, erogauit; non, vt diuitias haberent, sed vt aut non, aut egerent minus.

Notent prælati, qui tam libenter ditant suos consanguineos.

DE DECOLLATIONE S. IOANNIS

Baptistæ ex D. Augustino sermone 116. in nouis.

XXIX. AVGVSTI.

EN hodie, charissimi, crudele spectaculum ante oculos nostros constitutum est. Caput sancti Ioannis in disco, feralis missus crudelitatis, propter odium veritatis: puella saltat, & sæuit mater, & inter delicias & lasciuias conuiuantium temerè iuratur, & impiè quod iuratur impletur. Factum est Ioanni quod ipse prædixerat: Illum oportet crescere, me autem minui. Iste minutus est in capite, ille, hoc est Dominus, creuit in cruce. Odium peperit veritas. Non potuit æquo animo tolerari quod homo Dei sanctus monebat, qui vtique salutem eorum quærebat, quos sic monebat. Responderunt illi mala pro bonis. Quid enim ille diceret, nisi quo plenus erat? & quid illi responderent, nisi quo pleni erant? Ille triticum seminabat, sed spinas inuenit, dicebatque Regi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Vincebat Regem libido, tenebat apud se prohibitam vxorem fratris sui: sed eum tamen sic habebat, vt non sæuiret. Honorabat eum à quo verum audiebat: sed detestabilis mulier odium concipiebat, quod aliquando dato tempore pareret, nimirum parturiit, & peperit filiam saltatricem.

Nota: temerè iuratur, & impiè quod iuratur impletur.

Causa mortis S. Ioannis mulier & filia saltatrix.

VITA S. MEDERICI ABBATIS GALLI,

ex Vincentio lib. 25. speculi, cap. 92.

XXIX. AVGVSTI.

ANNO Domini nongentesimo octogesimo quarto, qui fuit primus annus Ottonis tertij, leuatum est Parisiis corpus S. Mederici Abbatis, ipso die depositionis eius, scilicet quarto Calendas Septembris. Hic Eduæ ciuitatis pago ortus nobilis genere, cùm tredecim annos impleßet, inuitis parentibus ad monasterium eiusdem ciuitatis abiit: & illud ingressus tantæ abstinentiæ fuit, vt in hebdomada non nisi bis edu-

S. Mederici genus & conditio.

Q. stat asperrimum cilicium.

lij quicquam caperet, quod non nisi pane hordeaceo, vel quod vilius reperire poterat, & aquæ modico fiebat. Corpus cilicio asperrimo occultè tegebat, & desuper in vestibus aliis fratribus similis erat. Tandem autem & mortuo Abbati quoque successit: vbi non honorem, sed onus se accepisse considerans, omnibus sibi commissis verus Pater apparere studuit. Ipsius tempore, cùm quidam monachus eiusdem loci, libidinis æstu grauiter vreretur, postquam hoc Patri pio indicasset, ille tunicam qua induebatur, ei ad induendum direxit. Qua cùm indutus ille esset, ilico dæmon, incentor ipsius mali, fugiendo delituit, magnis vocibus proclamans: Sancte Mederice, cur incendis me precibus tuis? Vasculum quod diu possederam, abstulisti, & me inexstinguibili incendio mancipasti. Tunc verò sanctus diuina voce eum increpauit, & ille abscessit. Monachus verò ille postmodum in tanta sanctitate permansit, vt plurimæ per eum virtutes efficerentur.

Monachus quidam tentatus, induens eius vestem, mox liberatur ab omni tentatione.

ALIVS quoque prædicti Patris discipulus, ita erat diabolica illusione subactus, vt quandocumque operi diuino insistere deberet, statim vt synaxeos oratio cõsueta finienda erat, ab ecclesia exiret. Qua de causa frequenter admonitus, non tamẽ est emendatus. Tunc igitur sanctus Abbas panem accepit, & benedicens, eulogias fratri tribuit, & sic ab eo mox inimicum exclusit. Cùm autem de diuersis regionibus audita eius fama, ad eum multi properarent, desertum locum tandem expetiit, & sub statu diu desiderato sese conclusit, ita vt quicquid ciborum sumendum esset, propriis manibus elaboraret. Sed fratres de abscessu eius tristes effecti, per vastam eremum longè latéque eum perquirunt, atque etiam inuentum cùm reducere non possent, Episcopum super hoc adeunt. Qui cum eis pergens, sanctum in eremo reperit, & excommunicationis eum vinculo alligans, ad monasterium perduxit, vbi multo pòst tempore magna sanctitate floruit, & multas infirmitates curauit. Tandem autem orationis causa Parisios proficisci voluit: in quo etiam itinere multa per eum Dominus miracula fecit. Denique Parisios veniens, in cellula quæ sub nomine S. Petri Apostoli fuerat consecrata, duobus annis & nouem mensibus Deo militauit, ac sic demum, vocatis discipulis suis, obitus sui diem indicauit, in quo, etiam expletis omnibus, valedicens eis inter verba orationis ad Deum migrauit quarto Calendas Septembris.

Sanat & alium à morbo quodam animæ.

Fugiens regimen Fratrũ, vix tandẽ cõpulsus, redit.

Obdormit in Domino.

VITA

VITA S. CANDIDÆ, EX *Io, Maldonato Hispano.*

XXIX. AVGVSTI.

APVD Carthaginem Candida Gemessi cuiusdam filia, tredecim um agens annum, cùm totiùs virtutis sanctimoniæque specimen ac exemplar haberetur, Maximianum Imperatorem fama nouææ pietatis exciuit, vt aduersus tam debiles annos furorem stringeret. Statim quippe Ebelasiũ quendam ex aulæ primoribus ea lege misit ad eam, vt ni pelliceret ad sacrificia, aut quoquomodo cogeret, ipse cęderetur ad mortem. Multa tentauit Ebelasius, non tamen valuit Candidam à pia religione deffflectere. Itaque cum Apollinem & Aesculapium Candida derideret, quibus sacrifiare cogebatur, iussa est decaluari, omnéque genus ferramentis excarnificari, quæ libenter ipsa pertulit, & percussores insultauit. Tradita est feris discerpenda: & illę subito mansuefactæ comitabantur, & genibus quasi flexis adorabant. Quod maximo cum stupore cernens Ebelasius, Christum credidit saluatorem, & pedibus virginis prouolutus est. Eusebius item qui illa in præfectura successerat, ignem videns martyribus admotum, vires amittere, tertium se duobus adiunxit. Qui tres simul inter flammas & cruciatus Psallentes, Deúmque laudantes, expirarunt. Pręclarissimam igitur virginem Candidam toto mentis ardore inuocemus, eam summis precibus obtestemur, vti nos inter flammas quotidie vitiorum pertinaciter diuersantes, suo misericors suffragio erigat, & in tempore aquam suffundat, quatenus pœnitentia ducti mores & vitam mutemus, & ad superás sedes post vitæ cursum commigremus.

Tentatur à quodã Ebelasio S. Cãdida.

Credũt Ebelasius & Eusebius, & vnà cũ ea igni cõsumuntur.

VITA S. FIACRII CONFESSORIS *& Eremitæ, ex ea quæ est apud R.P. Surium.*

XXX. AVGVSTI.

BEATVS Fiacrius ex Hybernia nobilibus ortus parentibus, solitariam vitam appetens, Meldis ad sanctum Faronem Episcopum cum quibusdam sociis suis aduenit. Cuius desiderium cùm Pontifex cognouisset, & ei locum in nemore ad se, ex proprio patrimonio pertinentem nomine Brodolium assignasset, eum ibidem perduxit. Beatus autem Fiacrius, euulso nemore, monasteriũ in honore beatæ Mariæ virginis,

S. Fiacrius natione Hybernus.

Construit monasterium in honore B. Mariæ.

construxit, simul & exiguam domum seorsum, in qua manens, hospites suscipiebat, & de die in diem virtuti studens, in Deo proficiebat. Erat sanè corpori proprio hostis nimis austerus, interim quod sibi subtrahebat, peregrinis & pauperibus erogans. Vnde & fama sanctitatis eius longè latéque comperta, omnes robore priuati, elingues, siue contracti aut obsessi, aut alia incommoditate detenti, qui ad eum veniebant vel deferebantur, sola manus impositione sanitati pristinæ reddebantur. Quæ beata opinio eius, sanctum quoque Gillenum, qui ex Romanæ peregrinationis itinere applicuerat, adduxit ad eum videndum. Quem & sanctus Fiacrius sibi sanguine iunctum cognoscens, spirituali cognatione & gaudio suscepit, atque diuino alloquio cum eo vacans aliquamdiu apud se detinuit in Domino.

Claret multis miraculis.

Admodum sollicitus est de pauperibus peregrinis.

POST hæc autem Fiacrius, non habens vnde inopiam aduenientem releuaret, accessit ad Episcopum, petens vt liceret ei tantum nemoris euellere, vt ibidem posset hortum facere ad nutrienda olera pro pauperibus peregrinis. Cui Pontifex tantum rogati nemoris concessit, quantum in gyro circa domum suam propria manu fodiendo in vna die fossato posset circumdare, & vt quicquid intra fossam concluderet, liberum absque cauillatione quasi hæreditarium possideret. Quo audito, ad solitudinem reuersus, beatus Fiacrius facta oratione, baculum, quem manu tenebat, per terram trahebat, &, quod est dictu mirabile, ad nutum viri Dei tractu baculi terra dehiscens patebat, & nemus hinc & inde funditus corruebat. Interea mulier quædam aduenit, quæ viso terræ dehiscentis miraculo, ad Episcopum celeriter festinauit, Eremitam esse magum, maleficum, & incantatorem asserens, & non Dei cultorem. Deinde cum celeritate ad eremum reuersa, sancto viro conuicia, contumeliásque & blasphemias irrogauit, & eum auctoritate Episcopi ab incepto opere cessare præcepit, ipsum etiam Episcopum aduenire nunciauit. Qua de causa ab incepto opere cessans Sanctus, contristatus super petram resedit.

Nota insigne miraculum.

Temere à quadam vocatur maleficus.

SED mirabilibus mirabiliora succedunt. Petra namque durissima, nutu Dei, vt sessioni Sancti esset habilior, sub ipso concauum eidem præstitit locum. Quæ petra in hodiernum diem eodem in monasterio seruatur, & locus sessionis eius demonstratur, cuius tactu debiles sæpiùs restituuntur sanitati. Prouocatus igitur Pontifex verbis mulieris, aduenit. Sed videns vtraque miracula, intellexit Eremitam magni esse meriti apud Deum,

Stupendis miraculis claret sanctitas.

Deum,& deinceps eum feruentiùs dilexit, & quamdiu vixit, eidem etiam familiariùs adhæsit. Fossata verò tactu baculi viri Dei facta, & ipsa vsque in hodiernum diem ab incolis demonstrantur. Atque in hoc scilicet eodem loco beatus Fiacrius signis & virtutibus coruscans, tandem cursum vitæ quoque feliciter consummauit. Ad cuius tumulum quasi continuò gloriosa fiunt miracula. Inter quæ accidit quòd septem peregrini de sancto Dionysio venientes, cùm non longè essent à monasterio sancti Fiacrij, dixerunt quatuor ex illis: Eamus ad sanctũ Fiacrium. Reliqui verò tres dixerunt: Nos viscosi non sumus, non habemus necesse ire ad eum; ipse non habet peregrinos, nisi viscosos. Quatuor etiam illis ad Sanctum incedentibus, tres iam dicti eos irridentes, sæpius clamabant: Ite viscosi ad medicũ viscosorum. Nec mora, cæci facti sunt, & apertis oculis nihil videbant, donec cognoscentes culpam, & Sancti misericordiam implorantes, obtinuerũt visum sibi restitui. Sed & tanta quotidie meritis beati Confessoris perpetrantur in diuersis partibus miracula, quòd de singulis non est nostræ possibilitatis scribere.

Migrat ad Christum.

Diuinitus puniuntur sancti eius irrisores.

VITA S. BONONII ABBATIS LOCEDENsis, in agro Vercellensi, ex ea quæ est to. 7. R P. Surij.

XXX. AVGVSTI.

BEATVS Bonononius Bononia oriundus, cùm vitã sapiẽtis hominis mortis esse meditationem legendo didicisset, seriò hoc & sæpè apud animum voluens, à primis statim annis mundi huius deliciis repudiatis, in sancti Stephani monasterium, quod est Bononiæ, se abdidit. Vbi cùm in sanctarum virtutum exercitiis multum per aliquot annos profecisset, ad perfectiora charismata contendens, patria, amicis, domo, vrbisque frequentia desertis, Babylonis Ægypti solitudinem adiit, vt asperioris vitæ freno corpus perfectè edomaret, ac spiritui obsequens redderet. Euenit autem, famæ & virtutum eius fragrantia ad Ægypti incolas peruadente, vt Ægyptij proceres, ac potior pars populi ad eum singulari beneuolentia complectendum, vehementer incitarentur, atque ita quidem, vt potestatem etiam facerent ea istis in locis instituendi, quæ ad religionis instaurationem barbarica feritate cõculcatę pertinere censuisset. Quod cùm frequenter vrgerent, gauisus

S. Bononius statim à primis annis fit monachus.

Agit clarus in solitudinibus Ægypti.

pius Pater,& Deo,qui feroces barbarorum mentes mitigasset, gratiam referens,operi sedulò institit, primùm diruta multis in locis tépla restaurans,monasteria deinde plurima reparás, per quæ cœtus monachorũ distribuit,Abbates constituit, cósque secundùm à D.Benedicto præscriptam Regulam, vitam religiosè traducere iussit.

Restaurat & reparat multa ibidem monasteria.

ET ipse quidem non in vno loco consistens,Ægyptum peragrabat, verbi Dei semina vbique spargens. Ex quibus cum magnus credentium numerus paulatim cresceret, signis deinde etiam atque miraculis eorum animos ad assensum adhibendum frequenter premouebat. Sic scilicet cum fortè in naui Ægyptiis mercatoribus, quibus cum Alexandriam vnà nauigabat, Christum annuntiaret, & subita tempestas exorta, in certum omnes vitæ discrimen coniiceret,illíque attoniti,nuncupato voto,Christiana sacra se dicerent suscepturos,si præsens eius numen experti,salui euaderent,postquam ad precum subsidium sanctus se Bononius conuertit, tempestas repentè discussa,& serenitas reddita est,& Alexandriam incolumes omnes ad portum applicuerunt:vbi etiam, quos ad ipsius preces ex mortis quasi faucibus Deus eripuerat,ipse per baptismi gratiam ad nouam vitam restaurauit. Quæ, aliaque eiusdẽ generis admiranda opera,celebrem eum mox per omnem Alexandriam effecère. Verùm ne eorum ciuium fauor nimium eum extolleret,clàm inde egressus, ad Babylonis amicam solitudinem iterum secessit: vbi piis bonorum operum exercitiis cùm sedulò operam daret,tum aliis quoque vitæ viam præibat,neque potentibus blanditus,neque tamen eos quoque, quamuis superbos,per nimiam austeritatem negligendos,aut fastidiendos ducens,omnibus omnia factus.

Subito se latur ad eius preces tempestas maris.

Neque blanditur potentibus,neque tamen etiã eos contemnit.

NON ille prosperis nimium efferebatur, aduersa quoque eum deiicere non poterant. Sed & pauperum quoque indigentiam tum ipse per se subleuabat, tum etiam ad opem illis ferendam,diuites sedulò exhortabatur.Et tam quidem erga alios sollicitam curam gerebat, ipse autem in suscepta semel vitæ austeritate perseuerans, pro molli lecto duram humum,pro delicatis linteaminibus asperum cilicium, pro ceruicali commodo lapidem,cui caput inclinaret commutabat, sicque quiescere consueuerat, si tamen quies dicenda est, quæ iugibus per dies & noctes orationibus insuper fatigabatur. Graues per illa tempora procellæ Ægyptum vniuersam concussere, Romanis Ægyptios bello persequentibus. Vbi cùm commisso

Dormit in nuda humo, substrato cilicio

Bellum inter Romanos & AEgyptios.

prœlio vtrimque magna strages fieret, neque triumphus Christianis satis feliciter succederet, eorum etiam plurimi captiui ducti sunt, & inter eos etiã diuinæ memoriæ venerandus Vercellensis Ecclesiæ Antistes Petrus. Qui in tantam pertractus miseriam, inquirebat diligenter, si quis per eam regionẽ Christianus esset, cuius consilio atque ope liberari posset. Indesinẽter autem suspiranti adfuit, qui in se sperantes numquam deserit Deus, & sanctum Bononium in illis regionibus vitam agere admonuit.

Sedulò agit vir sanctus pro liberatione captiuorũ Christianorũ.

QVI accersitus, nihil sanè prætermisit quod ad eum, cæterósque qui carceribus conclusi tenebantur, consolandos ac liberandos excogitare posset. Itaque & carceris custodes muneribus sibi deuinxit, ac demum etiam regiam familiam, ipsámque Regis coniugem in suas partes pertraxit. Qui certo quodã tempore vnanimes, diuino planè instinctu, Regem aggressi, quod supplices rogabant, vt captiuos Christianos Bononio condonaret, facilè impetrarunt. Quos ille naui impositos, postquam mare transissent, Hierosolymam primùm, inde in montem Sinai perduxit, quem ipse sibi habitationem iam tũc animo designabat. Post quæ loca perlustrata, Constantinopolim quoque contendit. Vbi, cùm conscensa rursus naui, læti in suã quique patriam reuersi essent, etiam Petrus Episcopus suæ sedi est restitutus, cui multo etiam adhuc pòst tempore præfuit. Cæterùm Bononius Dei seruus, ad montem Sinai regressus, cùm totum illic diuinæ se legi mancipasset, magnarum virtutum signis valde inclaruit, ita vt gratissimo sanctissimæ suæ opinionis odore Hierosolymam quoque & vicina loca repleret.

Secedit ad montẽ Sinai.

INTEREA verò Locedensis monasterij, quod est in diœcesi Vercellensi, Abbas obiit. Vnde, qui suprà memoratus est, Vercellensis Põtifex Petrus, mox Bononium accersendum duxit, vt defuncto Abbati sufficeretur. Quod quamuis à se onus reiicere seriò conaretur, tamen cùm is nullum solicitandi & rogandi finem faceret, ne diuinæ vocationi resistere velle videretur, cessit tandem, Patérque monachorum, quamuis inuitus, factus est. Ecce autem antiquus humani generis hostis aduersus sanctum pastorem consurgit, & monasterio procellæ quodam turbine commoto, eum acriter oppugnare aggreditur. Sed ille memor huius ad suos Christi consilij: Si vos persecuti in vna ciuitate fuerint, fugite in aliam, per summam humilitatem scandalum declinans, in Hetruriam interim secessit, 7.

Multis precibus tandẽ reuocatur in Occidentem, & fit Abbas Loc[illegible].

[illegible]staur[illegible] [illegible]oddã mona[illegible]ium in [illegible].

ſit, vbi reparato ad plenum, & ſecundùm legem Dei, & S. Benedicti Regulam inſtituto monaſterio, miraculis patratis, celebris etiam in illis locis redditur. Conquieuerunt autem interea excitati motus, quibus Locedenſe monaſterium concutiebatur, ſicq́ue ipſe, Domino reuocante, ad illud reuerſus, plantas, quas, diuina adiutus gratia, conſeuerat, piæ conuerſationis quaſi fomentis diligẽter deincęps irrigare ſatagebat per multa annorum curricula, ſemper de ſe etiam ſubmiſſiùs ſentiens. Inter cætera autem quæ præclarè geſſit, magnis etiam impẽſis, cura atque labore templo exſtruendo incubuit, quo conſummato opere, cum ſe per omnem vitam irreprehenſibilem exhibuiſſet, tempúſque adeſſet quo eius labores Deus remuneraturus, æternæ ei gloriæ brauium donaret, ſpiritum Creatori feliciter reddidit, tertio Calendas Septembris, anno Dominicę incarnationis milleſimo vigeſimo ſexto.

Tranſit poſt labores ad æternã requiẽ.

FINIS AVGVSTI.

SEPTEMBER.

DE SANCTO ÆGIDIO ABBATE, *ex Ordinario nouo.*

I. SEPTEMBRIS.



ÆGIDIVS Athenienſis regię ſtirpis, à prima ætate diuinis literis & charitatis officiis ita deditus fuit, vt nihil prętereea curare videretur. Itaque parentibus mortuis, totum patrimoniũ in pauperes erogauit: quin etiam tunicã exuit, vt ægrotũ egẽtem tegeret, qua ille indutus, ſtatim cõualuit. Sed multis etiã deinceps clarior miraculis, timens ſui nominis celebritatem, Arelatem ad beatum Cæſarium contẽdit: à quo poſt biennium diſcedens, ſeceſſit in eremum, vbi diutius herbarum radicibus & ceruæ lacte, quæ ſtatis ad eam horis veniebat, admirabili ſanctitate vixit. Quæ cerua, inſequentibus quodam die canibus regiis, cùm in antrum Ægidij refu

S. ÆEgidius ſua tunica indutũ paupere quedã ægrotum, eum ſimul & tegit & ſanat.

Victitat radicibus herbarum, & lacte ceruæ.

refugisset, Galliæ Regem impulit, vt ab eo summis precibus peteret, vt in loco speluncæ, monasterium exstrui pateretur, Cuius administrationem, flagitante Rege, cùm inuitus suscepisset, eo munere aliquot annis prudenter pieque gesto, migrauit in cælum.

Migrat ad Christum.

VITA S. IVSTI EPISCOPI
Lugdunensis, ex ea quæ est apud F.P. Laur. Surium.

II. SEPTEMBRIS.

VITAM beati Iusti Lugdunensis Episcopi cogimur adiurati vel breuiter exponere: qui Lugdunensis quoddam vrbis Sacerdos, nunc eius apud Christum est patronus. Cuius cùm mecum reputo inexpugnabilem in operibus fidem, præcipuum in victu rigorem & parsimoniam, diuturnam in solitudine habitationem, eò sanè adducor, vt incunctanter affirmare non dubitem, eum, licet pro Christo martyrium non obierit, attamen complesse martyrium. Itaque Iustus Viennensis primum Diaconus, postea Lugdunensis ecclesiæ Antistes consecratus est. Quam ille ecclesiam tanta puritate, integritate, modestia, pietate, patientia per multos rexit annos, tanta quoque pauperum cura, tanta diuinorum mandatorum obseruatione, vt etiam magnificos & præstantes Domini Sacerdotes omni virtutum gratia anteiret. Sed cùm ita intentus functioni suæ & plebis profectui, illi ecclesiæ præsideret, ad eum expellendum frementis diaboli exarsit inuidia. Nam cùm in ea vrbe quidam subito mentis furore correptus, in publicum se proripiens, obuios ignarosque confodisset, ac pro atrocitate rei excitato tumultu hinc atque inde premeretur ab infesta multitudine, eodem quo in scelere vsus erat telo se defendens, in ecclesiam nonnihil iam sibi restitutus confugit, obseratisque sacra tātum ædium valuis, diu reuerentia loci insanientis populi furorem à se amouit.

S. Iustus Episcopus Lugdunensis, ex Diacono Viennensi.

SED cùm seditio increscens iam etiā templo Domini ignes minaretur, beatus Iustus Episcopus necessitate compulsus, accepta à quodam viro primario sacramentali fide, quòd nihil homini illi periculi intentarent, sed tantisper dumtaxat in custodia asseruarent, donec populo esset satisfactum, reum extra ecclesiæ claustra dimisit. Eum vero turba, quæ in tumultu nihil alicuius pensi habet, pedibus colligatum trahens, vltimo mortis supplicio affecit. Tum ille vir Dei, sanctitate

Extrahitur quidam insanus ex templo, & à populo tumultuante.

memo

Reputās vir sanctus crimē populi, crimē suum.

memorabilis; admissum facinus adscribit sibi, alienum crimen sibi imputat. Peccauit incondita plebs, & quidem satanæ instinctu peccauit, Iustus autem quid fecit? Confidebat autem ille in Domino, & dicebat animæ eius, Transmigra in montem sicut passer. Nam iustus ille, qui fuerat magnus Sacerdotio, factus est maior voluntario exsilio, officio scilicet sacerdotali se statuens abdicare, & loca peregrina animo latitandi expetere. Reuersus igitur ex quadam Italiæ Synodo, ad quam fuerat euocatus, quod vix sine lacrymis commemorari potest, non Lugdunum venit, ne totius plebis amore obstrictus, liberam non haberet discedendi facultatem, sed apud Torrentem residens, si qui amici ad valedicendum ipsi eò excurrere vellent, sustinuit. Multis verò lacrymantibus turbis eò accurrentibus, veritus ne multitudine oppressus retineretur, clàm solus, & præter omnem exspectationem recessit: nec quisquam ei se adiunxit, comitem, præter vnum Viatorem, egregiæ indolis puerum, qui tum in ecclesia Lectoris munere fungebatur.

Psalm. 10.

Interest cuidam Synodo Italiæ.

Clàm proficiscitur ad peregrinādum.

Is solus enim beatissimi senis latêre cupientis vestigiis inhæsit, iamque Arelate & Massiliæ agenti, nauemque conscendere volenti, non sine admiratione se ei obtulit. Illo ergo in peregrinationis solatium recepto, eremum sitiens, in Ægyptum nauigauit. Quò postquam peruenit, inter sanctos illos Eremitas degens, diu se celauit, vt tum nomine, tum dignitate suppressa, summæ humilitatis opus exercere posset, non iam Clericis dumtaxat, sed etiam monachis & laicis se inferiorem exhibens. Sed cùm non breui tempore ita tectus latuisset; accidit aliquando, vt in præcipuo monachorũ sanctorum Conuentu, à quodam fratre, qui ex hac prouincia eò tum peregrinus aduenerat, agnosceretur. Qui cùm ad eius genua prouolutus, cunctis stupentibus, sanctum Episcopum Iustum illum esse confiteretur, omnes tantæ humilitatis virum admirantes culpantesque ignorantiæ suæ temeritatem, quod Pontifici sese, quamuis nescij, præposuissent, superiorem erga illum negligentiam recenti honoris exhibitione compensarunt.

Diu latet inter Aegyptios monachos omnibus humilitate substratus.

Tandē agnoscitur.

HORVM itaque vitæ particeps Iustus noster, noctes atque dies in precibus & ieiuniis transigens, in conspectu Domini perpetuus erat pro suis Lugdunensibus deprecator. Nam tametsi corpore ab illis aberat, at precibus sanè aderat. At verò intereà, sanctus Antiochus tunc Presbyter Lugdunensis, piò incitatus officio ad visendum Præsulem suum, peregrè profi-

cisci deliberabat, vir vitæ seueritate præcipuus, & qui non immeritò postea in sede beato Iusto successerit. Qui cum tanti Præsulis desiderio terras ac maria transmiteret, beatus Iustus aduentum eius adeò prænunciauit, vt etiam quibus diebus quæ loca adiret, exprimeret, ita dicens: Charissimus Antiochus noster hodie illic moratur. Immo verò illum ipsum diem quo venturus esset ad eum, indicauit. Porrò cùm annis aliquot in eremo Angelis proximam egisset vitam, & tantorum laborum dignus adesset finis, regna cælorum iam iamque scandenti, & in extremis agenti, flens, & animo consternatus dixit Viator: Et cui me Domine relinquis.

Præsescit longissimè à se posita.

BEATVS autem Iustus respondit: Ne turberis fili, tanquam solatio destitutus, non ita diu pòst me sequeris. Quam eius prædictionem à diuina reuelatione manantem, veram fuisse, sanctissimi iuuenis obitus declarauit. Hoc autem silentio quoque premere nolim, Lugdunẽsium ciuium erga sanctissimum Antistitem suum studium & amorem, nimirum ob absportandum sacrum eius corpusculum in Ægyptũ vsque profecti sunt. Et certè ostenderunt Lugdunenses se tam præclaro non indignos Antistite, cùm gratiæ eius magnitudinem officij gloria æquipararũt, cùm egregij sacerdotis & sancti senis ossa reueranda, fidelissima plebs è longinquis regionibus, cum multa alacritate & religione reduxit, & cũ lacrymis præ gaudio fusis ea exceperunt, dederuntque operam, vt qui spiritu cum ipsis erat, esset & corpore in honorem Domini nostri Iesu Christi, cui est potestas in secula.

Migrat ex hoc seculo.

Referuntur eius sacra ossa Lugdunum summa cum veneratione.

VITA S. REMACLI EPISCOPI

Traiectensis, ex ea quæ est per Notgerum Episcopum Leodiensem.

III. SEPTEMBRIS.

Floruit is Notgerus circa an. Domini 850.

QVo tempore Clotarius Rex inclytum filium suum Dagobertum Austrasianis præfecit, Eligius autem & Audoenus, viri sancti, palatij ministeriis fuangebantur, beatus item Arnulphus & Romaricus regiis adhibebantur consiliis, sanctus Amandus & beatissimus Remaclus, sanctusque Goar Aquitaniam ortu suo illustrabant. Habet ea pronincia vrbes quatuordecim prægrandes, è quibus duæ sunt metropoles: vna Burdegalensis, magnis semper vitis conspicua: altera Bituricensis, cuius tum Archiepiscopus fuit S. Austregisilus

En statum Gallicanæ Ecclesiæ florentissimum.

silus, & beatus Sulpitius Archidiaconus Austregisili in Episcopatu successor, in quorum parœcia Remaclus in hanc lucē editus, patre Aibutio, Matrima matre, (qui ambo pro seculi dignitate, & opibus, & generis nobilitate pollebant) educatus est primò sub beato Sulpitio. Deinde verò vbi adoleuisset, &, prout ea ferebat ætas, totius integritatis proferret fructus, beato Eligio commendatus fuit, qui & in Solemniacensi monasterio, quod ipse in suo fundo constituebat, eum sacris monasticæ disciplinæ institutionibus exactè imbuit. Erat sanè in vigiliis assiduus in precibus pernox, in abstinentia præcipuus. Quod cernens beatus Eligius, curam gregis sibi commissi in eum transferens, suas ei vices demandauit, compellebatur enim ipse redire ad Regis palatium. Postea verò etiam longè lateque sparsa est fama sanctitatis beati Remacli, quim & ad ipsos etiam peruenit aulæ proceres. Promulgatur tantū virum Regis pręsentiæ deesse non debere, vt eius prudentia regni negotia disponerentur.

S. Remacli parentes, & à quibus sit institutus.

Adhibetur regiis cōsiliis.

EVOCATVR ergo, vt par erat, honorificè, atque in Regis palatium introducitur, magno deinceps, vt rei pòst euentus docuit, omnibus solatio futurus. Per idem ferme tempus beatus Ioannes, Tungrensium vel Traiectensium ecclesiam feliciter gubenans, hominem exuit. Post quod inclytus Rex Dagobertus, qui patri Clotario in monarchia successerat, beatum Amandum, qui ad prædicandum (vt tum moris erat) factus fuerat Episcopus, ad se accersiuit: & quia cum iniuria eum expulerat, ab illo ob quædā facinora reprehensus, nitebatur arctius illum sibi deuincere, tum per Sigeberti filij sui baptismum, tum vt in Traiectensi cathedra eum collocaret Antistitem. Et ille quidem vir sanctus per triennium vicos & castra perlustrans, verbum vitæ disseminauit: sed nihil se proficere cernēs, immo verò etiam ipsos Sacerdotes & Leuitas sibi insultare animaduertens, ad alia loca, vt prius fecerat, sese prædicandi causa contulit. Incompertum verò est quanto tempore plebs Traiectensis tum sine pastore permanserit, donec Sigebertum pater Regem Austrasianis dedit, & in Mediomatricum vrbe sedem habere voluit, cùm verò Traiectenses ex communi Sacerdotum electione, simulque magnatum multa frequentia, eiusmodi preces offerunt, neminem ipsis, nisi beatum Remaclum Episcopum præfici debere: qui & veritus ne diuinæ resisteret voluntati, septimus & vicesimus Tungrensi vel Traiectensi ecclesiæ datur Antistes. Quod munus

Vide hæc etiā plenius supra in ipsius sancti Amandi vita.

Præficitur S. Remaclus ecclesiæ Tungrensi.

munus qua religione exſecutus ſit, nos explicare nequimus.

MIRA in eo cernebatur morum ſuauitas & facilitas. Tum etiam inter diuites & pauperes ea nouerat moderatione ſe gerere, vt pauperes eum ſuæ ſortis, locupletes verò ſui ordinis arbitrarentur. Denique quod ore dicebat & adſtruebat, nunquam actione vel opere deſtruxit. Multorũ ille cœnobiorum & fundator & rector fuit, diſcipulorumque complurium pater & inſtitutor: in quibus fuit & beatus Theodardus, ab eo diſciplinis eccleſiaſticis informatus, & quem ſibi ſucceſſorem deſignauit, qui & ad extremum martyr abſceſſit è vita: item ſanctus Lambertus, qui itidẽ ſua tempeſtate martyrem egregium ſe exhibuit, beatus quoque Adelinus in Aquitania natus & peregrinationis eius comes, quin & ſanctus Trudo etiamnum puer, ab Angelo ad eum miſſus. Sed de his ſingulis alibi. Porrò per id tẽpus Sigeberbus Rex loca diuino cultui mancipanda, vbi non erant, cum ingenti animi deuotione condebat. Vnde & in eo loco quem Caſæcongudunum vocant, ad Seſmarum fluuium idem Rex procerum conſilio in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli atque Ioannis, cœnobium condidit, quòd aptus videretur is locus monachorum habitationi, quorum beatum Remaclum voluit eſſe prouiſorem, atque etiam magiſtrum & inſtitutorem. Exſtat hodieque locus orationis, eius opera in rupe excifus, in quo etiamnum malè habentibus præſtantur beneficia curationum.

Nota.

Aliquot eius ſancti diſcipuli.

Conſtruit cœnobiũ ad Seſmarum fluuium.

ILLIC enim vir ſanctiſſimus Deo ſeſe hoſtiam ieiuniis & vigiliis maceratam aliquandiu obtulerat, quouſque ſcilicet eius loci pertæſus (eo quòd non haberet Rex in propinquo, vnde poſſet is locus dilatari) Regem acceſſit, admonens ſolam Arduennam nulla adhuc cœnobia obtinere. Qua admonitione commotus Rex, conuocanſque fideles viros ſanctum Cunibertum Epiſcopum, Aterlanum, Theodefridum & Giſlochardum item Epiſcopos, Optimates quoque ſuos Grimoaldum Maiorem domus, Folcoadum, Bobonem, itemque domeſticos ſuos Clodulphum, Anſigiſilum, & Berſelanum pronunciat tandem in hæc verba. Ex voluntate, inquit Dei, & veſtro, ceterorumque nobis fidelium conſenſu, duo ſtatuimus condere monaſteria intra fines Arduennæ, in quibus degant viri religioſi, monaſticæ vitæ cultores, qui pro noſtra & ſucceſſorum noſtrorum incolumitate, & totius regni ſtabilitate, atque eorum qui curis regni diſtinentur conſeruatione, Deum omnipotentem deprecentur, cui operi præeſſe volu

Suggerit Regi nulla adhuc eſſe cœnobia in Arduenna.

Nota ad quid ſeruiant monaſteria.

volumus Remaclum Episcopum. Atque ita ergo regia auctoritate sanctus Episcopus Arduennam syluam petit, VVarchinnam riuulum adit, inuenit illic certa indicia, loca illa quodam idololatriæ fuisse mancipata. Quæ postquam adhibita adiuratione per Christi nomen, & sanctæ Crucis signo expresso emundasset, locum appellauit Malmundarium, quasi scilicet à malo mundatum.

Extruitur cœnobium Malmundariense.

EXSTRVXIT autem illi oratorium, itemque habitacula in vsus seruorum Dei. Verùm cùm is locus in Agrippinensi parochia situs esset, cœnobium quoque suscepit construendum quod suæ diœcesis limitibus contineretur. Procedens igitur inde quasi ad duo milliaria versus Occidentem, Callam riuulum, qui parochiis conterminus est, transiit, & ad Amblauam fluuium in cuiusdam montis confinio substitit: atque ibi aliquandiu commoratus, multa de se sanctę conuersationis exempla dedit. Etsi autem locus ille multos haberet fontes, tamen quòd angustus esset, nec officinis necessariis sufficeret, ad Orientem reflectit gressûs, parumque procedens, videt locum spatiosiorem. Ibi ergo labori cœpit instare attentiùs, aderatque illi, vt in talibus solet, diuina virtus, qua factum est vt voluntatem effectus sequeretur. Cæterum, quod ferè eò vndique ceu ad stabulum vel potus vel pastus causa animalia cõfluerẽt; antiquitus locus ille Stabulatus dictus fuit. Quod nomen vir sanctus minimè censuit immutãdum, sed & dici esse voluit stabulũ fidel.ũ animarũ. Ita nimirũ sanctus Sacerdos remotioris vitæ sectãdæ occasionem adeptus est. Quare & proposuit Regi sanctum Theodardũ, cuius erat vita probata, orauitque vt is suas expleret vices, & sibi subrogaretur.

Item & Stabulense.

Relicto Episcopatu, dat se totum ad regẽda iã dicta monasteria.

TVM verò dici vix queat, quã mœstos & afflictos reliquerit, quibus vitæ semina præbuerat, perrexit tamen ille itinere suo. Quæ res postquã innotuit tũ propè tũ procul degentibus, cœperunt vndique ad eũ, ceu apes ad aluearia, confluere, inter quos etiã erat dominus & Pater Papolenus Malmundariensi cœnobio ab eo præfectus, cuius monachi, S. Benedicti instituto viuebant, salua tamen in omnibus sua auctoritate, ipso nimirum in Stabulaus occupato. In cuius posterioris monasterij officinis, quàm fuerit omnis peccandi interdicta facultas; testis est vel solus dormitorij locus, testis est S. Lambertus, qui è sua pulsus sede, eò potissimùm confugit, testis est crux lapidea, ad quam, ob strepitum labentis calcei, quo Fratrum quies fuit interrupta, ire iussus nocte media, vsque in

Insigne exẽplum pro silẽtio monastico.

crepus

crepusculum sub illa stetit, frigus contemnens, & niues calcans. Sed hîc quoque temporum ordo nunc est attexendus. Defuncto liberalissimo in hæc monastria Sigeberto, successit frater Clodoueus, sedem regni habens Parisiis: quo defuncto, regnauit in Occidēte quidem filius eius Clotarius, in Austrasia verò frater Clotarij Childericus, ad quē Clotario decedente, ipsa etiam deuoluta est monarchia.

VERVM is postea propter morum insolētiam interfectus est, successoremque habuit fratrem Theodoricū in Occiduis regni partibus, cui Magister Equitum fuit Ebroinus: quorum tyrannidem auersati Austrasiani, Pipino Principi studebant & parebant. Atque hi sunt sub quorum tempore S. Remaclus Romam profectus est, S. Petri aliorumque Sanctorum suffragia imploraturus: vbi etiam tam diu in preces & ieiunia incubuit, donec diuina & Angelica consolatione fretus, quandam Reliquiarum eiusdem beatissimi Apostoli partem meruit obtinere: quæ quidem apud nos auro gemmisque ornatæ præcipuo cum honore asseruantur. Animam verò reddidit Creatori verus Israëlita, post diuturnam Christo exhibitam seruitutem, modico correptus morbo, cùm se sacrosancti corporis & sanguinis Dominici viatico confirmasset inter manus charissimorum filiorum, sepultus in oratorio B. Martini. Successit autem illi dominus Papolenus, atque illi Sigolinus, & deinde Sigolino Goduinus, qui sancti viri corpus transtulit in ecclesiam, scilicet B. Petri, lectum illius auro & argento simul ornandum curans. Vbi per eius merita, multa vsque in præsens Dominus miraculorum signa effecit, quæ illic conscripta habentur.

Proficiscitur vir sanctus Romam.

Tandem migrat ad Christum.

VITA S. IDÆ CONIVGATÆ,
ex ea quæ est per Vffingum Monachum VVerlimensem.

IIII. SEPTEMBRIS.

QVOD non sit personarum respectus apud Deum sed in quauis gente qui timet ipsum, & operauit iustitiam, is acceptus est illi, vtique iam vespere mundi in beatissima Dei famula Ida completum esse comperimus; quæ summo inter suos loco nata, tempore magni Regis Caroli claruit, ex regali scilicet indole sanctarum virginum Odiliæ, & Gertrudis filiæ sancti Pipini, quarū si quis sanitatis indignus salutiferas * lipsanas frequentat, testem se protinus recuperatæ sentiet sanitatis.

Quo tempore hæc sancta virgo claruerit.

reliquias.

tatis. Hæc itaque, vt in sequentibus dicemus, licet coniugali lege constricta, nihil tamen cælestis sponsi prætulit amori, & ideo non solùm pudicitiæ & castitatis damnum pertulit, imò centesimum fructum supernæ mercedis percipere meruit. Eo tempore, quo victoriosissimus Imperator Carolus feliciter gubernabat, expeditio exercitus propter Galliarum seditionẽ in Occidentem dirigitur: vbi tunc inter alios Orientis Proceres, Præfectus quidam Egbertus nomine aduenit, qui grauissimam ibi incurrit ægritudinem. Vnde Imperator illum cuidam de suis summis ex ipsius loci primatibus procurandum diligentissimè commendauit.

Seditio quædã Galliarũ.

Erat præfato comiti, apud quem hospitabatur, vnica hęc filia venusta forma. Quæ intantum ægrotanti est compassa, vt per seipsam aliquoties, quantum suam personam decebat, eius vlcera oppalparet, & congrua doloribus exhiberet fomenta, cuius ipse solatio valde delectabatur. Interea Imperator, rebus in tutum compositis, victor reuersus, præcellentissimi sui Comitis haud immemor, eandem, qua illum pridem reliquerat, ciuitatem visitandi adiit gratia, eumque iam per Dei gratiam valentiorem repperit. Dumque mutuo aliquamdiu colloquio fruerentur, inter sermocinandum illustris vir Egbertus de præfatæ virginis nuptiis Principi suggessit. Princeps verò de eius recuperatione simul & postulatione multum gauisus, & suum ad hoc assensum & parentum adeptus est fauorem, deditque illi in eisdem partibus multas possessiones de publico; quatenus viciniori potentia soceris acceptior factus, non minori apud illos quàm in genitali solo præcelleret dignitate. Insuper etiam cunctis Saxonibus, qui inter Rhenum & Vvisurgum maxima flumina habitant, Ducẽ præfecit. Post hæc autem sponsam suã Christianissimam, & ipse admodum religiosus, cum Dei timore suscepit, ac tandem ab omni illa parentela honorificè dimissus, ad sua commigrare decreuit.

S. Ida valdè compatitur cuidã ægroto.

Traditur in matrimoniũ cuidã nobilissimo Comiti.

Caeterum quadam die, dum itineri insisterent, venerunt ad locum quendam iuxta Lupiam flumen, qui Saxonica lingua *Hirutfelt* nuncupatur, vbi & tentoria fixerunt, lassisque ex profectione somnos dedit herba salubres. Omnibus itaque alto sopore depressis, venerabili matronæ Idæ Angelum suum in somnis Dominus mittere dignatus est, qui post multa, quibus eam instruxit; monita, oratorium ibidem ex suis sumptibus construendum prædixit, vbi Domino quandoque liberiùs deseruire posset, quin etiam post huius vitæ cursum consum

Apparet ei Angelus Domini, iubens vt construat in certo loco oratorium.

consummatum, illic ei locum quietudinis, vnà cum viro suo, præsaga voce promisit. Quare illa mox diuina tacta compunctione, dum primum mane illuxit, domino suo, quæ angelico relatu didicerat, plenissimè exposuit. Qui dum verbis fidem per omnia accommodaret, beata Ida solotenus inclinata, Dominum, vt felicia cœpta ad calcem vsque perfecti operis perduceret, submissa voce rogabat. Non multo itaque pòst, in loco supradicto lapidea basilica opere polito construitur, ac in sanctæ Mariæ genitricis Dei honore, sanctique Germani Episcopi consecratur. Ad illum namque dicatum locum, qui est in pago Dreni, in Lupiæ fluminis ripa, nonnulla illustris viri Egberti prædia respiciebant, vbi etiam propterea Deo dilecta matrona Ida frequentiùs commorari, & semper recentibus in Dei cultu laboribus intentissimè consueuerat insudare. *Facit quod erat iussa.*

STVDEBAT autem nihilominus, ex occasione copulæ carnalis Deo, quæ Dei erant, reddere. Vnde & sic forinsecum amorē temperabat, vt nullius tamen leuitatis næuus rigorem animi eius posset obfuscare. Non paucis verò post hæc annis elapsis, militiæ suæ penso expleto, dominus Egbertus, vir in Christo honorandus, humanis rebus excipitur; cuius spiritus, vt credimus, cælorum sedes promeruit obtinere. Post cuius migrationem beata Ida quàm districtè tenerum corpus arctauerit, difficile dictu est. Vt supernorum meditatione arctiùs occuparetur, in præfatæ ecclesiæ plaga meridiana, contiguam eius parieti porticum construxit, in qua remotiùs orare, & à vulgari strepitu immunis conuersari posset, vbi & Dominus Egbertus, laudandæ memoriæ, conditus, pausat. Ad hæc autem verè beata Ida marmoreum quoque sibi sarcophagum longè ante obitū iussit præparari, ob incerti temporis momentum, quem duabus quotidie vicibus, quamdiu superuixit, diuersis alimentorum, aliarumq́ue rerum impensis, summotenus impleuit, & victu carentibus hilariter distribuit. *Admodum sanctè vixit in matrimonio.* *Post mortem mariti se totā tradit Deo & pauperibus.*

THEORICAE quoque intenta disciplinæ, numquam extra ianuam quam incoluit cellæ pedem amouit, saluo eo dum inopum stipendiis deseruiret. Atque talibus quidem virtutum prærogatiuis sacrosanctum suum adornauit velamen, donec molesta vitalium valetudine acriter pulsata, horam præsensit vltimam. Quo tempore accito presbytero suo, nomine Berngero, pluribusq; seruis Dei, preces eorum deuotè expostulauit. Et quidem ita factum est: oratum est: imò & de cælis auditum

est quod iã olim prędestinatum est, sicque illa carnali fasce leuata, spiritũ amatori suo Christo transmisit. Positũ est autem sacrosanctũ corpus eius cum piis laudibus in arcam saxeam, quam suprà retulimus, & in ipsa porticu, qua se diuino cultui mancipauit, honorificè tumulatam; vbi attestantibus medelis, qualiter apud Deum habeatur, lucidissimè comprobatur.

Obdormit in Domino, & sepelitur in eodem illo oratorio.

VITA SS. MARCELLI ET VALERIANI,

ex Breuiario Viennensi.

XV. SEPTEMBRIS.

In carcerem truduntur SS. Marcellus & Valerianus è quo latenter exeunt.

CVM sub Antonino qui Romani imperij apicem gubernabat, per omnes prouincias aduersus Christianos impiæ persecutionis edicta panderẽt: eo tẽpore in vrbe Lugdunẽsium quinquaginta sacræ religionis cultibus dediti, diuersis suppliciorũ cruciatibus præparandi iussu præsidis in ergastulis retruduntur. Ex quo numero martyrũ beatissimus Marcellus & Valerianus, custodiæ illius qua fuerant mãcipati patefactis diuinitus claustris ad ciuitatem aliam fugam latenter arripiunt.

Hospitij sui domum totã ad Christum conuertit S. Marcellus.

CVMQVE sanctus Marcellus latendi studio, viã itineris occultè conficeret, accidit vt à quodam Latino ei hospitalitas præberetur qui statuã Martis & Mineruæ simulacra adoraret, & breui tempore totã domũ hospitis ad credulitatem Christi, spreto errore cõuerteret. Tunc Cabillonẽse oppidũ prætermittens & Argentomaguẽsis aggeris viam carpẽs, à Prisco præside captus iubetur ad statuã Saturni & Solis simulacrum duci, quibus si immolare non acquiesceret, gladio puniretur.

Eius obitus.

QVEM præses cum videret nec pœnas nec supplicia metuentem, furentis iracũdię stimulis incitatus, defodiri erectum cingulo tenus iubet. Sic sanctus Dei martyr in secundo ab oppido Cabillonensi milliario viuens Christo: medius sepelitur. Qui tertio die in Dei amore & laudibus perseuerans, incontaminatum reddidit spiritum.

DE S. BERTINO ABBATE,

partim ex vita S. Audomari, partim ex iis qua sunt apud R.P. Surium.

V. SEPTEMBRIS.

FVIT beatus Bertinus ex tribus illis venerabilibus viris qui ex territorio Constantiensi ad sanctum Audomarum Episcopum Morinensem venerunt, cupientes cum beato Præsule, contẽpto paterno solo; verbo vitæ perfrui, fuerunt enim hi, Mummolinus, Bertrammus & Bertinus. Erant autem eruditione præclari, & in Catholica fide bene maturi, tum quoq; feruebat in illis charitas Christi. At verò accidit tum, vt Adroaldus quidam rebus locuples, stemmate mundanæ nobilitatis clarus, B. Audomaro in diuinis laborãte triumphis; fidei doctrinæ aures mentemque accommodaret, detrectans deinceps ceruicem dæmonum inclinare simulacris: quin & amoris diuini studio omnes facultates suas & villam Sithiu Christo & S. Audomaro transcripsit. Atque hîc quidem S. Audomarus; dum exstirpatis spinis & vepribus mundat Christi messem, etiam horrea præparare volens, egregium templum in Sithiu magnis sumptibus exstruit, in sanctissimæ Dei genitricis honorem, Sanctorum patrociniis illud muniens. At verò tres illi sancti Diuinæ religionis cultores Mummolinus, Bertrammus & Bertinus in Domino conspirantes, cœnobium quoque condunt, quod dicitur Vetus templum, vbi & Angelicam fraterna concordia instituit monachorum vitam.

** Ex vita S. Audomari.*

S. Bertini genus & quomodo venerit ad S. Audomarum.

Nunc est oppidũ S. Audomari.

Exstruit sanctus Bertinus cum sociis cœnobium quod dicitur Vetus templum.

SED tamen cùm animaduerterent locum illum monasticę quieti minùs accommodum, explorare instituunt, habeántne vicina loca monasticæ disciplinæ situm opportuniorem. Est verò illic stagnum marinos æstus imitans, cùm flat Eurus vehementior. Conferunt itaque se eò tres illi Christi milites, nauimque intrant sine remige, scilicet vt eò tendant quò sit visum Spiritui sancto. Radit iter nauicula errabundo tramite, sancti bene sperant, orant, vigilant, cælo intenti psallunt. Atq; ô rem omni admiratione dignissimam. Cùm psalmodia rectè ordine ad eũ perduceretur versum, Hæc requies mea in seculum seculi, &c. ad littus nauicula mira celeritate appellitur; Angelico, vt credimus, ducta moderamine. Tũ verò sancti viri magno sese feruore accõmodant ad exstruendum illic monasterium, congratulatur illis Apostolicus Christi Antistes Audomarus, fauet studiis, vrget conatus. Multi confluunt artifices, templum conditur ad* Agmonem fluuium. Necdum autem operi suprema erat imposita manus, & iam monastico structa apparatu fortissima castra, religiosorum virorũ implet multitudo: Præficit verò illi cœnobio sacerdos Domini Audomarus

Psalm. 131. Itẽ aliud, nimirũ illud iã celeberrimũ.

** Aginoum*

Congregatur illic sancta multitudo.

domatus Mummolinum, qui pastoris munus adeptus, indefessè cælestis doctrinæ semina discipulis deprompsit, quousque virtutum suarum longè lateque diffundens odorem, post decessum Aichatij, in Nouiomensis ecclesiæ cathedram illi successit, in quo Pontificatu sex & viginti annis strenuè se gerēs, iam vltima ætate Angelicis ciuibus est adiunctus.

Præficitur illi S. Bertinus.

PORRO in Episcopum electo Mummolino, S. Audomarus pastoralē curam Sithiensis monasterij demandauit sancto Bertino: in cuius venerandi Patris amorem conspirantia illa Dei agmina magna deinde concordia tam egregio duci adhærens, siquidem in cunctis moribus cū serpentis prudentiam cum columbæ simplicitate coniunctam consectari videbant: * Multos autem in Dei seruitute durauit annos beatus Bertinus etiam post beati Audomari obitum, cœtúmque monachorum ipsi à Domino creditum diligens Pastor multa animi solicitudine sub districto sacræ Regulæ iugo conseruabat, sciens scriptum esse, cui plus commissum sit, plus etiam ab illo exigendum. Proponebat illis quotidie Dominica & Apostolica præcepta, iisque in seuera viuendi ratione proficientibus, religiosis actibus suis præclara de se præbebat exempla. Vnde & cernens benignissimus bonorum operum compensator Deus, indefessam militis sui aduersus diaboli tentationes pugnam & certamen, tum etiam erga gregem ipsi commendatum curam egregiam, admirandis quoque cum signis & virtutibus illustrauit, è quibus nos vnum præ ceteris annotabimus.

** Deinceps Surius hoc loco.*

Lucæ 12.

Egregiè pascit gregem sibi creditum

S. Bertinus Confessarius & compater cuiusdam Comitis VValtberti.

FVIT quidam spectabilis Comes VValtbertus, cuius vxor Rogeutrudis dicebatur. Horum vtrique à sacris confessionibus erat B. Bertinus, immò verò etiam compater, vt vocant, ex laudabili Christianorū more. Qui cùm aliquando veniens ad ecclesiam in qua beatus Audomarus quiescit, precibus absolutis, re quadam necessaria vrgente, sine consueta beati Bertini benedictione, domum abiisset, in medio itinere ex equo collabens, in petrosam humum decidit, multisque quassatis membris, & femore penitus confracto, se confestim putat moriturum, serò dolens se sine benedictione solita recessisse, id quod etiam vir Dei paulo antè prædixerat. Interim mittitur à VValtberto nuncius velox, tremula voce opem beati viri implorat, cùm ille iubet vinum in sacrario repositum proferri, VValtberto deferendum. Vbi licet in vasculo iam à mense integro vix parum vini fuisset relictum, ad verbum tamen viri sancti, & vas optimo vino plenum subitò inuentum est, & simul

Eundē Comite grauiß mè læsum, miraculo sanat.

mul ad VValtbertum delatum, ei optatam sanitatem eadem hora attulit. Qui mirificè laudans Deum auctorem salutis suæ, bonam possessionum suarum partem Deo & beato Bertino largitur, vt qui pro Christi amore patriam parentesq; reliquerat, posset etiam in hoc seculo centuplum recepisse videri.

TANDEM autem postquã vir sanctissimus totũ vitæ suæ tempus in Dei timore exegisset, perfectus in operibus bonis, & plenus Spiritu sancto, Nonis Septembris migrauit ad Dominum, cum multo monachorum luctu sepultus in monasterio Sithiu, quod ipse construxerat in honorem beatissimæ matris Dei, & sancti Petri Principis Apostolorum. *Obdormit in Domino.*

VITA S. HVMBERTI CONFESSORIS

Hannoniensis, ex ea quæ est apud R. P. S.

VI. SEPTEMBRIS.

TEMPORIBVS Childerici Regis Francorum, floruit sanctus Domini Humbertus de Maceriis villa, ex beato Eurado patre, & Popita matre, claris Francorum proceribus. Qui ab ipsis puerilibus annis egregia futuræ sanctitatis dedit indicia, præsentia scilicet fastidiebat, nihilque in mundo appetebat: ob quod & parentes eius aduertentes, puerum supernæ illustratione visitatum, Lauduni viris peritissimis eum commendarunt sacris literis imbuendum: vbi proficiens ætate & gratia, in monasterio recluditur, ac tandem vsque ad sacerdotium vitæ merito promouetur. Pollebat autem in præfatæ vrbis ecclesia magna sanctitate tam supra coæuos quam supra senes, ita vt multi eius exemplo animati, viuere idcirco beatius eligerent. Euoluto autem aliquanto tempore, accepta ab Episcopo benedictione, ad possessiones sibi relictas à parentibus perrexit, nimirum vt eas Dominicæ familiæ condonaret. Vbi cùm ad quendam locum ditionis suæ peruenisset, superuenit ibi sanctus Amandus Episcopus, cum venerabili viro Nicasio, qui peregrinationis gratia ad Apostolorum limina pergebant. Qui cùm à beato Humberto hospitio recepti & consolati fuissent, ipse sanctus Humbertus eadem deuotionis gratia, peregrinationem cum ipsis etiam accepit. *S. Humberti patria & parentes.* *Educitur in monasterio Laudunensi.* *Proficiscitur vnà cũ S. Amãdo Romã.*

SANE illis iter agentibus, dum quadam die fatigati ex itinere residerent, ecce miræ magnitudinis vrsus apprehendit vnum ex sagmariis eorum, quem in terram prosternens suffocauit.

cauit. Et quidem parantibus iter repetere, cùm non adesset equus, ad subuehendum sarcinulas, vnum è famulis beatus mittit Amandus ad educendum equum, quem gramina carpentem æstimabat. Verùm cùm puer properasset ad locum, cadauer equi fera bestia corrodebat. Vbi cùm famulus perterritus diutius moraretur, currens beatus Humbertus, inuenit equum euisceratum, & iuxta eum vrsum sanguine cruentatum. Itaque eum cum magna apprehendens securitate, Quia tu, inquit, quod nobis solatium itineris Deus dederat, necasti iumentum, oportet vt nobis illud hucusque obsequium suppleas, & sarcinulas nostras peregrinationis nostræ itinere feras, & ecce horribilis bestia statim mansuescit, vocata accedit, onus suscipit, cum procedẽtibus procedit. Vnde & iter illis agentibus, nimia per vrbes erat admiratio, stupentibus cunctis ferum animal humanis vsibus famulari. Sed ne Sancti fortè iactantiæ vitio iactarentur, ipsis Romæ appropinquantibus, eiusdem Sedis Episcopum admonuit Dominus per Angelum, mitteret in occursum eis, bestiam scilicet vt ad latebras ire permittant. Qua Pontificis iussione audita, Sancti, quod mandabatur deuotè fecerunt. Denique visitatis sanctis locis, sanctus Amandus cum beato Nicasio Helnonense territorium expetiuit, sanctus verò Humbertus se Maricolis inuexit.

Cogit vrsum portare suas sarcinas.

Peracto itinere, redit vrsus ad siluas.

QVIN & elapso aliquanto tempore, beatus Humbertus eandem peregrinationem secundò solus arripuit: vbi etiam cùm in oratorio beati Petri orationi diu incumberet, Angelus ei de cœlo adstitit, & super verticem illius signum Dominicæ Crucis expressit, multis fidelibus hoc cernentibus. Sed & cum visendi desiderio B. Amandum ad Gallias properaret, Angelus Domini eidem S. Amando assistens, dixit: Dilectum Domini Humbertum noueris te visitatum aduenire, cui tu occurrens, contemplare cuius signum gestat in capite, & illius hostiam eum fore scias. Nec mora. Beatus Dei Sacerdos procedens, vidit super caput illius radiantem Dominicæ Crucis speciem, & præmissa oratione, corruit ad genua eius, eum colligens hospitio cum gaudio spirituali. Post hæc verò ędificauit S. Humbertus monasterium super alueum Helpre, Maricolis nominatũ, in quo monachos constituit. Sed & aliud quoque non procul cœnobium exstruxit, in quo Clericos vtriusque conditionis & gradus triginta esse voluit.

Diuinitus imprimitur eius vertici signũ Crucis.

Construit vir sanctus cœnobium Maricolense.

AC denique promulgata longè latéque fama sancti viri, beata quoque Aldegundis eum visere aggreditur, quæ etiam per

per aliquot dies ab eo ſpiritualibus epulis eſt refecta, nec non & fonte mirabiliter ſubitò erumpente recreata. Paret vſque in hodiernum diem, nec deficit fons ille ſuauis ad guſtũ, vtilis ad vſum. Quin & intantum hæc ſancta familiaritas coaluit, vt tandem adueniente tempore obitus ſui, ipſe ſanctus miſerit ad beatam Aldegundem, vt veſtes in vſus exſequiarum ſibi mitteret. Vbi cùm miſſus nuncius iter medium explicuiſſet, ecce à beata virgine alter miſſus occurrit, ſecum linteamina ferens. Quod non abſque diuino nutu contigit, nimirum vt longè poſita virgo, nec fama, nec nuncio præmonita, funus tamen ſancti viri curaret. Corpus eius in oratorium, quod ipſe conſtruxerat, diſcipuli ſepelierunt in magna gloria, vbi innumerabilia poſtmodum contigerunt miracula. Leuatum eſt autem de tumulo ſancti viri corpus illæſum & incorruptum, monente Angelo, ab Abbate Rodino, anno poſt mortem eius centeſimo quinquageſimo tertio. Sed & linteamina quoque, quibus inuolutus fuerat, nihil in ſe corruptionis habebant, ſimiliter & herbæ quæ ſepulturæ eius die appoſitæ fuerant.

Nota de fonte ipſius precibus impetrato.

Sepelitur poſt mortem in oratorio à ſe conſtructo.

VITA S. EVORTII EPISCOPI AVRElianenſis, *ex ea quæ eſt apud R.P.L.S.*

VII. SEPTEMBRIS.

POSTEAQVAM beatiſſimus Deſinianus Aurelianenſis Antiſtes è vita abſceſſiſſet, ob eligendũ ſucceſſorem adeò in illa vrbe multo tempore tumultuatum eſt in populo, vt etiam ſanguis propterea fuſus ſit. Quæ res cùm Conſtantinum tunc Imperatorem latêre non poſſet, miſit eò Porphyrium quendam Præfectum, qui eos tumultus comprimeret. Aduocantur in vrbem Aurelianenſem Epiſcopi Galliarum, communi omnium ſententia, pro Epiſcopi electione triduanum indicitur vniuerſæ plebi ieiunium. Iam omnes in eccleſiam conuenerant, precibus & ieiuniis vacabant, pueri, ſenes, viri, feminæ, ſexus vterque & omnis ætas, cùm ecce Deus ad illos miſit vas electum Euortium, qui captiuorum perquirendorum cauſa ab vrbe Roma fuerat egreſſus. Stabat itaque Euortius tamquam ignotus iuxta oſtiarium, cùm paulo poſt iubent Epiſcopi obſerari fores, & ipſi humi proſtrati, cum multo gemitu & lacrymis rogant Deum, vt indicet quem velit ordinari Epiſcopum. Ecce autem columba diuinitus per feneſtram im-

Diſſident Aurelianenſes in electione noui Epiſcopi.

Omnibus ad electionẽ congregatis, inuolat columba in caput S. Euortij.

missa, residet in capite B. Euortij. Tum verò perstrepens populus lætitia effertur, Episcopis interim, quisnam ille sit in cuius capite columba sederit, accuratè persequentibus. Sed hîc rursum quædam exstitit sermonum & hominum discrepantia, aliis dicentibus ostiarium esse, aliis verò non ostiarium sed eius similem quendam. Iterum ergo ad preces redeunt, iterum redit columba, iterum ad caput beati Euortij aduolat, iterum exoritur populi strepitus. Tum verò Episcopi præcipiunt beatissimo Euortio in altare vt caput immittat, orant Dominum vt tertio miraculo idem velit ostendere. Nondum autem finierant preces, & ecce columba plausu ingenti ad locum in quo priùs vir Dei steterat, se confert, & eum non inueniens, tamquam inquirens vbi sit, coram omnibus circumuolitat.

Tertio miraculo idē semper ostēditur, hic est, Euortiū eligendū Episcopum.

ERANT tum ibi non pauci Episcopi qui dicerent acciri debere etiam eos, quorum electio Ecclesiam illā vulnerasset. Acciti sunt igitur, & quidem stabant cum Euortio inter Episcopos, sed circumuolitans columba, requieuit in capite vnius Euortij. Tum ergo omnes acclamarunt dignum illum esse Sacerdotio, quippe quem ipse Dominus eligeret. Episcopi autem silentium indicentes, vota etiam cuiusque gradus & ordinis inquirunt, cum tandem omnibus in Euortium sua suffragia conferentibus, pro illius ciuitatis more eūt ad beatissimi Marci basilicam, & Euortius Leuita ordinatur. Inde verò ducitur ad ciuitatem cum hymnis & canticis spiritualibus. Denique consecratur Sacerdos & Episcopus. Porrò Deus, qui tot signis eū Sacerdotiō dignum declararat, maiora quoque per eum cœpit operari in populo, curare scilicet morbos, & variis pressos calamitatibus beneficiis afficere, quæ sanitatū & virtutum signa maximè Spiritui sancto cognita sunt, qui per eum illa efficiebat. Sed & audi tamē quod vniuerso penè mundo innotuit. Post anniuersarium ordinationis eius diem, casu quodam tota vrbs Aurelianensis flammis correpta est. Quod conspicati ciues omnes currunt ad beatissimum Episcopum, clamant voce magna, Vir Dei, vir Dei, succurre vrbi. Quod audiens Episcopus, properat ad ecclesiam, & prosternit se in preces. Nec mora. Vix ille preces compleuerat, & ecce incendium omne sopitum est.

Variis claret vir sanctus miraculis.

Inter cætera, suis meritis sedat maximum incendium.

ERAT tum angusta adhuc ecclesia, in qua cum populo vir sanctus Dominum deprecabatur. Itaque ait ad illos: En Dominus liberauit nos pro sua misericordia à voracibus

flam

flammis: sponte ergo vos vestras conferte pecunias, vt ecclesię huius spatia augeantur. Tum verò omnes vno animo responderunt, Fiat voluntas Dei: egressique è templo, præparant se ad structuram. Aduenerat iam dies qui erat operi indictus, cum pro quarundam prouinciarum consuetudine ipse beatus Episcopus arrepto sarculo, & signo Crucis edito, fodere cœpit. Iam penè ad tres pedes foderat, cùm ecce cernit ollam clausam atque bituminatam, eaque aperta, videt multos nummos Neronis signum impressum habentes. Tum verò vir sanctus ad Archidiaconum suum ait, Accipe frater thesaurum hunc, & perfer ad Imperatorem, non enim decet nos eum celare. Et ille quidem iussa eius capessens, Romam proficiscitur. Sed Imperator accito ad se Anatolio Præfecto, dicit ei: Restitue huic Archidiacono quicquid huc apportauit. Dei enim præparatio est, non Imperij nostri. Volumus autem his duplo quoque maiorem adiungi pecuniam, quæ fabricandæ ecclesiæ sufficiat. Ipsam verò ecclesiam iubemus in longum extendi ad cubitos centum septuaginta septem, in latum ad quadraginta duos, & ad Crucis figuram. Vulumus etiã vt tria in ea sint altaria. Sed & ad ipsius ecclesiæ ministerium offerimus etiam lances auri purissimi septem, & calices eiusdem metalli totidem, in quibus dum diuinum peragitur ministerium, nostri quoque memoria habeatur. Et postremò omnibus qui sunt eius territorij, remitti volumus censum facultatum suarum triennio, vt possint ad structuræ complementum, de rebus suis impertiri. Quibus ita ab Imperatore demandatis, Archidiaconus cum ingenti lætitia domum abiit.

Impetrat ecclesiam Aurelianensem fieri ampliorem.

Fodiens vir sanctus, inuenit magnum thesaurum.

Iuuat nouam structurã pro facultatibus Constantinus Imperator.

ÆDIFICATA est igitur ecclesia, atq; adeò tanta celeritate opus confectum est, vt euolutis annis tribus, quinto Nonas Maias eius sit acta dedicatio. Post quod missi sunt in loca diuersa qui sacras reliquias afferrent, alij Hierosolymam pro sancta Cruce, alij Romam pro reliquiis beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, qui omnes voto potiti suo, Aureliam sunt reuersi, gratias agentes Deo. Iam ecclesię structura omnis erat absoluta, depositæ etiam sacræ reliquiæ, cùm populus ad beatum Episcopum pro suis vtilitatibus, deinde deuotissimè semper confluebat, alij Dei gratiam adipisci cupiẽtes, alii contagiis nequissimis carere cupiẽtes. Atque ita scilicet quotidianis horis vel momentis Christi gloria per eum de sanitatis beneficiis splendescente, reuertebantur suo potiti optatæ salutis desiderio. Surdis auditum, cæcis visum, mutis loquendi officium

Ornatur eadẽ ecclesia clarissimis reliquiis.

officium, claudis gressum; paralyticis curationem membrorum, denique omnibus omnia per os & impositionem manus Episcopi, septiformis Spiritus largiebatur. Quę cùm ille perpetrasset, vicesimus ordinationis eius elapsus est annus, quos annos omnes in eo populo exegerat. Post quos Fratribus indicans diem obitus sui (quem ipsi Dominus reuelarat) successorem constituit fratrem & compresbyterum atque Abbatem Anianum, cuius nimirum vita per multa experimēta erat notissima. Obiit autem vir sanctus correptus febribus, septimo Idus Septembris, cum Christo in perpetuum victurus.

Moritur vir sanctus anno ordinationis suæ vigesimo.

VITA B. STEPHANI EPISCOPI *Diensis, Ordinis Carthusiani, ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium.*

VII. SEPTEMBRIS.

S. Stephanus natus ex prosapia nobili.

LVGDVNI quæ est Galliarum vrbs præclara & celebris, Stephanus ortus est. Cuius pater dominus de Castellione, & sanguinis & religionis nobilitate fuit insignis, quemadmodum & vxor eius. Itaque tales & tam boni parentes talem nobis filium procrearunt. Constat eum adhuc infantem cùm nutricis lacte aleretur, sextis feriis prorsus eam alimoniam recusasse, iisque diebus ieiunum permāsisse. In pueritia à parentibus perdiscendis literis admotus, magnos in eis habuit progressus. Sed & illud Apostoli perpendens, Escam ventri & ventrem escæ, Deum autem & hunc & has destruere, prorsus quoque sibi esu carniū voluit esse interdictictum. Stupebāt omnes raram virtutem, eoque magis, quo illa minùs esset, inter seculares, præcipuè nobiles & diuites, vsitata. Addebat verò ipse virtutes virtutibus. Ieiunabat propensiùs & orabat, & quantum licebat, in misericordiæ etiam opera incumbebat. Ac denique animaduertens se iam annos natum sex & viginti, cùm audiret Carthusiam Portarum spirituali certamini aptam, eius loci Priori & Fratribus propositum suum apperiens, monasticum ibi habitum induit cum ingenti feruore.

Statim à pueris respuit esum carniū.

Induit habitum Carthusiensem.

DOMABAT corpus suum vigiliis, ieiuniis flagellis, & pro more Cathusiani instituti, veste cilicina, potúque aquæ, & pane arido se cruciabat. Quin & cum singulis hebdomadibus ex Canonis sui præscripto Carthusiani tribus diebus solo pane, & aqua & sale victitent, ille præ cæteris, Ordinis instituta cum vsura quadā exsequi cupiens pro maiori temporis parte ad men

Vt plurimum victitat solo pane & sale.

ad mensam suam vix quicquam præter panem & aquam admisit. Et panis quidem ab vna parte ponebatur, ab altera codex, vt dum vicissim ad ea oculi distraherentur, vtrique homini simul alimonia præberetur: aderat verò etiam scutella cum aqua, quæ potum & salsilaginem ministraret. Atque eiusmodi epulis seruus Dei contentus, vix quicquam vnquam præterea mensæ suæ inferebat. Ad Altaris verò Sacramentum venerabile tanta ei deuotio & attentio inerat, vt totus lacrymis madens cum ipso Christo ad Crucē affixus videretur. Orabat sanè quadam vice coram Crucifixi imagine contemplationi inhærens, & ecce subito Angelus Domini in humana effigie ei assistit, operibus eius delectatus, cuius rei testes sunt qui suis ipsi oculis vidêre homines profectò religiosi. Vixerat autem iam multis annis solitarius in cella, & hostem tartareum egregiè debellarat, cùm dignus & idoneus visus est, qui aliis regendis præficeretur. Nam defuncto vel absoluto Carthusiæ illius pastore, ab omnibus, licet inuitus & repugnans electus est in eius cœnobij Præfectum. Vbi qua prudentia & strenuitate, quamque solicitè & zelosè ad monastici Canonis normam illam Dei domum gubernauerit, vitia exstirpando, virtutes serendo, non facilè quis possit explicare.

Familiariter ei assistit Angelus Dei.

Eligitur prior loci ac deinde etiam Episcopus Diensis.

SED & interim Deus, volens lucernam tantam super candelabrum poni, ad altiora etiam eum prouehi curauit. Accidit tum vt Ecclesia Diensis suo pastore destitueretur, & Collegium eius Ecclesiæ de successore tractaret. Erant varia Canonicorum vota. Quidam, licet pauci, in magnū etiam illum Carthusianum Stephanum sua suffragia conferunt, commendant mirificè eius sanctitatem: nec multo pòst, omnes etiam illis assentiuntur, omnes lætantur. Sed quòd non ignorarent, sine multa vi eum ab eremo auelli non posse, properant ad summum Pontificem pro obtinenda confimatione, ipso interim, quid de se alij machinarentur, prorsus ignorante. Confirmatur à Pontifice electio: vt Ecclesiæ Diensis regimen suscipiat, Stephano præcipitur: aduolant cum iis mādatis Canonici. Sed, Cessate, cessate, quæso, ait Stephanus, neque enim in hac re poteritis vnquam voto potiri: nouistis me esse monachum, & alterius voluntati subiectum, nempe Prioris Carthusiæ. Quo illi responso accepto, cùm viderent se nihil apud eum posse proficere, aliis literis Pontificis impetratris, quibus mandabatur Priori Carthusiæ vt eum compelleret obedire, adeunt Carthusiam, ipso interim beato viro fugæ præsidium captante

Nequaquam assentitur electioni de se factæ.

Tandem cogitur esse quod studio humiliatis dudum detrectauerat.

captante, licet frustra. Quæsitus enim Stephanus & repertus, à Priori Carthusiæ Domno Iacelino precibus & præcepto cogitur electioni cõsentire, sicque deductus à Canonicis cum multo honore Viennam, à tribus Archiepiscopis solenniter illic sponsæ suæ ecclesiæ Diensi consecratur, anno gratiæ millesimo ducentesimo octauo.

Inuenit apud Dienses multos abusus, & potissimũ circa celebrationem diei Dominici.

In qua profectò cathedra collocatus, adeò religionis suæ exercitia non amisit, vt etiam semper aliquid ad ea adiicere videretur, mirantibus & stupentibus cunctis. Sed &, cum iam concionando, exhortando, & visitando cœpisset exercere munus suum, inuenit vir pius gentem illam miseram non honorare diem Dominicum, immò verò diabolo eũ potiùs dedicare, quòd illo solo die exercerentur nundinæ, tabernæ, choreæ, ludi & luxus. Quamobrem ad populum concionatus, primò quidem blandis & mellitis verbis ostendit eis peccati illius enormitatem, deinde etiam instat opportunè importunè. At surdas illorũ aures sermo diuinus minimè penetrabat. Tũ verò magno animi dolore concepto, præcepit vir sanctus dæmonibus, qui ad ea quæ diximus facinora illos incitabant, vt sine vlla cuiusquam læsione palàm se eis visendos exhiberent. Res mira. Mox parent illi dæmones, quem homines peruicaces audire nolebant. Videre scilicet tum licebat, dæmones procera & immani statura, nigerrimos, cornutos, fœtorem & flammas spirantes, ad viri imperium apparere cunctis, rursumque recedere, nec quẽquam lædere: vnde vel tandem cœpit obcæcata gens aperire oculos suos, & vitam moresque corrigere. Ad Portarum quoque Carthusiam, vnde assumptus fuerat, pro spirituali recreatione crebro se conferebat, vbi & instar aliorum degebat in cella solus orationi & contemplationi attẽtissimè vacans, solo Pontificis annulo excepto, ab aliorum consuetudine in nullo discrepans, cilicio semper nudum corpus atterente.

Impetrat à Deo, vt impositi dæmones omnibus appareãt conspicui.

Quando poterat, libentissimè versatur in sua Carthusia.

Sed & nunc vnum quoque narremus ex multis quæ per eum Deus mira operatus est. Quædam mulier diœcesis eius, ob sua, vt videtur, maleficia, à diabolo præfocata, subitò exspirauerat. Eius rei rumor peruenit ad virum Dei, qui tum non longè inde aberat: qui & miseratus casum tam acerbum infaustæ mulieris, venit ad locum vbi iacebat exanimis. Assistunt multi, narrant repentinum feminæ interitum, condolent omnes, petunt ab illo suffragium. Ille verò magnam fundens vim lacrymarum, orat pro ea Dominum. Atque

Excitat quandam feminã à morte.

ó virum

ô virum verè Apóstolicum. Euigilans illa, velut à graui somno surgit, narrat Christi erga se misericodiam, ob merita viri Dei. Imminebat autem iam beati viri vitæ huius terminus, quo Dominus eum à labore ad requiem erat perducturus, cùm ecce vrgebant eum Ecclesiæ suæ filij, vt testamentum faceret. Sed non est, inquit ille, necesse, cum omnia sint sponsæ meæ. Porrò benedictionem & consilium petentibus, non negabat, deque mutua charitate & concordia omnes pariter admonebat. Ac denique videns adesse supremum vitæ suæ diem, confitetur peccata sua, petiitque Ecclesiastica sibi porrigi Sacramenta: quibus omnibus ritè atque ordine confectis, inter verba orationis migrauit ad Dominum, Septembris die septimo, anno salutis millesimo ducentesimo tertiodecimo, ætatis suæ quinquagesimo octauo, Episcopatus sexto: conditus in ecclesia beatissimæ sponsæ suæ Mariæ, quemadmodum ipse iusserat. *Migrat ad Christum.*

DE NATIVITATE B. MARIÆ VIRGINIS, *ex D. Cyrillo, & D. Augustino.*

VIII. SEPTEMBRIS.

HILAREM video hodie cœtum fidelium omnium, qui conuenerunt promptis animis à sancta & Dei matre Maria semper virgine conuocati. Laus & gloria sit tibi sancta Trinitas, quòd omnes nos ad hanc celebritatem conuocaris. Sit etiam tibi sancta Dei mater laus: tu enim es pretiosa margarita orbis terrarum, tu lucerna inexstincti luminis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei, templũ indissolubile, continens eum qui nusquam contineri potest, mater & virgo: tu benedicta inter mulieres, eius parens qui benedictus venit in nomine Domini. Per te Trinitas sanctificatur, per te Crux pretiosa dicitur, & adoratur in toto orbe terrarum. Per te exsultat cælum, lætantur Angeli & Archangeli, fugantur dæmones, homo ipse ad cælum reuocatur. Omnis creatura idolorum errore detenta, conuersa est ad notitiam veritatis, & fideles homines ad sanctum baptisma peruenerunt, atque in toto orbe terrarum constructæ sunt ecclesiæ. Te adiutrice gentes veniunt ad pœnitentiam, per te vnigenitus Dei filius, vera illa lux effulsit sedentibus in tenebris & vmbra mortis. Te Prophetæ prænunciarunt, te Apostoli summis laudibus celebrarunt.

D. Cyrillus ho. 6. contra Nestorium. to. 4.

S. Maria vocatur sceptrũ orthodoxæ fidei.

Dicũtur hæc, nimirũ maximè, quia ipsa genuit Saluatorem mundi.

A T verò

D. August. serm. 18. De Sanctis.

AT verò vos, ò dilectissimi, en ergo hic adest nūc dies beatę ac venerabilis semper viginis Mariæ, quatenus scilicet cum summa exsultatione gaudeat terra nostra, tantæ virginis illustrata natali. Siquidem hæc est flos campi, de qua ortum est pretiosum lilium conuallium, per cuius partum mutatur natura protoplastorum, deletur & culpa. Præcisum est in ea illud Euæ infelicitatis elogium, quo dicitur: In dolore paries filios tuos, quia ista in lætitia Dominum peperit. Eua luxit, ista exsultauit: Eua lachrymas, Maria gaudium in ventre portauit: quia illa peccatorem, ista edidit innocentem. Mater generis nostri pœnam intulit mundo. Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percussit, ista sanauit. Pro inobedientia enim obedientia cōmutatur, fides pro perfidia compensatur ait enim: Magnificat anima mea Dominum. Et exsultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est.

Eua mater infelicitatis, S. Maria mater felicitatis.

CAVSAM igitur inualescentis errati, miraculum noui partus euicit, & Euæ planctum Mariæ cantus exclusit. Et ô beata Maria quis tibi dignè valeat iura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quæ sola tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarū actiones; & cùm susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrariū exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus, fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus: quia tu es spes vnica peccatorū, per te speramus delictorum veniam, & in te beatissima nostrorū est exspectatio præmiorum. Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo sexu: sentiant omnes tuū iuuamen, quicumque celebrant tuam sanctam festiuitatem.

Præcipuū in Maria humillima illa obedientia. Ecce ancilla Domini.

Inuocatur Deipara.

En antiquissimā orationē illā Ecclesia.

VITA S. CORBINIANI PRIMI EPISCOpi Frisingensis, ex ea quæ est per Aribonem Episcopum Frisingensem quartum.

VIII. SEPTEMBRIS.

VENERANDVS Dei famulus Corbinianus ortus fuit ex regione Melitonensi, in vico qui dicitur Castrus, ex patre Vvaldeluso, & matre Corbiniana. Qui dum bonæ indolis puer excreuisset, diuina inspiratione compunctus, sacræ religionis officium viriliter diligebat, cœpitque diuinæ Scripturæ sagacissimus indagator existere, ieiunium amans, pauperesque, quantum potuit, recreans. Sed & ad beati confessoris Germani ecclesiam, in eodem Castro constructam, se conferens, iuxta eam paruum sibi construxit ergastulum, tantum solitudine delectatus, vt nihil aliud possideret, nisi tantùm ministros, qui sibi exterioris necessitatis solatium exhiberent: quos ille rursum quotidie sacris studuit disciplinis instruere. Vnde & multa cœpit ad illum credentium populique turba concurrere, ex quorum oblatione quicquid suscepisset, excepto victu necessario, id totum pauperibus erogabat. Cœpit itaque longè lateque fama sanctitatis eius crescere, adeò vt & ad summum Maiorem domus Pipinum rumor ille perueniret, qui etiam vnum ex charissimis sibi Optimatibus ad viri Dei cellulam transmisit, sese humillimè eius precibus commendās. Rogabant autem vt pro ipsis oraret multi ad eum concurrentes senes & nobiles, multi etiam munuscula orationis causâ mittebant.

S. Corbiniani genus.

Constr-uit sibi paruum reclusorium.

Fit celeberrimus.

SED deplorabat vir Dei, idque crebris suspiriis, quòd solitudinem, quā desiderauerat, se amisisse perspiceret, atque his tribulationibus se fatigans, quartumdecimum jam in sua cellula impleuerat annum; cùm ecce iniens consilium, ad limina sacratissima beatorum Apostolorum Petri & Pauli, orationis causa, ire decreuit, & ibi se Apostolici viri doctrinæ & orationibus commendare, &, si fieri posset, impetrare sibi suisque in quodam angulo latitandi facultatem. Verùm venerabilis Papa Gregorius, audiens viri Dei verba, intellexit zelū animi eius, qualiter, & quàm magnam in Dei opere haberet animi puritatem. Erat enim vir Dei valde facundus, & humanitate præcipuus. Itaque per singulos gradus ad Pontificalem vsque eum prouexit honorem, quamuis coactum, dato etiam pallio cū benedictione & adiutorio beati Petri Apostoli, vt vbique prædicationis officium exercere in toto orbe posset. Quo ille accepto honore, in Galliam reuersus est, diuino largiter ex ore eius emanante verbo. Ex quo tempore vir Dei sanè venerabatur ab omnibus, maximè verò à domesticis fidei. At

Visit limina Apostolorū.

Ordinatur Episcopus.

ille nihil nisi gloriam seculi pertimescens, tranquillitatem secreti quod perdiderat, multipliciter lamentabatur: sicque ad pristinum tandem redit ergastulum: in finibus ecclesiæ beati Germani, paucos secum Clericos retentans, quos admonendo & docendo deserere non valebat: vbi continuis septem annis permanens, eo aduenientibus, secumque commorantibus, verbum Dei sedulò ministrauit. Sed quanto secretius in ima loca se contulit, eo amplius fama eius sanctissima altius eminebat in publicũ, adeò vt quotidie superuenientium turbas sustinere non valens, & quasi concussam cellulam deflens, iterum Romam pergere disponeret.

Paucos secum congit clericos.

NON tamen iam publicum à Galliarum partibus arripit callem; sed secretiorem eligit viam; atque adeo peruenit in Alemanniam, deinde in Germaniam, & sic in Noricum, vbi aliquamdiu demoratus, verbi Dei seminauit doctrinam: erat enim gens illa adhuc rudis, & nuper ad Christum conuersa. Erat autem ibi eo tẽpore deuotissimus Theodo Dux, & filius eius Grimoaldus. Qui cùm frustra eum rogassent, vt nequaquam eos deserens, honores ibi debitos acciperet: munera illi non modica largiti, direxerunt ministros, qui eum cum summo honore deducerent à finibus Noricensibus, vsque in partes Italiæ. Qui iussa cõplentes, sub debito honore, benedictionem petentes, reuersi sunt; silenter interim (ignorante scilicet viro Dei, iubente autem Grimoaldo Principe) actoribus vel habitatoribus Alpiũ mandantes tã Venusticæ vallis, quàm aliis circumquaque, vt si quãdo eum reuerti in illas partes cõtingeret, eum à finibus Baioariorum nequaquam paterentur abire, nisi prius ad iã dictũ Principẽ peruenirer. Venit itaque vir Dei rursum ad summi Pontificis B. Gregorij præsentiam. Vbi cùm se secretum petisset, vt ei omnes animi sui angustias liberè possit referre, lacrymis fusis flebili voce deplorat, vt suum secretum imposito honore perdiderit, in pristina petitione persistens, rogat & obsecrat vt ad cœnobium ipsum ire permittat, vel in quandam cellulam includat. Atque ô virum admirabilem. Cõgregat summus Papa Synodum; omnia gesta recitat. Sed vna voce omnes eum reuerti debere proclamant, multis testimoniis Scripturarum id confirmantes. Quorum verbis se victum considerans vir beatus, retentus ibi aliquantùm, cum summo honore tandem tristis recessit.

Prædicat in Norico magnũ cum fructu.

Secũdò venit Romam, vbi frustra petit amissione ab officio Episcopali.

LONGVM est recensere singula. Cùm reuertendo Magiense Castrum intrasset, à custodibus captus est; sicut suprà diximus

Rediens ex Italia, prius intercipitur, vt pergat prædicare in Norico.

diximus à Grimoaldo Duce fuisse præceptum. Quæ vir Dei impedimenta viæ suæ diligenter pertractans, considerauit tamē diuinæ virtutis gratia vacua non fuisse. Tunc enim ad beati Valentini Cōfessoris Christi sepulcrum, situm in eodem Castro, sanctæ orationis causa se contulit. Inuenit autē etiam inter duos riuulos Timonem & Finalem locum illum secretum, qui etiamnum vulgò adhuc dicitur Camina; quem locū, vt Grimoaldus Princeps à possessoribus iusto pretio emeret, primò vir sanctus persuasit; deinde traditum accepit, Deò & sanctæ Dei genitrici Mariæ ad Ecclesiam eius sitam in Castro Frisingensi; postremò habitaculum etiam illic sibi construxit, basilica ædificata sub S. Valentini atque B. Zenonis patrociniis. Sed ad finem properat sermo. Cùm exitus viri Dei appropinquaret, temporis obitus sui non ignarus, fratrem suum Erimbertum in Italiam ad Longobardorum direxit Principem, postulans firmitatem possessionis suæ iuxta Magias, quam sanctæ Mariæ tradiderat, ne inde auferretur, & vt suum corpusculum ad sepeliendum ibidem recipi iuberet, quod illic beato Valentino commendauit viuus. *Cōstruit quādam basilicam.*

VENIENTE quoque iam exitus sui die, balneum sibi præparari iussit, & ex more abluens corpus, capillos sibi tondere fecit, caput & barbam radi, sicque vestibus sacris indutus, Deo sacrificium obtulit, & viaticum propriis manibus recepit: post quod nihil doloris præ se ferens, signum Crucis capiti imprimens, Deo sic spiritum reddidit. Et quidem tunc sepulturæ traditus est à ministris in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ. Sed tanta mox pluuia secuta est atque procella triginta diebus & noctibus, vt nec vna hora vnquam cessaret, quousque allato mandato, vt beatissimi viri corpus Magias apportaretur, sicut ipse viuus disposuerat; honorificè eò est delatum, multis editis miraculis, tum in ipso itinere, tum postea ad eius sepulcrum. Mansit autem ibi beati viri corpus vsque ad illud tempus quo à Longobardorum gente corpus beati Valentini Confessoris, de eodem castro fuit ablatum, & in Tridentinam vrbem deportatum, ac postea à venerando Thassilone Duce in Patauium ciuitatem cum summo reuocatum honore; quando & Ego Aribo, hæres licet indignus ipsius, Frisingensis sedis Episcopus, generali Synodo congregata, triduanoque ieiunio peracto, non sine reuelatione tantum thesaurum ad nos reportari curaui, eleuans eum honorificè in ecclesia S. Mariæ, vbi primò fuerat sepultus, ad glo- *Sanis per omnia sensibus migrat ad Dominum.* *Transfertur eius sacrū corpus.* *Refertur Frisingam.*

tiam nominis Christi, consolationemque verè credentium, quibus illic sanitates iugiter conferuntur.

VITA S. AVDOMARI EPISCOPI

Morinensis, ex ea quæ est apud R.P. Laur Surium.

IX. SEPTEMBRIS.

S. Audomari patria & parentes. BEATVS Audomarus Antistes ortus est parentibus tam secundùm seculi dignitatem inclytis, quam in fide Catholica eruditis, haud procul à Constantia, eo loco qui nuncupatur Vallis aurea. Pater eius Friulphus, mater verò fuit Domita; qui religiosi parentes Audomarum puerum pro Christianæ religionis ritu, diuina suffragante gratia, ab ipsis incunabulis Catholicis enutrière disciplinis, erat enim illis filius vnicus. Quin & post obitū Domitæ, ambo & Friulphus parens & Audomarus egregiæ indolis puer, accuratè implent quod Saluator ait: Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. *Matth. 19.* *Vna cu patre suo ingreditur monasterium Luxouiense.* Nimirum mundo mortui, ætate dispares, animo pares, ad Christi militum illud celeberrimum se contulêre monasterium, quod Luxouium vocāt, à sanctæ memoriæ beato Columbano Abbate in Burgundionum regione, in Christi honorem ædificatum. Præerat tum illius cœnobij sanctæ multitudini beatus Eustachius. Sub quo Audomarus monastici Canonis rigorem complexus, subitò omnibus cœpit esse charus & amabilis. Erat enim obedientia atque humilitate præcipuus, diuina scientia refertus, charitate & mansuetudine conspicuus, parsimonia seuerus, ieiuniis deditus, & prolixus noctium vigiliis, semper animo commemorans illud ex Euangelio: Beati sunt serui illi, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. *Luca 12.*

AT verò intereà fama eius longè lateque diffusa, vsque ad Dagoberti etiam Francorum Regis notitiam peruenit, ita, vt tandem ab eodem Rege & omni populo vocatus, sancto Achario Nouiomensi agente Episcopo, ad instituendum & gubernandum * Taruanensis vrbis populum, ad Episcopi sedem & dignitatem sit sublimatus, non sine multa animi humilitate. ** Morinensis* *Creatur Episcopus Taruanensis.* Tum verò diuini verbi semina in credentium pectora deijciens, animarum & corporum languores sanans, captiuos & vinctos redimens, viduarum ac inopum vel maximè curam gerens, plebem sibi à Domino commissam ad æterna promerenda præmia egregiè incitabat. Consectabatur tum adhuc

multa

multa Taruanensium turba idolorum cultum, relapsi scilicet eò, postquam Fuscianus & Victorius ab iis profecti, in Ambianensi territorio martyrium obiissent, eo tempore quo apud Ambianenses prædicabat eximius Christi martyr Quintinus. Sed non destitit Christi Antistes Audomarus, donec sacrilegum cultum ab ea vrbe funditus exturbasset. *Egregiè extirpat omne gentilismum.*

SED nec defuit prædicationi eius diuina virtus. Nam primo immorigerus quidam qui apud Boloniam oppidum, circa Elnam fluuiolum, contra viri beati iussum nauiculæ lusitabundus se crediderat, per vastum licet pelagus ad Saxonum vsque regionem extrusus, beati viri tamen inuocato nomine incolumis, sine remigio ad suos rediit. Ac deinde ad Crucem illam, haud procul à villa, quæ * Iortiacus dicitur, à viro beato post quietem fabricatam proxima statim nocte lux refulsit immensa, & ab eo tempore vsque in præsens non pauci homines morbidi optata salute ibi potiuntur. Verum enimuero interea veniunt ad beatum virum ex territorio Constantiensi tres viri venerabiles Mummolinus, Bertrammus, & Bertinus, cùm ecce, Adroaldus quidam rebus locuples, stemmatéque mundanæ nobilitatis clarus, ipso in diuinis laborante triumphis, fidei doctrinæ aures mentemque accommodat, detrectans ceruicem deinceps dæmonum inclinare simulacris. Quin & amoris diuini studio, omnes facultates suas, & villam Sithiu Christo & sancto Audomaro transcripsit: vbi vir beatus magnificum exstruxit templum, in sanctissimæ Dei genitricis honorem. *Duo insignia miracula per eum facta.* *Venit ad eum S. Bertinus cum sociis.*

PORRO ad extremum, sicut ferax Euangelicæ vitis palmes, cœpit sacer Audomarus corpore debilitari, atque adeò, vt pia mens diuinis propinquior fieret, vtroque etiam oculorum lumine est orbatus, quæ sanè felix fuit corporeæ lucis amissio. Ac denique postquam Morinensis seu Taruanensis cathedra triginta annorum spatio tanto esset potita Præsule, ecce columna illa Dei, corporeis destituta viribus, acri cœpit febri pulsari ac concuti. Affiguntur iam lecto victa membra. Nec multò post, Quinto Idus Septembris rumpit anima corporis vincla cùm Christo victura, cùm priùs sub mortem debilis licet vir sanctus, ad limina matris Ecclesiæ pro faciendo Sacrificio progressus, supremis illis epulis pectus communisset. Quæ cùm non laterent beatum Bertinum, quippe de quibus diuinitus esset edoctus, sine mora venit ad ædes in quibus iacebat funus: tollit beatum corpus, asportat ad mona- *Vide plenius in vita S. Vedasti 6. Februarij.* *Obdormit vir sanctus in Domino.* *Sepelit eum S. Bertinus in suo monasterio.*

 sterium

sterium, idque sicut tum ipsi, tum omni ecclesiæ Sithiensi vir beatus mandarat. Ad cuius tumulum, cũctis ritè venerandum, omnis generis salutaris medicina exhibetur, ad laudem & gloriam Iesu Christi.

VITA S. THEODARDI EPISCOPI TRAiectensis & Martyris, ex eaqua putatur scripta per Sigebertum Gemblacensem.

X. SEPTEMBRIS.

S. Theodardi natales.

BEATVS Theodardus, natus in Gallia, claruit pro nobili parentũ prosapia, regni decus, & ecclesiæ gloria futurus. Eo tempore regnum Francorum regebat Chilperici filius Clotarius, nomine & fortitudine referens auum suum Clotarium, filium * Ludouici, qui gentem Francorum, secum à beato Remigio baptizatã, fecit adscribi ad æterni Regis militiã. Igitur sub Clotario secundo Theodardus à pueritia vsque ad biuium adolescentiæ prouectus, elegit viam arctam. Ex deuotione quippe parentum suorum mancipatus monasteriali disciplinæ, voluntariè portabat leue iugum Christi. De quo vt sciamus qui fuerint illi, quorum exemplo vel instituto meliora charismata æmulabatur, à paucis multos, à notis colligemus ignotos. In ijs preeminebat Arnulphus ex Maiore domus Metensium Episcopus, erat Eligius ex aurifice Episcopus Nouiomensis, Ioannes etiam Tungrensis ex laico in Episcopum eodem signo quo primus Aaron, à Deo electus, quorum lateri adhærens Theodardus Palatinis Principibus notus & charus erat. Iam fama de nomine eius adscenderat ad solium vsque Dagoberti post patrem Clotarium regnantis, quin & paulatim perrexit etiam vlteriùs.

** Is etiã dicitur Clodoueus.*

Oblatus à suis parentibus viuit in monasterio.

Fit celebris

SIGEBERTVS tunc post patrem suum Dagobertum regnans in Austrasia, potentiam regalem honorificabat affectu diuinæ religionis, Deum adoptans sibi rerum suarum hæredem, monasteriáque constituens. In quibus cùm in fundando Stabulensi cœnobio impensiùs instaret, cooperante sibi Maiore domus Grimoaldo, & similiter in ædificando monasterio, in loco qui dicitur Malmundarium, communicato consilio cum Remaclo Tungrensium Episcopo, & Cuniberto Episcopo Coloniensi, (ad quorum diœceses loca illa appendebant) nullum, quem locis illis præficerent, magis Theodardo idoneum inuenerunt. Sed & cùm Remaclus pro regimine Tun-

Præficitur Malmũdario & Stabuleto.

gren

grensis Episcopatus paterna quidem solicitudine laboraret, sed hoc eum malè haberet, quòd malè sibi responderent prouentus fructuum, pertę sus laborum, recurrebat animo ad portum vitæ solitariæ. Paucis expedio res magnas. Regem Sigebertum adit. Nec mora: pari consensu & Ecclesiæ & palatij vnus Theodardus, vicesimus octauus à Materno primo Tungrensium Episcopo, ecclesiæ Traiectensi consecratur. Hocque tépore Lambertus, bonæ indolis puer, in bonam spé adolescebat. Quem cùm pater eius, vir illustrissimus, Aper, priùs commisisset viro Dei Landoaldo, Amandi Episcopi Archipresbytero, commisit eum etiam postea Theodardi magisterio.

Inde ecclesiæ Traiectensi.

ATQVE hic quidem beatus Theodardus multa per Dei gratiam, & suam industriam restaurabat, non paruus interim ei incumbebat dolor, Traiectensem Ecclesiam magna possessionum suarum quantitate esse mutilatam, & per triginta circiter annos nullum pro Ecclesiæ iure repugnasse. Amandus enim, cuius sanctitas paucis laudari non debet, cùm Episcopatum illum suscepisset, irruentibus vndique procellis, post triénium statim iterum illum reliquit. Cuius vices Landoaldus, Archipresbyter eius, oportunè per nouem annos exsecutus, pro Ecclesia stare non potuit, quia nihil Pontificalis iuris habebat: quæ omnia raptoribus erant peropportuna. Sed & de Remaclo, quòd non potuerat brachia tendere contra torrentem malorum, Theodardus ipse suis oculis & auribus credebat. Itaque ipse, ne diutina iniustitiæ impunitas ampliùs inolesceret, accinxit se viriliter, & stans pro castris Ecclesię, clamare non cessabat, quasi tuba exaltans vocem suam, annunciabat populo scelera eorum, & raptoribus peccata eorum. Tutabatur autem eum contra omnes fauor Sigeberti Regis, qui amator diuinæ religionis, oculos habebat columbinæ simplicitatis. Quo defuncto, regnum Austrasiæ, quod tenuerat, dedit frater Clodoueus filio suo Childerico.

Eius tempore possessiones illius ecclesiæ vi direptæ ab Amato, & quæra.

Strenuè agit officium Episcopi.

TVM verò omnis malitia & iniustitia in regno præualuit, & contra Ecclesiam grauis domesticæ tempestatis turbo intonuit. Theodardus autem, quia mercenarius non erat, non fugit à facie luporum, sed pro ouibus suis constantiùs ex aduerso stetit, paratus pro iis etiam animam ponere. Qui etiam, ne quid inexpertum relinqueret, deliberat Regem Childericum adire, & ante eum super iniuriis Ecclesiæ illatis legaliter expostulare, filiis Belial interim, qui sciebant, quia in nullo sibi responderet iustitia, si de præsumptis rebus Ecclesiæ co-

Proficiscitur ut Regi iter expostulat contra iniuriatores possessionum ecclesiæ.

ram Palatinis ageretur, de morte innocentis Præsulis tractantibus, itérque eius diligenter explorantibus. Iam vir sanctus diœcesis suæ terminos longè excesserat, & in pago quem Alisatiam vulgò dicunt, bonis adhuc prouentibus gradum fixerat; cùm ecce cuneus inimicorum de insidiis emergẽs, arrectis lanceis in necem innocentis proruit. Tum verò, vt lupi agnũ, impij circunstabant pium, illúmque oculos ad cœlum tollentem, & pro eis orantem, exemplo Iesu in Cruce pendentis, cõtumeliis afficiunt, humi prosternunt. Et quia nequit iram explere, impia potestas, caput sancto oleo perunctum in frusta secant, corpus sanctum membratim dilaniant. Iacebat Theodardus quasi vilis & despectus, & quasi percussus à Deo, & humiliatus. Sed diuina pietas totum de eo scandalum hominibus abstulit, dum ad testimonium sanctitatis eius euidentia signa ostendit.

In via crudelissimè trucidatur.

O verè mirabilis Deus in Sanctis suis.

PVER è famulitio sancti Præsulis, qui solus, cæteris in fugam versis, excubabat ad corpus exanime, dolens esse disiecta à se beati corporis membra, nitebatur vt ea quoquo modo vniret. Quod igitur potuit puer, fecit, & quotquot membra vnire potuit, institis suis colligabat. Sed cùm ei suæ non sufficerent institæ, villam, quæ proxima erat, petens, fila sibi dari supplex postulat, & cur postulet, causam dicit, rémque omnem ordine pandit. Vide rem miram. Compos voti puer repedabat quantocius, & ne eum pigeret laboris, maiorem voto consolationem accepit diuinitus. Inuenit námque duo luminaria, ad caput & pedes martyris altrinsecus lucentia. Et quis non miretur tua Christe magnalia? Multa transeo dum ad exitum festino. Instatur ab omnibus, vt decenter iusta sepulturæ expleantur, materfamilias, in loco qui dicitur Nec, tũbã disponit facit. Coëunt vndique infirmorum agmina, fama lõgè latéque euagando, ipsam etiã Vangionum vrbem quæ nunc VVormatia nuncupatur, subintrat. Traiectenses interim certificati de nece sui Antistitis, ostendebant ex quantitate sui doloris, quo amore erga eum feruerent. Sua cuique causa aderat, Lambertus mortem magistri deflebat, etiam plus omnibus. Qui post vulnus doloris assumens scutum constantiæ, totus ad hoc ferebatur, vt saltem corpus eius reciperet.

Lucent diuinitus ad sacrum eius corpus duo luminaria.

Nota de loco martyrij.

Frustrà venit S. Lãbertus vt recipiat sancti viri corpus.

LONGAM itaque viam celeri voluntatis volatu emensus, venit ad locum. Vbi postquam soluit lacrimas, quas debebat filius patri, pandit incolis terræ causam sui aduentus. Sed vno omnium ore contradicitur. Conclamabant omnes suum esse

iure

iure Theodardum, quem sibi pro patrono Deus vltrò miserit, quibus per eum tot miracula ostenderit, & magno etiam rerũ miraculo vetuerit, ne ab Episcopis prouinciæ corpus sanctum aliò potuerit transportari. Ita Lambertus impos voti Traiectũ redit, vt cum Clero & populo ea de re agat. Clerus verò & populus totius pōdus rei Lamberto imponit. Qui alia via vincere aggressus, multúmque auri & argenti, & aliarum specierum congregans, locum optatum repetit. Itaque indigenæ pro tam celeri eius reditu suspensi, excipiunt eum affectu fauorabili, & ex vultu & habitu eius attendentes quæ reuerentia ei deberetur, officiosè illi adhærent. Lambertus verò eos pietatis affectu sibi conciliat, causámque viæ eis ingeminans addit preces, dicens absurdum esse patrem filiis, & Episcopum ciuibus denegari, non defuturum ipsis sancti patris patrocinium, quem tanti habuerint, vt honorificè tumularet. Iam rigor eorum flectebatur. Quos vt amplius vir Angelicus ad animum suum attraheret, aperto suæ largitatis sinu, singulos eorum honorat donis competentibus: quibus iam non obsistentibus, sed ad omnia officiantibus, amabile Patris corpus tulit, & cum hymnis & laudibus reuexit, & in villa publica Legia tumulauit cum honore qualis decebat Martyrem.

Vide plenius in Originali.

Secundò idē tentat, & tādem discedit voti compos.

VITA S. NICOLAI TOLLENTINI, ORdinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, ex ea quæ est apud R.P.L.S.

X. SEPTEMBRIS.

GLORIOSVS Deus in Sanctis suis: qui cùm eos ad vitam eligit sempiternam, non modò finem aut medium, sed eorum etiam exordia nonnumquam sanctificare dignatur, inter quos est & beatus Nicolaus venerandus Pater ex Ordine Eremitarum S. Augustini, in Castro sancti Angeli territorij, Firmanæ ciuitatis, quæ est in Marchia Anconitana, procreatus, nimirum volens Deus ad gloriam & honorem cęlestis patriæ eum prouehere. Angelica visione sanctissimum ortum eius indicare & cohonestare est dignatus. Qui cùm paruulus literarum studiis fuisset admotus, mox mulierum & puerorum leuium non modò lasciuiam, sed etiam consortia vitans, religiosorum hominum exempla assiduè sectabatur. Pauperes in domo paupere cupidissimè recipiebat, rebus diui-

S Nicolai natiuitas prædicitur ab Angelo.

Sanctissimā exigit pueritiam.

nis libentissimè intererat, verbúmque Dei auscultabat attentissimè, ac si iam matura ætate esset. Mirabantur autem id homines Castri sui, & quasi prophetico spiritu inter se loquebantur: Si huic paruulo Dominus vitam donauerit, sanctus erit. In Ecclesia adeò pium & deuotum animum suum erigebat in Deum, vt etiam corporeis oculis Christum in iuuentute sua conspexisse credatur.

Fit Canonicus sancti Saluatoris, sed nihil propterea minus spiritu[illegible]

IN ipsa iuuentute, cuiusdam nobilis Ecclesiæ, puta sancti Saluatoris, Canonicus effectus est, sed quia rerum omnium mundanarum contemptum iam appetebat, secum deliberabat, quod vitæ institutum complecteretur. Interea quidam Frater Ordinis Eremitarum S. Augustini, monasterij, quod in memorato sancti Angeli Castro erat, Prior creatus, verbo doctrinæ & vita populo erat gratissimus. Is etiam in platea concionem habens ad populum, vbi maxima erat multitudo hominum, inter cætera ait: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, transit enim mundus & concupiscentia eius.

1. Io. 2.

Quæ sententia adeo mentem iuuenis penetrauit, vt mox à concione Fratrem illum obnixè rogaret, vellet ipsum in suam Sodalitatem & Ordinem recipere. Illo autem recusante eius precibus sine parentum consensu annuere, parentes interrogantur. At illi Deum laudant, quòd in ipsorum filio promissa sua compleret. Admittitur igitur à Fratre illo; & tempore probationis euoluto, Obedientiæ, Paupertatis, & sanctissimæ Castitatis vota solenniter edit. Intelligēs verò standum esse promissis, castitatémque seruari non posse, nisi corpus castigetur & in seruitutem redigatur, cœpit præ ceteris Fratribus vitam agere seueram.

Ingreditur Ordinem Eremitarum S. Augustini.

ITAQVE ieiuniis, precibus, duris corporis castigationibus semper incumbit: de quo interrogatus, possitne sic carnis tentationibus resistere, nihil tamen respondebat. Nouerat enim vir sanctus, hostem antiquum magna calliditate semper id agere, vt quem non possit voluptate vincere, vanæ gloriæ laqueis implicatum elidat. Ceterùm cùm iam vita eius, & scientia probata esset satis; Sacerdotio initiatur, & ad Eremum Vallimauensem, quæ est iuxta Pisas, à Prouinciali Priore transmittitur. Vbi cum nocte quadam in lectulo parumper obdormisset, ecce vocat eum voce magna quidam spiritus, ita dicens: Frater Nicolae, vir Dei, respice in me. Ego enim sum anima peregrini Auximiensis, quem viuentem nouisti seruum tuum, crucioríque in hac flamma. Te igitur impensiùs oro vt pro

Nota insigne remedium contra vitium vanæ gloriæ.

Apparet ei anima cuiusdam defuncti, petens vt pro se celebraret Missam.

pro mortuis Missam celebres. Tum verò ad eum vir beatus, Adiuuet te, ait, Saluator meus, cuius sanguine redemptus es, ego enim, qui ad summum sacrificium solenniter faciendum hoc præsertim Dominico die, cuius officium mutare non licet, deputatus sum, Missam pro defunctis dicere non possum. Et rursum ille, Veni, inquit, venerande Pater, & vide num te deceat precibus tantæ tamque miseræ multitudinis, à qua missus sum, assensum negare. Quæ dicens, duxit eum ad alteram Eremi partem, paruamque illam apud Pisas planitiem ei ostendit. Et ecce, videt promiscui sexus, diuersæ ætatis & ordinis innumeram multitudinem, hunc in modum ipsum deprecantem: Miserere Pater, miserere Pater. Euigilans autem vir sanctus, cum multis lachrymis pro illis omnibus Saluatorem omnium deprecabatur.

Videt in spiritu pœnas purgatorij.

MANE etiam coram Priore loci prostratus, orat, vt ipsius bona venia, liceret ei tota illa hebdomada pro mortuis Missas celebrare. Qui victus importunis eius precibus, alium loco eius substituit, illo interim tota hebdomada & Sacrificium offerente pro defunctis, & die ac nocte pro multitudine quam viderat, cum lacrymis, instantissime Dominum rogante. Itaque ea hebdomada transacta, rursus apparet spiritus peregrini supradicti, & pro impetrata misericordia gratias agit, asserens bonam illius multitudinis partem à pœnis acerbissimis liberatam in cælos euolasse. At verò tam præclaræ sanctitatis initiis hostis antiquus inuidens, vti olim primum hominem per Euam, ita sanctum virum per eius consobrinum euertere conatus est. Erat is consobrinus eius cuiusdam monasterij Præfectus siue Prior propè Firmanam vrbem quod monasterium sancta Maria Iacobi appellatur. Cùm ergo videret ille sancti Nicolai consobrini sui paupertatem, nuditatem, vitæ austeritatem & egestatem, Consule, ait, iuuentuti tuæ, &, si vis huius monasterij bonis mecum perfruere. Sed contulit se vir sanctus statim in eius monasterij ecclesiam, ad deprecandum Dominum. Vbi cùm vidisset viginti iuuenes, ceu in duos distributos choros, vestibus albis, faciebus rutilantibus sibi assistere, atq; vna voce ter clamare, Tollentini, Tollentini, Tollentini erit finis tuus, in ea vocatione qua vocatus es, permaneas: satisfacturus diuinæ visioni, ilico Tollentinum properauit.

Suis Sacrificiis plurimos ab ijs pœnis liberat.

Tentatur vir sanctus, vt mutet vitæ institutum, sed frustra.

REVERSVS autem eò, mox etiam amplius est immutatus. Triginta enim annis illic degens, numquam carnes, oua, pisces

Per triginta annos nunquam vescitur nec

carnibus, nec lacticinijs, imò nec pomis.

pisces, nunquam pinguia vel lactaria; nunquam poma, siue sanus siue ægrotus, comedit, qu n & pr eter eam quam diximus abstinentiam, nisi morbus grauis obstaret, secunda, quarta, & sexta feria, & in honorem beatissimæ Virginis etiam Sabbatho semel tantum reficiebatur, solo pane & aqua cõtentus. Frustra auté ampliùs de eius ieiuniis dicam, quando etiam septimo ætatis suæ anno tribus cuiusque hebdomadæ diebus noluit cibum sumere, sanctum Nicolaum Pontificem imitatus, qui quarta & sexta feria materna vbera recusabat. Nec verò ieiunio duntaxat & inedia, sed etiam verberibus & cruciamentis corpus suum redegit in seruitutem. Tunicas habebat asperas & consutas, corporisque delicias vitans, ferrea catenula carnem castigabat. In precibus autem dea assiduus fuit, vt à Completorio ad Gallicinium, & post nocturnam psalmodiam vsque manè, item à Missa (nisi esset confessionibus audiendis occupatus) vsque ad Tertiam, & à Nona item (nisi obedientia aliò vocaret) vsque in Vesperam iis perpetuò vacaret, præter illas orationes quas Canonicas vocant, in quibus semper primus inueniebatur.

Flagellat se catena quadã ferrea.

Admodũ infestatus a dæmone.

EIVS verò religiosis precibus tartareus dæmon inuidens, continuè eum infestabat, non solum malignis suggestionibus & tentationibus, sed duris etiam verberibus, & horribilibus formis, ita vt per multos etiam dies vulnerum vestigia toto eius corpore non raro cernerentur. Quin etiam, sicut Deo per preces placere vir sanctus studuit, ita etiam conatus est proximo gratificari operibus charitatis. Visitabat ægrotos, quibus adeò condolebat, vt quicquid habere posset earum rerum quæ delectant, id eis largiretur: immo tanta erga eos animi beneuolentia afficiebatur, quòd cùm sine scipione ingredi non posset, propter verbera dæmonum, non tamen committere voluit, quin illos visitaret, & diuinis confirmaret eloquiis. Hospites etiam Fratres excipiebat tanquam Angelos Dei. Nolo autem prolixus esse in narrando de radiantissimo illo sidere admirandæ sanctitatis eius documento, quomodo scilicet illud, vel quoties eum adhuc viuẽtem ad eum locum vbi postea sepultus est, præcesserit: dimissionem enim postulat sermo. Inter cætera sanè miracula, feminam etiam quandam fluxum sanguinis patientem annis quinque, signo Crucis sanauit, paruulum item cuiusdam mulieris in ignem lapsum, & ab adustione luminibus orbatum, pristinæ sanitati restituit.

Feruet flagrãtissima charitate erga proximos.

Claret multis miraculis.

VERIDIANA quoque mulier adeò laborabat ex oculis, vt ni

vt nihil videre posset. Adhibebantur medicorum fomenta varia, sed inde in tantum excreuit dolor, vt & mente & mouendi facultate destitueretur. Super eius itaque caput vir beatus Dominicam orationem dixit, & Cruce eam consignauit, moxque sanata est. Qui vir beatus cum sex ante obitum suum mensibus qualibet nocte, ante preces nocturnas, auribus suis cātiones audiuisset Angelicas longè suauissimas, maiori etiam se sensit infirmitate grauari. Conuocans itaque ad se Fratres, ita eos est allocutus: Etsi, inquit, nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc iustificatus sum. Itaque si cuiquam ex vobis iniuriam irrogaui, parcite quæso erratis meis. Te verò, Pater Prior, obnixè rogo, vt quam primùm legas mihi absolutionem omnium peccatorum meorum, & matris Ecclesiæ Sacramenta mihi ministres. Quæ cum in profusissimis lacrymis sumpsisset, Fratribus adstantibus nō multo pòst dixit, En Dominus meus Iesus Christus suæ Matri & nostro Patri Augustino innitens dicit mihi: Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui, ac deinde subdens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, iunctis sursum manibus, & oculis ad Crucem ipsi propositam sublatis, iucundo & hilari vultu animam efflauit, anno salutis millesimo trecentesimo sexto, quarto Idus Septembris: per quem Dominus tot & tanta signa efficere est dignatus, vt referri omnia vix possint. Vt minimum certe annis viginti, perpetuis diebus effecit in fidelibus suis miraculorum genera innumera.

Moriturus profundissima humilitate ignosci sibi petit si quid forte erga aliquè deliquisset.

Migrat ad Christum.

VITA S. GVIDONIS CONFESSORIS

Brabantensis, ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium.

XII. SEPTEMBRIS.

VIR venerabilis Guido in pago Brabantensi tugurio rustico & paupere domo natus & educatus est. Suffurabatur iam tum in ipsis primæ ætatis initiis parentum oculis certas horas, quibus vel ecclesiam oraturus adiret, vel infirmis quicquid ex facultatibus suis habere poterat, impertiret: atque adeò nulla cum dies hilarem vidit, qua non priùs aut in preces incubuisset, aut eleemosynam præstitisset. Peruenit autem tandem ad villulam Lakensem, vbi cùm ecclesiam in sanctissimæ Matris Dei honorem consecratam didicisset, ad illam precaturus accessit. Retinuit autem illum apud se ea nocte presbyter, & mane abire volentem rogauit vt in eius ecclesiæ seruitio maneret. Aduertebat enim in illo quandam venusti

S. Guido statim à pueris est valde deuotus.

venusti vultus grauitatem, verborum parcitatem, animi mansuetudinem, & cor sine intermissione Deo intentum. Libenter autem vir sanctus Presbyteri precibus annuit. Atque exinde dabat sedulo operam, vt altare niteret, testudo nihil haberet sordium, pauimentum scopis repurgaretur, sacrarium mundum esset, & vasa lucul︡enta; denique vt è ceremoniis nihil prętermissum aut neglectum videretur.

Seruit apud Presbyterum Lakensem, vbi insigniter curat decorem domus Dei.

SI quis eum quæreret, in templo reperiebat. Diuersi autem generis floribus, & arborum comis, cancellos & thecas Sanctorum vestiebat. Quin & ad alienas potius fores stipem emendicare, quàm se petentem sine eleemosyna dimittere studebat. Corpus verò domabat & conficiebat ieiunijs, crebroque in ecclesia pernoctabat, &, quod sanè dificillimum est, absque suæ animæ detrimento omnibus placebat, peccata interim quotidiana, & sine quibus vita præsens non ducitur, tanta lachrymarum vi diluens, vt immanium scelerum reus videri posset. Porrò interea mercator quidam Bruxellēsis ad eum veniens, officiosè, vt semper, ab eo exceptus est. Qui cùm eius erga pauperes liberalitatem, & erga omnes benignitatem miraretur, primùm cœpit de vestimentorum eius vilitate conqueri, deinde quasi pia quadam cōmiseratione, ne quandoque præstandis eleemosynis sumptus desint, formidare, interim pollicens eiusmodi consilium sese ei præbiturum, quod si sequi velit, nunquam defuturam piam eleemosynam. Multisque inde sermonibus persuadere ei conatur, vt mercaturam exerceat, & tandem persuadet. Consentit itaque, & non sine omnium admiratione repente nouum se mercatorem exhibet.

Peccata sua quotidiana est etiam crisime... *Quasi vt semper habeat vnde tribuat pauperibus, cogitat fieri mercator.*

SED hanc serui sui sæcularem prudentiam Dominus mox castigauit, quantumque ipsi ea negotiatio displiceret, euidenti signo ostendit. Nam in medio flumine, pleno vtroque littore, carina in sicco ponitur, presensque periculum minatur. Sed & cùm Guido contum subigendæ naui aptaret, adeò eius manibus lignum adhæsit, vt nullo modo extorqueri posset. Ad se igitur reuersus, reum se iam intelligens, rediit ad ecclesiam quam reliquerat, malè à se factorum culpam deploraturus. Nec deinde vllam aut oculis à lacrymis, aut ori à precibus requiem dedit, donec lignum illud quod manibus inhærebat, in terram decidisse videret. Non diu autem pòst, pro viribus ad iter rebus necessarijs comparatis, Romam profectus est, beatissimorum Apostolorum limina visitaturus; atque inde Hierosolymam, ac deinceps per septennium Sanctorum

Diuino miraculo commonitus redit ad pristinum vitæ institutum.

Proficiscitur Romam, atque inde Hierosolymam.

ctorum ecclesias toto penè orbe.

IAM Deo duce Romam reuersus erat, cùm virum venerabilem VVonedulphum, in pago Brabantensi Decanum, cum aliis itineris eius comitibus, Hierosolymam petituris, inuenit: quos ille quidem agnouit iam olim notos, sed non est cognitus ab eis, donec nominatim eos salutans, humaniter appellauit. Itaque tandem agnitum, in terram prostrati adorant, & submissè admodū his cum verbis deprecantur: Quandoquidem Pater sanctissime, te sola huc, vt credimus, Dei gratia adduxit, & adhuc peregrinationes suscipere, & multa pro Deo perpeti paratus es, obsecramus, te, vt nobiscum Hierosolymam proficiscaris: itinera enim & idonea harum gentium iam nosti meliùs quàm nos. Quod ille audiens, vt erat piissimus, Charissimi, inquit, fratres mei, nō solum vobiscum ire Hierosolymam, sed & ipsam animam, si res postulet, vestra causa amittere paratus sum. Ita ergo sancti huius viri consortium adepti, post multos itinerum labores & fatigationes, tandem Hierosolymam, & ad alia sancta loca perueniunt: quibus pro voto circumquaque perlustratis, sani & incolumes ad patriam reuerti contendunt, cùm ecce primò VVonedulphus, inde eius comites, terræ corpora, sanctas cælo animas reddunt, beato Guidone eorum funera religiosè curante. Quem quidem VVonedulphum quanto honore Dominus in cælo extulisset, hominibus mox declarare dignatus est, cùm ad eius tumulum, beato Guidone & multis aliis cernentibus, tres claudi, & duo cæci curati sunt.

Incidit in eos venerabilis VVonedulphus.

En singularē hominis charitatem.

Miracula facta ad sepulcrū illius venerabilis VVonedulphi.

COEPIT porrò beatus Guido in patriam redire. Sed priusquam ad locum diuinitus ipsi destinatum perueniret, multas molestias perpessus est à fame, siti, frigore & inedia; donec tandem labore & sanguinis fluxu penè confectus, Anderlacum venit: vbi cuiusdam pauperis hospitio vtens, multa de suo itinere commemorauit, simul exponens quemadmodum dominus VVonedulphus cælo animam reddidisset, & quæ in eius sepulturæ die contigissent miracula. Quæ res cùm innotuisset Vicedecano, sine mora is cum quibusdam è Clero venit ad illas ædes: & cùm omnia accuratè inquisiisset, & annulum aureum beati VVonedulphi agnouisset, gratias Deo cùm lacrymis agens, ipsum hominem Dei Guidonem secum domum abduxit, vsque ad obitum eius diligenter eius curam gerens. Sed Domino iam nolente vt huius seculi diuturnioribus ærumnis fatigaretur, proximæ diei Dominicæ

Venit S. Guido Anderlacum.

nocte,

Descendit super eum lux cælica, & paulo post moritur.

nocte, ante corporis eius dissolutionem, cunctis qui aderant adspectantibus, lumen cælitus fusum super Dei seruum in columbæ specie descendit: quæ cum aliquamdiu apud illum hæsisset, audita simul est vox eiuscemodi: Veniat dilectus noster ad percipiendam æternæ iucunditatis coronam, cum ecce mox aduolantes ij qui in domo erant, Dei famulum in cælestem mansionem commigrasse cernũt: quod fuit anno Christi millesimo centesimo duodecimo.

VITA S. MAVRILII EPISCOPI

Andegauensis, ex ea quæ putatur scripta per Fortunatum.

XIII. SEPTEMBRIS.

MAVRILIVS, Mediolanensis oppidi indigena, exstitit parentibus splendidissimis; atque ab ipsis penè incunabulis, à beato Martino, qui illis temporibus Mediolani sibi monasterium collocauerat, sacris literis institutus fuit. Sed beato Martino Arrianorum perfidia de ciuitate illa expulso, sanctus Maurilius ibidem demoratus est, quousque à beato Ambrosio, ipsius ciuitatis Episcopo, officium Lectoris accepit. Intereà patre eius, qui totam Hesperiam penè regebat, defuncto, relicta matre, Martinum, qui tunc Turonicam regebat metropolim, expetiit: cum quo tamdiu moratus est, diuinis occupatus officiis, vsque dum cæteros ecclesiasticos gradus, gratiamque Sacerdotij, inuitus, Martino cogente, susciperet. Quo adepto honore, arctiorem quàm inter monachos ducere diligens vitam, Martini admodum doctrinis eruditus, mutuis osculis & lacrymis refectus, Andegauorum aggressus est vrbem. Vbi audiens haud longè ab ipsa, super Ligerim fluuium, in villa quadam fanum esse antiquissimum, diuersis idolorum culturis dedicatum, mox ibidem aduenit. Quin & videns quòd humana virtute non posset euelli, ad Dominum mente conuersus, orabat vt ipso fanum destrueret, cùm ecce mox diuinitus ignis è cælo dimissus, quicquid simulacrorum & immunditiæ ibidem reperit, sub momenti horâ consumpsit.

Diuina virtute euertit quoddam fanum idolorũ iuxta Andegauum.

ELIMINATA itaque omni spurcitia, honorabilem ibi Christi fundauit Ecclesiam, ipsamque postmodum fore vicum instituit: vbi bissenis degens annis, multis se ieiuniis & orationibus sedulò Domino mancipauit, multis etiam ibi clarens

rens virtutibus, quas nos compendij studio præterimus. Sed & nō longè à vico Calonnæ, quem vir beatus incolebat, erat quidam collis Præsciacus nomine, itidem diuersis idolorum titulis decoratus: quem cùm similiter diligentiùs mundasset, honorabile ibidē statuit monasteriū, quod ad gloriā Christi, & laudem nunc vsque permanet Confessoris. Verùm interea dum magnis beatus vir in vico Calonnæ floreret meritis & virtutibus, vrbs Andegaua proprio pastore viduatur. Scinditur incertum studia in contraria vulgus. Subitò sanctissimum Turonicę sedis Archiepiscopum nunciatur adesse Martinum. Cuius dum penè omnes sententiam præstolarentur, ait: Viri fratres, audite & attendite consilium bonum. Qui à Deo vobis electus est Pontifex, ipsum suscipite. Sanè Maurilius, Calonnensis Ecclesiæ Presbyter erit Pontifex vester. Qui dum ecclesiam ingrederetur, statim ad declaranda tanti Sacerdotis merita, niueo candore columba diuinitus elapsa super caput ipsius descendit ac sedit. Atque ita quidem ipse ad custodiam Christi ouium Pontifex est ordinatus. Post quod tanta in eo Domini gratia rutilabat, vt non minora per eum, quàm dudum per Apostolos, signa & miracula fierent. Nam & verbis dæmones effugabat, & ægrotos sola curabat oratione.

Fūdat monasterium in vico Calonnæ.

Cōstituitur à S. Martino Episcopus Andegauensium.

NARRABO rem pr[illegible] miram. Quadam die beato Maurilio Episcopo in bea[illegible] basilica sanctam solennitatem celebrante, aduenit cum moriente puero matrona, postulans vt manuum suarum impositione Spiritum sanctum daret, antequam obiret. Sed remorante in sancta corporis & sanguinis Christi consecratione paululum Præsule, puer excessit. Itaque expleto sanctæ solennitatis mysterio, & obitu pueri, qui absque chrismatis dono excesserat, percognito, mox totum id suæ deputauit desitudini, lacrymis multo tempore irremediabilibus suę culpam lugens inobedientiæ. Cui cū nec ista sufficerent, diu multumque quid ageret secū animo colluctante, tandem reperit quòd inter conciues tantæ negligentiæ piaculū plenè expiari nequiret, nisi singularis elapsus, patriam ciuesque relinqueret. Tali igitur reperto consilio, occultè semetipsum exinde eripuit, ex Sanctorum reliquiis, quibus ecclesia Andegauensis decorabatur, secum claues deportans. Atque intereà cū peruenisset ad mare, diuina prouidentia, qui manebat in littore, diem trāsitus sui exarauit in lapide; sicque adscēsa puppi inchoati itineris cœpit maturator exsistere. Sed ecce cùm processisset in altum, & quare claues reliquiarum

En Sacramentū impositionis manuū, seu Confirmationis.

Pro culpa nō culpa induit sibi maximā pœnitentiam.

secum detulerit, cogitaret; insidiante humani generis inimico, vt dolorem sancto viro super dolorem imponeret, repentè claues de manibus elapsæ, submerguntur in æquore. Tunc verò cum lacrymis id exclamauit Maurilius, quod postea probauit euentus; Nisi has iterum, inquit, claues videre meruero, patriam vrbemque numquam repetam, quam effugio.

Additur viro sancto dolor super dolorem.

TRANSMISSO igitur mari, quo, quis esset, abscondere potuisset, mutato habitu, vni regionis Principum adhæsit, professus se hortulanum fore, quatenus corpus simul proprio quoque labore castigaret. Qui cùm tali proficeret ministerio, tantam copiam eius meritis Dominus oleribus dabat, vt omnibus quibuscumque necesse fuerat, ex eisdem sufficienter ministraret, & tamen olera nunquam deficerent. Intereà verò plebs Andegauorum crebris visionibus minatur, persæpè etiā admonetur, vt proprium pastorem circumquaque perquireret, & nisi Maurilius inuentus suæ redderetur ecclesiæ, vrbem Andegauorum celerius fore subuertendam. Vnde eiusdem regionis tota nobilitas, sed & vulgaris immensitas collatione facta, in vnum venêre decretum, eligentes è conciuibus quatuor diffusæ virtutis & fidei viros. Quibus, qui necessarij erant, sumptibus ex voto collatis, præcipiunt ne vnquam reuerterentur nisi priùs proprium inuenissent patronum. Qui functi legatione, vrbes oppidaque & vicos omnes prætereunt, omnique ferè Europa circumita, septimo tandem anno in partes Galliæ reuertentes, & minimè quem quærebant, inuento, diuino ductu ad portum Oceani maris, qui in Britannia manet minori, peruenerunt, quatenus cis mare quem inuenire non poterant, trans mare quærere niterentur.

Offert se in extera regione pro hortulano.

Sũmo studio quæritur ab Andegauensibus.

PRAESTOLANTES igitur nauim, cum qua cœptũ explere valerent obsequium, dum residerent in littore, scriptum, quod suprà diximus, inuenerunt in silice: Hic transiit Maurilius Andegauorum Episcopus. De tam euidenti igitur alacres effecti indicio, trans pontum abiêre securi. Vbi cùm in medio tranquilli æquoris mari essent, ecce repentè emersus è gurgite piscis immanis prosiliuit in nauim. De quo cùm Deo gratias retulissent, ipsumque piscem exenterare cœpissent, reliquiarum claues, quas Maurilius in mari perdiderat, in piscis iecore repererunt. Quas recognoscentes, nimium mirantes, turbabantur attoniti, metuentes ne cum ipsis Maurilius naufragium passus, hominem exuisset.

Summo miraculo in ventre piscis inueniũtur claues quæ S. Maurilio nauigenti exciderant.

DEMISSIS igitur de naui ancoris, in hoc stantes, vt de mari

mari reuerterentur, assentientes nautis Maurilium esse defunctum; singuli nocte sequenti vnum eundémque visum, Domino tribuente, viderunt, in quo dictum est eis, ne reuerterentur de itinere, sed cœptum maturarent negotium, proculdubio diu quæsitum inuenirent desiderium. Quod cùm manè reddito, singuli inuicem retulissent, admodum roborati, iter quod cœperãt, etiam auidiùs peragebant. Vnde factum est vt Angelico ductu, ad domum Principis cum quo Maurilius habitabat, recto itinere ducerentur. Ingressi autem ilico vocari Maurilium, vt cum oleribus accurreret, audiêrunt, oculorum autem aciem in partem, qua illum inclamari audierant, dirigunt. Nec mora: cum oleribus accurrere Maurilium conspexerunt. Quem vt cognouissent, prostrati pedibus ipsius, cum magno fletu rogabant, vt propriæ subueniret ecclesiæ atque ciuitati. Ad quorum fletum cùm se negare non posset, obstupefactus, cum lacrymis repugnare cœpit obnixiùs, dicens: Voto memet ac iuramento constrinxi, numquam in patriam reuersurum, nisi claues videre mererer iterum quas amisi. Quas statim exhibentes, quicquid in mari viderant, vel pertulerant, ex ordine referebant.

Dirigit Dominus nuncios qui missi erãt ad perquirẽdum sanctum Virum.

Tandẽ inuenitur sanctus hortulanus.

STATIM igitur hæc fama peruolat, ipsúmque solicitat Regem. Mirantur cuncti, & quem vt hortulanum habuerant, nunc vt beatissimum Præsulem venerantes adorant, multis eum muneribus honorare certantes. Nec mora. Mane reddito, concurrentibus vndique populis, cum magno honore ducitur ad nauem, & traductus, non minori gloria excipitur à patria. Vt autem finaliter dicatur, indicibilia Maurilij multa sunt opera, nec in eo quod diuina virtus operata est, sensus comprehẽdere potest. Sanè ab exordio Episcopatus sui vsque ad terminũ vitæ, semper victum pauperem, & aquam breuem, ac suppellectilem vilem habuit. Cùm autem sanctæ Quadragesimæ dies aduenirent, per omne tempus afflictionis erat ei aridus & vespertinus die tertia cibus, aqua tepida, & modicum salis, ac panis hordeaceus. Pedem non proferebat his diebus in publico, cilicio semper interiùs tectus & cinere. Nihil erat illius seueritate iucundius, nihil iucunditate seueriùs. Erat sermone silens, & silentio loquens. Denique reddidit animam omnipotenti Deo ætatis suæ anno nonagesimo, Episcopatus tricesimo, Idibus Septembris.

Redit ad suos

Per Quadragesimas seruabat integra ieiunia triduana.

VITA S. AMATI EPISCOPI SENOnensis, ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium.

XIII. SEPTEMBRIS.

S. Amati natales, & pia educatio.

BEATVS Amatus parentes habuit non modò Christiana religione initiatos, sed etiam pios: qui eum piè educarunt, & in tenera ætate literis erudiendum tradiderunt. In quibus ille perdiscendis, coætaneos suos facilè excelluit, &, quod præstantius multo est, cum doctrina pietatem coniungens, Christi mandatis sese accommodare, die ac nocte illi seruire, ab omni vitio & peccato immunē se seruare studuit. Ita verò constitutus, in Clerum allectus est: in quo ita se comparauit, vt vix quisquam illi similis inueniretur. Ex beato verò semper beatior effectus, tam merito sanctitatis, quam maioris dignitatis accessione, singulis Ecclesiæ gradibus susceptis, cùm non esset nescius, quanto quis est honore præstantior, tanto erga Deum feruentiorem esse debere, & sibiipsi magnam adhibebat cautionem, & aliis fiebat imitatione admirabilis: sicque tandem Senecio Senonensium Episcopo è vita subtracto, ab Episcopis & populis sanctus Amatus eligitur, & licet inuitus Senonensis Episcopus constituitur. Qua auctus Apostolica dignitate, populum sibi creditum sanæ doctrinæ pabulis egregiè reficiebat, benedictione confirmabat, peruigili cura custodiebat, in omnibus seipsum exemplum operum bonorum præbens. Quin & adeò quoque dæmonibus erat terribilis & infestus, vt ad eum tentandum accedere formidarent.

Semper fit se ipso melior, vnde & tandem eligitur Episcopus Senonensis.

HAC tēpestate Theodoricus Clodouei filius & Dagoberti nepos erga Francorum primores tyrannidem exercere conabatur. Quare & ab iis captus & iniuriis affectus, vi in monasterium detruditur, & Childericus frater ei subrogatur. Sed illo quoque propter insolentiam à Francis interfecto, in regnum Theodoricus restituitur. Apud quem tum nimis credulum, proh nefas, à maleuolis, qui semper solet inuidere bonis, accusatus est Amatus Episcopus, atque adeò ille mox inauditum iubet, præter ius fasque, abire in exsilium. Itaque pius Pontifex oues suas Domino commēdans, ad locum destinatum libentissimè proficiscitur, iussuque tyranni Peronam pagum Veromandorū perductus, sub egregio Abbate * Vltano in custodia permanet. Is Vltanus frater fuit Fursei & Foillani Episcoporum, qui ex Hybernia regio stemmate orti, in Franciam peregrini venerant. Sub illo ergo venerabili Abbate beatus

Theodoricus Rex primum de regno deiicitur, deinde rursum in illud restituitur.

Expellit ille S. Amatum è sua sede.

** Indic. Molani nominat Furseum: sed videntur vterque sine inuidia idem cœnobium rexisse.*

tus Amatus non breui temporis spatio permansit, patientissimè ferens diuturnum exsilium, verbis gratiæ, & alimoniæ subsidiis à beato Vltano confirmatus, illud quoque ipse Apostolicum commemorans: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis; itémque illud Iacobi Apostoli: Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis. *Rom. 8.* *Iacobi 1.*

PER id tempus clara prosapia editus Maurontus, Adalbaldi & S. Rictrudis primogenitus, in aula Regis insignis habebatur. Qui cùm in fundo suo, qui Broilus dicitur, in sancti Petri honorem monasterium construxisset, ipsum ibidem Amandus Episcopus Clericorum Abbatem instituit, & diaconum ordinauit. Sed & * Vltano Abbate viam vniuersæ carnis ingresso, Rex Maurontum ad se vocat, iubetque vt sanctum Amatum Episcopum Peronæ exsulantem, sine mora secum abducat, & in suo monasterio custodiendum seruet. Facit itaque Maurontus vt erat iussus; Peronamque veniens, sanctum virum cum omni eius apparatu secum ducit. Vbi cùm in itinere Cameracum venissent; & sanctus Amatus captiuus & exsul precandi causa in beatissimæ Virginis Mariæ ædem fuisset ingressus, ecce cucullam suũ à collo deponens, vtramque manicam, ad solis radium nescius suspendit, tam præclaro signo Domino eius sanctitatem demonstrante. Atque interea, venit etiam ad templum Maurontus. Qui videns admirabile signum vehementer obstupescit, atque ad sancti Episcopi vestigia collapsus, humiliter petit veniam, quòd talem ac tantum virum ausus esset custodiendum suscipere. At verò sanctus Antistes comiter ei respondit; Non tibi acerbum aut triste videatur, frater, quòd tecum huc ego perueni, qui paratus sum quocumque iusseris, & in carcerem & in mortem ire. Quibus dictis, in mutui amoris argumentum, in mutuos ruunt amplexus, & oscula pacis. *Cõstruitur monasteriũ quod dicitur Broilus.* *Nota insignè miraculum.* *Admodũ est veneratur S. Mauróntus.*

SANE quæ deinceps illis fuerit animorum communis lætitia, nemo dicendo possit consequi. Vbi iter confecêre, haud procul à Martianis, qui locus est ad Scarpam fluuium situs, aliquantisper in Hamatico cœnobio hæserunt. Ea enim duo cœnobia, Martianense & Hamaticum opportuna sibi vicinitate coniuncta, sub vno Canone & amica societate degebant, atque in eorum altero S. Gertrudis, beati Adalbaldi auia, cum sua proneptre & virgine Eusebia; in altero pari studio florebat Ionathus, sancti Amandi discipulus, & Rictrudis cum filiabus *Venit Martianas & Hamaticum.*

duabus. In vtroque autem grex erat plurimus, & præclaris virtutum ornamentis illustris. Eiusmodi ergo cœtibus adiunctus est beatus Confessor Amatus, omnésque vna pariter animi intentio ad sublimis iustitiæ culmina euehebat. AC deniq; cùm in B. Antistite Amato totius perfectionis gratia reluceret, visum est tandem bono dispensatori Mauronto & eius sanctæ matri Rictrudi, Broilensi monasterio eum præficere, & se, & prædium suum per illum Domino offerre.

Præficitur exsul monasterio Broilensi.

COACTVS igitur ab illis & toto monasterio vir Dei, cùm eis bene precatus esset, eò profectus est, totisque viribus illic Domino sanctè & religiosè inseruiens, subditis de se præbuit humilitatis exempla, tam verborum doctrina & institutione, quã vitæ simplicis eximia puritate. Habebat verò iuxta templum cellulam orationis causa illi exstructam: vbi cælestibus inhians, tamquam in quadam æternæ quietis specula, diuinorum contemplationi vacabat: & quia diu vitæ actuosæ laboribus insudarat, proximis suis pro viribus ministrans, iam contemplationi sic inhærebat, vt vni viuens Deo, mũdo mortuus videretur: sicque tandem vt iam emeritus miles labore omni absolueretur, à Domino vocatus, in pace quieuit. Fecerat autem adhuc viuens ferream catenam sanè immanem, eáq; corpus suum constrinxerat. Quæ de repentè ab eius exanimi corpore soluta, multis attulit remedia sanitatis, præstante Domino nostro Iesu Christo.

Viuit ibidem sanctissime, & tandem in pace quiescit.

VITA S. LINI, EX IO. MALDONATO Hispano.

XIII. SEPTEMBRIS.

Linus & Cletus S. Petri Collegæ.

LINVS genere Tuscus, cui pater Herculaneus fuit, Apostolo Petro in Pontificatu successit, quamuis quidam Clementem Petro subiiciant, Lino & Cleto præmissis. Nam Petrus cùm in humanis ageret, Linum & Cletum collegas, omniúmque munerũ consortes designauit. Clemens etiam, quem Petrus successorem in vltimo digressu sibi dixerat, viuentibus Lino & Cleto, pontificis functione abstinuit. Linus igitur instituit, sed ex arbitrio imperióq; Petri (vt plerique autumant) vt mulieres velato capite templum ingrederentur. Linus acta Petri scripsit, & in his certamen, quod cum Simone mago habuit. Multa Linus sanctitate claruit, immundos ab humanis corporibus spiritus fugauit, vita functos suscitauit. Sed à Saturnino

S. Lini traditiones Pontificiæ.

Interfectus à Saturnino.

nino consule tandem interfectus est. Siquidem cùm frequentissimis miraculis Linus multos adduxisset ad Christum, & simul Saturnini consulis filiam, quam à dæmonio liberauerat, variis est cruciatibus affectus, ac demùm iugulatus. Corpus & si tunc in Vaticano sepultum est, Gregorius tamen Ostiensis Episcopus Ostiam longo post tempore transtulit, & in Ecclesia primaria, Laurentio dicata, sepeliuit.

DE EXALTATIONE SANCTÆ CRVcis, ex Ordinario nouo.

XIIII. SEPTEMBRIS.

COSDROAS Persarum Rex extremis Phocæ Imperij temporibus Ægypto & Aphrica occupata, ac Hierosolyma capta, multisque ibi cæsis Christianorum millibus, Christi Domini Crucem, quam Helena in monte Caluariæ collocarat, in Persidem abstulit. Iraque Heraclius qui Phocæ successerat, multis belli incommodis & calamitatibus affectus, pacem petebat, quàm à Cosdroa victoriis insolente, ne iniquis quidem conditionibus impetrare poterat. Quare in summo discrimine se assiduis ieiuniis & orationibus exercens, opem à Deo vehementer implorabat: cuius monitu exercitu comparato, signa cum hoste contulit, ac tres Duces Cosdroæ cum tribus exercitibus superauit. Quibus cladibus fractus, Cosdroas, in fuga qua traijcere Tigrim parabat, Medarsem filium socium regni designat. Sed eam contumeliam cùm Sinochius Cosdroæ maior natu filius ferret atrociter, patri simul & fratri necem machinatur, quam paulò pòst vtrique ex fuga retracto attulit: atque ita regnum ab Heraclio impetrauit, quibusdam acceptis conditionibus, quarum ea prima fuit, vt Crucem Christi Domini restitueret.

Aufertur crux Domini ca in Persidē.

Confligit Heraclius Imperator cū Persis, & vincit.

Cogit Persas ante omnia reddere thesaurum hunc S. Crucis.

ERGO Crux quatuordecim annis postquam venerat in potestatem Persarum, recepta est: quam, rediens Hierosolymam, Heraclius solenni celebritate suis humeris retulit in eum montem, quo eam Saluator tulerat. Quod factum illustri miraculo commendatum est. Nam Heraclius vt erat auro & gemmis ornatus, insistere coactus est in porta quæ ad Caluariæ montem ducebat: quo enim magis progredi conabatur, eo magis retineri videbatur: cúmque ea re & ipse Heraclius, & reliqui omnes obstupescerent, Zacharias Hierosolymorum antistes, Vide, inquit, Imperator, in isto triumphali

Nota insigne miraculum.

ornatu in Cruce ferenda, parum Iesu Christi paupertatem & humilitatem imitêre. Tum Heraclius, abiecto amplissimo vestitu, detractisque calceis, ac plebeio amictu indutus, reliquum viæ facilè confecit, & in eodem Caluariæ loco Crucem statuit, vnde fuerat à Persis asportata. Itaque decretum est, vt quotannis Exaltationis Crucis memoria celebraretur, quòd ibidem fuerat reposita ab Heraclio, vbi Saluatori primùm fuerat constituta.

Reponitur Crux sancta iterum suo loco.

VITA S. AICHADRI ABBATIS GEMMETICENSIS, *ex ea quæ est per Fulbertum.*

Quiescit nunc prope Valencenas.

XV. SEPTEMBRIS.

INTER nobilissimas Aquitaniæ vrbes Pictauis ciuitas caput attollit felix patrociniis Sanctorum. Huius intra mœnia miles quidam alto sanguine ortus pollebat, nomine Anscharius, cuius vxor nomine Ermena, claris & ipsa natalibus, circa pauperes etiam & peregrinos sedulò erat officiosa. Datur eis filius nomine Aichadrus. Qui sacro fonte innouatus, & intra patrios fines enutritus, mox vt annos intellectuales attigit, superna illustratione præuentus, multiplici virtutum decore clarus emicuit, sanctis studiis deditus. De illo pater & mater vario inter se sermone conferebant. Pater filium militaribus negotiis assuescere præmonebat: mater è contrà affirmabat se partu imminente, quicquid peperisset, diuinis cultibus deuouisse. Cuius cùm pater votum multa obstinatione improbaret, ecce ad dirimendam litem inter eos, medius filius interuenit, dicens patri: Me, nisi mors, à militia Christi auellere non præualebit. Erat eo tempore in finitima regione senior quidam, cui de remotis ac vicinis partibus ad instruendum diuites & nobiles filios suos transmittebant: de quibus postmodum Apostolici Sacerdotes, venerabiles Abbates, & animarum Rectores in sancta Ecclesia claris emicuerunt exemplis.

S. Aichadri genus.

Inuitò patre constituit militare Christo.

HVIVS ergo egregia fama excitatus puer bonæ indolis venerabilem virũ adiit. Nec mora: Nouitius scholasticus infra breue tempus in omni genere sacræ disciplinæ adeò perfectus emicuit, vt cunctos non solùm præiret scientia, sed virtutum quoque superexcelleret gratia, potens in ieiuniis, patientia fortis, humilitate fundatus. Erat adhuc decem, vt videbatur, annorum, atque intereà subit cogitatio, vt locum quemlibet remotum quæreret. Auditus est locus celeberrimus, cui nomen

Tradit se in disciplinam cuidam venerabili seni.

Ansio

Anſionis, in quo monachorum non minima turba regularis vitę diſciplinam ſeruabat. Quem ille valde appetens, iam duodennis eò properat, ſumpta tamen priùs à Magiſtro licentia, & parentibus etiam ſalutatis, qui eum fruſtrà ab ea intentione reuocare conabantur: vbi coma capitis depoſita, iugum ipſe Chriſti ſuaue ſuſcepit. Nec verò Chriſtus lucernam ſuam ſub modio diu latêre paſſus eſt, verùm cęci & claudi, & varia clade depreſſi, monitis Angelicis ad eum ire iubentur. Per vicos & plateas vox publica perſonabat, in aduentu Aichadri præſentē regionē à Deo viſitatam eſſe. Quæ etiamſi homines ex iuſſu viri Dei ſilere voluiſſent, tamen ex obſeſſis corporibus dæmones eiecti fateri cogebantur.

Induit habitum monaſticum.

Multis claret miraculis.

MIRABANTVR omnes tantam in eo virtutum gratiā ſubitò emicuiſſe: ſed & mirabantur etiam agricolæ inauditam fertilitatis gratiam terris infuſam. Iam viginti annorū curſum venerandus expleuerat adoleſcens, cùm quadam die à Fratribus obedientiæ onus impoſitum expleturus, longius à monaſterio digreditur, diuinæ pſalmodiæ curſum ex more ſolus decantans, & ecce repentè vox illi cælitus emiſſa huiuſmodi inſonuit: Ibunt Sancti de virtute in virtutem, ex quo tempore arctioribus etiam ieiuniis & vigiliis carnem domare ſtudebat. Interea quoque de ſua parentûmq; ſalute ſolicitus, cœpit meditari qualiter patris animum attentare valeret, vt de rebus hęreditariis ſuis Eccleſiam Dei faceret hæredem, eū paulo pòſt, egreſſus patrē alloquitur, & tādem multis verbis, grauiſſimáq; oratione eum etiam pro voto cōmouet. Tunc verò pater tale filio dedit reſponſum: Tu noſti haud procul à nobis quendam hæreditarium nobis vicum * Quintianum, in quo monaſteriū in honorem ſancti Petri fundatum, Dominus Philibertus regulari diſciplina communiuit: ſed pro exigua rerum appendētium poſſibilitate raro famulantiū numero coarctauit. Tu ergo vnum quod vis è duobus elige, aut eundem locum de rebus facultatum noſtrarum ampliorare contende, aut tu alterum in honorē ſanctæ Mariæ in proprio territorio noſtro ędificare ne differas, & nos illud terris & vineis, pratis & paſcuis vbertimis amplificare promittimus.

Confortatur diuinitus, vt in incepto grauiter pergat.

Pſal. 83.

Inductus ab ipſo tum pater libēter offert Deo vnum Quintianū.

POST quod ille de promiſſione patris hilareſcēs, maturiùs explere ardebat quod animo conceperat. Sed reputans quod inconſulto Epiſcopo illicitum foret ſibi in qualibet diœceſi monaſterium conſtruere, Anſoaldum Pictauenſem Epiſcopum impiger adiit, nam in parochia ſua præfatus ager erat:

qui idem Episcopus non solùm libens annuit, verùm etiam ipse primus operi manum apposuit, ipse perfectum oratorium in honorem beatæ Mariæ dedicauit; ipse collata donaria sub testamento scripta roborauit. Vbi ordinatis omnibus quę loci & temporis opportunitas exigebat, abeûte Pontifice, ipse dominus Aichadrus in loco resedit, atque probatas personas sub regularis disciplinæ titulo constituit, ipse signifer diuinæ militię subiectis suis ad patriam cælestem verbo & exemplo præbens ducatum, in tantum, vt crescente religione, infra breue tempus locus ille famæ celebrioris nomen obtineret.

Cõstruitur in iam dicto loco oratorium in honorem beatæ Mariæ.

HAC tempestate venerandus Dei sacerdos & Abbas Philibertus Gimeſiẽſis cœnobij multa patiebatur ab impio Ebroino Maiore domus, quod eum apostatam constanter vocaret. Primo enim iste literas arte compositas B. Audoëno, qui tunc Rothomagensem cathedram regebat, transmisit, tamquam ex nomine Philiberti ad Regem missas, quibus ipsum Pontificem reum Maiestatis incusaret, vt sic scilicet Regis animum sibi conciliaret, & vt quasi hac via ipse in locum B. Audoëni posset subrogari, viris nequissimis ad fidem commenti subornatis: quo factum est vt tandem idem B. Audoënus sanctum Abbatem carcerali ergastulo recluderet. Ex quo, cùm re patefacta, non sine honore per eundem sanctum Episcopum fuisset dimissus, & monasterio suo decenter relocatus, vir Domini timens ne pro vnius sui odio bestialis animus in totum gregem feritatis suæ procellam intorqueret, dum iam terras & possessiones monasterij longè positas, assiduis incursionibus vastare non cessabat, decreuit longiùs à loco quem regebat, abire, vbi eremiticam vitam agere posset. Sed valde tandem sibi videbatur indignum, gregem sibi commissum sine pastorali regimine reliquisse.

Quæ passus sit eo tepore Philibertus ab impio Ebroino.

Vide hæc etiã plenius in ipsius S. Philiberti vita.

ERAT ei paulo antè de beato Aichadro, fama præcognita, per alienos audita, per suos legatos certiùs exquisita, quod apud Quinciacũ Pictauensis coloniæ vicum in sancta cõuersatione nulli inferior claruisset. Nec multo pòst, ipse vnà cum Ansoaldo Episcopo Aichadrum adeunt, deinde & diuina visione commonitum in * Neustriam prouinciam facilè deducunt, postulant postremò Rothomagensis sedis Pontificem B. Audoënum, vt quia per inuidiam Ebroini Gimesiense cœnobium sine pastore esse nouerat, hunc talem virum ipse loci ipsius Rectorem substitueret. Quod & dominus Aichadrus

* *Nunc Normandia vocatur.*

chiepiscopus libens annuit, simulque descendens cum eis, virum Dei Aichadrum præfato monasterio subrogauit. Substitutus autem in loco memorato Pater Aichardrus qualem se, quantumque in omni genere virtutum exhibuit, non est præsentis negotij per singula explicare. Illud tamen silendum non arbitror, quod diabolus semper illi conspicuus, nequibat tamen artis suæ circa eum nequitiam efficaciter operari. Insultare quidem viro Dei multis argumentis laborabat, sed tentationis suæ mania spicula semper confusus reportabat.

Substituitur S. Aichadrus Abbas Gemmetensis.

RESIDEBAT quadam die vir Dei solitarius in cellula, cùm animum ipsius vehementer cœpit agitare, quòd viribus exhaustis veterana ætas ad regendam tantam Christi familiam iam sibi sufficere non videbatur (erat enim, sicut & textus vitæ B. Philiberti commemorat, numerus nongentorum monachorum) petit itaque à Domino, quatenus vt consilij sui prouida dispensatione tanti oneri sarcinam alleuiaret, cùm ecce Sole occidente, postquam omnes in dormitorium se contulissent, apparet ei Angelus Domini, ita eum alloquens: Media, inquit, pars horum iam ad expeditionem ascripta est, & hi imprimis ex nomine quos hac virga designari mox considerabis: tu diligenter animaduerte, & hos nominatim iube mox esse paratos. Vbi sanè nemo dicere sufficiat, quanta se pœnitentiæ asperitate illi affecerint, cùm totum illud triduum atque etiam quartum expectati sui obitus diem absque vllo corporeo alimento transegerint. Iam quarti diei aurora illuxerat, & vniuersi in monasterium conueniunt, diuini Sacramenti percepturi viaticum: pòst quod in Capitulare sessorium se, subsequente patre, contulerunt; ibique se [illegible]que animas inuicem commendarunt. Atque ô dignum [illegible]oria spectaculum! Etenim ante ipsum animæ exitum videres facies singulorum indicibili claritatis specie clarescere. Iam hora diei tertia inclaruerat, & ecce pars una tanquam somno quietis resoluta, dulci quieuit in pace, similiter autem & pars altera hora sexta, & rursum altera hora nona, ac demum residua facto vespere. Pòst quorum sepulturam, consolatósque eos qui se relictos dolebant, quia scilicet intercessores præmisissent, non multò intercedente tempore, & ipse vir dei in lectulum cilicio constratum se collegit: atque ita eleuatis in cælum oculis, spiritum Deo reddidit decimoseptimo Calendas Octobris.

Nota: sunt in vno monasterio nongenti monachi.

Apparet S. Aich. dro Angelus Domini.

Stupendũ sane quid, & merito notandum.

Migrat vir sanctus in cælum.

DE

DE SS. CORNELIO ET CYPRIANO, *illo, ex Ordinario nouo, hoc, ex Pontio eius Diacono.*

XVI. SEPTEMBRIS.

S. Cornelius vnà cum S. Lucina trãsfert corpora SS. Petri & Pauli.

CORNELIVS Romanus, Decio Imperatore Pontificatum gerens, cùm Lucina femina sanctissima, corpora Apostolorum Petri & Pauli è catatumbis in opportuniorem locum transtulit, ac Pauli corpus Lucina in suo prædio via Ostiensi, prope eum locum vbi fuerat securi percussus, collocauit, Corneliùs verò Principis Apostolorum corpus non longè inde vbi crucifixus fuerat, reposuit. Quod cùm ad Decium delatum esset, simul & Pontifice auctore multos fieri Christianos, mittitur is in exsilium ad Centum cellas, vbi eum Cyprianus Episcopus Carthaginensis per literas est consolatus. Hoc autem Christianæ charitatis officium cùm frequens alter alteri persolueret, deteriorem in partem Decius rem interpretatus est. Quamobrem accersitum Romam Cornelium tamquam de Maiestate reum, plumbatis cædi, raptumque ad Martis simulacrum ei sacrificare iubet. Quam impietatem cùm ille detestaretur, ei caput abscissum est, decimooctauo Calendas Octobris. Cuius corpus B. Lucina, Clericis adiutoribus, humauit in arenaria prædij sui, prope cœmeterium Calixti. Atque hic quidẽ fuit sanctissimus Papa Cornelius.

Cōsummatur glorioso martyrio.

S. Cyprianus summè colit continentiam.

PORRO Cyprianus religiosus Antistes ac testis Dei gloriosus, cuius eloquẽtiæ larga fœcunditas ita se copia & vbertate sermonis extendit, vt vsque in finem mundi fortasse non taceat, is fuit, qui inter fidei suæ prima rudimenta nihil aliud credidit Deo dignum, quàm si continentiam tueretur. Tunc enim posse idoneum fieri & pectus & sensum ad plenam [...]ti capacitatem, si concupiscentiam carnis robusto atque [...]gro sanctimoniæ * vigore calcaret. Et vt plus miraculum mireris, nondum secunda natiuitas nouum hominem splendore toto diuinæ lucis oculauerat, & iam veteres ac pristinas tenebras sola lucis * paratura vincebat. Deinde, quod maius est, cùm de lectitione diuina quędam iam non pro conditione natiuitatis, sed pro fidei festinatione didicisset, statim rapuit quod inuenit promerendo Domino profuturum, distractis scilicet rebus suis ad indigentiam multorum pauperum sustentandam, tota prædia mox dispensans. Multa sunt quæ adhuc plebeius, multa quæ iam Presbyter fecit, multa quæ ad veterum exempla iustorum, imitatione consimili prosecutus, pro

** vigore.*

** i. præparatio quæ fit per Catechismũ.*

Largitur omnia sua pauperibus.

tus, promerendo Dominum totius religionis obſequio præſtitit. Nam & ſermo illi de hoc fuerat vſitatus, vt, ſi quem prædicatum Dei laudatione legiſſet, ſuaderet inquiri, & ſic per bonorum omnium documenta decurrens, dum meliores ſemper imitatur, etiam ipſe ſe fecit imitandum.

ERAT ſanè illi etiam * de nobis cõtubernium viri iuſti & laudabilis memoriæ Cæcilij, & ætate tunc & honore Presbyteri, qui eum ad agnitionem veræ diuinitatis à ſeculi errore correxerat. Atque hunc nimirum toto honore atque omni obſeruantia diligebat, obſequenti veneratione eum ſuſcipiens, non iam vt amicum animæ coæqualem, ſed tamquam nouæ vitæ parentem. Longum eſt ire per ſingula. Ad probationem bonorum operum ſolum hoc arbitror ſatis eſſe, quòd iudicio Dei & plebis fauore ad officium Sacerdotij, & Epiſcopatus gradum adhuc neophytus, &, vt putabatur, nouellus electus eſt, quamuis in primis fidei ſuæ adhuc diebus & rudi vitæ ſpiritalis ætate ſic generoſa indoles reluceret, vt, & ſi nondum officij, ſpei tamen fulgore reſplendens imminentis ſacerdotij totam fiduciam polliceretur. Grauis vultus & lætus, nec ſeueritas triſtis, nec comitas nimia, ſed admixta vtrimque temperies, vt eſſet ambigere, vereri plùs an diligi mereretur, niſi quod & vereri & diligi merebatur.

** Hoc eſt de noſtro numero.*

Adhuc neophytus, max eligitur Epiſcopus.

SED nec cultus fuit diſpar à vultu, temperatus & ipſe de medio: non illum ſuperbia ſecularis inflauerat, nec tamen prorſus affectata penuria ſordidarat, quia & hoc veſtitus genus à iactantia minus non eſt, quàm oſtentata taliter ambitioſa frugalitas. De quo quidem fruſtra eſt dicere quid circa pauperes Epiſcopus fecerit, quos ita Cathecumenus diligebat. Viderint pietatis Antiſtites, ſeu quos ad officium boni operis inſtruxit ipſius Ordinis diſciplina, ſeu quos ſacramenti religio communis ad obſequium exhibendæ dilectionis arctauit. Cyprianum de ſuo talem accepit cathedra, non fecit. Statim denique pro talibus meritis etiam proſcriptionis gloriam conſecutus eſt. Nec enim aliud oportebat, quàm vt eum qui intra ſecretam conſcientiæ latebram religionis & fidei toto honore florebat, etiam publicè celebrata gentilium fama titularet. Potuiſſet quidem tunc pro velocitate, quia ſemper omnia conſecutus eſt, etiam martyrij circa eum debitá coronа properare, maximè cùm & ſuffragiis ſæpè repetitis ad leonem poſtularetur, niſi per omnes ordines gloriarum tranſeundem illi eſſet, & ſic ad ſumma veniendum, & niſi imminens

In veſtitu amat mediocritatem.

Singulari Dei beneficio ſeruatus ad aliorum vtilitatem.

nens ruina ope tam fœcundi pectoris indigeret.

FINGE enim tunc illum martyrij dignatione translatum. Quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis ostenderet? Quis virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam, & habitum sanctimonia dignum, velut frenis quibusdam lectionis Dominicæ coërceret? Quis doceret pœnitentiam lapsos, veritatem hæreticos, schismaticos vnitatem, filios Dei pacem & Euangelicæ precis legem. Per quem gentiles blasphemi, repercussis in se iis quæ nobis ingerunt, vincerentur, A quo Christiani molliores affectus circa amissionem suorum, aut (quod magis est) fidei paruioris consolarentur spe futurorum? Vnde sic misericordiam, vnde patientiam disceremus? Quis liuorem de venenata inuidæ malignitate venientem, dulcedine remedij salutaris inhiberet? Quis [a]martyres tantos exhortatione diuini sermonis erigeret? Quis denique tot Confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos, & ad exemplum martyrij superstites reseruatos, incentiuo tubæ cælestis animaret? * Ad extremum & ipse quoque sub Valeriano & Galieno Principibus, post longum exilium, detruncatione capiti martyrium consummauit, sexto milliario à Carthagine, iuxta mare, * eodem die quo Romæ Cornelius, licet non eodem anno.

En habitum sanctimonialium

Alludit ad viri sancti opera seu libros.

[a] Ita Martyrologium, id quod confuse habet Pontius.

Hæc Breu. ex Hier.

Tom. 7.

VITA S. LVDMILLÆ DVCISSÆ & Martyris, ex ea quæ est apud R. P. Laur. Surium.

XVI. SEPTEMBRIS.

SLABINOR Hrabota Peslouicensis, vir & splendore generis, & rerum gestarum monumentis insignis, eo seculo in auita hæreditate Melnicij & latifundiis eius vitam agitabat, quo tempore apud Bohemos anno octingentesimo septuagesimo tertio, Hostiuitus imperium tractabat. Hic filiam præstantis formæ, & generosæ indolis ex Lidoslaua cùm procreasset, Lidmilam eam nuncupauit, quam Latinus, paululum ab origine primæua deflectens, Ludmillam commutatione & adiectione literæ expectorauit. Eius adultioris tanta in tractandis subiectorum hominum etiam asperis mentibus solertia fuit, vt Boriuoio hæredi & domino Bohemiæ sola matrimonij vinculis innecteretur. Qui cùm eam inflammato studio honorandorum delubrorum agi obseruasset, ad solatium eius idolum aureum feminei vultus in penetralibus ædium

S. Ludmillæ genus & præclara indoles.

Nubit Boriuoio Duci Bohemiæ.

ædium suarum fabricauit, quod Ludmilla, errore vano implicita, nunc prece, nunc donis, nunc sacrificiis onerabat. Nomen idolo Crosinæ datum.

VERUM enimuerò intereà legatio Suatopluci Marcomannorum Regis, Belgrado Regia vrbe digressa Pragæ successit, petitiones & dona Regis Boriuoio exponens. Rem stupendam. Reuersus à Marcomannis Boriuoius, sacris iam nostris imbutus, cùm immortalis vitæ gloriam, & præmia Ludmillæ, quæ à diuo Cyrillo Episcopo hauserat exposuisset, subitò ita hac narratione eius capta est, vt cum eo seueriùs expostularet quòd diuinorum præceptorum magistrum secum in Bohemiam transuehendum non meminisset, à quo & illa vitę Christianæ conscia efficeretur. Atque in eo voto non tantùm secundis rebus perdurauit, sed & turbulentissimis temporibus, cùm maritus eius ob deserta prophanorum Ethnicorum sacrilegia extorris à terra sua pelleretur. Cuius tantam animi firmitudinem breui etiam sic est remuneratus Deus. Restituto enim postliminio, & sibi reddito marito, Episcopum quoque Cyrillum coniugis sui secundùm Deum parentem ei exhibuit: fecitque compotem voti Episcopus, ipsamque & Spitigneum maiorem & Vratislaum minorem natu filios quibus illa stipata, pedibus eius se aduoluerat, Christi Ecclesiæ per baptismum transcripsit.

Aliter Suatocopi Regis Moravorum siue Morauia.

Cõuersus eius maritus ad Christum pellitur propterea regno.

Restituitur.

Baptizatur Ludmilla.

EX illo verò tempore veluti nouum hominem induta, grauiter cœpit antegressæ vitæ maculas fletibus eluere, tenebras errorum suorum detestari, Crosinæ antea tantopere amatæ ne nomen quidem sustinere, semper ferè mediam diem cum marito in templo expendere, idola proterere, in templis Deo diuisque in sublime euehendis Boriuoio se æmulam præbere, quæ templa scilicet tum ab ipsa, tum ab eius marito ædificata sunt septem. Et magna sunt hæc Ludmillæ facinora, sed maius etiam & admiratione multo dignius quod subiungam, Ludmillam scilicet in prosperrimo vitæ cursu id egisse, vt eminentissimo dignitatis fastigio se sponte vnà cum marito abdicarit, quo commodius diuturniusque tempus cælestibus rebus se immergendi sortiretur. Neque verò vllis quoque precibus procerum suorum perpelli potuit, vt vel ipsa, vel eius Boriuoius semel Positam cum diademate purpuram resumeret, quamuis Spitigneus grandior natu filius in dignitate patri subrogatus, ob contempta Christiana parentum suorum (vt augurari licet) præcepta, intempestiua morte vita expulsus

Amarè deflet maculas vitæ anteactæ.

Et ipsa & eius maritus abdicant se regno, ut liberius vacent Christo.

expulsus fuerit, atque adeò iam truncæ desertæque res Bohemicæ sine capite viderentur.

Succedit eius filius Vratislaus.

PORRO factum est vt summa rei ad Vratislaum penè puerum deuolueretur. Qui parentibus & maioribus natu dicto audiens, eam cum Deo hominibusque gratiam iniit, vt omnes illi bene, nemo malè vellet. Et proceres quidem Principis sobolis propagandæ non parum soliciti, vxorem ei Drahomiram iungunt, quæ dæmonum mancipium iuxtà addictissimum ac obstinatissimum cùm esset, id tamen veteratoriè coram marito tegebat, ne fauore excideret. Hæc duos filios ei peperit, VVenceslaum priùs, posteriùs Boleslaum. Hîc verò Ludmilla animo sapiens, cum qui priùs in lucem productus esset, de more patriæ, si occidere Vratislaum contigisset, patri in potestate sufficiendum perspiciens, nec futile momentum esse ad augendam tuendamque rem Christianam qua ratione educaretur; tali cõsilio eripere matri Vvenceslaum est aggressa. Orbam se primò morte mariti Boriuoij queritari: deinde non facilè se solam dolori suo mederi posse: tum orare vt sibi ad mitigandam calamitatẽ suam, Vvenceslai nepotis sui apud se degentis crepundiis oblectari liceret.

Obtingit Vratislao vxor pessima.

Nota prudens consilium, & quanti æstimãda sit puerorum educatio.

ET Drahomira quidem paululum cum Vratislao collocuta, cùm præsentibus tantùm negotiis intenderet, nec rerum consequentias, Deo illi obstante, metiretur, facilè ei Vvenceslaum commendauit: quem acceptum Ludmilla, tum per se, tum per Paulum qui ei in iis quæ ad Deum sunt, assiduus hærebat, tãdiu fingere formareque cœpit, quousque seipsam in eo exprimeret, talemque eum redderet, qui tuto Budecij in perdiscenda Latinitate inter lubrica laxioraque adolescentum ingenia, seueriorem viuendi disciplinam tenere sciret: vbi dum agit, intereà pater eius Vratislaus in humanis esse desiit, cùm mox erecta Drahomira diu meditatam procellam in nomen Christianum effundit, ima summis, diuina humanis confundens. Non tamen conatus suos optato euentu claudendos sperabat, quousque Ludmilla, quæ sola VVenceslao armata, machinationes eius discutere posset, superesset: Vnde & Tumanem & Cumanẽ, viros vt apprimè nobiles, ita ingenij profligati, muneribus & pollicitationibus inflammatos, ad opprimendam socrum suam destinat.

Hic est ille Vvenceslaus postea sanctus Martyr.

ET hi quidem Tetinam specie visendæ Ludmillæ ingressi (erant enim ambo olim in aula eius educati) perhumanè ab ea excipiuntur. Antequam tamen Ludmilla cum iis discumberet,

beret, instinctu diuino admonita est, eos esse vitæ suæ insidiatores. Quare accersito Paulo mysta suo, exomologesim vitæ suæ coram eo facit: deinde diuina synaxi se munit, mox fusis non paucis precibus ad tetetrimos illos emissarios reuersa, benignè cum iis epulatur. Remotis postmodum mensis, somni desiderium mentientes, præcipuis domûs suæ dignatur thoris: ipsa coacta omni familia, singulis pactam mercedem ad denarium persoluit, omnes hortatur fidei Christianæ immotis vestigiis inhærere, aduersis nec exanimari nec cedere. Qua cohortatione finita, complexisque singulis, & vale dicto, ipsa quoque cubile suum ingressa, cùm multam ad noctem peruigil in strato iacens Deo supplicaret, sentit ianuam sui penetralis hostili ausu disturbari.

En exomologesim seu Confessionem.

Moritura S. Ludmilla hortatur suos perstare in fide.

TVM verò cùm ad necē se peti animaduerteret, Tumanē & Cumanem nocturni sceleris molitores, graui oratione castigat; reuocat collati olim in eos beneficij memoriam. Sed surdis canebatur. Nam illi hostiliter capiti eius peplum diripiunt, ex eoque laqueum nectentes, furenter eam lectulo præcipitant, donec tandem protracta ad saxum, quo orans genibus niti solebat, alliso illi sæpius capite, tamdiu affligitur, quousque animam exantlaret 16. Septembris. Quo quidem in saxo hodie quoque sanguinis eius maculæ testes innocentiæ Ludmillæ, & crudelitatis hostium, liquidò apparent. Sepulta est autem in æde D. Catharinæ Tetinensis; cui loco, & cœmiterio illi attributo, hanc prærogatiuam Deus in honorem martyris suæ prolixè indulsit, ne quis ibi hominum condi possit: conditus si fuerit, etiam nunc à terra euomatur. Translata est autem posteà Pragam, per suum nepotem D. Vvenceslaum, anno scilicet 922.

Crudelissimè trucidatur.

VITA S. EVPHEMIÆ, EX *Io. Maldonato Hispano.*

XVI. SEPTEMBRIS.

EVPHEMIA Philophronis senatoris & Theodoræ filia, in vrbe Calcedonia pietate, Diocletiano Imperatore, claruit. Quæ cùm quadraginta nouem Christianis proconsuli Prisco tradita, cùm blandè appellaretur, ac cohortaretur, vt dignitatem maiorum non dehonestaret, Marti propitio Deo immolaret, ab institutis patriis non discederet; nullum responsum reddidit: sed signans pectus, nullis moueri terroribus, in-

nuit: Priscus contemni se videns, tormentis vindicandum censuit. Nam postquam verbera & rotas; postquam sartagines ignitas, virgarum plagas, fornaces ardentes signo crucis Euphemia superauit, leonibus & vrsis in arena exposita est. Illi tamen feritatis obliti cauda alludebant, vestibus oscula dabāt: donec Euphemia solui se vinculis carnis, precibus instans, ab vrsa leui morsu petita, expirauit. Sosthenes & Victor, qui Christum crediderant Deum, eò quòd Angelorum agmen circumuolitare, aiebant, vidisse, cùm intra fornacem Euphemia non præstringebatur à flamma, multis cruciatibus necati sunt. Lucia & Geminianus hoc ipso die Romæ à Diocletiano multis tormentorum generibus affecti, cruciatibúsque variis agitati, martyrium pertulêre.

Tormētaquibus excruciata est.

Sosthenes & Victor, Lucia & Geminianus necati.

VITA S. LAMBERTI EPISCOPI

Tungrensis & Martyris, ex Stephano Episcopo Leodiensi, additis nonnullis tum ex Molano, tum maximè ex Appendice. R P. Surij.

XVII. SEPTEMBRIS.

ILLVSTRIS martyr Lambertus ex insigni prosapia ortus est in oppido Traiectensi, patre Apro; matre verò Herisplinde. Qui puerulus apud parentes Christianissimos degens, se totum, quantum quidem pro ea ætate poterat; ad diuinam studuit conformare voluntatem: quocirca & viris doctissimis traditur literis instituendus sub beato Landoaldo in Vvintershouio, viro eo tempore doctrina & sanctitate claro. Itaque Ecclesiastica religione admodum fit insignis. Ad patrem reuersus, diuinis literis instructus, pompam & fastum seculi calcabat magno animo: quicquid etiam habere poterat; id in pauperes erogabat. Per id tempus sanctus Theodardus apud Traiectenses Pontificiam obtinebat dignitatem, cuius tum multa & in ecclesia & in aula erat auctoritas. Traditur & huic memorabilis adolescens Lambertus, nobilitate eximius, in regia aula educandus, vt instar lapidis pretiosi multis modis expoliretur. Tum verò ille tanti sacerdotis amore fruens, præsentia prorsus ducebat pro nihilo, nec quicquam alicuius pensi habebat, nisi quatenus saluti æternæ conduceret.

S. Lamberti clari natales.

Instituitur apud S. Landoaldum.

Item apud sanctū Theodardum.

IAM ab impiis interfectus, beatitudinis palmam Theodardus obtinuerat, cùm ecce vniuersa Traiectensis plebs, regia quoque celsitudo, & palatij proceres in magistri locum Lambertum volunt succedere. Et quidem vir pius, in vera humili-

tate fundatus, tanta se functione indignum multis modis docere conabatur. Sed omnia frustra. Plebs enim Traiectensis strepitu populari in eum irruentes, simul omnes dixerunt: Lãbertus ciuis noster, operum bonorum copia celebris, Episcopus noster erit, velit, nolit. Ita ergo factus est Episcopus: quem apicem adeptus, ipsa etiam studuit pietatis opera augere. Cõtinuus erat concionibus habendis intentus. Multa erat in illo eleemosynarum largitas, multa miraculorum copia. Admonebat omnes doctrina salutari, atque exemplis informabat. Intereà autem lõgè lateque sanctitatis eius fama sese diffundens, ad notitiam quoque Childerici Regis peruenerat (qui ea tempestate apud Francos regno potiebatur) adeò vt Rex ille præcipuo cum honore prosequeretur, & inter amicos illius primas Lambertus obtineret. Meritò prædicandus Rex, & eius exercitus, quòd tanti Præsulis iussis parerent. Verùmenimuero, Quamuis multa Deo seruirent crimine victo, Attamen hortator scelerum per corda malorum effudit virus. Princeps regni Childericus Rex inclytus occisus est; moxque inuidiæ pondus in Christi seruum Lambertum est concitatum: qua inimicorum rabie magis magisque grassante, tandem etiam sine causa, iustitięque & publicę libertatis defensor, per Ebroinum tyrannum è sede sua exturbatur.

Eligitur Episcopus Traiectensis.

Egregiè insudat officio Episcopali.

Primo loco est apud Regem Childericum.

Mortuo Childerico exturbatur è sua sede.

EHEV cogor scriptis depromere rem tum reuera gestam. Traiectensis ecclesiæ cathedram latro Pharamundus inuasit, latro animarum, Ecclesiæ publicus prædo effectus. Nullum facinus execratus est, nullum flagitium in se non admisit. Pudet referre plura. At Lambertus Christi athleta moderatè omnia ferens, tametsi conuicia in eum iactarentur, & iniuriis afficeretur, nunquam ira est commotus. Porrò omnis populus eius abitum lugebat. Clerus totus lamentabatur. Tunc pater euictus lacrymis ita fatur obortis. Pro te pauca loquar. Non pastor deerit vobis, non cura salutis. O filij charissimi, & oues illius summi pastoris, seruite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore. Quibus dictis, exosculatisque omnibus, cum paucis comitibus profectus est ad monasterium Stabulense: vbi etsi ordine extremus, at pietatis ac deuotionis studio fuit præcipuus, omnibus charus & reuerendus. Sed & quid ad cumulum perfectionis eius Deus ibi ostendere voluerit, non est silentio premendum. Quadam nocte simul illo cum fratribus quiescente in dormitorio, visum ei fuit clàm e lectulo surgere, vt attentiori animo posset

Occupatur Ecclesia Traiectensis à quodam impio Pharamundo.

Exsulat vir sanctus in Stabuleto.

diuturnis precibus vacare. Verùm cùm alterum è calceis acciperet, alter è manibus lapsus est, & pauimentum feriens, Fratrum quietem interturbauit. Vnde expergefactus cœnobij Pater, & huius arcani ignarus: Quisquis, inquit, ille est, pro nostra consuetudine se conferat ad crucem, & quod negligentia admisit, obedientia expiet.

Disce Lector vnà videre disciplinam cœnobiales.

Et mox quidem B. Lambertus Abbatis præcepto libenter paruit: nec quicquam tulit secum quo aduersus immane frigus se muniret, præter vnicum quo indutus erat cilicium, cùm tamen nox illa erat gelidissima, & multa glacie ac niue asperrima. Vbi cũ sic sub Cruce staret illa sacrosancta Trinitatis hostia, diuinitus actum est, vt gallorum cantus tempus solitum anteuerteret. Surrexerunt itaque Fratres, vt more solenni vigilias agerent. Qui Officio expleto, è templo omnes sunt egressi cupientes ignem struere, vt acerrimi frigoris iniuriam à se propulsarent. Interim Abbas cunctos circumspectans, videt B. Lãbertum non adesse, quærit ex aliis vbinam sit sacerdos venerabilis: respondent Fratres, illum esse qui iussus sit sub crucem se recipere. Tum verò Abbas quàm celerrimè eum aduocans, multo stupore affectus, (maximè cùm & faciem eius beatam mirè cerneret resplendentem) cum vniuersis Fratribus ad eius vestigia aduolutus, Ignosce, inquit, ignosce Pater venerabilis, da veniam dolentibus. Ad quæ sanctus Episcopus respondit: Ne quæso, charissimi, ne sic loquamini, Surgite ociùs, & meis potius erratis vos ignoscite. Atque in huiusmodi virtutum insigniis degebat illic Lambertus sacerdos Dei, per annos scilicet septem, vsque ad miseram Ebroini interfectionem.

Stat diutissimè nudus sub dio in summis frigoribus, studio humilitatis & obedientiæ.

Stupescit Abbas & Fratres S. Lamberti sanctitatem.

Interim verò infelix Pharamundus, propter flagitia sua non solum à sede, sed à tota etiam illa prouincia est exclusus, cùm septem annis solo nomine Episcopus fuisset. Per id tempus autem Pipinus apud Francos principatum obtinebat. Misit itaque is Legatos ad Stabulense monasterium. Nec mora: beatissimus Confessor Lambertus ad propriam sedem cunctis exultantibus, est reuersus. Intra septa domus eius nunquam ornabatur illius sedile. Vestibus vtebatur non adeò preciosis; ex quibus primus eius amictus erat cilicinus. Inuisebat villas & oppida diœcesis suæ. Sed neque hîc substitit ingens eius feruor. Iustitiæ enim esurie semper ardens, in Taxandros etiam est profectus, qui Tungros ferè attingentes, gentilisini tamen erroribus adhuc erant dediti. Vbi cum magna sermonis gratia cœpisset serere fidem Catholicam, homines

Restituitur vir sanctus in suam sedem.

Multa patitur apud Ta-

homines regionis illius in vnum collecti, veritatis præconem volunt discerpere, & post illata conuicia & contumelias, atque ludibria, ignominiosa morte afficere. Verùm tandem veritas euasit victrix, comite patientia. Tum verò egregius doctor idola euertit, populum vndis salutaribus expiauit, ecclesias cō-didit, Presbyteros ordinauit, totam denique illam regionem Christo consecrauit.

...xandros, sed tandem eos lucratur Christo.

Sed nunc veniamus ad beati viri martyrium. Supradictus Pipinus Princeps, primi Pipini nepos, cætera egregius, vno malo tam multa bona corrūpebat, contempta legitima vxore, Alpaidi pellici nimium addictus. Id verò, cæteris ferè Episcopis dissimulantibus, Lambertus præ zelo domus Dei ferre non sustinens, opportunè importunè Principem arguebat: qui si, vt in cæteris, ita & in hoc libenter audisset recta monentem Episcopum, rectius sibi consuluisset. At illa maligna mulier molestè ferens Pipinum à sui amore reuocari, Dodonem fratrem suum hortatur, vti ne sinat Lambertum tantum posse apud Pipinum. Ille verò agit cum suis. Sed videns beatum virum perstare in sententia, amicis quibusdam vltionem sororis permittit. Ex iis Gallus & Rioldus cum suis valde cœperunt vexare Episcopi familiam, vt vel sic Episcopus suorum causa cessaret. At vir iustus, vt leo confidens, iustitiæ patrocinium nulla ratione deseruit. Interim improbi illi ab Episcopi cognatis, viris clarissimis, interficiūtur, ignorante quidē Episcopo, Dodone tamen causam cædis in eum conferente.

Reprehendit Pipinū Principē pro Alpaide pellice.

Affligūtur ob hoc viri addicti familiares.

Per id tempus Pipinus Princeps in Iopiliam villam aduenit: venit etiā eò vir sanctus. Apparatur conuiuium, Episcopus inuitatur. Princeps oblatum sibi à pincerna poculum, innuit Episcopo offerendum, benedictionis loco habiturus, si à consecrata manu ipse poculum acciperet, quod Maximum Imperatorem olim nouerat à beatissimo Martino exspectasse. Et Episcopus quidem illud Pipino tradidit: cuius exemplum mox etiam secuti sunt Proceres reliqui. Cunctis igitur certatim id expetentibus, ipsa quoque pellex clàm suam inserit manum: cùm ecce vir sanctus ad Principem cōuersus, de mulieris temeritate conqueritur, quòd calliditate quadam conetur notam ipsi inurere inuisæ Deo cōmunionis. Surgensque à mēsa, ab aula vult recedere, & omnis illa conuiuij iucunditas perturbatur. Nec sic tamen quiescit versutia mulieris: sed vesperi volenti recedere Episcopo mandat Princeps, illa suggerente, ne insalutata sua coniuge recedat. At Episcopus magna animi

En religionē tu erga clerum.

Refugit vir sanctus vel in minimo communicare pellici.

constantia, Ego verò, inquit, ô Princeps, testor Iesum, spem vitæ meæ, me nunquam adulteræ communicaturum: te verò nolle resipiscere omninò, fero molestè, & doleo. quibus dictis abiit. Atque hæc est martyrij tanti viri vera causa.

Magna cōstātia iterum reprehendit Principem.

CAESVS est autem martyr eximius per supradictum Dodonem cum suis in villa Legia, vbi tum fortè morabatur, brachiis instar crucifixi expansis, ante altare SS. martyrum Cosmę & Damiani, confossus telo xv. Cal. Octobris, cùm paulo antè hoste in domum irrumpente, fortiter etiam ibi occubuissent duo eius nepotes Petrus & Andolerus, anno Domini 698. Episcopatus quadragesimo. Sacrum corpus pauci, qui illorum sicariorum manus euaserant, naui celeriter imposuerunt, quod Traiectum aduehentes, honorificè tumularunt in ecclesia Principis Apostolorum. Permansit autem ibi venerabile illud corpus, non sine multis sanctitatis testimoniis, quousq; in cubiculo illo in villa Legia, vbi occisus fuerat, visis luminariis, multis etiā miraculis patratis, basilica quoque tandem exstructa, crebris iam visionibus admonerentur homines fideles, vt sanctus martyr loco vbi cæsus erat, restitueretur. Quod & tandem est effectum per sanctum Hubertum, Martyris discipulū & successorem, qui illud eò transtulit vnà cum sede Cathedrali, Episcopatus sui anno tertio decimo, in itinere, Lunigellæ, cæco lumen recipiente apud Harmaltitidem sanato quodam paralytico: quibus in locis mox conditæ sunt in Martyris honorem basilicæ.

Obit gloriosum martyrium.

Defertur eius sacrum corpus Traiectū.

Refertur à S. Huberto ad locum vbi fuerat occisus.

VITA S. HILDEGARDIS ABBATISSÆ,

ex ea quæ est per Theodoricum Abbatem.

XVII. SEPTEMBRIS.

IN Romana Republica regnante Henrico, fuit in Galliæ citerioris partibus virgo, tam generis quàm sanctitatis ingenuitate illustris, nomine Hildegardis, patre Hideberto, matre Mechtilde. Qui licet mundanis impliciti curis, & opulentia conspicui, creatoris tamen donis non ingrati, filiam prænominatam diuino famulatui mancipatunt, eo quòd eius præmatura sinceritas, ab omni carnalium habitudine multum dissentire videretur. Mox namque vt poterat primam tentare loquelam, tam verbis quàm nutibus significabat his qui circa se erant, species visionum secretarum. Vnde & cùm iam ferè esset octo annorum, recluditur in monte S. Disibodi, cum pia Deoq; deuota

S. Hildegardis patria & parentes.

Vix triennis mox videt diuinas visiones.

uota femina Iutta, quæ illam sub humilitatis veste diligenter instituebat, monasticę professionis voto, & sacri velaminis benedictione prouectam. Atque hæc quidem eius exordia. Quæ quo pacto primò publicè innotuerit, ita in suis visionibus ipsa de se humiliter confitetur.

Velatur in monte S. Desibodi.

IN octauo, inquit, anno ætatis meæ, in spiritualem conuersationem Deo oblata sum, & vsque in quintumdecimum annum fui multa videns, & plura simpliciter loquens, ita quòd admirabantur qui hæc audierunt, vnde venirent, & à quo essent. Tunc & ego in me ipsa admirata sum, quòd cùm * infrà in anima vidi, exteriorem etiam visum habui. Vnde & valde fatigata, à quadam nutrice mea quæsiui, si aliqua, exceptis exterioribus, videret, & nihil mihi inde respondit, quoniam nihil videbat. Tunc magno timore correpta, non audebam hęc cuiquam manifestare, sed tamen plura loquendo, dictando, de futuris solebam enarrare. Et quando hac visione pleniter perfundebar, multa quæ audientibus aliena erant, loquebar. Sed cùm vis visionis aliquantum cessit, in qua me plus secundum mores infantis, quàm secundum annos ætatis meę exhibui, valde erubui, & sæpè fleui. Atque ita permansi videns in quadragesimũ ætatis annum.

** intrà*

Nota vim diuinarum visionum.

En humilitatem.

TVNC in eadem visione magna pressura coacta sum palam manifestare ea quæ videram & audieram. Sed valde timui & erubui. Intimaui autem ista cuidam monacho, magistro meo, qui bonæ conuersationis, & diligentis intentionis erat: vnde & eadem miracula libenter audiebat. Qui admirans, mihi iniunxit vt ea absconsa scriberem, donec videret quæ & vnde essent. Intelligens autem quòd à Deo essent, Abbati suo intimauit, magnoque desiderio deinceps mecũ in his laborauit. Quæ ad audientiam Moguntinæ ecclesiæ allata cùm essent & discussa, omnes ex Deo esse dixerunt, & ex prophetia qua olim Prophetæ prophetauerant. Sed & deinde scripta mea Eugenio Papæ, cùm Treueri esset, allata sunt: qui benedictionem suam cum literis mihi mittens, vt ea quæ in visione viderem vel audirem, scriptis attentiùs commendarem, etiam pręcepit. Hæc illa. Aderat autem etiam ibidem Treuiri, sanctæ recordationis Bernardus Abbas Claræuallis, ad ista vnà cum cæteris summum Pontificem mouens.

Iubetur diuinitus scribere suas visiones.

Approbantur suæ visiones ab Eugenio Papa.

Item à sancto Bernardo.

ATQVE his quidem & tantis viris auctoribus, beata Hildegardis, cum fiducia humillima, verbis talibus, quæ non ab homine, neque per hominem acceperat, tam sanctæ opinionis

odorem boni, longè latéque fragrantem, aperuit & perfudit: confluebant autem intereà ad eam filiæ nobilium non paucæ, sub habitu religionis, regularibus semitis instituendæ. Quas omnes cùm vnum reclusionis habitaculũ difficulter caperet, iámque de transferendis & ampliandis earum mansionibus consilium versaretur, demonstratur illi per Spiritum locus vbi Naha fluuius Rheno confluit, videlicet collis, à priscis diebus sancto Ruperto Confessori ex nomine attitulatus. Itaque dum virgo Dei, locum transmigrationis, quem non corporalibus oculis, verùm intima visione cognouerat, Abbati suo & Fratribus designaret, illis hæsitantibus, eo quòd discessum eius molestè ferrent, decidit ipsa, vt pridem, in lectum prolixi languoris, adeò vt Abbas & cæteri ad consentiendum diuino se nutu vrgeri conspicerent. Ac denique quoniam locus prænominatus partim ad Moguntinæ ecclesiæ Canonicos pertinebat, & fundus cum oratorio S. Roberti, possessio erat Comitis Bernardi de Hildensheim, facta per interuentum fidelium legatione, virgo Dei præscia, licentiam sibi & Sororibus suis obtinuit illic habitandi.

Confluunt ad eam multæ filiæ nobiliũ.

Nota miram Dei operationem.

Præparatur ipsi locus ad oratorium R. Roberti.

IGITVR post longam gradiendi defectionem, dum iam vtrimque deliberatum esset, vt cum sororibus dimitteretur ad locum quem in spiritu præuiderat, ingressus Abbas ad iacentem & afflictam, dixit vt in nomine Domini surgeret, abitura ad mansionem sibi cælitus prædestinatam. Tunc verò illa dicto citiùs surgente, tamquam nihil tam prolixo tempore debilitatis sensisset, stupor & admiratio cunctos qui aderant, apprehendit. Hoc enim sciendum (& vt ipsa de se frequenter in suis scriptis testatur) quòd, licet non defuerint ei ab ipsa ferè infantia crebri & penè continui languorum dolores, ita vt pedum incessu perrarò vteretur, idq; vt virtus in infirmitate perficeretur, tunc tamen etiam magis laborauit, quotiescumque feminea trepidatione tardasset, vel dubitasset supernæ voluntatis peragere negotia, hoc certitudinis in se capiens argumentum. Sed ad rem redeamus. Tandem ergo Dei famula, cum decem & octo puellis Deo sanctis, pristinæ habitationis loco decedit, & quantum his quos deserebat, doloris & luctus derelinquebat, tantum regioni ad quam accedebat, adferebat gaudij & exsultationis. Fuerunt namque de Bingensi oppido & contiguis villis multi honoratorum, & de plebe non exigua multitudo, qui eam cum grandi tripudio & diuinis laudibus exceperunt. Sed non fuit tamen hæc securitas plena: de quo illam

Perrarò valet incedere pedibus præ ægritudinibus.

Venit ad locũ optatum.

lam ipsam, si placet, audiamus.

TVNC, inquit, antiquus deceptor per multas irrisiones me excribrauit, ita quòd multi dixerunt: Quid est hoc, quòd huic stultæ & indoctę feminæ tot mysteria reuelantur? Et ita in isto loco cum viginti puellis nobilibus, & de diuitibus parentibus natis mansi, nullam habitationem seu habitatorem ibi inueniens, excepto veterano quodam, & vxore eius ac filiis. Quin & sicut Moysen filij Israël valde afflixerunt; ita & me quoque Deus aliqua parte affligi permisit à propinquis meis, & ab aliquantis qui mecum manserunt, cùm eis necessaria defuerunt. Verùm post pressuram doloris huius, gratiam suam Deus super nos pluit. Nam multi qui nos priùs contempserant, venerunt ad nos vndique, adiuuantes, & benedictionibus nos replentes. Hæc illa. Et verè venerũt ad eam multi vndique: quin & ipsa spiritu diuino non modò acta, sed coacta, vt Clero & populo, quæ Deus voluit, annunciaret, multa etiam obiuit oppida, vt Coloniam, Treuerim, Metim, Herbipolim, Babẽberg, Siberg quoque, Euerbach, Hirsaugiam, Zuifeldem, Mulenbrunem, Rudenkyrchen, Kirtzingen, Crutendal, Harde, Vuerde, Andernachum, locáque vicina.

Variè exercetur eius patientia.

Iuuant qui prius impugnauerant.

Mittitur nũtia à Deo ad varia oppida Germaniæ.

CERTE ex omni tripartita Gallia, atque Germania confluebant ad eam vndique vtriusque sexus populorũ examina: quibus, per gratiam Dei, vtriusque vitæ affatim accommoda impendebat exhortamina. Ad salutem animarum suarum proponebat eis & soluebat quæstiones sanctarum scripturarum. Plurimi etiam consiliũ ab ea percipiebant necessitatum corporalium quas patiebantur, alij benedictionibus suis alleuiabantur à languoribus, tum etiam à dæmoniis ferocissimis, in quibus expellendis tamquam extremũ ad hanc Sanctam erat refugium. Quin etiam quia prophetico spiritu cogitationes & intentiones hominum cognoscebat, quosdam quoque peruersa & friuola mente ad se, quasi ad explorandum accedentes redarguebat. Qui dum spiritui, qui loquebatur, non valerent resistere, correpti & emendati, cogebantur à prauo incepto desistere: inter quos etiam fuit quidam Philosophus de diuitiis honoratus, qui postea locum illum ædificiis, allodiis, & aliis necessariis valde ornauit, atque ibidem est sepultus. Et vt orationi finem imponam, exclamo cum Psalmista: Verè mirabilis Deus in Sanctis suis. Migrauit autem hæc Deo dilecta ad sponsum suum cælestem, decimoquinto Calendas Octobris, anno ætatis suæ octogesimo secundo.

Varios curat languores, & pellit dæmones.

Item claret spiritu Prophetico.

Migrat ad Christum.

VITA S. FERREOLI MARTYRIS, EX *Breuiario Viennensi.*

XVIII. SEPTEMBRIS.

Crispinus præses Viennensis.

CVM per vniuersas prouincias Christianum genus carum Deo à ministris diaboli deseruire sacrilegis ritibus cogeretur, sicut & proditum est, Crispinus quidam temporis illius præses in Viennensi vrbe iuxta Imperatoris præceptum cœpit ad sacrificandum cogere christianos, & sedens pro tribunali detestabili consilio cœpit honorare obtemperantes, contradicentes autem punire. Hicque dum in cunctos Dei seruos per ministrum furoris sui acerbissimè grassaretur, contigit vt beatissimũ Ferreolum martyrem habitu solo specie tenus non officio militantem quia esset proditus Christianus sacrificare compelleret. Ferreolus dixit: Christianus sum, sacrificare diis non debeo. Imperatoribus quàmdiu salua religione licuit militaui, opera mea cùm tibi parui iustis legibus debui, sacrilegis nunquàm. Mihi sufficit, si salua religione liceat viuere Christianum, Certè si non licet, mori paratus sum. Præses dixit. Quę in te tanta est Ferreole moriendi fiducia? Nisi sacrificaueris, quàm sint acerba cognosces. Cũque præses his minis non eũ promoueri cerneret, iussit eum oneratum ferro recludi in carcerem dicens, Rebellem hunc squalidus & omnem pœnam excedens carcer excludat, Reum se sentiat maiestatis, careat luce contemptor deorum, compeditum stare non liceat. Sedẽtem quoque ferri deprimant pondera. Susceptis igitur monitis ministri pręsidis; statim beatissimum Ferreolum oneratum ferro, in carcerem concludentes, præordinatis custodibus, seruare cœperunt, denuò iudici præsentandũ. Vbi transacto biduo, die tertia diluculo altius vt fit depressis sopore custodibus, resolutis sponte vinculis liberum se Dei seruus agnouit. Et lento accedens gressu ad ostium carceris, patere sibi liberum sensit egressum. Ac secundum euangelium fugere persecutionem, ad exteram præparat regionem. Egressus foras portam Lugdunẽsium præmissa oratione, transire Rhodanum felici parat natatu. Dehinc concito gradu ingressus aggerem publicum, vsque ad Iairam fluuium præcucurrit, Vbi à persecutoribus comprehensus, vinctis post tergum manibus ductus est, donec ad vicum qui vocatur Brinate perueniret, vbi cum sibi offerri vna cum sancto Iuliano præses præcepit. Quos non cognita nobis interlocutione discutiens quia si sacrificare contemnerent plecti

S. Ferreoli verba ad præsidem.

Præsidis ad S. Ferreolũ, responsio.

Incarceratur pręditus S. Ferreolus.

Iterum apprehenditur.

plecti capite ex lege constituit, vbi vtriusque sanguinem terra suscepit, & claro basilicæ, extante monimento hodieque circuniectis regionibus frequentatur, quæ in honore sancti martyris Iuliani constructa est, quia inibi esset cæsus & conditus. Sanctissimo verò Iuliano regioni illi per dispensationem diuinam donato, beatissimum Ferreolum, fideles quique de Vienna qui eum secuti fuerant ad ciuitatis suæ præsidium fide probabili retulerunt, condentes eum in ripam vlteriorẽ Rhodani quæ ciuitatem expectat, haud procul à flumine. Vbi ne inhonorato diu clarus Martyr lateret sepulchro, Castulius vir præcipui nominis de primoribus Viennensis vrbis catechumenus adhuc, & necdum baptismi gratiarum consecutus, basilicam in honore martyris fecit, fundans eam tanto opere quanta & fide, premittens hoc munus Deo, vt ad baptismi consummationem cum patrocinio martyrij perueniret. *Basilica in honore martyris fundata.*

DE S. IANVARIO EPISCOPO ET *Martyre, & socijs eius, ex Ordinario nouo.*

XIX. SEPTEMBRIS.

IANVARIVS Benouenti Episcopus, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus in Christianos sæuientibus, ad Timotheum Campaniæ Præsidem ob Christianæ fidei professionem Nolam perducitur. Vbi, eius constantia variè tentata, in ardentem fornacem coniectus, ita illæsus euasit, vt ne vestimẽtum aut capillum quidem flamma violauerit. Vnde Præses accensus iracundia, Martyris corpus imperat vsque eò distrahi, quoad neruorum compages artuumque soluantur. Tandem etiam Festus Diaconus, & Desiderius Lector, qui ad Episcopum suum visendum accesserant, comprehensi & ipsi, vinctique vna cum Episcopo, ante rhedam Præsidis Puteolos pertrahuntur, & in eundem truduntur carcerem in quo Sosius Missenas, & Proculus Puteolanus Diaconi, Eutyches etiam & Acutius laici ad bestias damnati detinebantur, posteroque die omnes in amphitheatro feris obiecti sunt: quæ naturalis oblitæ feritatis, ad beati Ianuarij pedes illico sese prostrauêre. Quod Timotheus magicis cantionibus tribuens, cùm sententiam capitis in Christi martires ferre non dubitasset, oculis repentè captus, orante mox B. Ianuario, lumen recepit: quo sanè miraculo hominũ millia ferè quinque Christi fidẽ suscepeunt. *S. Ianuarius varia perfert supplicia.* *Obijcitur feris deuorandus sed frustra.*

Conuertit ad Christū iam moriturus ferè quinque millia hominum.

perunt. Verùm ingratus Iudex nihilo placatior factus beneficio, sed conuersione tantæ multitudinis actus in rabiem, veritus maximè Principum decreta, lege protinus agere lictorē iubet: atque ita beatus Ianuarius cum sociis ad sulfurariam Puteolanam gladio percussus, ad Episcopalis muneris laudem, martyrij coronam adiunxit.

Defertur eius sacrū corpus Neapolim.

HORVM corpora finitimæ vrbes, prò suo quæque studio certum sibi Patronum ex ijs apud Deum adoptandi, sepelienda curarunt. Ianuarij corpus Neapolitani diuino admonitu extulêre: quod primò Beneuentum, inde ad monasterium Montis Virginis, postremò Neapolim Alexandro Sexto Pontifice translatum, & in cathedrali ecclesia perhonorificè conditum, multis miraculis claruit. Sed illud cum primis memorandum, quòd erumpentens olim è monte Vesuuio cinerum & flammarum globos, nec vicinis modò, sed lōginquis etiam regionibus vastitatis metum afferentes, exstinxit. Cuius rei pariter ac beati Martyris memoriam Græci quoq; quotannis semel atque iterum celebrant. Præclarum & illud quoque quod eius sanguis, qui in ampulla vitrea concretus asseruatur, cùm in conspectu capitis eiusdem Martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri & ebullire perinde atque recèns effusus ad hæc vsque tempora cernitur.

Nota insigne miraculum.

Tom. 7. Surij.

VITA S. GOERICI EPISCOPI

Metensis, ex ea quæ est apud R. P. Laur. Surium.

XIX. SEPTEMBRIS.

S. Goericus primo strenuus miles.

SANCTVS Goëricus primo quidem miles egregius de Aquitania, corpore, non voto, seculi actibus seruiens, cùm apud Deum & homines in magna honestate floreret, licet quæ pacis sunt, sectaretur, quandocumque tamen paganorum infestatio perurgebat, primus aciei militari se opponens, barbaricam rabiem, Dei fretus auxilio, potentissimè deuincebat, & spolia amplissima reportabat. Qui dum quodam tempore sub tò oculorum & visus amissione percelleretur, virtute tamen patientiæ vndique munitus, Deo gratias agens, dicebat: Sicut Domino placuit, ita factum est. Eo tempore regnabat in Gallia Theodebertus, in Metensi vrbe præsidebat Pontifex beatus Arnulphus. Tunc verò sancto viro Goërico in silentio noctis quiescenti Angelus Domini adfuit, dicens: Serue Dei excelsi, venit tempus quo mœror tuus in gaudium transfe

Iob. 1.

Diu privatus lumine seculo tum tandem mittitur à Deo ad S. Arnulphum Metensem.

transferatur, & quo lux amissa tibi restituatur. Ergo Metensem ciuitatem aggredere, & lumina beati Stephani deuotè ingredere, Deoque preces ibi funde, & recipies ilico visum, & totius corporis sospitatem. Arnuphus autem, tibi charus amicus & propinquus, ibi Pontifex residet, cui Spiritus sanctus te ilico affuturum præmonstrabit, & quicquid tibi Deus impensurus est manifestabit.

EXPERGEFACTVS ergo vir sanctus, milites conuocauit, & de Aquitania ad præfatam vrbem iter arripuit. Cui appropinquāti sanctus Arnulphus adfuit, & facta oratione, dataque benedictione, eum in domum induxit, ac deinde obtentu sancti stephani, visum & totius corporis sanitatem recepit plenissimam. Post quæ sanctus Arnulphus spiritali mentis intuitu videns Goëricum successorem sibi fore dignissimum, consentiente tandem clero & populo eum Episcopum constituit, & ipse diu desideratā eremum petiit. Tunc verò Goëricus, qui alio nomine dicitur Abbo, pastorali cura adstrictus, vocibus & moribus cæteros strenuè cœpit informare. De quo quidem, quoniam & ante Episcopatum corpus districtissimis ieiuniis atriuerat, quàm dura ieiunia deinde cumularit, quot etiam dies incibatus vsque in diem alterum pertransierit, quantum biduanas & triduanas alacri vultu & mente abstinentias celebrauerit, non est facile enarrare. Quin potius illud de eo mirum referemus.

Veniens ad eū statum impetrat quod desiderabat.

Constituitur S. Arnulphi successor.

DEFVNCTO sancto Arnulpho in eremo, cùm beatus Goëricus assumptis Tullensi & & Virdunensi Episcopis, sanctum corpus eius ad sedem, cui præfuerat, transferret, Sole ad occasum vergente, fortè villā iniqui & incesti hominis offenderant, quam intrare volentes, sacrarum reliquiarū portatores diuinitus retenti, repentè subsistunt: sanctus enim Arnulphus, dum adhuc viueret, præfatum iniquum sæpè vt resipisceret, commonuit, nec tamen quicquam efficere potuit. Vbi quia nox imminebat, & nulla alia villa tantæ multitudini apta præstò erat, orante sancto Goërico, adfuit quidam diues, qui dixit: Est mihi præsidium in hac patria, vobis quidem non satis contiguum, sed noui ad cuncta necessaria præsentem Deum nostrum. Quod sanctus audiens, corpus sanctum illuc verti, omnesque sequi imperat. Cerneres tantam in eundo velocitatem, vt quod vnius diei integri spatio vix peragi credere posses, duabus vel [illegible] horis impletum mirateris. Sed & cum ad villam peruenissent, & ceruisiæ parum se habere homo, mi-

Transfert solēniter corpus eiusdē Sācti.

Nota insigne miraculum.

nistris

nistris conferentibus, comperisset, itidem fide repletus, sancti Goërici meritis & precibus hoc committit. Qui nota præsidia petens, Deum suorum necessitatibus subuenire supplex postulat. Nec mora: Tanta populi multitudo ex paruo liquore, quod vix credibile est, abundantissimè est satiata. Quieuit autem in pace vir Domini decimo tertio Calendas Octobris, ac tumulatus est in ecclesia Metensi.

Tandem obdormit in Domino.

VITA S. EVSTACHII MARTYRIS
ex Georg. Vicellio.

XX. SEPTEMBRIS.

SI VERA est historia Placidi Eustachij, habemus in eo reuocatum Cornelium Centurionem simul & Hiobum illum Vzitam. Nam is Cornelius alter erat cathecumenus adhuc, Hiobus verò Christianus iam existens. Verùm quòd ad cruenta bella Cæsaris impij, ab exilio ac tam grandi tentatione rediisse narratur, minus apud me fidei meretur. Vox euangelica eius est: *Ego Christum Deum colo, & illi soli sacrifico.* In laude quoque ponitur, quòd vxorem suam vnà cùm liberis, Christo adduxit. Vitam finiuit fortiter, in æneo tauro scilicet, in quo subiecto igni, viuus exustus est. Quod supplicij inuentum Perilli cuiusdam, primus Phalaris in artificem retorserat. Non minus exquisito pœnæ genere cruciatus fuit homo militaris Sebastianus. Talẽ verò Phalarismũ fuisse vel in Traiano vel in Hadriano IMperat. quis erat suspicaturus? Raphaël Volater. de S. Eustachio sic habet: Eustachius Romanus Martyr, qui inter aulicos fuerat Traiani principis, Placidus antea dictus, cum in venatione ceruum sectaretur, conspecto intercius cornua Crucis simulacro, & voce ferè eiusdem audita: Cur me persequeris, Domi vxori Thephytæ & filiis rem manifestauit, factique ex hoc Christiani ipse vnà cum vxore, sub Adriano in æneo tauro necatus est: cuius Romæ templum festumque colitur. Hactenus Rapha. Volater. Rectiùs autem dicitur Eustathiũs quàm Eustachius. Et procliuis lapsus est apud Latinos scribas literæ, θ in χ. Idem penè lapsus accidit in nomine Acacij, quem Achacium vocant, mutantes κ in χ. Est enim Græca vox ἄκακος Latinis, sonat Innocentem hominem, seu qui alienior sit à malitia.

Volaterrani verba de S. Eustachio.

DE

DE S. MATTHÆO APOSTOLO ET *Euangelista, ex Ordinario nouo.*

XXI. SEPTEMBRIS

MATTHAEVS qui Leui, & Apostolus & Euangelista, Capharnai, cùm ad telonium sederet, a Christo vocatus, statim eum secutus est: quem etiam cum reliquis discipulis hospitio accepit. Post Christi resurrectionem, antequam in prouinciam proficisceretur, quæ ei ad prædicandum obtigerat, primus in Iudæa, propter eos qui ex circuncisione crediderant, Euangelium Iesu Christi Hebraicè scripsit. Mox in Æthiopiam profectus, Euangelium prædicauit, ac predicationem multis miraculis confirmauit: atque adeò, illo in primis miraculo, quo Regis filiam à mortuis excitauit, Regem patrem & vxorem eius cum vniuersa prouincia ad Christi fidem conuertit. Sed ad extremum, Rege mortuo, Hirtacus eius successor, cum Iphigeniam regiam filiam vellet sibi dari in matrimonium, Matthæum, cuius opera illa virginitatem Deo vouerat, & in sancto proposito perseuerabat, ad Altare mysterium celebrantem iussit occidi: qui vndecimo Calendas Octobris munus Apostolicum martyrij gloria cumulauit. Cuius corpus Gregorio septimo summo Pontifice Salernum translatum, ibi magno hominum concursu ac pietate colitur, ad laudem Dei immortalis.

S. Matthæus vocatur à Christo sedens ad telonium.

Conuersa Æthiopia ad Christum, trucidatur ante altare.

DE S. MAVRITIO ET SOCIIS MAR *tyribus, ex Eucherio Lugdunensi.*

XXII. SEPTEMBRIS.

CVM Maximianus Imperator, ducto in Galliam exercitu, in finibus Sedunorum sacrificij causa cōstitisset, Thebæorum legio, ne se impiorum sacrorum societate contaminaret, à reliquis copiis discessit. Quare Imperator misit ad eos milites, qui suo nomine nunciarent vt si salui esse vellent, in castra ad sacrificia redirent. Qui se Christiana religione impediri responderunt. Quorum responsum ille indignissimè ferens, maiori iracundia quam antea exarsit. Itaq; immissa parte exercitus in Thebæos, decimum quemque eorum iussit occidi. Quo perfecto scelere, Mauritius primicerius conuocans reliquam legionem, grauiter vti persistant in sentētia, vniuersos hortatur. Quo factum est, vt hæc audiens tyrannus, & iussa

Integra Thebæorum legio subtrahit se impijs sacrificijs.

Trucidantur immanissimè

in saniēs, primò iterum decimum quemque iusserit trucidari, ac demum circunfuso exercitu ad vnum omnes. nimirum cùm hortante Exuperio campi ductore, signorumque monstratore, eos qui relicti fuerant, æquè videret à fide Christi nolle recedere. Passi sunt martyrium cōstantissimè Christum prædicantes, decimo Calend. Octobris.

VITA S. HEIMERAMMI EPISCOPI Ratisponensis, & Martyris, ex ea qua est per Cyrinum, eiusdem loci Episcopum.

XXII. SEPTEMBRIS.

S. Heimerammi natales & sacra studia.

ORTVS est puer Hiemeramnus in partibus Aquitaniæ, vrbe antiqua Pictauio. Qui cùm in ipsa iam puerili ætate cœpisset mundum despicere, adeò etiam ad sacrum liberalium literarum studium sese applicuit, vt, superno Iudice agente, ad summum tandem Episcopatus honorem peruenerit. Erat eleemosynis præstandis præcipuus, ieiuniis valde addictus, ad irriganda subditorum pectora solertissimus. Eius ex ore, donec pro more Psalterium omne deprompsisset, psalmodia perpetuò erumpebat. Confluebant autem ad eum regni Gallorum nobiles, ignobiles, locupletes, & inopes. Ad quem quidem cùm fama peruenisset, in quibusdam Europæ partibus Pannoniæ populum idolis inseruire, ea re seruus Dei valde contristatus cogitare cœpit, vt ad eam gentem proficisceretur. Iam relicta domo &, immensis facultatibus, nobilibusque parentibus, constitutoque alio in sede iam dictæ ciuitatis Episcopo, adiunctis sibi aliquot comitibus, transmisso amne Ligeri, per Gallias, spargendo fidei semina, carpebat iter, cùm tandem ad Rheni fluenta perueniens, in Germaniam est ingressus.

Pro zelo animarum, relicta patria, tendit ad Pannones.

CVIVS gentis cùm linguam nesciret, per interpretem, religiosum Presbyterum Vitalem, cū auditorum profectu, multa præclara illic verbi semina iactauit. Qua solicitudine iter agēs ad Austrum deinde se vertit, & ad Danubium Baioariósque perueniens, eius gentis metropolim vrbem Ratisponensem est ingressus, quam per id tempus Dux gentis vir alacer Theodo regebat. Cui cùm vir beatus animi sui arcanum aperuisset, dicens se constituisse ad robustam Auarorum gentem, in Pannoniam proficisci, ibique vel pro Christo mortem oppetere, vel illo protegente, in pace vitam tuere, Dux Theodo ait, non sibi

con

conuenire cum Auaris, idque eò, quòd iam tum inter Auaros siue Hunnos,& Bauaros orta esset discordia, rogare verò se vt tantus & talis Deo notus Antistes remaneret apud se,suamque gentem. Erat sanè regio illa egregia, verùm habitatores ipsi adhuc neophyti, quique per id tempus idololatriam necdum radicitus exstirpauerant. Quæ res etiam permouit sanctum Antistitem; adeò vt triennio per eius Principis vrbes, pagos, vicos,& fidelium domos cursitans,instantissima cura, in aliorum pectoribus spargeret fidei semina, ex aliis prudenti sermone exscinderet radicitus vitia.

Propter bellũ inter Hunnos & Bauaros manet in Bauaria.

ADVERSVM mites humilis erat, contra superbia tumidos præ se ferebat leonem: quicquid autem, exceptis corporis indumentis,à fidelibus ipsi esset oblatum, id totum cum gratiarum actione distribuebat pauperibus. In quibus cùm diu versaretur, iamque in omnes penè eius regionis latebras doctrinæ suæ lucem inuexisset, præuidens vir sanctissimus finem vitæ suæ,cœpit rogare, orationis studio Romam vt sibi petere liceret. Per id tempus filia Theodonis Ducis Ora vel Vta, libidine victa,è Sigibaldo, cuiusdam Iudicis filio, prolem conceperat. Quare & illi, cùm res iam diutius celari non posset, sanctissimi Heimerammi Episcopi, pedibus ambo aduoluuntur,implorantes eius opem. Atque ille quidem cùm acriter eos reprehendisset,nolens eis pietatis negare subsidia, indicta eis satisfactione, cùm nouisset se nullatenus veniam illis apud Ducem impetrare posse,adeò etiam secretò mandat, vt in ipsum illud crimen conferant.

Nouit agere cũ superbis & cum humilibus.

Concipit ex fornicatione filia Ducis Theodonis.

INTERIM ipse,vt constitutum erat, iter Romam versus ingredi parat, nonnullis è Clero comitatus, cùm tamen priùs de hac re religiosum quendam Presbyterũ Vvolfletum secretò monuisset, idque ne forte quis verè eum reum istius criminis existimaret. Iam triũ dierum iter vir sanctus confecerat, cùm minimè ignorans quid ipsi esset euenturum, discipulis eius mirãtibus, præ se fert quippiam à se exspectari. Iam & Ducis Theodonis filia in stupro apertè fuerat deprehensa, cùm ecce Lantbertus eius Germanus nimio furore percitus, adiunctis comitibus, post venerabilem Dei seruum in pagum Helffendorffum peruenit,ipso diei illius Tertiam hymnificante. Iubet eum ad se adduci: adductum, seculari fastu elatus, ex oblatæ rei occasione ita cõpellat: Salue Episcope affinis noster. Quo respondẽte, Deo teste, ex carnali commercio nullum se nosse hominem; deinde & suadente, vt per prudentem potiùs virum

Permittit ex charitate vir sanctus vt illud crimen in ipsum cõferatur.

Inuaditur: iniquè vt eius criminis reus.

eum Romæ accusaret, quàm vt ipse animæ suæ perniciem incurreret, inferendo ei cruciatus; contumax tyrannus, spoliatum chlamide & stola, in hospitij horreum per suos iubet abduci, ac deinde ad scalam funibus alligari, sociis interim sancti viri in latebras sese abdentibus.

TVM verò crudeles carnifices primò digitos eius articulatim præciderunt; deinde furentis Principis vrgente imperio, etiam oculos radicitus euulserunt, atque insuper nares amputarunt & aures. In iis verò cruciamentis sanctus Dei ne gemitum quidē vllum edebat, sed hilari vultu indesinenter Deo preces fundebat. Vnde etiam necdum tot pœnis exsatiati carnifices, pedes vtrosque cum palmis, quarum iam digitos absciderant, detruncarunt, atque ipsa etiam verenda impudenter abstraxerunt. Interim tamen pergebat adhuc sanctus Martyr, licet exili iā voce, in laudibus Dei & Psalmis Dauidicis. Quod cernentes carnifices, ipsiusque adhuc linguæ ministerio inuidentes, illam quoque ferro in os iniecto, præsciderunt. Tandem itaque sancta illa anima è corpore egressa est, & simul cunctis qui aderant, quasi lux immensa ex ore eius procedere visa est, & cælos penetrare instar fulminis.

Sustinet horrenda supplicia.

Tandem migrat ad Christum.

POST quod cùm sanctum corpus eius ad ecclesiam beati Petri in pagū publicum Aschaim perduxissent, tantæ per quadraginta dies sine cessatione exstitêre tempestates, vt nisi tāti viri & Martyris corpus in vrbē Ratisponensem esset allatum, aquarum inundationes regioni illi excidium minari viderentur. Est ergo quibusdā fidelibus diuinitus reuelatum, vt corpus Sancti pro ipsorum adiutorio in vrbem eam importarent. Quo facto, non sine maximo miraculo, cereis quoq; & lampadibus inter tot ventorum flatus per tam longinquum iter nequaquā exstinctis, tanta mox rediit cæli serenitas, vt nullæ vsquam nubes apparerent. Sanè si ea quæ per memetipsum didici huius viri miracula, aut quæ fidelium narratione cognoui, quibus adhuc quotidie apud corpus eius tot insignes declarantur virtutes, explicare velim, stylus scribenti non sufficiet. Supplicamus verò Deo pro reuerentia Martyris, misero vt subueniat Cyrino, pro misericordia sua magna.

Declarat Dominus quam pretiosa fuerit eius mors.

DE SS. COSMA ET DAMIANO MARtyribus, ex Ordinatio nouo.

XXVII.

XXVII. SEPTEMBRIS.

COSMAS & Damianus fratres Arabes, in Ægea vrbe nati, nobiles medici, Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, non magis medicinæ scientia quàm Christi virtute morbis etiam insanabilibus medebantur. Quorum religionem cùm Lysias Præfectus cognouisset, adduci eos ad se iubet, ac de viuendi instituto, & de fidei professione interrogatos, cùm se & Christianos esse, & Christianam fidem esse ad salutē necessariam, liberè prædicarent, deos venerari imperat, & si id recusent, minatur cruciatus & necem acerbissimam. Verùm vt se frustra hæc illis proponere intelligit: Colligate, inquit, manus & pedes istorum, eosque exquisitis torquete suppliciis. Quibus iussa exsequentibus, nihilominùs Cosmas & Damianus in sententia persistebant. Quare vt erant vincti, in profundum mare iaciuntur. Vnde cùm salui ac soluti essent egressi, magicis artibus Præfectus factum assignans, in carcerem eos tradit: ac postridie eductos, in ardentem rogum inijci iubet. Vbi cùm ab ipsis flamma refugeret, variè & crudeliter tortos, securi percuti voluit, ac sic in Iesu Christi confessione Martyrij palmam acceperunt.

SS. Cosmas & Damianus duo præclari medici.

Pro cōfessione fidei proyciūtur in mare.

Ad extremū plectūtur capite.

VITA S. ELZEARII COMITIS, *de Tertia Regula sancti Francisci, ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium.*

XXVII. SEPTEMBRIS.

ELZEARVS Comes Ariani è Narbonensi Gallia siue Prouincia oriundus, patrem habuit Hermongaum, à Sabiano, virum multarum terrarum dominio famosum; matrem verò Laudunam Albanam vel Albæ. Hic infans cùm necdum triennij ætatem complesset, atque baiularum adhuc brachiis portaretur, in Castri Ausoisij porta, si quando pauperes intueretur, nullo pacto progredi volebat, immò verò etiam nisi illis præstita esset eleemosyna, sine intermissione acerbè plorabat. Sic ille adhuc infans benignus erat erga pauperes. Nutritus verò est postea sub cura domini VVilhelmi de Sabrono, patrui sui, Abbatis Massiliensis: vbi proficiens ætate & sapientia, cùm iam decennis esset, mandato Caroli secundi Hierusalem & Siciliæ Regis, eo ipso præsente, sponsam accepit puellam annorum duodecim diuino amore egregiè accensam virginem Dalphinam. Quæ cùm post tres

S. Elzearij clarissimi natales & sancta infantia.

Mandato regis Siciliæ ducit vxorem venerabilem Dalphinam.

annos in Castrum Ausoisij ad ipsum esset adducta, cum ipso habitatura, aperto ei pectoris sui arcano de virginitate conseruanda, etsi nondum statim efficeret vt constitueret ille virgo permanere, at id tamen obtinuit, vt ipse eam non attingeret. Et quidem eo anno tota Quadragesima Ecclesiæ ieiunia felix iste sponsus diligenter seruabat, quin & nodosa chordula fortiter stringebat nudum corpus, adeò vt è saucia carne sanguinem etiam exprimeret.

Mirabiliter intus a Domino visitatur.

ANNVS iam erat ætatis eius decimus quintus, cùm in loco quem de Saltu vocant, ipsis feriis Assumptionis Deiparæ, vbi piè tum sumpserat sacrosanctam Eucharistiam, à prandio vehementer inflammatus, tamquam febri correptus, in cubiculum quoddam deducitur. Sed erant profectò flammæ aliæ, ipsius scilicet Spiritus sancti. Mox enim eius iam humi prostrati animus totus colliquescit, atque in Deum transformatur. Volebat quidem quasi iam petere solitudinem, sed statim audiuit tamquam cuiusdam ipsi loquentis vocem, ne statum suum vllo modo desereret. Interim post admirabilem illum raptum, diuinamque visitationem adeò fuit in animo diuino munere consecratus, vt ab eo tempore nullam sentiret appetentiam rerum temporalium. Valde etiam confirmatum se sensit ad tuendam mentis & corporis integritatem, absque tamen vlla voti nuncupatione: &, quod mirandum in illo potiùs est quàm imitandum, quandocumque cum sua sponsa cubabat, quanto ei erat propinquior, tanto virginitati suæ metuebat minùs: prolixè enim semper noctibus antequàm dormitum iret, orare solebat. Sed & alterum etiam admirabilem excessum habuit annos natus septemdecim apud filios Regis Caroli, cùm manè scilicet ad fenestram repertus, tertiò vocatus, vixque tandem experrectus, totam vestem suam ante pectus comperit lacrymis madefactam. Quin & admirabiles etiam fuerunt de eo visiones celeberrimæ illius temporis Dominæ Gersendæ, Alphanti, aliorumque aliquot similium eiusdem seculi sanctorum hominum.

Nota: quædã in Sanctis sunt miranda & nõ imitanda.

Patitur quidam eximiũ mentis excessum.

Vt meliùs vacet Deo, migrat ad castra Podij Michaelis.

AT verò interea, cùm iam vigesimum ætatis annum ageret sanctus hic Elzearius, nec animus eius in castro Ausoisij optata posset tranquillitate potiri, propter superuacaneam curam aui eius ac familiæ, qua illum cupiebant educare in iis quæ sunt mundi huius; post multam precum instantiam, copiam obtinuit migrandi in castrum Podij Michaëlis, quod erat virginis Dalphinæ ex paterna hæreditate. Vbi sanè nouus

uus paterfamilias nouo quodam modo cœpit suæ familiæ præsidere. Primò constituit, vt omnes è sua domo tam mares quàm feminæ, quotidie vt minimum Missam vnam integrè audirent. Secundò, vt nobiles & milites, itemque virgines & matronæ qualibet hebdomada semel confiteantur peccata sua, & singulis mensibus deuotè percipiant Eucharistiæ Sacramentum. Tertiò, vt eædem virgines & matronæ manè vsque ad prandium precibus & piis exercitiis vacent, à prandio occupent se operibus manuariis. Quartò, vt nemo vitiosè aut leuiter iuret, nec etiam proferat verba inhonesta. Cuius constitutionis violatores hâc ratione puniri voluit, vt vel toto prandio coram aliis sederent in terra, solo pane & aqua contēnti; vel toto die manerent in cubiculo inclusi. Ac postremò, vt quotidie à prandio vel alia hora vespertina, nisi legitimum impedimentum incideret, fiat aliqua inter illos, ipso præsente, collatio de verbis Domini pro informatione animarum. Dixisset profectò, dempto habitu, monasterium ibi esse bene institutum, potiùs quàm aulam Comitis.

En sanctissimam disciplinā familiarē.

Domus eius petius monasteriū, quàm aula Comitis.

QVAMOBREM etiam Alasta virgo Deo sacrata, soror Dalphinæ, sæpius affirmabat multo se religiosiùs apud illos degere quàm in suo monasterio: nec immeritò sanè, quippe quæ etiam semel carnis grauem tentationem passa, ad sanctissimorum illorum coniugum lectum orans, per eorum castitatem, omnem subitò tentationem in se sensit exstinctam. At verò nihil in his sibi placebat vir sanctus. Sciens enim duplicis esse meriti, viam veritatis aliis indicare, eamque constanter ingredi, eas ipsas leges quoad vixit semper obseruauit, & à suis obseruari voluit. Quotidie verò etiam preces Canonicas pro Romanæ Ecclesiæ ritu & consuetudine persoluit; idque tam piè & attentè, vt audientes non mediocriter ad pietatem incitarentur. Nec contentus erat ieiuniis quoque ab Ecclesia institutis, sed insuper sua sponte sextis feriis, totoque Dominici Aduentus tempore, & multis aliis diebus, qui festos dies proximè antecedunt, ieiunauit. Cilicium ad nudum corpus habuit sub vestibus pretiosis, & in eo etiam sæpè dormiuit. Ab ea quoque diuina visitatione quæ ei obtigit in loco qui de Saltu dicitur, cùm sanus esset, numquam nudus cubare voluit.

Quotidie legit deuotissimè Horas Canonicas.

Gerit ciliciū sub vestibus pretiosis.

SAEPE catenulis ferreis se flagellauit, ad quemlibet versum Psalmi quinquagesimi ter dorsum fortiter verberans. Omnibus autem diebus Dominicis, Quadragesimæ, & Aduentus,

itémque permultis Sanctorum feriis, præsertim virginũ, piissimè sumebat sacrosanctam Eucharistiam. Sed &, sicut ab ipsa natura fuit liberalis, ita etiã ex dono gratiæ perhumanus erat erga Christi pauperes & leprosos. Quotidie enim habuit duodecim pauperes & leprosos, quorũ ipse lauabat pedes, & ora osculabatur, quibúsque cibo ac potu refectis, largas præstabat eleemosynas. Abiit quandoque in comitatu suo venatũ cum multis è sua familia; quos omnes iussit antecedere, ipse verò vno apud se milite cũ consore retento, ad quoddã leprosorum diuertit domicilium, vbi sex horrida percussos lepra reperit, ex quibus plerique vsque adeò deformes erant, vt sine horrore adspici non possent. Videbãtur exesa & absumpta labia, ita vt dentes paterent, atque etiam exciderẽt. Quos vt vidit sanctus iuuenis, humanissimè salutauit, & salutares eis adhortationes proposuit; inde omnes singulatim peramanter osculatus est: & ecce repẽtè curantur omnes, & tota illa domus odore suauissimo completur: ille verò, præstita eis eleemosyna recedit. Sed noluit Deus serui sui gloriam hic consistere. Abeunte enim eo, igneus quidam & luculentus radius ab eius capite, cunctis cernentibus, emersit, qui semper cum recedente longiùs tendebatur: quod tamen ne quisquam reuelaret donec ipse in viuis esset, seueriter omnibus interdixit.

Quotidie lauat duodecim pauperibus pedes, eosdemque pascit.

Multi leprosi sanantur sancto ipsius osculo.

LONGVM est recensere singulatim quomodo bis disperso in pauperes suo horreo, bis diuinitus ei rursum fuerit frumentum suppeditatum; vel quo pacto etiam apud Arelatem Constantiam puellam septennem iam moribundam, manus suæ impositione matri viuam exhibuerit. Mirum verò illud, & simul * venerandum, quanta longanimitate Ariani oppidum triennio sibi rebellans patre defuncto, absque vlla vindicta sustinuerit, etiamsi sæpè Princeps Tarentinus suam illi offerret operam. Qua patientia id obtinuit, vt postea ab omnibus illis honoraretur vt dominus, amaretur vt pater; maximè quòd id haberet peculiariter, vt si qui illi fuissent iniuriosi, eos postea amaret etiam ampliùs. Cùm à Roberto Rege, cui in primis charus erat, fratre S. Lodouici Episcopi, Neapoli equestri dignitate esset ornatus, aliis circa mundana occupatis, ipse acriùs etiam cœpit vrgeri, vt cum Dalphina sua veniret ad ipsum virginitatis votum: quod & non multo post, à Roberto Rege difficulter impetrata venia, in castro Ausoisij in Gallia Narbonensi, præsente supra dicta Garsenda, ab vtroque, tum etiam ab Iuordo equite, Garsendæ filio feliciter

Largitur pauperibus, & nõ deficit.

Emittit cum sua Dalphina votum virginitatis.

citer est perfectum, quod tamen voluerunt ne cuiquam hominum aperiretur. Biennio verò in Prouincia seu Gallia Narbonensi exacto, Elzearius Neapolim rediit, vti iusserat Robertus Rex, atque illic institutus est Præceptor Caroli, qui fuit eius Regis primogenitus, & Calabrię Dux: quem cùm videret moribus leuiculum, ea efficacia mox instruxit, vt confestim mutatus videretur in virum alium. *Eligitur præceptor Caroli filij Regis Siciliæ.*

Erat per id tempus penes illum Ducem administratio regni totius, patre eius Roberto Rege in Prouincia agente. In cuius aula cùm sentiret S. Elzearius negligi causas pauperum petiit à Duce eorum se patronum institui: quod susceptum cōmiserationis munus tam egregiè est exsecutus, vt cùm ei aliquando lotis manibus ad mensam accedenti pauper quidam domum intrans, importunè se ingessisset, sciscitans quid de ipsius supplici libello fecisset, ille statim benignè responderit: Sustine parumper, & egò, priusquam cibum capiam, rem tuam expediam. Surgénsque à mensa iuit ad curiam: reuerténsque, pauperi satisfecit. Tandem autem Rex Robertus sanctum Comitem ablegauit in Gallias, vt illinc vxorem acciperet suo filio iam dicto Carolo. In quo negotio dum versatur, ecce Parisiis graui morbo decumbit, ac sic deinde feliciter moritur anno salutis 1323. quinto Cal. Octobris, suæ verò ætatis 28. cuius corpus in habitu Franciscano apud Minoritas Parisienses primò sepultum, eodem anno translatum est Aptam, æquè in ædem Franciscanorum, vti ipse viuens iusserat, vbi magnis & quidem crebris coruscat miraculis. Siquidem per eius inuocationem & merita excitati sunt mortui, illuminati sunt cæci; permultique alij morbidi homines miris modis sunt restituti, præstante Iesu Christo. *Agit prōptissimum Aduocatum pauperum.* *Transit ad Christum. & multis post obitum claret miraculis.*

VITA S. LIOBÆ ABBATISSÆ,

ex ea quæ scripta est iussu Rabani Abbatis.

XXVIII. SEPTEMBRIS.

Qvo tempore in Britannia insula in loco VVinbrunno dicto, celebri illi feminarum monasterio præesset venerabilis Abbatissa Tetta Regis soror, fuit ibi etiam tantæ matris spiritualis filia Lioba, de cuius gestis breuiter narrare statuimus. Fuerant eius parentes diu steriles, pater Dino, mater Ebba, ambo nobiles, ambo pij. Sed vidit tandem mater per somnium se quasi signum ecclesiæ, quod vulgo * Klockum

vocant, in sinu suo habere, idq; immissa manu tinniens extrahere. De quo cùm à nutrice sua vetula intellexisset filiam portendere, sed quam Deo voueret, ipsa vouens & concepit filiã, & tandem etiam genuit, quam vocauit Truthgebam, cognomento Liebam vel Liobam, eo quòd esset dilecta. Et mater quidem illam adultam, statim supradictæ Tettæ tradidit, ipsa verò tota deinde semper erat in cælestis disciplinę studiis, singulas singularum sororum gratias & virtutes diligenter captans, atque adeò quidem, vt succedente tempore magnifica etiam eam visione Dominus dignaretur de doctrina sapientiæ eius longè latéque per eam propaganda, sub specie fili purpurei ex eius opere procedentis.

Educatur in mon. sierio sub venerabili Tetta.

LABORABAT hoc tempore in Germaniæ populis sanctus martyr Bonifacius. Qui cùm inter cætera spiritualis industriæ suæ opera Monasterium virginum constituere meditaretur, vt egregiam illi aliquam Matrem pręficeret, ecce mittit in patriam cum epistolis legatos ad supradictam Abbatissam Tettam, deprecans pro hac Lioba, quippe quam fama sanctitatis & doctrinæ commendarat. Et quidem eius abscessum molestè hæc spiritalis Mater ferebat, attamen vt eius visio supradicta comprobaretur, eam beato viro cum honore direxit. Quam cùm ille summa cum veneratione accepisset, statuit ei monasterium in loco qui vocatur Bischoffsheim, vbi non paruus ancillarum Dei numerus collectus est, quæ ad exemplũ beatæ magistræ, cælestis disciplinæ studiis instituebantur, & in tantum doctrina eius proficiebant, vt nulla aut rara in illis regionibus essent monasteria feminarum, quæ non discipularũ eius magisteria desideraret. Erat enim femina magnarum virtutum, adspectu Angelica, consilio magna, charitate diffusa, quæ lætam semper faciem præferret, numquam tamen hilaritate nimia solueretur in risum. Maledictionem ex eius ore nullus vmquam audiuit. Cibi & potus vsum cùm aliis summa humanitate exhiberet, ipsa tamen ita sumpsit, vt caliculus eius vnde bibere solebat, pro quantitate sui etiam à Sororibus vocaretur, Dilectæ paruus. Sed & mirum quanta diligentia lectionis studio incumbebat.

Euocata à S. Bonifacio venit an Germaniam.

Præficitur monialibus in Bischoffs. scheffs.heim.

Aijs libera lis sibi (?) parcas.

AB ipsis infantiæ rudimentis, Grammatica & reliquis liberalium artium studiis instituta, veteris ac noui Testamẽti codices sagaci semper mente perlustrabat, diuina præcepta memoriæ commendans. Quin & adiecit insuper plenitudini perfectionis dicta sanctorum Patrum, Decreta Canonum, totiúsque

Fulget præclara eruditione.

que Ecclesiastici Ordinis iura, omnium magistra, omnium se semper vltimam & corde credens, & habitu demonstrās. Hospitalitatem verò tenuit obseruatione peculiari, omnibus sine exceptione conuiuium ieiuna exhibens, pedésque suis manibus lauans. Sed non fert hæc omnis boni inimicus diabolus. Primò discipulas sanctę virginis incessabiliter sordidis cogitationibus impugnat. Quos suos conatus cùm orationibus atque ieiuniis frangi videt, conuertit se insidiator ad alia, vt bonam saltem earum famam corrumperet. Incitat pauperculam quandam in fornicatione deprehensam, infantulum suum vt in stagnum fluminis, quod per medium loci eius influēbat, iniiceret. Sed vide quid faciat casta illa congregatio. Rogant omnes instanter omnipotentem Deum, talem vt ab eis infamiam remoueat: extensis in crucis modum brachiis stant singulæ, Psalterium totum ex ordine complentes, vexillo Crucis elato, cum Litaniis monasterium circumeunt, cuncto interim populo pro tanto facinore congregato.

Conatur diabolus eius monasterio innurere notam cuiusdam magna infamiæ.

NON tulit autem diutiùs Deus ancillarum suarum iniuriam. Etenim accurrit non multo pòst miserrima illa paupercula, antiqui hostis captiua & ministra dæmonio repleta, & quasi flammis circumdata. Nomen inuocat Abbatissę, crimén-que, quod commiserat, confitetur. Tum verò in cœlum clamore sublato, plebs omnis obstupuit miraculo, ancillæ Dei fleuēre præ gaudio, & in commune ab omnibus vno ore meritum Liobæ virginis prædicatur. Multa fecit & alia miracula per eā Deus, vt de exstincto per eam semel incendio, atque item sanata ab hemorrhoide VVillesuinde sanctimoniali, sed ad finē properamus. Multi iam nobiles & potentes viri filias suas Deo in monasterio sub perpetua virginitate seruituras tradebant, multæ etiam matronæ suscepto sacro velamine, monasticam eligebant vitam: quibus omnibus virgo sancta ad summa virtutum veniendi, & verbo viam præbuit & exemplo. Interea autem consummat optato martyrio in Frisia suos labores dictus vir Dei, beatus Archiepiscopus Bonifacius, beata virgine Lioba nihilominus immobili semper in opere Dei permanente. Erat enim omnibus qui eam nouerant, & ipsis quoque Regibus honorabilis, Pipino dico Regi Francorum, & præcipuè eius filio Carolo, qui eam ad se frequenter inuitatam, dignis etiam muneribus honorabat.

Patefacit ipsius, sororumque eius innocentia.

Claret miraculis.

SED & Regina Hildegardis puro eam venerabatur affectu, voluissétque vt assiduè secum maneret. Sed illa vt veneni po-

culum, ita palatinum detestabatur tumultum. Amabant eam Principes, suscipiebant Proceres, Episcopi cum exsultatione venerabantur. Et quia erat in scripturis exercitatissima, atque in consilio prouida, verbum vitæ cum ea conferebant, & instituta Ecclesiastica sæpè tractabant. Illa tamen omnem solicitudinē magis erga id quod cœperat exercebat, & monasteria puellarum quasi ductrix spiritalium tyronum visitans, certantibus studiis æmulantes, ad perfectionis gloriam prouocabat; quousque scilicet tandem senio prouecta, ordinatis omnibus, quæ sub cura sua habuit monasteriis, cum consilio Lulli Episcopi, beati Bonifacij successoris, venit in locum qui vocatur Schonersheim, quatuor millibus à ciuitate Moguntia ad Aphricum distantem: vbi & cum famulabus Dei secum commorantibus mansitauit, ieiuniis & orationibus Deo seruiens nocte & die. Obiit verò virgo beata mēse Septembri quarto Cal. Octobris: cuius corpus Fuldenses monachi susceptum, cum prosecutionē nobilium personarum venerabiliter ad monasterium suum transtulerunt, sicut iam olim S. Martyr Bonifacius iusserat: vbi sepulcro condita, miraculis viuit & gloria.

Multis ordinatis monasteriis, tandē resides in Schonersheim.

Migrat ad Christum.

VITA S. VVENCESLAI DVCIS BOHEMIÆ & Martyris, ex Ioanne Dubrauio, Episcopo Olomucensi.

Hist. Bohemicæ. l. 4. & 5.

XXVIII. SEPTEMBRIS.

SANCTVS VVenceslaus Bohemiæ Dux, patre Christianissimo, simul ac religiosissimo Vratislao, matre verò Drahomira. Lucensi, è contra à Christiana religione alienissima, progenitus fuit. Qua de causa etiam Ludmilla, Vratislai Ducis mater, specie tolerandæ suæ viduitatis, eum sibi adoptauit, præceptorem ei adiungens Paulum, virum opinione sanctitatis celebrem, idque vt nepos ante omnia disceret religionem Christianam. Atque interea quidem marito funerato Drahomira, regimen inuadit, simulque statim odium in Christianos diu dissimulatum detegit: nec non & Pragæ magistratus sunt imminutati, & pro Christianis idololatræ crudelissimi substituti: quorum instinctu clàm palámque, ac semper impunè fidei cultores indignè tractabantur, occidebanturque. Sed secundùm tam impia támque immania matris facinora, VVenceslaus, qui hactenus, ne in principatum succederet, ætatis excusatione vtebatur, auiæ maximè hortatu, magno omnium

S. VVenceslai natales, & quomodo institutus sit apud piissimā suam auiam.

Deturbata impia matre suscipit regimen paternum.

nium assensu, regimen in Bohemos suscepit. Boleslao fratri iuniori assignata est Boleslauia, cum territorio suo vltra Albim, quem & mater Drahomira moribus suis congruentem secuta est.

Et quidem VVenceslaus Principis thronum Pragæ obtinuit, attamen ab omni ambitione inuictus, demissiùs penè Princeps quàm priuatus agebat, aliquantóque etiam diligentiùs tunc obseruabat, ne quid de instituto prioris vitæ apud auiam trāsactæ intermitteret. Nā & noctibus intentiùs quàm prius ad psallendos Psalmos, laudésque Deo dicendas vtebatur, & dies per plura pietatis officia transigebat, crebriùs in funus prodeundo, languentes inuisendo, laceros, nudósque vestiendo, pauperes alimentis sustentando. Instituerat autem præterea sibi inediæ ac vigiliæ quoddam quasi cum auia certamen, experiri satagens, ipse, an illa sæpiùs ieiunaret, peruigilarétque. Atque interim Drahomira dirumpi præ inuidia, secumque nefaria aduersus socrum cœpit meditari, donec tandem submissi ab ea Thomas & Gumo, non tam genere quàm scelere nobiles, in sacrarium irrumpunt, ac velo quo sancta vidua caput velatum habuit, elisis faucibus prostratam suffocant. Non defuêre qui VVenceslaum, ex cæde auiæ vehementer perturbatum, ad vlciscendum inflāmarent, quos ille quam potuit grauissimis verbis corripuit, quòd aliena à Christiana tolerantia suaderent. Sed & alios, quoq; præter ipsam matrem molestos infestósque sibi habuit, quasi scilicet parum idoneos ad exsequenda Principis munia esset, quæ exsequi non per sacra & ceremonias, sed magis per arma & acies oporteret.

En qui possit prima institutio.

Totus est in operibus pietatis & misericordiæ.

Necatur ab impiis pijssima fœmina auia.

Ante alios autem Radislaus Gurimensis Princeps agros eius incursare cœpit, nec vllos Legatos de pace agētes audire voluit. Quare & coactus à suis VVenceslaus militem atque aciem contra Radislaum instruit, vbi videns omnino iam sibi dimicandum esse, classicum tamen cani vetat priusquam ipse Radislaum alloquatur. Data alloquendi potestate, Si aliter, inquit, nisi prœlio res pacificari nequit, quin potiùs sine magna aliorum clade ipsi inter nos singulari certamine decernamus. Et quidem loriculam super cilicinam vestem indutus, paruóque ensiculo succinctus erat VVenceslaus cùm in arenam prodiret, Radislao è contrà cataphracto hastatóque cum longa insuper machæra se inferente, cùm ecce erecta stat vtrimque acies, velut ad nouæ rei spectaculum. Sed non in fortitudine complacuit Domino. Vbi enim sub ictum ventum esset,

T[illegible]rdissime [illegible]ipit vestem.

Nota de veste c[illegible]cina.

Pugnãte pro se Angelo Dei fit victor.

esset, iamque alter signo Crucis frontem pingeret, alter hastam vibrare festinaret, idem subitò Angelos videt, atque hanc vocem velut ab homine promptam ponè se exaudit: Ne feri. Vnde nemine conspecto qui illam prompserat, vim numinis veritus, mox humi procumbit, veniam audaciæ exposcens: sicque eum mox VVenceslaus è terra alleuat. Quæ in Germaniam celeriter nunciata aulam Cæsaris magna admiratione adfecerunt. Sed audi & aliud.

Vocatur cum aliis ad Comitia VVormatiam.

OTTHO tunc regnabat, qui Germanorum primus coronam Cæsariam legitimè sibi traditam in Germaniam intulit. Is Ottho aliquando diem deliberandi causa ad conueniẽdum Principibus Vvormatiã edixerat: quò vbi Vvenceslaus quoq; euocatus fuisset, postridie dum solenne Sacrificium cunctantiùs Sacerdos facit, venit ipse quoque cunctantius ad curiam. Quam moram quasi ex ambitione natã, Principes adeò ægrè tulerunt, vt cõspirarint, ne quis ipsorum venienti assurgeret, aut suprà se locum considendi daret, persuasumque simul est Cæsari. Sed Cæsar ex conspectu duorum Angelorum, qui VVenceslaum deducebant, mox obstupefactus throno exsilit, aduersumque vadit, ipsumque VVenceslaum non tantum adorat, sed & assidere sibi proximum iubet, cæteris causam facti vehementer admirantibus: quod cùm ipsis aperuisset, vniuersi simul errati veniam sunt deprecati. Nec his tamen fuit contentus Cæsar, sed tam liberalem insuper hospiti suo honorem habuit, vt potestatem ei petendi concederet, quicquid sibi petendum à Cæsare putaret. Existimabat autem Cęsar gloriosa eum petiturum. At is dari sibi postulauit brachium diui Viti ex Gallia sub Ludouico Pio Corbeiam in Saxoniam trãslati, mannaque religione in Bohemia culti, deinde & Sigismundi quoque Burgundiæ Regis reliquias, puopterea quod VVandalicæ nationis fuerit.

Conspicitur à Cæsare vir sanctus deduci à duobus Angelis.

ET ille quidem petebat ista: at Cæsar & hæc libenter, & multa etiam concessit alia, Regem eum salutans, deinde & à tributo absoluens, postremò & donans eũ insigniis Cæsareis, fusca scilicet aquila in clypeo candido. Quæ posteriora minoris VVenceslaus faciens, allatis Pragam reliquiis, applicare statim architectum manus imperat ad ædem Diuo Vito designandam construendamque, festinans ad noui templi dedicationem. Furit autem interea magis ac magis Drahomira, maximè cùm & quotidie audiret tanti esse VVenceslaum in sacerdotes obsequij, vt ipse suis manibus vinum inter sacra, libaque

Ipse suis manibus seruit Sacerdotibus sacrificantib.

libaque & thura illis subministraret, vt itidē illos domi quemque suæ inuiseret, necessariisque rebus ante tempus succureret, vt denique noctu plerumque vel in ipsa hyeme nudis incederet pedibus ad templa, in quibus Peruigilia celebrabant Sacerdotes. Paulisper tamen inter hæc suam rabiem Drahomira remisisse videbatur, postquam certior facta erat, VVenceslaum, tædio vitæ aulicæ & curarum publicarum, circumspicere locum sepositum, in quem cū sodalibus D. Benedicti ipse quoque sodalis futurus diuerteret. Nam & Romam ad Pontificem suos iam eum misisse audierat. Sed dum Romanus Pontifex Legatos diutiùs propter domesticas seditiones retinet, dumque interim VVenceslaus de cōsuetudine sua nihil quidquam intermittit, non sustinens vlteriorem dilationem impatientissima mulier, conceptum iam pridem de tollendo VVenceslao parricidium exsequi properat.

Molitur ipsi mortem impijssima mater.

NATALIS tunc dies infantuli, recèns ex Boleslao editi, se obtulerat. Hoc igitur modo inuitatus VVenceslaus, Boleslauiam petit, prius interim se apud Sacerdotem expians, ac deinde etiam sacrosanctum delibans panem, extremum salutis viaticum. Sed neque Boleslaus procrastinat fratri ire obuiam composita adulatione. Conuiuio deinde mater adhibita. At VVenceslaus, quamquam intelligeret quò tenderēt blanditię, & quamobrem produceretur conuiuium, non tamen omisit, quin de media nocte surgens iret ad templum, vt orationes solitas Deo optimo commemoraret. Qua in re occupatum, ecceinuadit Boleslaus frater à matre ad scelus vigilantiore excitatus, atque haud difficulter inermem fratrem, patienterque plagam excipientem, trucidat & interficit, nescius adesse Deum bonis omni tempore. Eadem quippe nocte Rex Daniæ (vide quanto interuallo à Bohemia semotus) per quietem se admonitum oraculo testatus est, Martyris VVenceslai in Bohemia à fratre obtruncati memoriam, vt sibi colendam susciperet. Quod quomodo ab ipso sit factum, ceremoniæ, sacerdotes, templumque ibidem Diuo VVenceslao dedicatum manifestè declarant: vt alia infinita miracula data opera transeamus, velut de ipsa Drahomira terræ hiatu absorpta, aliaque talia, partim quia nota & illustria, partim quia decantata à nostratibus diebus penè omnibus habentur.

Orātem trucidat ipse suus proprius frater.

Consecrat ipsi templum Rex Daniæ.

DE FESTIVITATE S. MICHAELIS, *Archangeli, & reliquorum Angelorum, ex Ordinario nouo*

XXIX.

XXIX. SEPTEMBRIS.

Breuiarum 8. Maij.

BEATVM Michaëlem Archangelum sæpiùs hominibus apparuisse, & sacrorum librorum auctoritate, & veteri Sanctorum traditione comprobatur. Quamobrem multis in locis facti memoria celebratur. Eum vt olim Synagoga Iudæorum, sic nunc custodem & patronum Dei veneratur Ecclesia. Gelasio autem primo Pontifice Maximo in Apulia ad radices Gargani montis, quem locum incolunt Sipontini, Archangeli Michaëlis vel maximè illustris fuit apparitio. Factū est enim, vt ex gregibus armentorum Gargani cuiusdam taurus longè discederet, quem diu conquisitum in aditu speluncæ hærentem inuenerunt. Vbi cùm quidam ex illis, vt taurum configeret, sagittam emisisset, retorta sagitta in ipsum recidit sagittarium. Quæ res cùm præsentes ac deinceps cæteros tanto timore affecisset, vt ad eam speluncam propiùs accedere nemo auderet, Sipontini Episcopum consulunt: qui indicto trium dierum ieiunio & oratione, rem à Deo respondit quæri oportere. Post triduum itaque Michaël Archangelus Episcopum monet, in sua tutela esse eum locum, eoque indicio demonstrasse, velle ibi cultum Deo in sui & Angelorum memoriam adhiberi. Quare Episcopus vnà cum ciuibus ad eam speluncam ire pergit. Quam cùm in templi cuiusdam similitudinem conformatam vidissent, locum illum diuinis Officijs celebrare cœperunt, qui multis postea miraculis illustratus est. Nec ita multo pòst Bonifacius Papa Romæ in summo Circo sancti Michaëlis Ecclesiam dedicauit tertio Calendas Octobris: quo die simul omnium Angelorum memoria celebratur.

S. Michael specialiter Patronus Ecclesiæ.

En quomodo aliquid peti debet à Deo.

Locus in Italia ipsius nomine celeberrimus.

QVORV̄M Ordines planè nouem esse, testāte sacro eloquio, scimus; Angelos Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos. Namque Angelos & Archangelos penè omnes sacri eloquij paginæ testantur: Cherubim vero atque Seraphim sæpè, vt notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios enumerat, dicens: supra omnem Principatum & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem. Qui rursus ad Colossenses scribens, ait: Siue Throni, siue Dominationes, &c. Sed & hoc quoque sciendum est, quòd magna est dignitas animarum, ita vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Vnde & legimus in Apocalypsi; Angelo Ephesi, &c.

D. Gregorius Homil. 34. Nouem sunt chori Angelorum.

D. Hieron. ad [illegible] Matth. 18 Quis Angelorum [illegible]

Et Apo

Et Apostolus quoque præcipit velari capita in ecclesijs feminarum propter Angelos.

VITA S. HIERONYMI DOCTORIS
Ecclesiæ, ex ea quæ est per Marianum Victorium.

XXX. SEPTEMBRIS.

HIERONYMVS (quod idem est, ac si nomen sacrum dicas) natus est oppido Stridonis, confinio Dalmatiæ, Pannoniæque. Natus est autem parentibus honestis, iisque Christianis: à quibus Romam, veluti ad primam tum religione tum doctrina vrbem, puer missus est. Et hîc quidem præceptore vsus Donato, in seculari literatura magnos statim fecit progressus, cùm interim miser naufragium patitur suæ virginitatis: sed hoc tamen ante secundam sui per baptismum ibi susceptum natiuitatem. Post quam ita cum literis Christianam iunxit pietatem, vt diebus Dominicis semper iam tunc sepulchra Apostolorum & Martyrum deuotissimè circuiret. Didicit autem Romæ non solum Latinas, ac Græcas pariter literas, sed nullum doctrinæ secularis genus reliquit intactum. Quibus omnibus cùm ad plenum esset eruditus, ad Theologiam & grauiora studia adijciens animum, instar eorum Philosophorum qui discendi gratia varias regiones lustrarunt, Gallias primum, comite Bonoso, contendit, idque vt ex omnibus doctis viris, quibus tunc Gallia abundabat, cunctisque bibliothecis thesaurum sibi scientiæ compararet. Ita scilicet S. Hilarij librum De Synodis propria se manu Treueris descripsisse testatur, ita totius Galliæ optimè callet & situm & nomina.

S. Hieronimi patria & parentes.

Adolescens Romæ commorans, visit deuotissimè loca Sanctorum.

Lustrat Gallias spiritualis negotiator.

IAM reuersus erat è Gallia, non minus moribus quã literis locuples, cùm vtramque (vt par est credere) reuisens patriam, tam scilicet eam in qua natus, quàm illã in qua renatus fuerat, Romam dico, mundoque deinde mox valefaciens, locupletissima bibliotheca, quã sibi summo studio ac labore confecerat, vna cum viatico tantæ peregrinationi necessario assumptis, è patria (relictis, vt ipse testatur, ibi vtroque parente, sorore & cognatis) Hierosolymam militaturus accessit. Comites itineris ei fuerunt Heliodorus, Ruffinus Aquileiensis, Innocentius, Euagrius, & Hylas, ex quibus primus omnium ab eo discessit Ruffinus. Nec petiit tamen statim Syriæ illam solitudinem, sed communicato cum degentibus ibi Anachoretis

Mundo valefaciens, petit Hierosolymam.

retis suo voto, postquam aliquandiu in sanctis Hierosolymæ locis mansisset, accessit etiam discendi & visendarum regionum causa in Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam, & Ciliciam. Ex quibus oris reuersus, mox spirituale bellum aggreditur: ingreditur horridam illam quæ est in Chalcide Syriæ solitudinem, adferens secum suam insignem illam bibliothecam, ne scilicet orationi deesset eius directrix lectio. Transtulit verò statim in ea eremo quædam ex Origene: deinde & discere cœpit linguam Hebræam, strenuè semper laboribus & ieiuniis carnem edomans: vnde & cernēs hoc humani generis hostis, variis machinis tā præclaræ spei adolescentem aggreditur.

Veneratus loca sancta, visit studio discendi etiam alia loca vicina.

Ingreditur horridam solitudinem.

Strenuè se edomat tū piis laboribus, tū ieiuniis.

IMPRIMIS aufert ei, quos secū duxerat, sodales omnes, deinde & addit omnis generis morbos, quin & simul tamen venerearum cogitationum stimulos acutissimos atque perpetuos. O quoties (inquit ipse Epistola 22.) in eremo constitutus, putabā me Romanis interesse deliciis! Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ; quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpè choris tamen intereram puellarum. Pallebant ora ieiuniis, & mens desideriis æstuabat: Sed audiamus nunc etiam ipsius certamen. Itaque omni inquit, auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes: rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Non erubesco confiteri infelicitatis meæ miseriam. Memini me clamantem diem crebrò iunxisse cum nocte, nec priùs à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret Domino increpante tranquillitas. Hæc ille ipse. Mansit autem in ea solitudine quadriennio, incredibili abstinentia. Post quem temporis decursum inde egressus, vel veriùs Arrianorū occultis persecutionibus velut Sabellianus eiectus, Antiochiā, Hierosolymámque repetiit iuuenis iam, & adolescentię annos superans.

En gehennæ metum.

CAETERVM adhæsit Antiochiæ, ex tribus illis, qui tunc ecclesiam eam exercebant Episcopis, Paulino: quod ita à Damaso, ad quem de ea re scripserat, iussus fuerat, monachi

En auctoritate Romanæ sedis.

ac

ac solitarij hominis professionem numquam omittens, etiam ne tunc quidem, cùm triginta annorum vir factus, à Paulino Presbyter est ordinatus. Non semper autem mansit Antiochię, sed partim etiam Hierosolymæ, in agris tamen & solitudinibus, adeò vt iam tunc Bethlehem ab eo electa, & habitari cœpta videatur. Quin & hoc tempore contendit quoque Constantinopolim, ad audiendum Gregorium Nazianzenum, cuius doctrinæ & sanctitatis celebris tunc erat fama; quem & idcirco præceptorem suum meritò gloriatur. Imperij habenas Theodosius senior adhuc moderabatur, & Apostolicam sedem Romæ Damasus; cùm ob dissensiones tum Antiochenæ Ecclesiæ, tum alias, omnes totius Occidentis Orientisque Episcopi Romam pro quæstionum solutione vocantur: inter quos etiam adfuit, vnà cum sanctis Pontificibus Paulino Antiocheno, & Epiphanio Cyprio, Hieronymus, ecclesiastica (vt ipse loquitur) tractus necessitate. Concurritur ad eum vndique. Ille, quòd Romæ iam viderit puerum tunc optimæ spei, animo repetit, ille quòd austeram in eremo ab eo exactam vitam audierit, attentè vultus contemplatur & ora: hic in eo linguarum scientiam; alter in eo admiratur cognitionem literarum sacrarum: pariter suscipiunt, pariter prædicant & extollunt omnes.

Audit Gregoriũ Naziãzenum.

Venit Romã vna cum aliis pro causis fidei.

DAMASVS, videns sibi velut alterum Paulum Petro adiutorem in vrbem venisse, remissis ad sedes proprias Episcopis, Hieronymũ, vt se in chartis ecclesiasticis iuuaret, Orientisque ac Occidentis Synodicis consultationibus responderet, secum retinet. Cui functioni ille insistens, non tamen propterea arctam suam viuendi, & in precibus quotidie coram Deo assistendi omittit consuetudinem. Matronarum oculos verecundè declinat, exemplo omnes, verbo eos qui ad eum audiendum concurrerant, instruens. Et quia Presbyteri munere insignitus erat, ne tam diuinum sibi commissum talentum occulat, incruentum Christi sacrificium Deo pro salute omnium offert: quod nouit vrbs Roma, quæ diu Sacrificij seruauit casulam, & adhuc seruat eius calicem, & in memoriam tanti viri, populo reuerenter ostendit. Ad hæc etiam, dum Romæ versaretur vir sanctus, quod per triennium ferè fuit, vocauit ad se fratrem suum adolescentem Paulinianum: conuertit etiam multos vitiis & sceleribus vinctos: quin & ad sanctioris vitæ propositum perduxit matronas nobiliores plurimas, inter quas Marcella, Melania, Asella, Albina, Marcellina, Felicitasque celebrantur, sed & cæteris præstantior Paula, Eustochij & Blesillæ mater.

Retinet eum apud se Damasus Papa.

Nota de sãcti pri casula & calice.

Perducit ad sãctiorẽ vitæ propositũ plures nobiles matronas.

Sed ô mortalium vita semper incerta!

Cvm hæc tot ac tanta vir sanctus Romæ perageret, & omnium ore dignus summo Pontificatu acclamaretur, Clerici, in quorum vitia ille sæpè inuectus fuerat, & (quod durius illis videbatur) exemplo sanctioris vitæ, & obfuscabat quotidie, & viliores reddebat, vnà cum laicis nonnullis, ipsius famæ detrahere cœperunt. Subornatus est quispiam rumigerulus, qui se nescio quid inhonesti, de Sancto cum Paula vel vidisse vel audisse assereret. Atque intereà moritur Damasus. Nec multa mora: Hieronymus occasionem regrediendi Hierosolymam, cùm ex Pontificis morte, tum ex impia hominum persecutione commodè nactus, relicta Roma, magna Sanctorum comitante caterua, nauem in Romano portu conscendit: & per Siciliæ & Italiæ fauces, Pelonponnesi promontoria & Cyprum nauigans, adolescentem fratrem secum ducens, Antiochiæ appellens, Hierosolymam, & suam lætus reuertitur Bethlehem. Aduenit autem etiam eò non multo postea Paula cum Eustochio filia, & Melania, Marcellini Consulis nepte, multis comitata virginibus. Hieronymi nauigationem secuta, manens ibi per triennium satis angusto hospitiolo, quousque scilicet latius exstruxisset pro se & virginibus monasterium, & aliud item pro Hieronymo & viris.

Diffamatur vir sanctus.

Reuertitur Palæstinam.

Vide hæc plenius suprà in vita ipsius S. Paulæ 27. Ianuarij.

Et Hieronymus quidem, qui vsque ab adolescentia monachi egerat vitam, die noctuque studiis nunc legendo nunc scribendo vacabat, & cum aliis fratribus in monasterio labore desudabat. Viuebat in paupertate, & (vt Ruffino ipse testatur) pecunias nec habebat, nec habere volebat. Hospites benignè excipiebat, adeoque omnes præterquam hæreticos, quos in tantùm persequebatur, vt coram eo hæreses, veluti coram sole nebulæ euanescerent. Canis iam caput eius spargebatur, ipseque nihil propterea ex studiorum assiduitate remittens, primò Didymum illum Alexandrinum adiit, vt eum videret, & dubiorum quæ in scripturis habebat, ab eo solutiones audiret, deinde & Bethlehem suam reuersus, magno labore & impendio Barrabanum, seu veriùs Barhamina Hebræum præceptorem audit noctu. Timebat enim ille Iudæos, propterea que instar Nicodemi clàm, ne factum à Iudæis resciretur, hoc est, noctu tantùm Bethlehem veniens, Hieronymum edocebat, magno pretio ab eo conductus: tantum nimirum viro sancto studium erat, vt Ecclesiæ, eius linguæ adiumento sacrorum librorum genuinas relinqueret versiones. Proli-

V sit venerabilē Didymū Alexādrinū.

Magno studio discit linguā Hebræam.

xius

xius est percurrere illius pro Ecclesia sudores; tum & contradictiones quas à variis sustinuit, Ioanne dico Hierosolymitano, Ruffino, & similibus, quæ scilicet ex ipsius scriptis peruestiganda relinquimus.

Varias à variis sustinet contradictiones.

VENERABATVR alioqui beatum senem totus orbis; cuius rei imprimis testes sunt magnus Aurelius Augustinus, & Seuerus Sulpitius: quorum ille, vt sua vice multa ab eo discerent, ad eum misit Paulum Orosium, Alipium, & Profuturum, hic verò Seuerus, etiam ipse propterea eum inuisit, mansitque cum eo mensibus sex; mansissetque (vt ait) perpetuò, si potuisset: vt interim taceam de incredibili concursu literarum, quæ vndique ad eum ferebantur, quarum baiulos, sicut & omnes Christianos ad ea loca venientes, tanta cùm charitate suscipiebat, vt pedes etiã eis lauaret. Porrò addecrepitam iam propemodum & vltimam venerat ætatem, cùm nihil de consuetis relinquens, in leuem tandem incidit febriculam. Qua aliquamdiu exercitatus, cùm eos qui aderant, monachos potissimùm & Christo dicatas virgines, vt Deo omni seruirent nixu, diligenter fuisset hortatus; versus ad sponsum, quem sibi iam adesse videbat, illi spiritum suum commendauit die vltimo Septembris, sub Honorio & Theodosio iuniore, multis clarus miraculis. Humatus porrò fuit post mortem in Bethlehem, exsequiis illi ex Christiano more celebratis, vt nimirum (iuxta eum) Paulo fecerat Antonius: translatus inde postea Romam, vnà cum Christi Saluatoris nostri præsepio, septimo Idus Maij.

Nota quanti eu fuerit S. Augustinus.

Migrat ad Christum.

Transfertur sacrũ corpus eius Romam.

FINIS SEPTEMBRIS.

OCTOBER.

VITA S. REMIGII ARCHIEPISCOPI
Rhemensis: ex ea quæ est per Hincmarum æquè Rhemensem Episcopum,

I. OCTOBRIS.



OST vindictam scelerum quæ facta est à Domino cæde Galliarum, prosequente Vvandalorum crudelitate, ecce misericordiam cæli distillauerunt, cùm Præsulem à Deo prædestinatum Remigium hoc ordine protulerunt. Erat quidam venerabilis Montanus monachus, in reclusione solitariam vitam ducens. Qui cùm peruigil in oratione pro pace sanctæ Ecclesiæ, quę multis ac diuersis afflictionibus apud Galliarum & Belgicatum prouincias vexabatur, Dei omnipotentis clementiam indefessis precibus exoraret; nocte quadam plus solito orationem protelans, ac deinde paululum membra sopori tradens, audiuit vocem dicentem: Dominus prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cælo in terram adspexit. En Cilinia in vtero concipiens, filium pariet nomine Remigium, cui à me saluandus populus committetur. Beata siquidem ista, intenta piis operibus, licet corpore teneretur in mundo, at mente conuersabatur in cælo. Quæ sicut in flore iuuentutis pepererat de vnico viro suo Æmilio Principium, Suessionum ciuitatis postea sanctum Episcopum, & fratrem eius patrem beati Lupi Episcopi, eiusdem Principij successoris; ita hæc audiens, mirabatur quomodo hæc fieri possét, nimirum quia & ipsa anus, & vir eius Æmilius esset vetulus. Erant autem ambo genere nobiles, & gratia inter suos nominatissimi. At verò subiungens quoque B. Montanus, addidit in hunc modum, Scias, inquiens, quia cùm ablactaueris, puerum Remigium, de lacte tuo perunges oculos meos, & recipiam lumen. Quod sanè & rei probauit euentus.

Visio cuiusdā venerabilis monachi de S. Remigio nascituro.

Eius pia mater, & duo quāti fratres.

Confirmatur prædicta visio insigni miraculo.

CAETERVM natus Remigius, ac postea traditus à parentibus scholæ, literis imbuendus, in breui coæuis & etiam natu maioribus doctrina excellentior est effectus. Studebat enim teneros annos morum maturitate vincere, & beneuolentiam cordis charitatis melle condire: deinde quoque & turbas frequen

frequentiũ populorum vitare, & , vt præconem ſuum Montanum feciſſe didicerat, vita etiam ſolitaria in reclusione Domino ſeruire: qui locus in caſtro Lauduno hactenus deſignatur & venerabiliter colitur. In qua reclusione ſecundis ſucceſſibus certatim ſanctæ conuerſationis ſtudiis iuſtus adoleſcens Domino militans, cùm ad viginti & duos ætatis ſuæ annos perueniſſet, defuncto Bennadio Archiepiſcopo in hac vrbe Rhemenſi, omnium generaliter votis ad Pontificij culmen raptus fuiſſe dinoſcitur potiùs quàm electus. Etenim ſanctiſſimus quidem vir de infirmitatis & ætatis ſuę tempore conqueri cœpit, & quia Eccleſiaſticus Ordo infirmam ætatem ad hanc non reciperet dignitatem, voce publica fatebatur; ſed cùm modo prædicto reniti conaretur, videntibus cunctis qui adeſtant, deſcendit ſubitò radius noui luminis ſuper ipſius viri ſancti verticem, ac ſi ipſe Sol de cælo motus ſuper eum ceciderit. Quocirca, poſthabita omni dubitatione, vnanimitate Epiſcoporum induitur mox Rhemenſis prouinciæ infulis, benedictioneque conſecratur Epiſcopali, atque ſic in ſede Præſulatus collocatur huius ciuitatis Rhemorum: vbi ſtatim ſic apparuit aptus & deuotus, tanquam ſi officio, ad quod nouiter aſcenderat, iugiter præfuiſſet.

Viuit S. Remigius ſolitarius.

Fruſtra ſe excuſans cõſtituitur Epiſcopus Rhemenſis.

Strenuè fungitur ſuo officio.

FVIT itaque in eleemoſynis largus, in vigiliis ſedulus, in oratione deuotus, in doctrina præcipuus, in cõuerſatione ſanctiſſimus. Erat irreuerentibus terribilis adſpectu, reuerendus inceſſu, metuendus ſeueritate, venerandus benignitate. Nulla illi ex omnibus propenſior cura, niſi aut de Deo in lectione atque ſermone, aut cum Deo in oratione loqueretur. Quin & contrita continuatis ieiuniis oſſa ſtudebat de perſecutore inimico longo triumphare martyrio, pro cibo ac potu hoc ſecum inceſſanter ruminans: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Sanè tanti fuit hic vir beatus meriti apud Deũ, quòd, cùm aliquando humani generis aduerſarius, ſurgentibus ſubitò flammarum globis, hanc ciuitatem Rhemorum ſuccendiſſet, nimiaque vaſtatione oborta iam pars ferè tertia conflagraſſet, ipſe oratione præmiſſa per gradus ante eccleſiã petris compoſitos, ciuitatem petens (in quibus etiam petris ac ſi ſuper molle lutum impreſſa eius fuerunt veſtigia, quæ hodieque ibi ad memoriam diuini miraculi demonſtrantur) ſtatim vt extenſa dextra contra ignem cum inuocatione nominis Chriſti ſignum ſanctæ Crucis fecit, totum flamma-

Reſtringit ſuis meritis maximũ incendium.

En & aliud miraculum.

rum globum ante se fugientem per patentem portam diuina per eum potentia expulit. Sed & quædam puella ab vrbe Tolosa præclaris orta natalibus, ab infantia maligni spiritus obsidione captiua, & frustra ad sancti Petri sepulchrum in Romanam vrbem deducta, deinde & ad virum quoque venerabilem gratia & nomine Benedictum; tandem cum eiusdem Benedicti literis huic beatissimo Remigio præsentata, ab eodem specialiter est liberata & curata. Sed nimium est omnia prosequi.

Liberat quandam dæmoniacam ab ipso S. Benedicto ad se missam.

AT verò interea Clodoueus, qui fuit Rex magnus super omnes ante se Reges Francorum, decimo anno regni sui commoto exercitu, sibi Thuringiam prouinciam subiugauit: atque inde etiam Gundebaldi Regis Burgundionum neptim nomine Clotildem, pulchram satis puellam, & verè Christianissimam interueniente Aureliano Consiliario suo, in coniugem sumpsit. Qui idem Rex cùm aliquando corruente suo exercitu contra Alemannos atque Sueuos, inuocans Deum Reginæ suæ Clotildis, subitò victoria fuisset potitus (quod factum fuit anno regno eius decimoquinto) ecce mox Regina iam dicta, vt impleretur dictum Apostoli, Saluatur vir infidelis per mulierem fidelem, vocato sancto Antistite Remigio, deprecabatur eum vt Regi salutis viam prædicaret. Et quidem faciebat ille strenuè quod petebatur, adeoque Regem & populum, qualiter diabolo & operibus ac pompis eius abrenunciare, & in Deum credere deberent, apertis & breuibus verbis instruxit: sed & benignissimus Deus quoque confirmauit sermonem eius sequentibus signis. Etenim & cùm sanctificato fonte, nutu diuino chrisma defuisset, subitò columba niue candidior, vidente Rege, attulit in rostro ampullam chrismate sancto repletam. Vnde sumens venerandus Episcopus, in fontem sacratum fudit, & Regem baptizauit: deinde & baptizantur simul de exercitu Regis tria millia virorum, exceptis paruulis & mulieribus; sorores quoque eius Alboffedis & Landehildis: factumque est gaudium magnum in illa die Angelis sanctis in cælo, & hominibus deuotis in terra.

1. Cor. 7. Conuertitur ad fidem Rex Clodoueus.

Baptizaturo S. Remigio prædictū Regem, affertur cælitus ampulla cum chrismate.

PORRO baptizatus Rex cum gente integra plurimas possessiones per diuersas prouincias sancto Remigio tā ipse quam Franci potentes dederunt; quas ipse per diuersas ecclesias tradidit, ne Franci eum rerum temporalium cupidum esse, & ob id ad Christianitatem eos vocasse putarent, sicut & de his quę in Rhemensi prouincia illi fuerunt tradita, non modicam partem ecclesiæ S. Mariæ in castro Lauduni clauati Rhemensis

Oblata à Rege & Principibus, distribuit vir sanctus per varias ecclesias

sis parochiæ, vbi nutritus fuerat, tradidit. Breuiter; hic est ille beatus Remigius, huius Rhemorum ciuitatis Archiepiscopus, vndecumque doctissimus, & in Scripturis sanctis eruditissimus, qui Vedasto à se ordinato in Atrebato, Medardo in Viromandis, Lupo Suessionis, Genebaldo in Lauduno, & reliquis in subiectis sibi ciuitatibus electis fratribus, sortem suam inter Principatuum supernorum numeros accepit. Hic est ille qui cunctis vitiis, omnibusque desideriis in semetipso dominatus, quando ad Regem * Ludouicum ac Reginam, cæterosque adstantes in oratorio sancti Petri aduenit, vt seruo sibi subiecto baptizando Regi potestatiuè præcepit, dicens: Depone colla Sicamber: deinde & mortuus quoque Pipinum Regem, Caroli Magni patrem, villam Auisiacũ de ecclesia Laudunensi auferre molientem ita duriter flagellauit, vt liuores postea in eius corpore apparerent. Hic est denique ille qui electum Dei Genebaldum Episcopum de suis infirmis actibus, hoc est, de generata prole ex sua quam reliquerat vxore, iudicauit; & post septennij pœnitentialem reclusionem, iubente Angelo Dei, iterum etiam in ordine Episcopatus restituit.

Aliquot eius sancti discipuli.

** Idem qui supra dicitur Clodoueus.*

Nota quàm numquã permissum fuerit sacerdotibus coniugium.

AD extremum tamen venerandus Antistes, condito testamento, & dispositis omnibus, quia vt scriptum est, verus agricola omnem palmitem fructum ferentem purgat, vt fructum plus afferat, oculorum corporalium lumine aliquamdiu est priuatus: quod lumen cùm iterum postea recepisset, non post longum spatium sciens adesse diem sui trãsitus, per Missarum celebrationem, ac sacræ communionis largitioné valefaciens, & dans pacem filiis suis, postquam per viginti & duos annos in Clericali ordine, in Episcopatu verò septuaginta quatuor continentissimè ac religiosissimè fidelis seruus & prudens Domino ministrasset, nonagesimo sexto ætatis suæ anno, Idibus Ianuarij, cum multiplici bonorum operum fructu, & animarum lucro animam cælo, corpus terræ reddidit, sepultus, quia aliò moueri non poterat, in ecclesiola sancti Christophori, vbi altare est in honore sanctæ Genouefæ, quæ huic beato Præsuli familiarissima exstitit. Vbi cùm, ampliata postea ecclesia, in nouam cryptam, retrò altare, sanctissimum corpus transferretur, inuentum est subitò Angelicis manibus ibidem positum. Quod factum fuit Calendis Octobris.

Moritur vir sanctus anno sui Episcopatus septuagesimoquarto.

VITA S. NICETII EPISCOPI

Treuirorum, ex D. Gregorio Turonensi capite. 17.

I. OCTOBRIS.

DE sancti Nicetij Treuerici Sacerdotis virtutibus scripturus; quæ à beato Aredio Abbate, qui à Nicetio nutritus fuit, de his ipsis audiui, fideliter referam. Profectò sanctum Nicetium ab ipso ortus sui tempore Clericum designatum à Deo fuisse, vel illud in primis indicio est, quòd cùm partu effusus, omne caput, vt est consuetudo nascentium infantium, à capillis nudum haberet, in circuitu tamen modicorum pilorum ordinem instar coronæ teneret. Qui exinde studiosissimis enutritus parentibus, literisque institutus, Abbati cuidam in monasterio sedulò commendatus, eo in loco ita se deuotum Deo exhibuit, vt migrante Abbate, ipse prorsus in eius locum succederet. Venerabatur autem eum & Rex Theodoricus magno honore, eo quòd sæpiùs vitia eius nudarat & crimina, castigatusque emendatior redderetur: quam etiam ob gratiam, decedente Treuericæ vrbis Sacerdote eum ad Episcopatum iussit accersiri. Et en statim aliquid insigniter mirandum Dato consensu populi, ac decreto Regis, ad ordinandum à viris summo honore præditis vir sanctus ducebatur. Vbi cùm appropinquantes vrbi, cadente sole, fixis tentoriis mansionem pararent, illi confestim laxatos equos per segetes pauperum dimiserunt. Quod cernens beatus Nicetius, misericordia motus, ait: Expellite quantocyùs equos vestros à segete pauperum, alioquin remoueam vos à communione mea. Ad quod cùm illi indignantes, dixissent: Quænam sunt hæc verba? & adhuc Episcopalem apicem non es adeptus, & etiam nunc excommunicationem minaris? mox ille, Verè, inquit, dico vobis, quia vllius voluntas in omnibus malis, me obsistente, non adimplebitur. Nec mora: cursu rapido abiens, eiecit equos è segete, & sic cum admiratione ad vrbem deductus est.

En antiquũ morem tonsitræ Clericales.

S. Nicetius fit Abbas, ac deinde etiam Episcopus.

Seuerissimè reprehendit licentiam aulicam.

CAETERVM assumpto Episcopatu, tam terribilem se præbuit omnibus, si Dei mandata non seruarent, vt imminere mortem proximam voce præconia testaretur. Super quibus vt pauca loqui placeat ad roborandam Sacerdotum censuram, vel ad instructionem populi, siue etiam ad ipsorum Regum præsentium vel sequentium emendationem, certè cùm, Theodorico decedente, Theodebertus filius eius regnum ambisset, ac multa iniquè exerceret, & ab eodem plerumque corriperetur, quòd vel ipse perpetraret, vel perpetrantes non argueret; aduenit aliquando dies Dominicus, & ecce Rex cum his qui ab hoc Sacerdote communione abesse iussi fuerant, ecclesiam est

Item & ipsum Regem.

est ingressus. Lectis igitur lectionibus quas Canon sanxit antiquus, oblatis muneribus super altare Dei, ait Sacerdos: Non hîc hodie Missarum solennia consummabuntur, nisi communione priuati priùs abscedant. At Rege renitente, subitò exclamat vnus de populo arreptus à dæmone puer iuuenis; cœpitque voce valida inter supplicia torturæ suæ, & Sancti virtutes, & Regis crimina confiteri. Vbi cùm Rex timore concussus peteret vt energumenus ille ab Ecclesia eijceretur, dixit Episcopus: Priùs illi qui te secuti sunt, id est, incestuarij, homicidæ, & adulteri ab hac Ecclesia, extrudantur, & tunc hunc Deus silere iubebit. Et statim Rex iussit omnes hos qui Sacerdotis sententia damnati fuerant, egredi ab Ecclesia. Quibus expulsis, iussit Sacerdos etiam dæmoniacum extrahi. Qui cùm apprehensa columna auelli à decem viris non posset, sanctus Dei sub vestimento suo, ob vitandam iactantiam, faciens Crucem Christi contra dæmonem, relaxari præcepit. Qui protinus corruens cum his qui eum trahere nitebantur, post paulum sanus erectus est. Vnde & factum est, vt, Sacerdote orante, Rex mitior fieret.

Apertissimè resistit Regi pro iure gladij Ecclesiastici, & vincit, Deo pro ipso pugnante.

Signo crucis sanat dæmoniacum.

QVOTIDIE autem prædicabat Sacerdos populis denudans crimina singulorum, & pro remissione deprecans assiduè confitentium. Sed & Clotarium Regem pro iniustis operibus sæpius excommunicauit; exsiliumque minitante eo, numquam est territus: quin & quodam tempore, cùm iam ad exsilium ductus, ab Episcopis reliquis, qui adulatores Regis effecti fuerant, remotus esset, atque à suis omnibus derelictus, vni Diacono qui adhuc perstabat in fide, ait: Quid tu nunc agis? Quare non sequeris fratres tuos, vt eas quò volueris, sicut illi fecerunt? Qui ait: Viuit Dominus Deus meus; quia vsquequo spiritus meus intra hos artus contentus fuerit, numquam derelinquam te. Et ille: Quia, inquit, hæc dixisti, dicam tibi quæ Domino reuelante cognoui. Cras enim in hac hora & honorem recipiam, & ecclesiæ meæ restituar: hi autem qui me reliquerunt, cum magno pudore ad me confugient. Præstolabatur itaque Diaconus rem promissam attonitus, quam sanè postea est expertus. Illucescente enim die crastina, subitò aduenit Legatus Sigeberti Regis cum litteris, nuncians Regem Clotarium esse defunctum, seque regnum debitum cum Episcopi charitate debere percipere. Quæ ille audiens, ad Ecclesiam regressus, potestati restituitur; confusisque his à quibus derelictus fuerat, omnes in charitate recepit.

Expellitur in exsilium.

Reuocatur cum summo honore.

IAM verò quàm fortis fuerit ad prædicandum, quàm terribilis ad arguendũ, quàm constans ad sustinendum, quam prudens ad docendũ, nemo condignè euoluere queat. In ieiuniis autem valde etiam fortis erat. Nam cæteris reficientibus sæpè, ipse contecto capite à cucullo, ne agnosceretur in publico, cũ vno tantùm puero Sanctorum basilicas circuibat. Sed & sunt innumera quoque alia quæ de hoc viro relata à memorato Abbate cognouimus, sed finiendam scriptionem puto. Denique cùm propinquum transitus seu migrationis suę tempus cognouisset, hoc ipsum quibusdã fidelibus referens, post paucos dies modica febre pulsatus, spiritum præmisit ad Dominum; sepultusque est in basilica sancti Maximini Antistitis, eiusque nunc tumulus diuinis virtutibus illustratur.

Aliis comedentibus, ipse clam discurrit per basilicas Sanctorũ.

Obit feliciter.

VITA S. BAVONIS CONFESSORIS,
ex Theodorico Abbate sancti Trudonis.

I. OCTOBRIS.

GLORIOSVS Dei athleta Allouuinus cognomento Bauo, Francorum Principum genus, & Austrasiorum Ducum hæres, in Gallia Belgica pago Hasbaniensi, loco haud obscuro, natus & altus est, Pelagio, qui beatum Gregorium præcessit, vniuersalem Pontificatum administrante. Pater eius * Eilolphus, mater Adelthrudis dicta est, religionis castæ amatores. Atque tali stirpe generatus, cùm adoleuisset, vxorem ducit, filiam videlicet Adilionis, per id tempus famosi Comitis. Sed & decursu temporis filia eis nascitur Aglethrudis, & ipsa à Deo prælecta: & tamen beatus Bauo semper de Deo studebat aliquid aut audire aut interrogare, tum & de virtute in virtutem adscẽsiones in corde disponere; inde etiam balteum militarem rariùs cingere; postremò & ieiunia cum fructu eleemosynarum frequentare. Atque intereà coniunx eius, quæ & ipsa viriliter in mandatis Domini militabat, decurso vitæ præsentis stadio, de habitatione tenebrosi Cedar, ad brauium supernæ remunerationis adsciscitur: cuius funus viduus maritus ita est prosecutus, vt propè ipse moreretur; simulque ita se conuertit mox ad Dominum, vt eius mortem optasse videretur. Porrò ea tempestate B. Amandus, vir Apostolicus, quo ampliùs gentilium audiuit debacchari furorem, Gandam quoque accesserat; cùm tandem baptizato populo, ara Mercurij ibi destruitur, fana diruuntur, Ecclesia erigitur.

S. Bauoni clari natales.

** Austrasius Ducis vxorem.*

Paulatim tendit ad virtutes.

Phrasis est D. Hieronymi in vita S. Pauli.

Conuertuntur Gandenses per S. Amandum.

ITAQVE & hac fama longè lateque diffusa, Allouuinus Gandam aduenit, Amandum inuenit, prioris vitæ culpam fatetur, de culpa pœnitentiam pollicetur, denique facta solenniter donatione, omnes possessiones suas ad loca Sanctorum tradit. Gauisus verò S. Amandus, multa tamen prius machinamenta diaboli prudenter prætendit, grauem esse adscensum quem vellet arripere, atque inceptum quidem facilem, finem verò prædicabat esse difficilem. Sed tamen vbi videt eum nihil cunctari, inducit in dominici scholam seruitij, in ecclesia Gandensi: vbi & ante aram B. Petri Apostoli, militiam Christi professum, & barba & capillo tonsum, assumit in clericatum. Ac denique statim vt ingressus est sanctitatis viam, firmis gressibus cœpit ire in magistri sententiam. Etenim quocunque diuini sator germinis ibat Amandus, illuc studens subsequi, & indiuisibiliter adhærens magistri lateri, ardebat sanctæ prædicationis adipe repleri. Sed & quoties lassos artus & confecta ieiuniis membra modico sopore reficeret, nudo recubans in cespite, Christum existimabat secum iacere, castigans delicati corporis carnem: simulque ex consensu quoque sui Amandi, loca Sanctorum & vicinos cœnobitas accingitur circuire, si fortè contingeret aliquid intentatum inuestigare, ad quod se animare deberet.

Tondetur S. Bauo ab eodē S. Amando.

Cubat in nuda humo.

QVIN, etiam, capta temporis & loci oppotunitate, saltum quem * Bailam nuncupant, ingressus est. Vbi repente in remotiori deuexæ vallis latere, annosa fagus oculis eius offertur in modum fornicis camerata, & quæ hominem erectum posset in aluo sustinere, quod etiam quasi habitaculum ab Angelis sibi reputans præparatum; lætus ingreditur. Sed per aliquot dies occultus, latêre non potuit. Itaque cùm à populo frequentaretur, infelicem esse se iudicans, nocturno silentio iterum loco cedit. Est autem vsque hodie eandem miræ magnitudinis fagum videre, quæ in æternam huius Sancti memoriam adhuc continet in se antiquum altare: vbi & presbyter parochiæ frequenter ecclesiam euocat, & communicat: Nec desisti arbor, contra morem, tam annosa adhuc florere & germinare. Itaque inde digressus, aliam requirit eremum athleta Dei, Medmedung nomine, à sua Ganda distantem duorum milliariorum itinere. Ingreditur cum sarculo, humum sarrit, cellulam permodicam erigit, & in ea se quasi sepelit. Cibos saltus ministrabat, amnis potum. Vestimenta ipse detulerat secum sagum & cilicium, quæ non frigus arcerent

** Beilam*
Aliquamdiu latet in annosa fago, in saltu in Beila.

Digreditur ad eremū aliam.

Nota insignē contemptum terrenorum.

cerent, sed nuditatem prohiberent.

QVO in loco, cùm aliquamdiu ignotus mansisset, iterúmque fama vulgante, vlterius posse latêre desperaret, comperto quod beatus Amandus monachos in Gandensi ecclesia substituisset, ad locum professionis suæ redire statuit. Vbi reuersus mox quasi Angelus Dei recipitur: dehinc verò reditus sui causam exponens, familiarem sibi fieri cellulam ad commanendum humiliter postulat. Mira res. In ædificanda cellula Artinus quidam sabulum & lapides plaustro aduehens, vehiculo proturbatus, mole desuper ponderis, & iumentorum incursu relinquitur mortuus, & idem tamen ille rursum post trium horarum spatium, orante pro ipso athleta Dei Bauone, surgit & ambulat. Mirum sanè spectaculum, & ad roborandos nascentis Ecclesiæ filios, pro resurrectione generali, valde congruum. Itaque recipitur in illam suam nobilem cellulam, iubens deinde admoueri neruum, quem vulgo appellant cippum, & in eo venerabiles illos pedes arctari: vbi quatuor ferè mēses in hoc retrusus carcerali agone, cum quotidie penè moreretur, pœnam pro deliciis habebat, fessa licet lingula, numquam laudem Dei tacens.

Redit Gandauum.

Excitat quandam a morte.

Excogitat mirum sui tormentum.

NIMIRVM sanctissimi corpusculi lutum, igne desuper Spiritus sancti, in testam induruerat, atque adeò accersito dehinc sancto Pontifice Amando, & venerabili Abbate Floreberto, non modo pedum, sed & totius macerati corpusculi integram reclusionem obsecrat, & vix aliquando impetrat. Arctam specum medio domus æquore, ad capacitatem erecti hominis effoderat, quæ introgressum non nisi stantem sustineret, & quasi crucifixi corporis, suspensum vultum in neutram partem deflecti permitteret, atque eam orationis crucem sibi præparauerat, in ea inter Horas canonicas suspendi magis quàm stare elegerat, Atque adeò quicquid dixero, certe minus est. Nam etsi omnia membra linguæ essent, nihil vtique dignum de hoc Dei athleta pronunciarent. Cuius cibus panis infermentatus, medietatem cinis: potus, aqua, non nisi ad mensuram sumpta. Vigiliæ semper vsque ad defectionem, somnus vix pertingebat vsque ad refectionem, vt magis eum aliquid meditari quàm dormire putares. Lectisternia nuda humus, & cinis inspersus, Defesso capiti, lapis; orarium, tegumentum erat illud sanctissimum cilicium: continentia talis, quæ penè mensuram excederet: patientia quæ numquam cederet.

Aliud longè maius priore.

Cibus eius panis infermentatus, medietatem cinis.

Ceruical eius lapis.

GON

CONFLVEBAT ad eũ tota penè vicinia, nobilis & ignobilis, mixtum genus, integros dies & noctes excubabant pro foribus. Qui cùm supremi operis iam teneret fastigium, & quòd perfectis viris posset sufficere, in diuinæ scalæ adscendisse gradum, quasi nihi cœpisset, aliud exquirit tormentum. Lapidem iubet deferri : quẽ manibus libratum, cùm non sufficeret ei quod volebat ponderi, alterum pro eo, duorum qui esset hominum onus, præcepit importari. Huncque scilicet inter frequentes genuflexiones, & perpetuas preces brachiis tenebat, & eo non modò se lassabat, sed penè mortificabat. Nec poterat tamen in lapidis onere sancta manus deficere, quam sustinebat lapis angularis, qui facit vtraque vnum, Tum verò si quis obijceret, cur seipsum adeò excruciaret, nõ bonam esse virtutem, quæ modũ excederet, prudenter respondebat : Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Vnde & audenter dico : qui se ita quotidiano afficiebat martyrio, si Deciana aut Diocletiani habuisset tempora, sponte omnia præuenisset tormenta.

Venerare Lectorenam nec multum dissimilia sunt quæ Deus iussit quibusdã Prophetis.

Rom. 8.

S. Bano nihil inferior Martyribus.

FESTINABAT interim tẽpus, quo palmite Dominicæ putationis purgato, flos qui apparuerat, ad componendum sertum colligeretur, cùm ecce gloriosus Dei Athleta lectum ægritudinis incidit, quam tamen longè antè præuidit & prædixit. Familiarem habebat Domlinum Turholtensis ecclesiæ presbyterum. Vocatur famulus, & ad requirendum eum festinare iussus incipit velle ire quò nesciebat. Sed adest de repentè Angelus Domini : ipse comitatur, ipse Turholt vsque deducit, & exposito negotio, presbyterum assumit, & recomitatur. Hunc vir scilicet Domini inter loquendum, secretum habuit: huic. curam funeris sui vt haberet, iniunxit: huius postremùm officio communicauit : ac sic paulo pòst spiritum de huius fecis luto felicissimè efflauit. Aderat tunc impræsentiarum & S. Episcopus Amandus, & venerabilis Abbas Floribertus : qui & ipsi cellulam ingressi, cernunt mirabilia Dei in martyrio militis sui. Siquidem quid viuens spiritus eius egerat, corpus mortuum loquebatur : in quo tota caro ita depasta videbatur, vt pelli adhærerent ossa. Apparuit autem insuper felix eius anima, in ipsa exitus sui hora, longè manenti sanctæ virgini Gertrudi. Porrò facta est eius gloriosa assumptio Calendarum Octobrium die, anno à cõuersionẽ sua quadraginta dies minùs de tertio, Dominicæ incarnationis sexcentesimo trigesimo primo.

Prædiscit de suo obitu.

Migrat in cælum.

Apparet eius anima S. Gertrudi.

VITA

VITA S. LEODEGARII EPISCOPI *Augustodunensis & Martyris, ex Vrsino ad Ansoaldum Episcopum Pictauensem.*

II. OCTOBRIS.

S. Leodegarius primo aulicus Regis, deinde doctissimus Archidiaconus Pictauensis.

BEATVS Leodegarius ex Francorum nobilissima progenie exortus, in primis ætatis initiis à parentibus in Clotarij Regis palatium adductus est: inde verò ab eodem Rege, Didoni Pictauensis vrbis Præsuli, auunculo scilicet suo, literarum studiis traditus est imbuendus. Sub quo Archidiaconus postea effectus, cùm Scripturæ diuinæ necnon & pontificij & Ciuilis Iuris cognitione penè omnes eius parochiæ habitatores antecederet, breui temporis spatio sub illo Antistite magnam pacem Pictauiensi solo regiminis sui prouidentia conciliauit: quin & cùm Pater monasterij in S. Maxentij honorem conditi obiisset, iussu eiusdem Pontificis illud quoque regendum suscepit, atque sex ferè annis egregiè gubernauit. Per id tempus minor Clotarius cum * Batilde matre regni Francorum habenas moderabatur. Qui cùm beati Leodegarij prudentiam auditione accepisset, eum ad se in palatium vocans, non multo pòst, cooperantibus plerisque Episcopis, ab omnibus electus Augustoduni, quæ est Heduorum, ciuitas, episcopum curauit ordinandum: quo munere cùm decem annis strenuè functus esset, Clotarius Rex, qui eum promouerat, excessit è viuis,

** Batilde.*

Constituitur Episcopus Augustodunensis.

TVM verò beatus Episcopus celeriter ad palatium profectus est, & cũ aliis de Rege constituendo tractare cœpit. Vbi cum comperissent Childericum Austrasiorum Regem adolescentem pro sua ætate regnum optimè administrasse, vna Francorum pars eum voluit habere Regem. Porrò Ebroinus, qui sub Clotario Rege Maiordomus fuerat, Theodoricum fratrem Childerici nitebatur Clotario subrogare. Eius autem nomen tum erat odiosum apud Francos, vt qui illo rursus iugo premendos se vererentur, quod sub Clotario per eum experti essent: quare & Ebroini consilio posthabito, Childericum Francorum Regem elegerunt. Quod cernens Ebroinus timore correptus, petiit à Rege vt permitteret ipsi degere in monasterio Luxouiensi, quod & impetrauit, cùm interim Leodegarius Episcopus à Rege Childerico Maiordomus factus est: quæ res origo fuit & seminarium, cur vir tantus postea tam crudeles passus sit persecutiones. Etenim cùm, Childerico

Ebroino impio monacho facto, S. Leodegarius fit Maiordomus.

derico Rege defuncto frater eius Theodoricus ad regni ſceptra perueniſſet, Ebroinus relicto monaſterió, iterum Maior domus creatus, mox totis viribus venerandum Leodegarium perſequi cœpit, velut quem ſuſpicabatur ſibi cum Chilaerico Rege prius mala intuliſſe.

Mutato regni ſtatu, iterum Ebroinus redit ad priſtinam ſuam dignitatem.

E T primum quidem adhibitis in conſilium hominibus nequiſſimis, cum eis tractauit qua ratione virum ſanctum perdere poſſet. Ex quibus cum duo Diddo & Guaimerus caput malitiæ effecti, dicerent ſe illum rapere poſſe ex vrbe eius, in eumque exercere vindictam, quæ Ebroini malitiam exſatiaret, ille eorum promiſſis exhilaratus, copioſum valdè exercitum eis tradidit: cum quo illi abiêre Heduam,& vrbem circa mœnia vaſtare cœperunt. Quod cernens vir Dei Leodegarius, Domini exemplo malens animam ſuam ponere pro ouibus ſuis, quam vni ſuæ temporariæ ſaluti conſulere, collecto totius ciuitatis Clero, cum Reliquiis, Crucibus & Pſallentium choris proceſſit obuiam hoſtibus ſuis, qui eum nihilominus comprehenderunt. Ductus itaque ab illis, & mox, vt Ebroinus iuſſerat, eruti ſunt oculi eius: deinde cum eum cuſtodibus tradidiſſent, inquoddam cœnobium perduxerunt, vbi biennium ferè latuit, & magnum reliquit patientiæ & humilitatis exemplum.

Mittitur ab Ebroino qui S. Leodegariũ capiant.

Eruũtur ipſi oculi, & traditur cuſtodibus in quodam monaſterio.

C AE T E R V M non poſt multum temporis ſpatium, cùm * Gairinus frater beati viri, qui ob metum Ebroini cum alijs ab eo profligatis Francorum Proceribus allis in locis degebat, iuſſu Regis Theodorici & Principis Ebroini ad palatium reuerti compulſus eſſet, ſimul & B. Leodegarius ex monaſterio, in quo tenebatur abſconditus, in Regis Theodorici præſentiam adduci iuſſus eſt. Vbi cum ambo multis contumeliis & opprobriis eſſent ab Ebroino affecti, ipſique è contra magno animo ipſius impietatem redarguere perſiſterent,tandem impietatis miniſtri ad palum alligatum Gairinum, lapidibus obruere cœperunt, in quo ille tormento ſupremum efflauit ſpiritum.Et beatus quidem Leodegarius cupiebat & ipſe cum fratre ſanguinem fundere, vt ſimul mererentur coronari, ſed Ebroinus eius obitum differre volens, vt per pœnas diu productas,ei tandem pœnarum temporalium impatienti,æternas quoque pœnas, vt putabat, per murmurationis ſpiritum conciliaret, primò iuſſit, eum nudis pedibus per quandam piſcinam traduci, in qua erant petræ inſtar clauorũ acutæ: deinde euulſis iam prius, vt dictum eſt, oculis, humi proſtrato, lin-gnam

**Gerinus.*

Nota plus quam dæmoniacam malitiam.

Poſt varia tormenta inciduntur ipſi Labia & lingua.

guam quoque & labia incidi, sicque per VVaningum quędam duci ad monasterium quod Fiscanum vocant, in quo erat sanctimonialiũ cœtus, quibus prçerat Childomara Christi ancilla: vbi, adhibitis ei custodibus, multis diebus mansit, cùm interim lingua eius præcisa suum rursum recepit officium.

SED tandem cùm iam præpotens Deus pro tam insigni patientia decreuisset remunerare fidelem seruum suum, Ebroinus obstinatus, volens suam in eum crudelitatem perficere, velocissimos super eum equites misit, qui eum neci darent. Nec mora: abducentes eum per loca ignota, vnus eorum sublato gladio * in loco Atrebatensis territorij, qui nunc dicitur Sylua S. Leodegarij, amputauit caput eius. Cæterum sepultus est in villa Sercin. Quo in loco cùm innocentiam & merita sancti Martyris in dies magis magisque multa miracula declararent, pia fuit trium Episcoporum de sacro eius corpore contentio. Ansoaldus Pictauensis illud vendicare voluit monasterij & consanguinitatis priuilegio: Hermencharius Augustodunensis prætulit iura Episcopatus: Sanctus Vindicianus Præsul Atrebatensis contestabatur sanctum Martyrem, Deo volente, locum martyrij & sepulcri in sua diœcesi accepisse. Sed facta in communi oratione, Pictauensi Episcopo sanctum corpus donandum ex indiciis declaratum est, sicque cum debita reuerentia ad S. Maxentij monasterium est euectum. Natalis est mense Octobri die secunda.

** Deinceps loquitur Molan.*

Tandem consummat martyrium.

Plures cocertat pro ipsius sacro corpore.

VITA S. GERARDI ABBATIS,

Broniensis, ex ea quæ scripta est ad Gonterum Abbatem.

III. OCTOBRIS.

VIR Domini Abbas Gerardus ex ingenuis parentibus apud Stallereibas Lonacensis territorij vicum procreatus, sicut claris natalibus illustris fuit, ita morũ integritate multo fuit illustrior. Pater eius Ætantius ex prosapia Haganonis Austrasiorum Ducis ortus, mater Electrudis, Stephani Tungrorũ Episcopi soror germana fuit. Obtinebat tunc Castrum Namurcense Comes Berẽgarius, cuius posteri ibidem hactenus perseuerant. Cui Athleta Dei Gerardus commendatus vt militiæ apud illum vacaret, tam sublimem apud eum amicitiæ & familiaritatis locum obtinuit, vt Comes pro eius arbitratu Comitatum administraret, eique præ cæteris difficiliora, magisque arcana committeret. Multa illi erga commilitones

S. Gerardi genus.

Viuit in summa auctoritate apud Comitem Namurcensem.

litones benignitas, mira charitas, rara patientia & humilitas. Nudos tegebat, egentes alebat, pupillos tuebatur, viduis adminiculabatur, oppressorum suscipiebat patrocinia. Quibus paulatim passibus in virtutum scala adscendens, cùm aliquando propinquam Bronij Ecclesiam adiisset, quæ cum quibusdam prædiis adiacentibus à progenitoribus eius ad ipsum successione deuoluta erat (sicut illi erat prædiorum ampla possessio) ecce diuinitus in eum sopore irruente, vidit in visione ecclesiæ columnas Petrum & Paulum sibi adstare; quorum ille in agmine Apostolico primus visus est manũ suam ipsius manui inserere, eumque per ecclesiam & atrium familiariùs circumducere, simulque admonere de construendo oratorio, dicens eum se locum sibi delegisse.

Apparẽt ipsi S. Petrus & B. Paulus quorũ iussu mox cõstruit ecclesiam in proprio fundo.

Et quidem vir Dei Gerardus, Apostolicæ iussionis promptissimus executor, mox structuram illam omnem compleuit, illi basilicæ munus eximiũ conferens ex copiosis prædiorum suorum redditibus, simulque instituit illic Clericorum sodalitatem. At verò ipse, iam maiora scilicet animo contemplans, Parisios proficiscitur, & B. Dionysij inuisit limina, ibique in omni obedientia, humilitate, & patientia probatus, quemadmodum in sua Regula docet sanctus Pater Benedictus, raso capite & barba, monasticum induit habitum: vnde & ei monasterio donauit quæ iuris ipsius essent in Lotharingia. Nolens porro torpere ocio, quod sciret animæ esse inimicum ac perniciosum; obnixè rogauit, vt liceret ipsi literas addiscere. Quod cùm valde admirarentur fratres velle hominem iam pridem barbatum ad puerilia literarum studia applicari, ille rogare & instare non destitit. Itaque vni è Fratribus traditus est literis imbuendus. Vbi, & plus etiam mireris eius humilitatem & solertiam, ipse adeo prima literarũ elemẽta instar quinquennis pueri addidiscit. Sed nec quicquã de suo proposito remittens, intra paucos dies totum Psalterium memoriæ commendauit. Quin etiam propositis sibi sacris codicibus, & illis quoque diuinis dogmatibus præclarè eruditur, & sicut apis sedula per pratorum volitans flores, Sanctorum Patrum scripta lectitans, egregios diuini fauos eloquij ab illorum melliflua doctrina excipiebat, suoque in pectore recondebat.

Fit monachus ad S. Dionysium iuxta Parisios.

Tã grãdæuus discit prima elemẽta literarum.

Nec interim tamen vllo tempore retrahi se sinit ab exsequendis illis quæ Canon monasticus iuberet. Quod Prior & Fratres tacitè cõtemplantes, & qualis quantúsve foret, haud obscurè peruidentes, ne lucerna sub modio lateret, idoneum

censent qui sacris initietur. Itaque frustra clamans se sacris functionibus indignum, altero suæ conuersionis anno mox minores accepit ordines, tertio anno ordinatur Hypodiaconus, anno quarto Diaconus, ac demum nono anno iam virtutibus sublimiter ornatus etiam Sacerdos. Post quem temporis decursum, multorum Sanctorum pignoribus feliciter ditatus, sed præcipue Eugenij sanctissimi Martyris, cum benedictione Fratrum, Broniensem suam ecclesiam repetit, & Clericorum institutum, quod initio ipse eò introduxerat, inde remouit, & monasticum illi substituit. Vbi cùm aliquamdiu strenuissimi Præfecti munus esset exsecutus, nec ferre posset eò confluentis populi strepitum, nec tamen etiam ab Episcopo, in cuius diœcesi erat, missionem se impetraturum speraret: Prioribus electis, cum quibus ex beatissimi Patris Benedicti Regulæ præscripto sua onera partiretur, in remotiorem cellulam apud ecclesiam sese recepit: vt illic solus degens, diuinæ contemplationi liberiùs vacare posset.

Tandem fit Sacerdos.

Rediens Bronium, pro clericis institutis monachos, & strenue residet regit.

ERAT tunc, sicut est etiamnũ hodie oratorium eo in loco, quem alij Cellam, alij Vrsidongum vocant. Erant autem aliquot ibi instituti seu deputati Clerici in ministerium S. Gisleni, Regularis disciplinæ prorsus ignari, nec vt sunt hodie Canonici, sed qui partim rei familiaris inopia compulsi, partim auaritiæ morbo incitati, sacra beati Cõfessoris ossa siue artus suis humeris per vicos & plateas solebant cantilando quæstus causâ circumferre. Quorum temeritatem cùm ferre diutius sanctus Confessor non posset, monuit per visum Lotharingiæ Ducem Gislebertum, vt Gerardo vero Christi seruo in pago Lomacensi, in loco quem Bronium vocant, commoranti, eius loci curam demandaret. Et quidẽ Gislebertus non immemor visionis, eam ad effectum perducere volens, mox accersit Cametacensem Episcopum Tierdonem, & Raginerum Gainoensem Comitem, eósq; ad virum Dei cum virga pastorali ocyùs mittit. Qui cùm ei, in cellula secretiori delitescenti, susceptam, Deo auctore, suam legationem exposuissent, frustra licet recusantem, eum secum abducunt, non absque incredibili Broniensis ecclesiæ luctu, celeriterque Vrsidongum repetunt, ibique ex sacrorum Canonum præscripto Ecclesiastica donatione Abbatiæ illius supellectilem ei omnem assignantes, Abbatem eum constituunt.

Apparet S. Gislenus Duci Lotharingia Gisleberto.

Iussu Dei cõmittitur S. Gerardo cellula, seu monasterium ... S. Gislens.

AT ille mox Clericorum illic degentium non bona vita accuratiùs inuestigata, cùm etiam antea teret odor malæ illorum

lorum famæ ad ipsum perlatus esset, consultum existimauit, vt ab illa ecclesia omnino excluderentur: Sicque in eorum locum substituit dignam Deo Monachorum sodalitatem. Qua cura pastorali suscepta, vt sese in omnibus gesserit venerabilis Abbas Gerardus, obtusus stylus noster ad plenum exarare non potest. Certè beatus Pater apprimè monasticum edoctus Canonem, Fratres suæ curæ commendatos, duplici ratione instituebat. Nam conuenienter saluberrimæ beati Benedicti doctrinæ capacioribus discipulis dominica verbis proponebat mandata, simplicioribus verò eadem factis suis demonstrabat: simulque omnia quæ subditis vitanda dicebat, suis prius exemplis ea cauenda adstruebat. Auream verò mediocritatem in omnibus consectabatur, malebatque subditos amore ducere, quàm timore compellere. Et cùm Christi vices se gerere non ignoraret, adeò se omnibus conformare, & accommodare studebat, vt mira quadam charitate omnium moribus seruire videretur. Qua eius sanctitatis fama lōgè lateque sese diffundente, cùm accersitus ab Arnulpho Flandriæ Comite, eum à grauissimo calculi morbo, triduano præscripto ieiunio, ac deinde porrecta sacrosancta Eucharistia, miraculosè liberasset, omnium insuper eius ditionis Abbatiarum procurationem accepit.

Capaciores docens verbu vir sanctus, rudiores docet exemplis.

Sanat Comitē Flandriæ à morbo calculi.

ITA scilicet Blandiniense monasterium à B. Amando Episcopo Gandaui fundatum, restituit, atque irreligiosis inde eiectis clericis (qui frustra suam ventosam iactabant nobilitatem) & quibusdam instauratis, religiosos monachos illis substituit. Ita strenuè quoque sancti Bertini monasterio aliquamdiu præfuit, fructus egregios disciplinæ regularis inde ferens. Ita denique octodecim cœnobiorum curam & administrationem peruigilem suscepit: quam nimirum solicitudinem vt admitteret, magnus effecit feruor & studium animas Deo colligendi. Sed succumbit nostra fragilitas, vt hæc per partes vniuersa recenseamus. Tandem diuini Spiritus reuelatione edoctus vir Dei, sciens imminere diem illum quo esset redditurus rationem villicationis suæ, in singulis cœnobiis sub eius cura degentibus, pastores singulos idoneos suo loco præfecit, sicque pauper spiritu, ditioribus monasteriis, quæ gubernauerat, derelictis, ad amicam Broniensis monasterij paupertatem se recepit. Vbi cùm omnia mira solertia disposuisset, & Fratrum pectora geminæ charitatis limpidissimo fonte vbertim irrigasset, iam prouectiori ætate prægrauatus,

Cogitur suscipere curam omnium ferè Abbatiarū Belgij.

Sub finē vitæ relictis ditioribus cœnobiis, recipit se ad suum Bronium.

Christi lucifluam IESV transmigrat in aulam, Prænitet Octobris quando lux tertia mensis. * Obiit verò anno Christi nongentesimo quinquagesimo octauo, vt marmoreo eius sepulcro inscriptum est: subleuatus in feretrum anno millesimo centesimo trigesimo primo.

* Melanus. Obdormit in Domino.

VITA S. PETRONII EPISCOPI

Bononiensis, ex ea qua est per Carolum Sigonium.

IIII. OCTOBRIS.

PETRONIVS Bononiæ Episcopus, patre natus est Petronio, ciue Constantinopolitano, viro clarissimo, & homine literarum disciplinis egregiè erudito. Nimirum & præfecturam Prætorij gessit, quæ dignitas apud Imperatorem amplissima fuit, tum etiam librum de Episcopi ordinatione conscripsit plenum doctrinæ & Christianæ pietatis. Hic igitur vt Græcè & Latinè doctus erat, sic filium Petronium erudiendum, Christianisque moribus in primis, atque optimarum artium doctrina instituendum curauit. Adeoque is confirmata iam ætate, ardore quodam Christianæ religionis vehementius inflammatus, monachorum in primis amore flagrauit, quorum eo tempore disciplina erat in Ægypti solitudinibus quàm florentissima. Itaque in Ægyptum venit: vbi in intimam eremum penetrans, singulorum colloquio vti non destitit, quoad plenè cognouit sancta eorum vitæ instituta. Vnde domum reuersus, illam disciplinam tam vehementer amauit, vt literarum etiam monumentis tradiderit monachorum vitas. Cæterum omni cura & cogitatione vir religiosus defixus in sanctissimis Christianæ fidei institutis, quo magis in dies contemplatione accenderetur, Ægypti solitudine iam peragrata, Hierosolymam quoque peregrinari statuit, vbi peractæ redemptionis nostræ impressa vestigia Christus reliquit verus Deus & homo. Quamobrem meritò etiam Theodosij minoris, qui tum imperabat, gratiam & amorem sibi in tantum conciliauit, vt sanctitatis opinione apud eum non minus sanè auctoritatis obtineret, quàm pater obtinuisset rerum gerendarum industria.

S. Petronij doctissimus pater, & quemodo ipse similiter extiterit doctissimus.

Visit monachos Ægyptios, ac inde etiam Hierosolymam.

Ajit clarissimus apud Theodosium iuniorem.

CONABATVR eo tempore Nestorius Constantinopolitanus Episcopus, diuinarum literarum studio intemperanter abusus, sanctissimam Catholicæ fidei doctrinam violare peruerso dogmate; Cui rei pius Princeps Theodosius maturè

 occurren

occurrendũ arbitratus, vniuersæ ecclesiæ pastorem & gubernatorem Pōtificem Romanum sibi consulendum existimauit. Itaque Petronium, virum sibi probatissimum, Romam Legatum misit, vt rem cum Pontifice Cælestino diligenter ageret. Sed vide prouidentiam numinis. Factum est vt quo tempore is à Theodosio missus, Romã venit, Legati quoque adessent, quos, mortuo Felice Bononiæ Episcopo, qui intimus S. Ambrosij Mediolani Episcopi sodalis exstiterat, Bononienses Pontificem rogatum miserant, vt in illius locum successorem iis Episcopum substitueret. Sed & paulò antequàm ij Legati Romam aduentassent, diuina voluntate à S. Petro Apostolo in somnis Cælestinus Pontifex admonitus est, vt, quandò Felix Bononiæ Episcopus è vita hac migrasset, Petronium, qui Legatus à Theodosio Imperatore missus ad vrbem propediem adfuturus erat, Bononiensibus Episcopum præficeret. Qua quidem re commotus Pontifex, cùm iam Petronius simul & Bononienses adessent, ac sua vtrique postulata exposuissent; quæ per quietem acceperit, eis ostendit, & breuiter, Petronium idoneum Felicis successorem pronunciat. Porrò de re Nestoriana, quam ille Theodosij nomine retulerat, collaudata primùm religiosi Principis pietate; priuatim ei respondit, se, ne ea pestifera hæresis latiùs serperet, Oecumenicam, vt moris esset, Synodum indicturum: quæ etiam Synodus Ephesi sequenti anno celebrata est frequenti ducentorum Episcoporum conuentu.

Mittitur Romã pro causa fidei contra Nestorium.

Designatur diuinitus Episcopus Bononiensis.

Nota de Synodo Ephesina.

ITAQVE diuinæ voluntatis significatione declaratus à Pontifice Bononiæ Episcopus Petronius, cùm hæresis Arrianæ reliquiæ nondum prorsus exstinctæ essent, cùm etiam nefaria eorum impietate, ac barbarorum simul, qui proximè in Italiam irruperant, immani feritate, ecclesiæ multæ euersæ ac prostratæ iacerent, his malis zelo domus Dei sibi occurrendum existimans, proposito sibi S. Ambrosij Mediolanensis Episcopi exemplo, in primis fidem Catholicam, Arriana perfidia violatam, restituere summopere contendit. Deinde & templa Dei disturbata atque euersa refecit, & alia item noua, quo maior ad Dei cultus in dies accessio fieret, summò Bononiensium studio ædificauit. Quorum vnum Bartholomæo Apostolo, alterum Marco Euangelistæ, tertium Fabiano & Sebastiano Martyribus, quartum Martino, quintum Barbationo Confessoribus, sextum Agathæ, septimum Luciæ virginibus & Martyribus consecrauit. Quin etiam tem-

Episcopus factus, strenuè decertat contra reliquias Arrianismi, & plura construit templa.

pla duo non longo inter se interuallo disiuncta, vnum Stephano Protomartyri, alterum Ioanni Euangelistæ magnis rerum diuinarum significationibus dedicauit, propositis nimirum sacris imaginibus ad similitudinem eorum locorum quæ ipse præsens Hierosolymis veneratus erat, quæ sanctissimæ religionis monimenta etiamnum magna Bononiensis populi pietate coluntur, augustioremque reddunt ipsam sancti Stephani Ecclesiam.

Expressa ab ipso Bononiæ quædam loca Terræ sanctæ.

QVIN etiam dum ecclesia ipsa construitur, mirifici cuiusdam operis in Dei nomine edendi occasio est oblata. Videlicet faber quidam tum viribus corporis, tum ingenio fretus, obnixè columnam marmoream operis & instrumentis adiuuantibus, erigebat: sed funibus, quibus columna tollebatur, effractis, ille repentina columnæ ruina oppressus, interiit. Qua re audita beatus Petronius accurrens, mox oratione ad Deum habita, fabrum, qui mortuus iacebat, ad vitam diuinitus reuocauit, omnibus qui præsentes aderant, cum rei admirabilis spectaculo obstupescentibus, tum Petronij sanctitatem certatim inter se collaudantibus. Sed & consecrauit etiam hic vir sanctus, rogatu sanctæ Iulianæ viduæ, sanctis Vitali & Agricolæ ecclesiam, quam exædificandam eo loco pecunia sua curarat, vbi illi Martyres excruciati fuerant; atque adeo ecclesia Bononiensi aliquot annos feliciter administrata, mirificè profuit & ciuitatis pietati & vrbis ornamento. Qui denique cum in morbum incidisset, quo in dies ingrauescente, obitus sui tempus instare sentiebat; Clericos ad se suos vocans, eisque Ecclesiam ac fidem orthodoxam grauissima oratione commendans, paulo pòst Deum sanctè precatus, Theodosio & Valentiniano Imperatoribus, migrauit ad cælum, multis etiam post obitum clarus miraculis. Eius corpus in ecclesia S. Stephani sepultum est; quod multis pòst seculis diuino consilio ciuitati ignotum, Innocentio tandem secundo Pontifice inuentum est; dum scilicet sacras reliquias Henricus Episcopus recenseret, quas in ea ecclesia exstare, à maioribus traditum erat.

Suscitat vir sanctus quendam à mortuis.

Tãdem multis præclaris gestis migrat in cælum.

Anno 1141.

VITA S. FRANCISCI PATRIARCHÆ

Minorum ex ea quæ est per S. Bonauenturam.

IIII. OCTOBRIS.

S. Franciscus prius mercator.

VIR erat in ciuitate Assisij Franciscus nomine, cuius memoria in benedictione est. Hic etiam nũ lucratiuis mercat-

cationum deputatus negotiis, cùm aliquando pauperem quendam petentem eleemosynam, præter morem, vacuum repulisset; ita statim ad cor reuersus est, vt & cucurrerit post ipsum, eleemosyna illi clementer impensa; & promiserit insuper Deo, quòd numquam ex tunc, dum adesset possibilitas, petentibus pro amore Domini, se negaret. Ad hæc & cũ obuium aliquando habuisset militem quendam generosum quidem, sed pauperem, & male vestitum, etiam se exuto, illum vestiuit. Quæ res intantum diuinæ clementiæ complacuit, vt mox nocte sequenti, palatium speciosum & magnum cum militaribus armis, Crucis signaculo insignitis, sibi suisque militibus præparatum Francisco ostenderetur. Quin etiam addidit adhuc Christi clementia eum in gratiæ visitare dulcedine. Videlicet cùm die quadam in ecclesia S. Damiani, quæ minabatur præ nimia vetustate ruinam, orando lacrymosis oculis intenderet in Dominicam Crucem; vocem de Cruce dilapsam etiam corporeis auribus audiuit ter dicentem: Francisce vade & repara domum meam, quæ, vt cernis, tota destruitur.

Etiam ipse se exuit vt vestiat pauperem.

Iubet ei Christus vt vadat & reparet domum suã.

ET Franciscus quidem ad obediendum se parans, pannis venalibus venditis, equoque cui insederat, mox ad ecclesiam illam pecuniam defert, ibique cum sacerdote moram facit. Quod cùm intellexisset pater ipsius, perturbatus animo, primò verbis, deinde verberibus & vinculis eum angit: tandem etiam ducit coram Episcopo ciuitatis, vt in ipsius manibus facultatibus renunciaret paternis. Tum verè Franciscus, continuò depositis omnibus vestimentis, restituit ea patri. Inuentus est autem tunc vir Dei cilicium habere ad carnem sub vestibus delicatis. Atque adeò ex admirando feruore spiritu ebrius, reiectis etiam femoralibus, totus denudatus, sic dicit ad patrem: Vsque nunc vocaui te patrem in terris, amodò securè dicere possum: Pater noster qui es in cælis. Porrò iam vir Dei agebat, vt vel saltem mendicando, debileque corpus oneribus lapidum supponendo, de ecclesia reparanda, voci diuinæ pareret. Nec mora: deuotione ciuium adsistente, refecta est primò ecclesia illa S. Damiani; deinde etiam altera B. Petri, ac postremò tertia de Portiuncula, ab antiquo S. Maria de Angelis vocitata. Vbi cùm pedem fixisset vir sanctus, propter reuerentiam Angelorum & matris Christi, audiens die quodam illud Euangelium, ne videlicet possiderent aurum vel argentum, nec duas tunicas, nec calceamenta; audiens & intelligens, mox soluit calceamenta de pedibus, peram &

Vendit & equum & merces vt faciat quod erat iussus.

Latus resignat omnia patri terreno, vt possit vocare Patrem in cælis.

Adsistente deuotione piarum personarum, reparat tres ecclesias.

Ad se rapit id quod castè legitur in recl[...], & amplectatur vitam Apostolorum.

pecuniam exſecratur, vna contentus tunicula, reiecta corrigia, pro cingulo funem ſumit.

Iunguntur ipſi ſocij.

Coepit autem ex hoc diuino inſtinctu Euangelicæ perfectionis æmulator exſiſtere, & ad pœnitentiam quoque cæteros inuitare, Cuius doctrinæ ſimplicis, vitęque veritate paulatim apud multos innoteſcente, cœperunt etiam non multo poſt, ipſius exemplo quidam ad pœnitentiam animari, & eidem, reiectis omnibus, habitu vitaque coniungi, quorum primus exſtitit vir venerabilis Bernardus, & tertius ſanctus Pater Ægidius. Iam paupercula ſimplicitas ſancti Patris pepererat ſeptem, & deſiderabat vniuerſitatem fidelium ad pœnitentiæ lamenta Chriſto parturire. Tunc nimirum & ipſe, ſciens ſe datum aliis exemplum; vt priùs faceret quàm doceret, cum vno ſociorum verſus vnam orbis partem perrexit, reliquis ſex, ad modum Crucis, tribus aliis mūdi partibus deputatis. Sed modico elapſo tēpore, cùm benignus pater charæ prolis exoptaret præſentiam, abſque humana vocatione rurſum omnes ex inſperato pariter conuenerunt, quibus diebus, quatuor ſibi adhærentibus viris honeſtis, ad duodenarium numerum excreuerunt. Denique cernens famulus Chriſti paulatim accreſcere numerum Fratrum, ſcripſit ſibi & Fratribus ſuis ſimplicibus verbis formulam vitæ: tum etiam deſiderans per ſummum Pontificem approbari quæ ſcripſerat, diſpoſuit cum illo ſimplicium cœtu, Apoſtolicæ ſedis adire præſentiam.

Nota miraculum.

Scribit ſibi & ſuis Regulam.

Et quidem Chriſti Vicarius in palatio Lateranenſi deambulans, altis occupatus meditationibus, primo Chriſti famulum, tanquam ignotum repulit indignanter. At verò reuelatione edoctus, de qua paulo poſt mane ſequenti mox mandauit eum per vrbem quæri. Et ſanè videbatur aliquibus de Cardinalibus nouum aliquid, & ſupra vires humanas, quod Chriſti poſtulabat pauperculus. Sed non eſt, ait Franciſcus, Formidandum quòd fame pereant ęterni Regis filij, etiamſi de paupere matre. Quod cum audiſſet Chriſti Vicarius, tum etiam cùm illum ipſum eſſe cognoſceret, quem Lateranenſem Baſilicam proximam ruinæ, dorſo ſuſtentantem in ſomnis prius vidiſſet; approbauit Regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mandatum, & laicis Fratribus omnibus, qui ſeruum Dei fuerant comitati, fecit coronas paruulas fieri, vt verbum Dei liberè prædicarent. Poſt quæ puſilli gregis Paſtor Franciſcus ad S. Mariam de Portiuncula duodenarium illum Fratrum numerum ſuperna gratia pręeunte deduxit: vt vbi meritis matris

En vbi fundati ſint Ordines mendicantium.

Approbatur eius Regula.

Domini

Domini, Minorum sumpserat ordo initium, ipsius etiam illic susciperet auxiliis incrementum. Ibi quoque factus Euangelicus pręco, ciuitates circuibat & castra, ita vt multi perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequerentur, atque adeò quotidianis succrescentes profectibus, vsque ad fines orbis terræ celeriter peruenirent.

Vir sanctus plurimos lucratur Christo.

SED & processu temporis multiplicatis iam Fratribus, cœpit eos Pastor solicitus in loco S. Mariæ de Portiuncula, ad generale Capitulum conuocare, vt in funiculo distributionis diuinæ, in terra paupertatis eorum vnicuique tribueret obedientię portionem. Vbi licet omnium necessariorum esset penuria, Fratrumque multitudo vltra quinque milia conueniret aliquando; diuina tamen opitulante clementia, & victus sufficientia suberat, & spiritualis iucunditas affluebat. Sanè cùm cerneret vir Dei Franciscus, suo exemplo, ad Crucem Christi baiulandam, feruenti spiritu plurimos animari, animabatur & ipse; ac proinde tanta disciplinæ rigiditate sensuales appetitus arcebat, vt vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. Difficile namque fore dicebat, necessitati corporis satisfacere, & pronitati sensuum non parêre. Propter quod cocta cibaria sanitatis tempore vix admittebat, & raro; admissa verò aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquæ vt plurimum reddebat insipidum; ita tamen, vt egrediens exteriùs propter verbum Euangelij, conformaret se in qualitate ciborum suscipientibus ipsum. Nuda humus vt frequentiùs lectus erat lassato corpusculo, & sæpius sedens, ligno vel lapide ad caput posito dormiebat, vnica paupere contectus tunicula. Sed & mulierum familiaritates, colloquia, & aspectus solicitius euitari iubebat, asserens per huiusmodi debilem frangi, & fortem sępe infirmari; atque adeò (sicut aliquando socio dixit) ipse nullam cognoscebat in facie.

Nota iam tum Fratres vsque ad quinque millia.

Sanus vix vnquam vtitur coctis cibariis, nisi quod foris se conformaret suis hospitibus.

Solicitè iubet vitare familiaritates mulierum.

QVI vt totum præsens tempus conflaret in meritum, Generali cedens officio, etiam Guardianum petiit, cuius voluntati per omnia subiaceret. Tam enim vberem asserebat sanctę obedientiæ fructum, vt eis qui iugo ipsius colla submitterent, nil temporis sine lucro transiret. Vnde & Fratri, cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promitttere consueuerat & seruare. Quin etiam rogatus aliquando vir sanctus, quid de seipso sentiret: videor, ait, mihi maximus peccatorũ. Cui cùm diceretur ex aduerso, quòd hoc non posset sana conscientia

Dicit se maximum peccatorum.

dicere, subiunxit: Immò verò; nam quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, quanta me, arbitror sanè quòd multo quàm ego gratior esset. Eximiè verò sentiendum est de pietate beati viri: quæ profectò tantæ fuit virtutis, vt frequenter domesticarit syluestria, brutorumque & auium, & similium, etiam dum adhuc in syluis viuerent, naturam, homini iam lapso rebellem, non raro ad sui obedientiam inclinarit. Porrò tertio decimo conuersionis suæ anno ad partes Syriæ pergens, multis se periculis constanter exposuit, vt Sulthani Babyloniæ posset adire præsentiam. Sed videns se non proficere in conuersione gentis illius, nec suum tamen assequi optari martyrij propositum (quippe qui à Sulthano benignè haberetur) ad partes fidelium, diuina reuelatione præmonitus remeauit.

Parent ipsius innocentia bruta animantia.

Prædicat magno zelo apud Barbaros.

DENIQVE anno tertio ante obitum suum, cùm memoriam natiuitatis pueri Iesu, ad quanto maiorem deuotionem apud fideles excitare vellet, apud Castrum Græcij, à summo Pontifice etiam petita ad hoc & obtenta licentia, fecit præparari præsepium, apportari fœnum, bouem & asinum ad locum adduci. Aduocantur Fratres, adueniunt populi, personat sylua voces, & venerabilis illa nox luminibus copiosis & claris splēdens efficitur solennis. Stabat vir Dei coram præsepio pietate repletus, respersus lachrymis, & gaudio superfusus. Celebrantur Missarum solennia super præsepe; Leuita Christi Francisco sacrum Euangelium decantante, & ecce miles quidam virtuosus dominus Ioannes de Græcio, vidit puerulum quendam valde formosum in illo pręsepio dormientem. Sed & fœnum pręsepij reseruatum à populo, mirabiliter sanatiuum fuit brutorum languentium, & aliarum repulsiuum pestium diuersarum. Quin & biennio antequam spiritum redderet cælo, supernæ contemplationis dulcedine etiam, abundantiùs solito est perfusus. Etenim cùm in monte Aluernię iuxta solitum morem, Quadragesimam ad honorem sancti Archangeli Michaëlis ieiunare cœpisset, manè circa festum Exaltationis sanctæ Crucis dum oraret, vidit Seraph vnum, sex alas habentem, tam ignitas quàm splendidas, & inter alias effigiem hominis crucifixi. Nec mora: statim in manibus eius & pedibus apparere cœperunt signa clauorum: dextrum quoque latus quasi lancea transfixum, rubra cicatrice obductum erat, quod sæpè sanguinem sacrum effundens, tunicam etiam & femoralia respergebat. O mirabilis Deus in sanctis suis!

Publico spectaculo exhibet natiuitatem Christi.

En sanctum virum Leuitam.

Imprimuntur ipsi gloriosa quinque stigmata.

Cvi quidem viro Dei vt cumulus meritorũ magis deinde accresceret, cœpit infirmitatibus multimodis laborare, idque tam grauiter, vt vix in eo membrum aliquod remaneret absque ingenti passionis dolore. Siquidem & ad hoc per varias & diuturnas ac continuas ægritudines deductus est, vt consumptis iam carnibus, quasi sola cutis ossibus cohæreret:& tamen proijciens se in terram,& deosculans humum,Gratias,inquit, tibi ago, Domine Deus, de omnibus his doloribus meis, téque,mi Domine,rogo, vt centuplum,si tibi placuerit,adijcias. Ac tandem cùm per biennium ab impressione sacrorum stigmatum, anno videlicet à sua conuersione vigesimo,multis fuisset angustiantium infirmitatum probatiuis tunsionibus conquadratus : tamquam lapis in supernæ Hierusalem ædificio collocandus, ad sanctam Mariam de Portiuncula se portari poposcit : quatenus vbi acceperat spiritum gratiæ, ibi redderet & spiritum vitæ. Quò cùm fuisset perductus, super nudam humum se totum nudatum in spiritus feruore prosternens, cùm de patientia & paupertate, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide seruandis, sermonem protraxisset, Psalmum illum pronuncians, Voce mea ad Dominum clamaui, in eo versiculo, Me exspectant iusti : transiit ex huius mundi naufragio, anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, quarto Nonas Octobris : adscriptus statim biennio pòst à Gregorio nono Catalogo Sanctorum.

Exercetur multis infirmitatibus.

En fructum tribulationũ.

Commendans suis patientiã, paupertatẽ, & fidem Romanae Ecclesiae, obdormiuit in Domino.

VITA S. ATTILANI EPISCOPI
Zamorensis in Hispania, ex Lucio Marinęo Siculo.

De rebus Hispaniae libr. 5.

V. OCTOBRIS.

Operaepretium est sanè Sanctorum vitam, virtutes, & gesta cognoscere, idque vel propter eorũ memoriam quæ semper elucear, vel maximè propter exempla, quæ sunt nobis salutaria documenta. Quare & beatus Attilanus annum agens quintum & vigesimum audiens in Morerola monasterio, quod à Zamora nõ longè distabat, homines sanctissimè vixisse, illuc statim se contulit. Vbi cùm decẽnium sub Floriani Abbatis disciplina militâsset, eius honestatem sanctitatemque cognoscens Florianus, tandem eum in monasterij Priorem constituit. Porrò ijs temporibus Zamorensis atque Legionensis Pontifices à mortali vita discesserunt. Itaque

Quorsum seruiant historiae Sanctorum.

S. Attilanus ex monacho fit Episcopus Zamorensis.

Itaque Attilanus in Episcopatu Zamorensi, & Florianus in Legionensi successerunt, propterea quòd per omnem regionem clarissima virtutum eorum fama peruolabat: qui & die sancti Spiritus illo mysterio fuêre roborati. Et quidem Attilanus templa, loca, omnesque populos summa cura gubernabat, & annos ferè decẽ magnos & assiduos labores tolerabat: cùm tandem memor exactæ vitæ, criminumque suorum, quæ antea commiserat, peregrè proficisci statuit.

Constituto vt reditus Episcopatus darẽtur pauperib. ipse proficisceretur peregrinatum.

EPISCOPATVS itaque reditus pauperibus mãdat communes fieri: quod & multis rationibus suos hortatur, quoniam necessitate coactus se per aliquod tempus recessurum dicebat. Quòd si secus mandatum fecissent, Deus iratus maledictione condemnaret. Quod audientes qui vitam eius nouerant, clamant omnes: Te sequemur quocumque vadis, ô mortalium omnium clementissime: quare nos in tanta calamitate relinquis? Per Deum vnicum, quicquid rogas, nos facturos testamur. Ille autem fidem verbis illorm adhibens, cùm eos benedixisset, statim discessit. Vbi cùm venisset ad pontem prope templum S. Laurentij, annulum quem digito gestabat, de ponte proiecit in flumen, dicens: Quando annulum hunc reuisero, tunc ab omnipotenti Deo omnium delictorum meorum veniam promerebor. Inde autem discedens cum vno comite, quem plurimum diligebat, adeò festinauit, vt eum defatigatum reliquerit in itinere. Solus itaque se pannis induit vilissimis, adeò vt à nemine cognosci posset, & ita duos annos eleemosynis vixit. Sed tandem vox in somnis audita diuinitus sic eum admonuit: Attilane, iam iam tuum ad Pontificatum perge: tuæ enim exauditæ sunt preces, cum ipse interim præcepto audito, se itineri accinxit.

O animũ timentem Dei.

Iussu Dei redit ad suos.

VENIT itaque nocte ad eremum quæ sancti Vincentij de Cormi vocabatur, & conuicina erat sancto sepulcro, vbi quædam muliercula cum marito suo illum in parua domo receperunt, eique cœnam nõ admodum licet lautam dederunt. Sed & manè maritus & vxor pro piscibus ad Episcopi domum vadunt, vt antea consueuerant, Attilanum rogantes vt interim domum custodiat. Quibus vt dati sunt pisces, reuersi Attilanum rogant vt eos præparet, donec ipsa pro aqua & maritus pro igne vadunt. Quibus Attilanus respondit obsequenter. Cumque maiorem piscem accepisset, ecce dum eius viscera volueret, annulũ quem à ponte deiecerat, inuenit. Tunc verò repẽtè pronus & genibus flexis Deo gratias egit, & continuò sponte

Inuenit in vẽtre piscis annulum quem dum proiecerat in aquã, & simul aliud quoque fit miraculum.

ſponte campanæ ſonitum dederunt, & magna totius ciuitatis admiratio orta eſt. Quapropter & per omnes domos & hoſpitia atque hoſpitales perquirunt, nihilque comperiunt. Sed tandem cùm eſſent omnes ſoliciti, vir quidam procurator rei familiaris Epiſcopi, meminit de viro quodam quem muliercula ſibi dixerat apud ſe hoſpitatum eſſe, neſcius cuius dignitatis eſſet. Omnes itaque illuc cõcurrũt Sacerdotes, & tota ciuitas, cũ ecce Attilanus veſte non precioſa, neq; noua, ſed vili atque detrita inuentus eſt Deo gratias agens. Quapropter omnes ei gratulantes, & Deo gratias agentes, cum magno gaudio reduxerunt eum in ciuitatem: qui poſtea vixit annos circiter octo, ſanctis ſemper operibus incumbens. Quem vita functum, * nomine ciuitatis, Vrbanus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum canonizatum aggregauit, Anno milleſimo ſecundo, quo regnabat in Hiſpania Rex Henricus.

** For. ſolicitã te ciuitate. Adſcribitur Sanctis.*

VITA S. APOLLINARIS EPISCOpi *Valentinæ vrbis, ex Breuiario Viennenſi.*

V. OCTOBRIS.

S. Apollinaris commendatio à genere.

BEATVS Apollinaris Valentinæ vrbis Epiſcopus, apud Viennam; & natus & inſtitutus eſt. Qui nobilis genere, ortu conſpicuus, natalium titulos mentis faſtigatione ſublimans, dum paſtoris cura gregem ſibi creditum paterna gubernatione foueret, multis eum conſtat emicuiſſe virtutibus. Accidit itaque vt quidam ex officio regis Sigiſmundi nomine Stephanus, qui ſuper omnem dominationem fiſci principatum gerebat, defuncta eius coniuge, ſororem vxoris ſuæ ſibi illicito coniugij conſortio copularet, qua de re Auitus & Apollinaris, qui ſecundum carnem germani, in Chriſti verò opere famoſiſſimi fratres, ſynodalem inſtitutionem, ſeruantes cum reliquis Pontificibus ſimul in vnum cõgregati, ipſum Stephanum ſacra communione priuari ſanxerunt. Tunc rex diræ inſaniæ furore permotus, beatiſſimos Pontifices acerrimè inſidias prætendendo iniuriari non deſinebat. Sed Apoſtolici viri minas terreni regis minimè formidantes, ita ſe iuſtitiæ vinculo nexuerunt, vt quæque ſupplicia eiſdem inferrentur tolerarent. Viſum enim illis eſt vt in oppido ciuitatis Lugdunenſium quod nuncupatur Sardinia, pariter tamquam exilio deputati auxiliante Deo committerentur. Videns verò rex ille conſtan

Stephanus quidã ob inceſtum ſuum ſacra communione priuatur.

SS. Auiti & Apollinaris conſtantia.

constantiam illorum incorruptibilem esse, præcepit vt Pontifices, qui ibidem pariter residebant, ad propria reuerterentur. Sed quia beatissimus Apollinaris in condemnatione Stephani perseuerans videbatur, ipsum primum studuit obseruare, in quo loco dum vir Dei morarum spatia sustineret: ab ardente æstu fluenta Rhodani hic tepefacta sunt, vt à sitientibus ex eo aqua potari non posset. Et quia nullus puteus neque fons vnde aqua hauriri deberet, ibidem reperiebatur: beatissimus vir Dei firmans se Spiritusancto, confert se ad locum à Deo designatũ, & secretius præcepit suis sarculum exhibere. Quo exhibito, oratione impleta, ait ad suos: In nomine Patris & filij & Spiritussancti hunc locum aperite. Hoc facto, mox fons exortus est. Post discessum verò eius fons siccatus est: vt omnes agnoscerent meritis serui Dei fontem ipsum obsequium detulisse. Cumque rex ille virum illum Apostolicum, nec videre vellet, sed magis insidias prætendere studeret, contigit vt ipse rex ita vim febrium incurreret, vt potius funebris quàm vitalis esse crederetur. Tunc regina ad locum vbi beatissimus Pontifex residebat, peruenit, & auida petitione petebat, vt intercessione ipsius Dominus suus incolumitatis donum reciperet. Sed vir Dei abdicata mundanæ elationis efferentia euntis famulatus, omnimodis denegauit. Magisque regina illa lacrymis pedes eius rigans, postulabat vel cucullam eius præstari, quam super regem sternere deberet. Victus fletibus, cessit. Quæ cum tribuente Deo supra virum suum fiduciali constantia fuisset extensa, statim effugata infestatione febrium prosperitatis munus emeruit. His actis, rex ille agnita virtutis gratia, venit ad virum Dei amplectens pedes eius, veniam postulabat. Cùm ergo Pontificalis officij cursum tricesimo & quarto anno venerabilis vitæ compleret, ad visendos propinquos suos properare decreuit. Itinere disposito, Rhodano famulante, Arelatẽ peruenit. Ibique à cõsanguineis suis Partemio & Terreolo, assiduo veneratur occursu. Dehinc Arcutamia Senatrice propinqua sua inuitante, Massiliensium eum vota suscipiunt. Qui dum in lecto suo tolerandæ infirmitatis causa quiesceret, ipse beatissimus Apollinaris Episcopus remeandi tantum spatium consecutus, cœlos petens, mundum quem semper contempserat, mox reliquit.

Obseruatur maxime S. Apollinaris.

Miraculũ ab eo factum.

In febrim incidit Sigismundus.

Veniam ab eo petit.

Visit propinquos suos A pollinaris, deinde moritur.

VITA-

VITA S. BRVNONIS PATRIARCHÆ *Carthusianorum ex ea quæ est apud R P. Laur. Surium.*

VI. OCTOBRIS.

BEATISSIMVS Bruno, sacri Carthusiani instituti primus auctor, natione Germanus, in insigni Colonia Agrippina parentes habuit & genere & virtute claros. Hic missus Lutetiam Parisiorum, vt illic literis & disciplinis liberalibus erudiretur, tantum profecit præ cæteris coætaneis suis, vt inter primos Philosophos numeraretur. Ad sacræ quoque Theologiæ studia se conferens, in Theologis doctissimus & celeberrimus habitus est, vti possunt testimonium perhibere scripta eius quæ exstant. Fuit verò etiam Rhemensis Ecclesiæ Canonicus. Verùm enimuero per id tempus circa annum salutis millesimum octogesimum secundum, Parisijs literarum studia florebant, & erat illic tum magna turba studiosorum, tum non pauci Doctores insignes. Accidit autem tunc in ea vrbe sanè horrendum & seculis omnibus memorandum spectaculum, quod & Carthusianæ scilicet vitæ instituendæ occasionem præbuit. Quidam enim valde celebris Doctor, præ cæteris multa doctrina & eximia morum honestate instructus (quantum quidem homines, qui externa sola intuentur, existimare possent) diem clausit extremum, more Christiano Ecclesiasticis nec quicquam munitus Sacramentis. Et ô iudicia Dei verè tremenda.

S. Brunonis clari natales.

Claret multa eruditione.

Nota pie Lector, & aduerte quæso diligenter.

VIRIS Ecclesiasticis preces illas, quas Vigilias defunctorum vocant, recitantibus, vbi ventum est ad eam lectionem, cuius initium est. Responde mihi, is qui erat vita functus, in ipso feretro erexit se, & paululum eleuato capite, cunctis videntibus & audientibus, & ad tantam rei nouitatem non immeritò stupentibus, alia & horrenda voce dixit: Iusto Dei iudicio accusatus sum. Et his dictis, rursum in feretro deposuit caput. Differtur itaque, sepultura in diem crastinum: repetitisque exsequiis, iterum lectio suprà dicta est recitata, cùm ecce rursum ille ingenti voce clamat: Iusto Dei iudicio iudicatus sum. Tum verò corripiuntur adstantes omnes summa & incredibili admiratione, horrendumque spectaculum stupore afficit vniuersos. Sed quia tamen necdum ea quæ hactenus dixerat, se iusto Dei iudicio & accusatum & iudicatum, apertam habebant damnationis eius significationem, cum possent etiam in bonam accipi partem, cunctis visum est etiam in ter-

En vigilias defunctorum.

Defunctus quidam, qui putatur valde pius, præbet omnibus horrendū spectaculum.

tium diem eius protrahere sepulturam. Quo illucescente, tota ferè ciuitas accurrit, tam inusitatum & terribile iudicium Dei nosse cupiens. Vbi cùm eodem modo iterarentur exsequiarum ritus, & ad Lectionem, quam diximus, peruentum esset, Tum rursum exanimis feretro caput extulit alto, Atque infelicem se comtemplando locutus. Sic ait immenso luctu grandique boatu: Parcite funeribus, mihi nil prodesse valetis. Heu infelicem, cur me genuere parentes! Ah miser æternos vado damnatus ad ignes.

Disertè proclamat se iustissimè damnatum.

Et quis ad eam vocem non totus à se discedat, Damnatum ille se iusto Dei iudicio clamabat, qui sic inter homines vixisse visus erat, vt ab omnibus sanctus putaretur. Et ille quidem, vt omni ecclesiæ suffragio & ipsa quoque ecclesiastica sepultura indignus, in loco prophano, in sterquilinio deinde sepultus est. Fuit verò sanè permultis efficax incitamentum ad vitam, animumque corrigendum, tam inauditum miraculum. Nam & ipse venerabilis Bruno, cùm præsens adesset, territus, & salubriter compunctus, mox accersiuit ad se nonnullos ex magis familiaribus sociis & discipulis, Magistrum videlicet Landuinum; qui post eum primus fuit Carthusiæ Præfectus siue Prior, duos Stephanos, Burgensem & Diensem, ambos Canonicos S. Rufi, Hugonem, quem dicebant Capellanum, quòd solus inter eos sacerdotio initiatus esset, duos laicos Andream & Guarinum, qui & ipsi huic spectaculo interfuerant. Et quis, inquit, amici mei, tam saxeo sit pectore, quem tale exemplum ad agendam pœnitentiam non impellat? Vnicum tantum superest remedium, vera pœnitentia, cùm ipse Saluator dicat: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

Interest est S. Bruno tā dicto spectaculo.

Permotus ipse, monet & alios vt serio quid hoc sibi velit cogitēt. Lucæ 13.

Itaque in mentem eis venit vir tum sanctissimus beatus Hugo, Episcopus Gratianopolitanus: cogitāt in eius diœcesi montes illos altissimos & loca deserta, atque ea causa pœnitentiæ agendæ maximè opportuna esse, denique ad eum se conferunt. Porrò per idem tempus vidit S. Hugo Episcopus in somnis Deum in ea eremo quę Carthusia dicebatur, suæ maiestati domum exædificantem, septem quoque stellas colore rutilo in orbem dispositas; cùm ecce paulo pòst Bruno cū sex sociis aduenit, locū eremiticæ vitæ congruum humiliter ab eo petens. Et ille quidem beatus Antistes postquàm abundè probasset eorum constantiam, eis dedit eremum Carthusiæ, exstruens quoque eis ibi ecclesiam & parua domicilia vel cellulas. At

Venit ipse cū sex sociis ad S. Hugonem Episcopum Gratianopolitanum.

Dicitur eū eremus dicta Carthusia.

las. At verò ille in iis cellulis singulis bini Fratres degebant, silentio, orationi, lectioni, cordis puritati, & rerum diuinarum contemplationi sedulò vacantes, certis etiam horis operis manuum, præsertim conscribendis libris incumbentes. Atque adeò ipse quoque beatissimus Hugo intantum eremum cùm iis incolebat, vt eum magister Bruno nonnumquam exire compelleret, Ite dicens, ite ad oues vestras, eisque quod debetis exsoluite. Atque hæc quidem sunt fundamenta Carthusianæ religionis. At verò beatus ille Bruno olim in mundo celebris, etsi iam omni mundi huius calcata gloria, in eremo latitare, soliq; Deo inhærere summopere studeret; non potuit tamen vsquequaque voto potiri suo. *Vitam huius S. Hugonis vide suprà 1. Apr.*

ETENIM cùm non totos sex annos in illa exigua quidem, sed sancta sodalitate exegisset; Pontifex Vrbanus secundus, qui olim beati viri discipulus fuerat, non immemor egregiæ virtutis & illustris doctrinæ eius sui præceptoris, acciuit eum per literas ad sanctæ Ecclesiæ præstanda officia; grauiter præcipiens, ne venire ad vrbem cunctaretur. Itaque Romam profectus est. Vbi cùm diutius hærere cogeretur, præfecit suis Priorem Landuinum, crebrò interim ad eos scribens, hortansque vt in via Domini constanter perseuerarent. Electus verò est deinde quoque vir sanctissimus, annuente eodem Pontifice, Rheginensis ecclesiæ, quæ est prima totius Calabriæ Metropolis, Archiepiscopus: multusque in eo erat Vrbanus Pontifex, vt eum in ea dignitate confirmaret, sed nequaquam ille præbuit assensum, quin potiùs tandem cum benedictione Pontificis à curia discedens, Calabriæ deserta loca expetiit, adiunctis sibi aliquot eiusdem propositi viris, quos iam vitæ eius odor bonus, & feruentes exhortationes ad mundi contemptum adduxerant. Didicerant enim in Calabriæ regione multas esse solitudines, agendæ pœnitentiæ, & vitæ solitariæ consectandæ aptissimas. *Cogitat S. Bruno præstare operam suam Romano Pontifici.* *Respuit Episcopatū Rheginensem.*

ET maluisset ille quidem, quòd etiam crebrò apud se constituerat, redire in Carthusiam ad Fratres charissimos: sed quia summus Pontifex cum sua curia proficiscebatur in Galliam, in cuius finibus Carthusia sita est, verebatur, si ipse quoque eò se conferret, ne aut curiam declinare non posset, aut illam non reliquisse, sed sequi videretur. Potius igitur visum est Calabriam petere, nihil interim mutata voluntate suos in Carthusia reuisendi, compositis sedatisque rebus, sicut & declarant literæ quas ex Calabriæ solitudine Fratribus in Carthusia *Nota studiū humilitatis.*

thusia

Pars epistolæ eius ad suos in Carthusia. thusia degentibus scripsit, in quarum calce sic habet: De me autem (inquit, Fratres) scitote quoniam vnicum mihi post Deum desiderium est veniendi ad vos, & vos videndi; & quando potero, opere adimplebo, Deo adiuuante. Cæterum in ipsa Calabria venit ad quandam eremum cui Turris nomen est, in diœcesi Squillacensi; ibique non cellas alicuius pretij, quòd sumptus non suppeterent, sed casas humiles, et vili quidem materia, sed in Christo pretiosa ædificarunt; donec Rogerius Comes Calabriæ dedit eis ecclesiam S. Mariæ, & B. Stephani de eremo, addens etiam res vitæ degendæ necessarias. Sanè quem se ibi præstiterit, Deo opitulante, beatus Bruno, idem Comes literis suis testatum reliquit in hæc verba.

Incolit quandam eremum Calabriæ.

Epistola quædam Comitis Calabriæ de S. Brunone. Ego, inquit, Rogerius diuina misericordia Comes Calabriæ & Siciliæ, nota esse volo omnibus fidelibus Christianis beneficia quæ mihi peccatori concessit Deus, orationibus reuerendi mei Fratris Brunonis piissimi Patris fratrum, &c. Nox proditionis aduenit; Princeps Capuæ, eiusque exercitus iuxta promissum est paratus ad arma. Dumque me sopori dedissem, interiecto aliquanto noctis spatio adstitit cubili meo quidam senex, reuerendi vultus, vestibus scissis, non valens lacrymas continere. Cui cùm in visu dicerem, quæ causa ploratus esset, visus est mihi duriùs lacrymari. Iteratò quærenti mihi quis esset ploratus, sic ait: Fleo animas Christianorum, teque cum illis simul. Exsurge quamprimum, sume arma, &c. Hic mihi per totum videbatur velut si esset per omnia venerabilis Pater Bruno. Expergefactus sum cum terrore grandi pro visione pauescens. Ilicò sumpsi arma, clamans militibus vt armati equos conscenderent, visionem si vera esset satagens comprobare. Ad quorum strepitum & clangorem, fugientes, impius Sergius eiusque sequaces subsecuti sunt Principem Capuæ, sperantes se in dictam ciuitatem confugium habuisse. Sed cœperunt milites inter vulneratos & sanos centum sexaginta duos, à quibus visionem fore veram comprobauimus. Atque hæc quidem Comes ille: quæ vel sola pro sanctitate beatissimi Brunonis sufficient. Obiit verò vir præstantissimus pridie Nonas Octobris, anno Christi millesimo centesimo primo; sepultus ibi in Calabria in monasterio suo S. Stephani. Cuius festum vt in singulis monasteriis totius Ordinis Carthusiensis, & eorum Ecclesiis siue sacellis annis singulis die sexta Octobris solenniter celebretur, Leo decimus auctoritate Apostolica voluit.

Apparet in visu S. Bruno dicto Comiti.

Migrat ad Christum.

VITA

VITA S. OSITHÆ REGINÆ, VIRGINIS & Martyris, ex Alberico Vecro Regulari.

VII. OCTOBRIS.

BEATA Ositha virgo & martyr, ex nobilissimis Anglorum natalibus originem ducens, filia fuit Fritheuualdi Regis, & Vvilteburgæ filiæ Regis Pendæ Merciorum. Hæc tradita primò fuit bonis informanda moribus sanctæ Moduuennæ Abbatissæ, quæ iuxta syluam, quæ Arderna dicitur, duo construxerat monasteria: vnum in loco qui Pollesvvorch dicitur; aliud in mansione quæ Streeuershal nuncupatur; quorum alterum sibi elegit orationibus intenta, reliquum concessit beatæ Edithæ sorori Regis Alfredi, ob sanctitatis meritum sibi familiariter dilectæ. Porrò post decessum S. Moduuennæ, beata Ositha ad parentes reducta, virtute & moribus quotidie proficiebat: Vnde, & cum ad nubiles peruenisset annos, Rex Orientalium Saxonum Sigetus parentes puellæ solicitans, virginem sibi petiit in coniugem dari. Quam vt parentes ad consentiendum hortati sunt, illa blanditias eorum respuens, animo & actione virginitatis sibi puritatem magis cordi esse declarauit. *S. Ositha genus.* *Educatur in monasterio.*

ATTAMEN quamuis renitens & inuita, nuptiis regali apparatu instructis, Regi illi tradita est, affectum interim & desideria sua cælesti sponso commendans, precesque Deo deuotè & instanter offerens, vt ipsam à viri contactu immaculatam conseruaret. Itaque multis diebus laudabili quadã fallacia & multarum occasionum opportuno prætextu Regis desiderium repressit. Sed ille eo ardétiùs quo minùs erat voti eius conscius, in secretius tandem cubiculum eam iussit introduci, vt diu optatis eius frueretur amplexibus; cùm subitò adest nuncius, Regi narrans ceruum spectabilem præ foribus regiæ domus discurrere. Itaque Rex intactam deserens Reginam, adiunctis sibi venatoribus ad persequẽdum ceruum perniciter aduolat. Atque interim Ositha, tamquam è naufragio erepta, liberatori suo Christo gratias agit: mittitque celeriter literas Orientalium Anglorum Episcopis Eccæ & Beduuino viris religiosis, iis mentis suæ desiderium exponens. Vnde & illi festino gressu ad eam venientes, religionis habitum ei tradunt, & velo imposito monialem consecrant. *Nubit ex voluntate parentum Regi Orientalium Saxonum.* *En quomodo Deus non sit consulere deside iis suorũ.* *Consecratur monialis.*

ET quidem interea rediens Rex post aliquot dies à venatione, ad visitandam Reginam alacriter properat: at verò cer- *Quod quo pacto ei licuerit.*

V. de Côc. Trident. sess. 24. can. 6.

nens eam habitu sancto indutã, mœrore afficitur. Sed tamen nolens amorem in odium cõmutare, ecce illam proposito suo insistere sustinet, licet inuitus: constructisq; ædificiis religioni accommodatis, villam Chichensem ei dat possidendam. Tum verò illa sacras sibi virgines adiungens, vitæ austerioris propositum mox aggreditur, morum disciplina, silentij vigore, & censura continentiæ singulas diligenter informat, & tũ verbo tum exemplo ad amorem cælestium, & mundi contemptum indesinenter accendit. Deniq; cùm in Dei famulatu aliquamdiu desudasset anno Domini sexcentesimo quinquagesimo tertio, mense Octobri, Gẽtilium caterua è Danorum partibus, nauibus aduecta, apud Orientales Saxones ad villã Chichensem appulit: atque ibi è nauibus egressi, rapinis & incendiis in Christianos sæuierunt. Et tunc quidem ille qui inter scelestos illos primas obtinebat, conditione beatæ Osithæ, & religione comperta, precibus & muneribus eam cœpit ad idololatriam prouocare, subiiciens tamen simul minas verberum & vulnerum, nisi deorum, quos colebat, venerationi consentiret.

Efficitur mater multarũ sacrarũ virginum.

Inuaditur Anglia à Danis.

At verò virgo sancta & blanditias contemnens, & minarum asperitatem nihil reformidans, supplicia impendentia paruipendit. Quamobrem Princeps ille, neque eius constantiam, neque deorum suorum iniuriam ferre sustinens, capitali tandem in eam lata sententia, caput submittere coëgit: quo in loco statim fons perspicuus erupit, variis morborum generibus præbens sanitatem. Porrò audito eius martyrio, parentes eius præcipuo æstuabant desiderio, vt vel truncati corporis penes ipsos deposito pignore consolati, doloris iacturam redimerent. Vnde & cùm corpus ad illos allatum esset: in ecclesia Ailesbiriæ in locello plumbeo illud honorificè collocarũt: vbi perpetratis multis miraculis, tandem sacræ reliquiæ, monente diuina visione, ad ecclesiam Chichensem sunt delatæ, quas Mauritius Londoniensis Episcopus in pretioso scrinio reposuit, & Roffensis Episcopus, qui præsens aderat, à graui infirmitate est curatus.

Cõsummatur S. Regina martyrio.

Multa fiunt miracula ad eius sacrum corpus.

VITA S. MARCI EVANGELISTÆ, *ex Eusebio Cæsariensi.*

Lib. 2. cap. 15.

VII. OCTOBRIS.

EVSEBIVS Cæsariensis de S. Marco hæc in monumentis reliquit: Igitur cùm Romanæ vrbi clarũ verbi Dei lumen fuisset

fuisset exortũ, Simonis quidẽ tenebræ cũ suo autore restinctæ sunt. Sermo autem veritatis & lucis, qui per Petrum prædicabatur, vniuersorum mentes placido illustrauit auditu, ita vt quotidie audientibus eum nulla vnquam satietas fieret. Vnde neque auditio eis sola suffecit, sed Marcum discipulum eius omnibus precibus exorant, vt ea quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam scripturæ traderet, quo domi forisque in huiusmodi verbi meditationibus permanerent. Nec priùs ab obsecrando desistunt, quam quæ orauerant, impetrarent. Et hæc fuit causa scribendi, quod secundum Marcum dicitur Euangelium. Petrus verò, vt per spiritum sanctum religiosè se spoliatum comperit furto, delectatus est, fidem eorum per hæc deuotionemque considerans, factumque confirmauit, & in perpetuum legendam scripturam Ecclesiis tradidit. Clemens in sexto Dispositionum libro, hæc ita gesta esse describit. Cuique simile dat testimonium etiam Hierapolites Episcopus nomine Papias: qui & hoc dicit, quòd Petrus in prima Epistola sua, quam de vrba Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropice Romam Babylona nominarit, cùm dicit: Salutat vos ea quæ in Babylone est electa Ecclesia, & Marcus filius meus. Hunc autem Marcum tradunt primum ad Ægyptum perrexisse, atque inibi Euangeliũ quod ipse conscripserat, prædicasse, & ipsum primum Ecclesiã apud Alexandriam constituisse. Tanta autem refertur multitudo credentium virorum ac mulierum, primo ingressu exemplo sobrietatis eius & continentiæ congregata, vt etiam conuersatio eorum qui per ipsum crediderant, & vita totius abstinentiæ, ac frugi eorum sobriáque conuiuia, librorum memoriæ mandarentur à viro disertissimo Philone, quem sermo tenet temporibus Claudij Imper. Romam venisse, & Petrum Apostolum vidisse, atque eius adhæsisse colloquiis, verbum Dei prædicantis. Quod valde est verisimile, quia & scripturam istam, quam diximus, posterioribus ab eo temporibus constat esse compositam. In qua euidentissimè omnia Ecclesiæ instituta complectitur, quæ & tunc tradita sunt, & in hodiernum seruantur à nobis. Sed & abstinentium vitas, eorum duntaxat, qui nunc in Ecclesiis vel monasteriis degunt, describit ad liquidum. Vnde planè manifestissimè proditur, non solùm sciens quæ nostra sunt, sed & amplectens, quippe qui diuinis laudibus extulit sui temporis Apostolicos viros, ex Hebræorum (quantùm intelligi datur) præcipuè genere credentes:

S. Marcus S. Petri discipulus.

Secundum Marcum Euangelium.

Verbi Dei fructus maximus in Ægypto opera S. Marci.

quoniam quidem constat, quòd hi qui sub Apostolis ex Israëlitis credebant, Iudaicis adhuc institutionibus, & legis obseruationibus inhærebant. De Hermagora discipulo Marci ciue Aquileiensi, quem Aquileiæ à populo electum Episcopum ibidem constituit. Item de Calciario Ananio qui successit illi Alexandriæ, ibi ordinauit Ecclesiam. Vide Hieronymum ad Euagrium. Fuit S. Marcus vnco tractus Alexandriæ vbi spiritum Deo suo commendauit.

S. Marci discipuli.

VITA S. PELAGIÆ DICTÆ PECCAtricis, vel potiùs Pœnitentis, ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium.

VIII. OCTOBRIS.

PELAGIA, prima femina Antiochiæ ciuitatis, rebus & diuitiis plena, corpore pulcherrima, habitu ambitiosa, & animo & corpore vana primò fuit. Quæ sanè cum impudica per ciuitatem quadam vice cum pompa maxima transiret, ita vt nihil super eam nisi aurum & argentum, & preciosi lapides viderentur, & quocumque iret, diuersorum aromatum odore aërem repleret, præcederet etiam eam & sequeretur magna multitudo puerorum & puellarum, qui & ipsi superbè erant induti; Nonnus Episcopus Heliopoleos eam videns, amarissimè flere cœpit) dixitque adstantibus Clericis, quòd Deus illam in iudicio contra eos producturus esset, quoniam ipsa tam solicitè se depingebat, vt terrenis amatoribus placeret, & ipsi cælesti sponso placere tam parum curarent. Quæ cùm diceret, ecce subitò obdormienti visum est ei quòd quædam columba magna & fœtida circa eum celebrantem volaret, quodque dum Cathechumeni eiicerentur, columba disparuit, & post Missam rediens, in vase aquę ab eodem demersa, munda & candida exiuit, & tam alte volauit, quòd videri non potuit.

S. Pelagia primò vana & valde mundana.

Nonnus Episcopus eã videns, flet, & simul dat omnibus insigne documentum.

SVPER quam visionem dum stuperet Episcopus, & post hæc die quadam in ecclesia prædicaret (ô infinitam tuam, ô Christe bonitatem) subito Pelagia quæ aderat, adeò est compuncta, quòd ei statim per nuncium literas misit, supplicans, vt quia Christus, sicut ipsa audierat, pro peccatoribus in mundum venisset, ipsam quoque peccatricem ipse Episcopus Christi, redeuntem benignè susciperet. Ad quod Episcopus tentari se dubitans, cùm respondisset, quòd eum solum videre non posset, illa magis coram pluribus ad eum veniens humillimè

Compungitur subito Pelagia ad prædicatione eiusdem Episcopi.

limè ad pedes eius procedit,simulq́ue amarissimè flere cœpit, dicens se esse Pelagiam,id est,pelagus iniquitatis, exundans fluctibus peccatorum,& quæ multas animas in abyssum perditionis demerserat,sed quæ iam cuperet, Dei adiuuante gratia, omnia in melius commutare. Quare & Episcopus clementer eam suscipiens, pœnitentiam ei salutarem iniunxit, sacroq́ue baptismate regenerauit, illam scilicet columbam eam esse recognoscens, quam antea viderat. Et quidem diabolus grauiter ferens, in aëre vociferabatur, & de Nonno Episcopo, qui sibi spem suam abstulerat, vehementer conquerebatur, itemq́ue nocte Pelagiam dormientem excitans, multis blanditiis adulari cœpit, gloriam quoque & diuitias ipsi collatas commemorabat,&,si Christum vellet relinquere, adhuc etiam maiora promittebat. Sed illa imprimens sibi signum Crucis (vti erat à Nonno Episcopo edocta) in dæmonem insflauit,moxq́ue ille euanuit.

Iniungit ei Venerabilis Episcopus salutarem pœnitentiam.

PORRO datis omnibus opibus suis ad voluntatem beatissimi Nonni,in viduas, orphanos & pauperes expendendis, illa octauo die,quando albam vestem deponere debebat, nocte,omnibus insciis,deponens baptismatis vestem,cilicinámque induens abiit Hierosolymam,deuenitq́ue in montem Oliueti,vbi Dominus precatus est:vbi habitu virili sumpto,paruam cellulam sibi construens, Deo in multa abstinentia seruire cœpit. Accidit autem post hæc vt quidam Diaconus dicti Nonni Episcopi,Hierosolymam loca sancta visitaturus aduenisset. Qui cùm de mandato sui Episcopi Pelagium monachum in monte Oliueti requisiuisset, ipsumq́ue inueniens visitasset; ipse ab ea cognitus, ipsam minimè recognouit.Quo enim pacto cognosci posset, quæ antea visa erat summa formæ elegantia & pulchritudine,at nunc præ nimia abstinentia vultus macie extabuerat, oculi intrò recesserant, vt quædam concauæ fossæ viderentur? Dixit autem ei Pelagia vt se orationibus sui Episcopi commendaret, sicq́ue occlusit fenestellam,moxq́ue cœpit psallere preces horæ Tertiæ.

Pelagia, superato dæmone ipsam tentante, datisque suis omnibus in vsum pauperum, tendit ad montem Oliueti.

Agit seuerissimam pœnitentiam.

QVOCIRCA & Diaconus tunc quoque recessit. At verò reuersus Hierosolymam, monasteriaq́ue perlustrans, cùm in iis magnam Pelagij famam percrebuisse audisset, constituit rursus ad eam reuerti, vt possit eius salutari doctrina recreari. Sed vbi ad cellulam eius pulsasset, cumq́ue nominatim appellasset,nihil respondit.Quod cùm fecisset & altero & tertio die;nullamq́ue itidē eius vocem persensisset, Quid si,inquit,

Migrat ad Dominum.

per fenestellam introspiciam? Inspexit ergo, & ecce vidit eum exanimem. Veniunt itaque sancti Patres cum multis diuersorum monasteriorum Fratribus, patefaciunt cellulæ ostium, sanctum Pelagiæ corpusculum foras exportant. Quod cùm condire vellent, de repente animaduertunt feminam fuisse; magnaque voce exclamant; Gloria tibi Domine Iesu Christe, qui multos habes in terris thesauros absconditos non in virili dumtaxat, sed etiam muliebri sexu, Abiit autem rumor ad totius populi aures, veneruntque ex omnibus monasteriis Virginum, tam quæ in Hiericho, quàm quæ ad Iordanem erant cum cereis, lampadibus & hymnis, depositæque sunt sanctæ eius reliquiæ. Atque hæc est conuersatio peccatricis, hæc conuersio pœnitentis Pelagiæ; cum qua etiam nos faciat Dominus inuenire misericordiam in die iudicij.

Sepelitur eius sacrū corpus summo hominum concursu.

DE B. DIONYSIO AREOPAGITA,
Apostolo Galliarum, ex Ordinario nouo.

IX. OCTOBRIS.

DIONYSIVS Atheniensis, vnus ex Areopagitis Iudicibus, vir fuit omni doctrinæ genere instructus. Qui cum adhuc in gentilitatis errore versaretur: eo die quo Christus Dominus Cruci affixus est, animaduertens præter naturam Solem defecisse, exclamauit: Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluetur. Sed cùm Paulus Apostolus veniens Athenas, & in Areopagum ductus rationem reddidisset eius doctrinæ quam prædicabat, affirmans Christū Dominum resurrexisse, & mortuos omnes in vitam redituros esse; cū alij multi, tum ipse Dionysius in Christum credidit. Itaque & baptizatus est ab Apostolo, & Atheniensium Ecclesię Pręfectus.

S. Dionysius adhuc Ethnicus obstupefacit eclipsim solis tempore passionis Dominicæ.

Act. 17.

HIC cùm postea Romam venisset, à Clemente Pontifice missus est in Galliam prædicandi Euangelij causa. Quem Luteriam vsque Parisiorum Rusticus Presbyter, & Eleutherius Diaconus prosecuti sunt? vbi à Fescennio Præfecto, quòd multos ad Christianam religionem conuertisset, ipse cum sociis virgis cæsus est. deinde cùm in prædicatione Christianæ fidei constantissimè perseueraret, in craticulam subiecto igne iniicitur, multisque præterea suppliciis vnà cum sociis cruciatur. Sed ea tormentorum genera omnibus forti ac libenti animo perferentibus, Dionysius nonagesimum annum agens, cum reliquis securi percutitur septimo Idus Octobris. De quo illud memo

Venit cum sociis Parisios.

memoriæ proditum est, abscissum suum caput sustulisse, & progressum ad duo millia passuum, in manibus gestasse. Libros scripsit admirabiles ac planè cælestes de Diuinis nominibus de cælesti & Ecclesiastica hierarchia, de mystica Theologia, & alios quosdam. *Cõsummatur eum ijsdem glorioso martyrio.*

VITA S. GISLENI CONFESSORIS,
quiescentis in Hannonia, ex ea qua est apud R. P. Laur. Surium.

IX. OCTOBRIS.

EGREGIVS Christi Confessor Gislenus à Græcis Christianis parentibus feliciter ortus, Athenis literis eruditus, postquam disciplinis liberalium artium perfectè institutus fuit, mox intra monasterij claustra velut in optatissimum salutis portum se recepit. *S. Gislenus statim à primis annis versatur in monasterio.* Vbi cum aliquamdiu sancti Basilij instituto viuens, optima quæque consectatus esset, ita vt fratribus eius monasterij virtutum egregia de se exempla præberet firmæ fidei, charitatis non fictæ, multæ humilitatis (quæ ei virtus familiaris admodum erat) iucundæ & alacris obedientiæ, profusæ beneuolentiæ, magnæ abstinentiæ, & multarum vigiliarum; iam sacerdotio initiatus, admonetur nocte ab Angelo, vt Apostolicis triumphis celebrem inuisat Romam, illic sibi ostendendum quid eum oporteat facere. *Viuit ibidem sanctissime.* Venit itaque Romam: beatissimorum Apostolorum ecclesiæ Principum limina petiit. Quæ vbi largo piarum lacrymarum imbre infudisset, apparuit ei aulæ cælestis ianitor hisce eum verbis compellans: Est, inquit, pagus qui ab amne præterfluente Hainau appellatur; ibi tuæ habitationi noueris diuinitus destinatum locum illum, quem incolæ Vrsidungum vocant ab Vrsa cum catulis illic deprehensa. *Visit limina Apostolorũ, vbi iubetur proficisci in Hannoniam.* Tu illic meo & fratris mei Pauli nomini oratorium condes, nostrísque patrociniis reuerenter consecrandum curabis, multásque ibi Domino lucraberis animas.

QVA visione exhilaratus vir sanctus, laudes & gratias egit Deo, atque è comitum turba non nisi duos sibi retinens, Lambertum & Bellirium, nudus nudum secuturus Saluatorem, ad locum sibi ab Apostolo indicatum, properauit. Quo in itinere, cùm lustranti ei sacra monasteria, vrbes & castella, dictum esset de amantissimo Christi Confessore Amando, cuius celeberrima gratissimo sanctitatis ardore fama tum Eccle- *Audit de sanctissimo Amando.*

siam compleuerat, & animas hominum mirè afficiebat, valde sitiens eum videre, & cum eo colloqui, tandem venit ad eum. Exponit itaque ei causas itineris sui, petit ab eo salutare consilium; ac tandem eius benedictione percepta, profectus est, venitque ad montem quem Castri locum vocát. Quem cùm putaret esse locum sibi à Domino promissum, cœpit exstirpare arbusta, vt posset illic templum construere aptum Christo seruituris. Sed non multo pòst, vrsa quadam, arreptam sportam, in qua erant sacræ vestes, in quibus vir Dei sacrificare solebat, in locum vicinum dumosum absportante, ipsaque deinde libenter cum catulis suis hospitium suum viro sancto cedente, seruus Dei iam hunc potius esse locum sibi demonstratum intelligens, omni quo potuit studio eum repurgat, & magno Christi amore feruens, vt iussus erat cælitus, mox in beatorum Petri & Pauli Apostolorum honorem templum ædificat. Cellam Apostolorum illud vocans.

Subsistit aliquanto tempore ad montem dictum Castri locum.

Construit cellam quæ iam vocatur ipsius nomine.

In ea verò Cella ipse porrò secum habitauit, & humanam fugiens laudem, mundo se celauit, vixitque imprimis Deo, atterens corpus suum fame & frigore, semperque degens in cilicio & cinere. Erat autem tunc Comes illustris * Malgarius, qui corde compunctus, fallacissimo mundo nuntium remittens Autberti Episcopi manibus tonsus, in Alto monte monasticum indutus habitum, inclusus sanctè viuebat. Cuius & vxore castè in seculari habitu degente, & filio prædita strenuè gubernante, beatus Gislenus à Domino admonitus est vt eam inuiseret, & ea quæ ad animæ salutẽ pertinent, diligenter ei inculcaret. Fecit itaque Gislenus alacriter vt erat iussus, sitientique animæ æternæ vitæ pocula abundè obtulit: quibus Vvaldetrudis (sic enim vocabatur) sobriè inebriata, in Castri loco deinde cellulam sibi construi fecit, simulque oratoriũ in honorem Petri & Pauli Apostolorum: vbi ipsa cum eiusdem instituti religiosis feminis castè & humiliter vixit, & B. Gisleno hortante, Cameracum profecta à S. Autberto Episcopo sacrum accepit velamen, quod est innocentis vitæ symbolum: ac deinceps quoad vixit, sanctis virtutibus operam dedit, & alias simul illic degentes docuit calcare mundi huius vanitatem, cunctisque sanctitatis speculum & norma salutis fuit.

** Madelgarius alio nomine S. Vincentius Comes Hannoniæ.*

Eius consilio S. Vvaldetrudis accipit sacrum velamen.

Pergebat interim B. Gislenus verbi Dei iactare semina cupiens omnes ab huius mundi amore abducere, & Deo adiungere. Et opportunè sanè ad beatam Vvaldetrudem accessit. Etenim saluberrimè quoque eam admonuit, vt & sororem

rem suam Aldegundem Deo lucrari conaretur, simul & filias suas Adeltrudem & Madelbertam consecraret Agno illi qui est candidus vellere innocentiæ rubicundus passione, electus ex millibus. Sed nec surda id aure accepit VValdetrudis, quin statim hortatur Aldegūdem, ipse quoque sanctus Pater Gislenus docet eam: denique Aldegundis virguncula Christi totam se confert ad Domini sui famulatum in Malbodiensi cœnobio, quod ipsa condidit ex bonis suis hæreditariis. Tandē verò cùm iam ex bono odore virtutum beatissimi Gisleni tota ecclesia esset repleta, sentiens vir Dei aduentare obitus sui tempus, indicauit suis se propediem è vita discessurum. Et erat quidem hic illorum auribus tristissimus nuncius, sicut testabantur lacrymæ ab eorum oculis manantes. Sed nihilominus vir beatus sacramento Eucharistiæ sese communiuit, ac denique febre correptus, inter discipulorum expirauit manus, cum beatis Angelis in cælum proficiscens: vbi stola immortalitatis donatus est à Christo, cui viuens indefessam exhibuerat seruitutem. Corpus eius in beatorum Petri & Pauli Apostolorum ecclesia, quam ipse exstruxerat, humatum est: vbi sacris eius meritis morbidi omnes sanitatem recipiunt.

Item obaudit ei & S. Aldegundis.

Migrat in calum.

VITA S. GVMMARI CONIVGATI,
ex ea quæ est per Theobaldum ad Sigerum Lerensem Præpositum.

XI. OCTOBRIS.

SANCTVS Gūmarus præclara stirpe ortus, apud Emblehem Riensis prouinciæ vicum natus est & enutritus. Qui cùm bonorum operum flores emitteret, ad aulam Regis perductus est à parentibus suis. Pipinus eo tēpore regni habenas moderabatur. Et ab illo quidem Gummarus susceptus est, sed mallet vtique Deo seruire. Nec multum temporis defluxit, & magna præfectura honoratus est. Libet recitare rem magnæ pietatis plenā. Non vlla incitante libidine, sed cogente Rege, vxorem duxerat Guurmariam nomine longè à suis moribus discrepantem: nam quantū ille humanitate, tantum illa crudelitate redundabat. Cùm ergo iussu Regis ad expeditionem se pararet vir sanctus, domus suæ totiusque familiæ curā ei reliquit, admonēs vt erga subiectos multa vteretur mansuetudine, & sic profectus est. Sed illa quadam beluina feritate post eius abscessum cœpit sæuire in suos, falsò illis quasdam affingens

S. Gummari clari natales.

Volente Rege Pipino ducit vxorem.

Vexat vxor eius familiam grauissima seruitute.

gẽs culpas. Atque ſub hoc prętextu auferebat eis boues eorum & omnem poſſeſſiunculam. Cumque nihilominus abſque vlla clementia exigeret tantundem ab illis quamtum antea cõſueuerat, illi bobus ſpoliati inſtar iumentorum colla iugo ſupponentes, ipſi trahebant plauſtra onuſta vſq; ad domũ illius gementes atque dolentes. Sed vide è contra viri ſancti pietatem.

** ſeptem.*

ANNIS * nouẽ exactis, cum dimiſſus à militia rediret exercitus, ſanctus quoque Gũmarus remeauit ad ſua. Domum intranti, occurrit tota familia: eiulant & clamitant omnes, ſe grauiter cæſos, iniuſtè ſpoliatos, modis omnibus miſerabiliter vexatos. Quod ille videns, animo conturbatus eſt, & verſus ad vxorem, Conturbet te Deus, inquit, ſicut alios perturbaſti. Oportet certè bonũ operari ad omnes, maximè ad domeſticos fidei. Siue enim ſeruus ſiue liber, omnes in Chriſto vnum ſumus. Eadémque hora iuſſit pecus omne è paſtu reduci, & ſingulis quod ſuum erat reſtitui. Porrò ſanctus Gummarus magis magiſque Deo intendere, ſanctioribusq; in dies ſtudiis vacare conabatur. Itaque cõmendans ſe Deo, cum nonnullis è vicinis ſuis Romam profectus eſt. Et vide mox inſigne miraculũ. Primo ſuſcepti itineris die non longè à domo ſua fixit tentorium iuxta fluuium. Netam arboremque pulcherrimam illic ſtantem, quòd ad fulciendum tentorium eſſet neceſſaria, iuſſit ſuccidi. Mox autem adeſt loci illius poſſeſſor ruſticus, planeque iracũdus, in omnes inuehitur, vixque multis precibus adduci potuit vt vſque mane ſileret. Illo autem abeunte, cùm intempeſta nocte omnes ſopor & ſilentium obtineret, ſanctus Gummarus ad orationis arma confugit: Domine, inquit, tu refugiũ factus es nobis: Reueletur itaque hominibus gloria tua, prædicetur ab incredulis nomen tuum, & aufer à ſeruis tuis, quam ignoranter incurrimus contumeliam. Quæ cùm oraſſet iuxta arborem proſtratus, ſurgens collegit arborem, eamque zona ſua colligauit. Res mira & venturæ generationis memoria digna. Adeò cõſolidata eſt arbor illa, ac ſi nihil prorſus antea cæſa fuiſſet, atque etiamnum in eodem loco illam ſanam videmus, ſola veſtigia circumligatæ zonæ retinentem, in gloriam Dei, & laudem ſerui eius.

Seueriſſimè increpat vir ſanctus impiũ vxorem.

Patitur ſibi ſuccenſiſſimũ quendam ruſticum.

Eundẽ placat inſigni miraculo.

SED & eadem nocte apparuit ei Angelus Domini in columbæ ſpecie, aitque ad eum: O Gummare, eſto vigil. Diſpoſuiſti quidem Romam ire, & orationes Apoſtolorum Petri & Pauli viſitare. Sed hoc itinere omiſſo, audi attentius quid Deus mandet tibi. Haud procul abeſt locus circumfluente

amne

amne conclusus arboribusque consitus: ex eo scilicet arbores exstirpabis, & oratorium ibi condes. Nomen villæ antiquum Niuesdunt, quod mutatum vulgus Ledonem appellauit. Nec mora: Gummarus ecclesiam illic in honorem S. Petri condidit: atque in ea iugiter orationibus inuigilans, ad supernam beatorum ciuitatem ardenter suspirabat. Sed & quoties illi visum fuit, ad villam suam Emblehem reuerti, eundo vel redeundo nullum sentiebat laborem: paruo enim interuallo inde aberat. Itaque apud Emblehem actiuam exercebat vitam, nudis porrigens indumenta, esurientibus escam, ægrotorum gerens curam, peregrinos excipiens hospitio, pupillos defendens, viduas protegens, & id genus bonis operibus insistens. Quoties autem à terrenis animo ad cælestia sublato, soli Conditori per contemplationem intendere voluit, ad locum oratorij sui recurrebat.

Iubetur à Deo construere oratorium in Niuesdũt quod nũc est Lira.

Strenuè insistit operibus charitatis.

SILENDVM verò non est, quàm præclara virtute S. Gummarus præterea emicuerit. Nam messis tempore cùm exirent homines vndique in agros, ait illi vxor sua: En alij ad messem properant: quid nos desidia torpemus? Exiuit ergo cum familia, in agros: cúmque instarent operi, nimius iam media die solis æstus erat. Petierunt itaque famuli paulisper dimitti, vt ardorem sitis extinguerent. Sed mulier truculenta nullam intermissionem fieri sinebat, imò delassatos vrgebat minis & acerbis sermonibus. Sed cùm iam præ labore & siti deficerent, sanctus Gummarus venit in agrum. Tum verò ei occurrerunt omnes ad pedes eius procidentes, cùm ille ait vxori: O pectus ferreum! nihil tibi nobiscum rei sit, quæ talem geris animum. Et quidem illa recessit, reprehensionem eius paruipedens. At vir sanctus fodit baculo terram, & eruperunt aquæ largissimè, quas omnes illi alacriter hauserunt. Hodieque manat fons ibidem, vt sit præclaræ virtutis testimonium. Cæterum vxor beati viri domum, vt diximus, regressa, nimio ardore periclitari cœpit, nec potuit ardorem illum aqua vllo modo exstinguere, imò aqua, vi & natura sua amissa, in eius pectore sitim magis nutriebat. Sentiens igitur sibi mortem imminere, per nuncium deprecata est Gummari clementiam. Ille autem noluit malum pro malo reddere: sed domum veniens eamque propemodum animam efflare cernens, signo sanctæ Crucis eam consignauit, & potum sua manu porrexit ac sic statim reualuit.

Iterum eius truculenta vxor sæuit in familiam.

Succurrit vir sanctus suorũ siti, impetrato diuinitus fonte.

EO tempore fuit & Rumoldus vir sanctus. Audiens igitur de S.

de S. Gummaro, videre illum summopere desiderabat. Gummarus quoque eius fama comperta, non minori eius videndi desiderio tenebatur: Itaque conuenerunt aliquoties duo illa clarissima eius prouinciæ luminaria, idque in loco qui dicitur Stadeki, æquali spatio ab vtriusque habitatione distante. Immo placuit illis ex instinctu diuino vt singulis annis cū totius populi frequētia illuc conuenirent, cum Crucibus & thecis, sanctorumque reliquiis, Missasque pro communi salute celebrarent. Quod cùm ita constituissent, vterque proiecit virgam suam, quæ in vicinæ quercus trunco consistentes, in momento viruerunt, floresque & folia protulerunt, quemadmodum testantur multi. Tandem autem morbo correptus vir Dei Gūmarus, in villa sua decubuit, atque ecce non multo postea, cursum mortalis vitæ absoluit, quinto Idus Octobris. Porrò sanctissimum eius corpus diuina iussione ad eius ecclesiam deportandum, cùm impositū esset nauiculæ sine vllo remige vel nauclero, cursu velocissimo, non sine ingenti miraculo ad villam contendit, ibique substitit: vnde ablatum cum multa reuerentia in ecclesia humatum est, atque illic quadraginta annis quieuit. Nam posteaquam cōstructum est monasteriū, quod ibi adhuc cernitur, in illo honorificè sepultum est & eleuatum: vti etiā vsque in præsentem diē multa fiunt miracula.

Visunt se mutuo familiariter ipse & S. Rumoldus.

Obdormit vir sanctus in Domino.

VITA B. BRVNONIS ARCHIEPISCOPI

Coloniensis, ex ea quæ est per Rothgerum Benedictum.

XI. OCTOBRIS.

COMPERTVM est nuper à plurimis in venerabili Coloniensis ecclesiæ Archiepiscopo Brunone piæ memoriæ, & satis à prudentioribus intellectum, homo homini quid præstet. Scilicet idem annos circiter quatuor habens literarum studiis imbuendus Baldrico venerabili Episcopo, qui adhuc superest, Traiectum missus est. Vbi cùm ipse disciplinaliter vtpote bonæ indolis puer ingenio sagaci proficeret, inuisa Nortmannorū tyrannis quasi per huiusmodi obsidem nonnihil refriguit. Vnde & ecclesiæ etiam, cæteraque ædificia, quorum ruinæ vix exstiterant, hac occasione restauratæ sunt: ita videlicet nulla ætatis suæ spatia absq; vtilitate sanctæ Dei Ecclesiæ transigebat: quin verò per ipsum licet adhuc inscium, iam Christianus populus ab hostibus liber, in Dei laudibus exsultabat. Qui deinde, vbi prima Grammaticæ artis rudimen

Nota ætatem Auctoris.
S. Bruno instituitur a venerabili Baldrico Episcopo Vltraiectensi.

rudimenta percepit, postea nullum penitus erat studiorum liberalium genus in omni Græca vel Latina eloquentia, quod ingenij sui viuacitatem aufugeret. *Egregiè in literis proficit.*

At verò interea, patre eius, pacato imperio, rebus humanis concedente, Otho filius maior benedictione Domini auctus, & oleo lætitiæ vnctus, magna volũtate & cõsensu Principum regnare cœpit anno ab incarnatione Domini nongentesimo trigesimo septimo. Qui dum germanum suum Brunonem Deo dicatum adolescentulum honorabiliter, vt par fuit, è scholis in palatium euocauit, ille nihilominus quicquid Historici, Oratores, Poëtæ, & Philosophi nouum & grande perstrepunt diligentissimè cum Doctoribus cuiuscunque linguæ perscrutatus est, & ita quidem, vt vbi magister licet excelluit ingenij velocitate, ibi tamẽ se discipulũ præbuerit humilitate. Sanè Israël Episcopus Scotigena, sub cuius magisterio illustrissimus hic, de quo loquimur, plurimũ se profecisse testatus est, de moribus eius requisitus à quibusdam, quos ipsi audiuimus, hoc ipsum solicitiùs ruminantes, & quasi pro oraculo habentes, sanctum eũ apprimè esse respondit. Græci quoque, quibus æquè magistris vsus est ad tantam gratiam stupebãt, digna nimirum de illo problemata domum suis ciuibus reportantes. Et millies tamen interea per dies cogebatur calamitosis patrocinari, consulere afflictis, opem ferre miseris. Quæ omnia sic administrabat, vt refugium factus egenis omnibus videretur. Ita cùm esset in ocio, nemo ferè magis videbatur in negotio. Lucubrationibus inueniendis intentissimus, in dictatu quæcumque sunt honestissima, accutissimus fuit. Latialem eloquentiam non in se solum, vbi excelluit, sed & in multis alius politam reddidit & illustrem. Nullo autem hoc egit supercilio, sed tum domestico lepore, tum vrbana grauitate. Matutinum crepusculum nullo pretio vendidit, nec tunc vllo modo etiam se somno solicitanti credidit. *Euocatur à fratre suo Imperatore ad palatium.* *Instituitur ibi a doctissimis quibusque.* *Studet simul literis & virtuti.*

Qvocvmqve circumagebãtur tabernacula aut castra regalia, bibliothecam suam sicut arcam Dominicam circumduxit, ferens secum & causam studij sui & instrumentum, causam in diuinis, instrumentum in gentilibus libris. Rumores vulgi pro nihilo duxit, nec quod ante pedes fuit solum, sed multa quoque in posterum præuidit. Vnde & de fratre suo cognomento patris sui, & Cunone in affinitatem regiam assumpto, dum nimiam inter eos colloquij familiaritatem, & hoc maximè Missarum tempore cerneret, præsago spiritu fertur dixi *Notent qui tam libenter fabulantur sub officio diuino.*

tur dixisse: O in quantam inimicitiarum amaritudinem ista in hoc tempore tremendo malè parta conturbernia resoluentur! Quibus dictis, proh dolor, non multo pòst fidem fecit ipse euentus rei. Cæterùm prima dispensatio credita est Brunoni adhuc adolescenti in quibusdam monasteriis, in quibus degentes partim voluntate, partim vi ad regularem vitam constrinxit, ipsaque post paululum sacrata loca, annuente regia liberalitate, priuilegiis & immunitatibus pristinis reformauit: in quibus exstat Loresham locus Regum munificentiâ nobilis, adhuc in memoriam tanti viri retinens & prærogatiuam libertatis, & monimenta simul religionis. Deinde verò cùm de virtute in virtutem giganteis, vt ita dicam, passibus iret, & quocumque pedem intendit, semper in voluntate Domini proficeret: sanctæ Coloniensis ecclesiæ Pastore Vvicfrido supernis spiritibus sociato, ecce, plebs destituta pastore, in ipsa confusione nil anceps, nil varium molita, vnicum vnicè optatum, in Domino Brunone, magnifico viro & probatissimo, sibi delegit solatium.

Reformat vir sanctus plura monasteria.

Creatur Episcopus Coloniensis.

Qvo gradu in Ecclesia Dei sublimatus, de religione in primis & cultu Dei, quod Græci θρησκείαν dicunt, secundum datam sibi sapientiam, Canonicam & Apostolicam auctoritatem secutus, instituit, vt multitudinis, quæ in diuersis congregationibus ad eius honorabilem sedem pertinẽtibus erat, vnum cor esset, & anima vna: vt vestiũ superfluitas, morũ inæqualitas, & quicquid hoc modo effeminatũ & indecẽs in eius ecclesia videretur, vera & spirituali circumcisione abscinderetur: vt diuinis ministeriis omnes, quorũ id intererat, intentissimè secundùm præfixam sibi Regulam viuerent, nec aliam sibi suæ salutis causam vllatenus æstimarent. Quæ & his similia, quia culpa tẽporum vrgente, rarius cũ suis agere coràm poterat quã volebat, solicitiùs absens, nõ minùs quã præsens, spiritu feruẽs, Domino seruiens æstimabat. Cogẽte enim Imperiali auctoritate suscepit quoq; tractare negotia regni apud Lotharicos. Quod licet causantur fortè aliqui diuinæ dispensationis ignari, quare Episcopus rem populi, & pericula belli tractauerit, cùm animarum tantum curam susceperit, tamen res ipsa facilè, si quid sanum sapiunt, satisfacit, cùm tãtum & tam insuetum illis præsertim partibus pacis bonum, per hunc tutorem & Doctorẽ fidelis populi, longè latéque propagatum adspiciũt. Maximè verò quòd pepercit in omnibus Sacerdoti suo, & pio populi sui Prouisori, misericors & miserator Dominus,

Grauiter fungitur munere sibi commisso.

Summa cum laude nomine fratris præest Lotharingiæ.

minus,& ita omnia ordinauit, vt absque bello & humana pernicie maxima sæpè pericula sedarentur. Inter quæ frequenter ipse interritus aut secum intentus legit, aut de maximis quibusque rebus,quasi curarum instantium nescius,disputauit.

Hoc apud Treuerim, hoc in Alisatio gentibus & populis innotuit,quanta constantia & seueritate animi sui,inconstantes & temerarios aduersariorum motus redarguit, cùm eos, qui in alienis se fortissimos iactabant, in propriis tam imbecilles esse monstrauit. Et reuera quos nulla vmquam acies, nulla inflexit asperitas, hos huius viri pietas imbelles & timidos faciebat. Consilio namque & bonorum hominum fortitudine, non sæuitia timendus fuit, & quòd nemo hostium tam acriter vigilabat ad perniciem,quàm ipse ad salutem. Sed longiùsculè forsitan in his sumus progressi. Interim meliorum iste ardens æmulator charismatum seruus Domini Bruno, sciens dignitatem sedis suæ, Romanæ quoque Sedis & Apostolicæ benedictionis priuilegio in Catholicæ fidei integritate,vnitateque debere insigniri,synodicam suam epistolam per Hadamarum venerabilem monasterij Fuldensis Abbatem, Romam ad Agapetum Papam direxit.Qui Legatus inde cum magna alacritate reuersus, pro Pastori attulit tum pallium sacrum habitum, tum etiam sacras reliquias de proprio corpore S.Pantaleonis Martyris.

Imperterritus ipse, facile cōprimit sola sua auctoritate seditiosos.

Offert per legatum obediētiam suā Romanæ sedi.

Quæ sacræ reliquiæ, vbi cùm magno iubilo depositæ fuerunt in suburbio prope antiquum locum, vbi ecclesia eiusdem pretiosi Martyris erat inculta & ruinæ proxima, vir Domini Bruno non multo pòst etiam ibidem, vtpute in loco secretiori & ab vrbanæ inquietudinis molestia remotiori, Fratres in laude diuina peruigiles & folicitos sub monasticæ Regula disciplinæ Domino seruire instituit, quibus Abbatem præposuit nomine Christianum. Cui ordinato hoc breue commonitorium de Occidentis partibus scripsit, dignum quòd posteris commendetur: Vt sis, inquit, quod vocaris cura. Gentilitati ne degeneres, id seriō triumpha. Vt non, sicut priùs, antiquetur, sed de virtute in virtutem vt eatur, naua. Etenim tametsi ciuilium negociorum occupatione detentus fuit hic vir illustris,quò cum non sua libido,vt dictum est, sed populi necessitudo attraxit, tamen animo ita ad omnia viuacissimè intendebat, vt intentus præcipuè esset religioni & lectioni. Audeo dicere, iuuenis licet erat, omniqùe pompa circumfluus,dissolui tamen vellet, tantum vt cùm Christo esset.

Instituit monasterium S. Pantaleonis.

Nota.

Vt ipse est, ar... [illegible] per [illegible] tur flens.

Hinc lacrymæ assiduæ, suspiria ferè continua, fortiuæ orationes, & singultus in ipso etiam lecto clariùs perstrepentes, vt testantur, quos id minus celare poterat, etiam dum latere volebat. Mirum dictu: inter conuiuas lætissimos lætior ipse frequẽter abstinuit. Molles & delicatas vestes, in quibus nutritus & ad hominem vsque perductus est, etiam in domibus Regum multoties declinauit, inter purpuratos ministros & milites suos auro nitidos vilem ipse tunicam, & rusticas ouium pelles sæpè induens. Apud mites & humiles nemo humilior, contra improbos & elatos nemo vehementior fuit.

Inter purpuratos ipse incedit [illegible] pellitus.

MVLTIS in locis per parochias Episcopij sui fidelis hic Domini seruus & prudens, ecclesias, monasteria, & cætera ædificia seruitio Domini Dei, & honori Sanctorum eius apta, quædam à fundamentis erexit; quædam priùs fundata nobiliter auxit, alia olim diruta reparauit. Sed non patitur institutum compendium, vt hæc per singula narremus, maximè quòd saluberrimi studij eius monimenta, in iis vbi acta sunt, locis, ita firmata perdurent, vt memoria eius nulla ætate obscuranda videatur. Denique duodecimum Pontificatus sui annum agẽs, ipse vix prælapsus ætatis quadragesimum, cum * Compendium adiisset, vt ibidem nepotes suos ab inuicem dissidentes ad concordiam reuocaret, in Rhemensium ciuitate graui corporis molestia detineri cœpit. Nec multo pòst, dictato testamento, corporis & sanguinis Dominici sacramento munitus, inter psallentes & orantes suos, nimiumque flentes, spiritum exhalauit. Cæterum corpus eius exanime eodem die, id est, quinto idus Octobris, indefessi eius comites leuatum in feretro transferentes, octauo postea die ad sedis eius metropolim Coloniam peruenerunt: vbi secundùm desiderium cordis eius transferri permissus est ad monasterium quod in honore SS. Martyrum Pantaleonis, Cosmæ & Damiani, atque Quirini, ipse, vt diximus, construxerat, ibique est sepultus.

Plurima monasteria partim ab eo extructa, partim reparata.

** Nomẽ loci in Gallia.*

Migrat ad Christum.

VITA B. IACOBI ALEMANNI,
Ordinis Prædicatorum, ex ea quæ est per Ioannem Antonium Flaminium.

XI. OCTOBRIS.

S. Iacobus Vlmensis.

VLMA Germaniæ ciuitas est. Atque hæc beati Iacobi patria est, cui Alemanno cognomentum est inditum, viro hac nostra ætate religione ac vitæ sanctitate memorabili. Agebat

bat is annum ætatis quintum atque vigesimum, cùm cepit illum ingens visendæ vrbis Romæ desiderium. Quo cũ initio Quadragesimæ peruenisset, ibi ad Dominicam vsque resurrectionem commoratus est, quo quidem tempore nullam neque intra neque extra vrbis muros ædem reliquit, quam non adierit, tanto fruens gaudio spiritus, quantum verbis consequi nemo posset. Post quam solennitatem cœpit illum desiderium in regnum Siciliæ proficiscendi. Venit igitur Neapolim, cùm fortè Rex Alphonsus bellum gerebat. Sub quo cùm militare decreuisset, Deo ita disponente (nimirum vt iuuenis optimus militari commercio grauiter flagitiis offensus, consilium salubre demum caperet) ad eam militiam admissus, aliquamdiu ibi egit; nihil tamen de sanctis moribus, pristinaq; consuetudine remittens. Videbat interim multa quibus valde offendebatur, ita vt non multo post compositis rebus suis, & impetrata abeundi facultate, Capuam se contulerit. Nactus est ibi Capuanum ciuem, præclarum virum, Iurisconsultum & equitem. Apud quem cùm quinquennium esset commoratus, tanta fide ac morum integritate, vt eum patronus æquè ac filium diligeret; clàm, quia dimissionem impetrare non poterat, Bononiam est profectus.

Visit Romæ loca sancta.

Dat se aliquamdiu militiæ seculari.

ERAT illi in animo in Germaniam reuerti ad genitorem, sed rem Deus aliter instituerat. Etenim cùm in ea vrbe quidam ex comitibus, qui cum eo venerant, hortati essent, vt rursum stipendia ibi faceret, & sub quodam Thoma Tartario militaret, ille nihil memor cur prius militiam deseruisset, (ô iuuenum immaturam mentem!) conditionem accepit, atque ita in ea vrbe mansit. Singulari tamen voluptate afficiebatur, cùm tot ibi Fratrum Collegia cerneret: quorum loca quotidie frequentabat, præcipuè verò diui Dominici templum, vbi maximè versabatur, tamquam etiam quod futurum esset, præsagiret. Etenim paulatim patris & patriæ oblitus, sancto incensus desiderio, die quadam petiit cum omni humilitate in consortium Prædicatorum admitti; quodque petiit, paulo post est consecutus. Erat beatus Iacobus literis mediocriter eruditus, & annum agebat quartum atque trigesimum quando monasticam vitam ingressus est. Qui cùm inter alias plurimas dotes præcipuè mitis ac mansuetus esset, consistere quoque in humillimo gradu voluit, & ex eorum esse grege, qui Conuersi vulgo nuncupantur. Vnde & exceptus est mira omnium lætitia, quasi præsagientium qualis quantusque ille

Agens Bononiæ, valde se oblectat in frequentandis locis sanctis.

Tandem adscribitur Ordini Prædicatorũ.

euasurus esset. Nec sanè quicquam fefellit opinio. Siquidem continuò totum se Deo tradidit; nec quicquam omisit, quod ad verum illius cultorem pertineret.

Admodum sanctè exigit tempus suum nouitiatus.

MAGISTRO tyronum, quos Nouitios appellant, præcipuè vacabat, quem frequenter supplex orabat, vt se instrueret, ac ea doceret quæ sibi præcepta religionis ac instituta Patrū panderet. Quo etiā studio atque solertia breui mirè profecit, charusque omnibus & admirabilis esse cœpit. Sed & adeò mitis, adeò mansuetus erat, vt cùm omnibus sanctior esset, omnibus se deteriorem putaret; quæ res tum maximè patuit, cùm decurso iam anno, de Patrum iudicio ac voluntate quasi diffidens, ad genua singulorum prouolutus, tam humiliter rogauit, ne suis offensi erratis, à contubernio suo & societate se repellerent. Verba autem illa quibus vti profitentes solent, adeò tenaciter menti illius adhæserunt, vt nulla dies, imò nec vlla (vt ita dicā) diei elaberetur hora, in qua eorum non reminisceretur. Vnde & quæ profitendo promiserat, tam exactè tamque cōstanter seruauit, vt mirabile omnibus obedientiæ, paupertatis, ac patientiæ exemplum foret. Sed & pudicitiam vsque ad exitum vitæ seruauit, vt nihil illo puriùs ac mundiùs conspiceretur. Nam præterquam quòd suum corpusculum asperrimè domitabat, vigiliis quoque, orationibus, ieiuniis, & aliis multis macerabat modis: oculos suos quoq; diligētissimè custodiebat, ne quid intueretur quod ad libidinem prouocaret, sicut & ob eam rem numquam etiam otiosus erat. Cuius quanta obedientia fuerit, sequenti facilè patebit exemplo.

En profundā humilitatem.

Asperrimè seipsū domat ieiuniis & vigiliis.

IVSSIT illi aliquando Præfectus monasterij, vt ad quærendum panem festinaret; cùm tunc fortè quandam in vitro effigiem pulcherrimam pinxerat (vitreas enim fenestras optimè concinnabat) & vt colores vitro tenaciùs inhærerent, in paruo furno ex more posuerat, quæ res eius præsentia vel maximè indigebat. Et tamen potiùs parendum suo Præfecto ratus, mox sacculum arripuit, & ad mendicandum panem sese contulit. Et vide obedientiæ meritum. Reuersus post multas horas tā bene decoctos in pictura colores offendit, vt numquam aliàs meliùs illi ars successerit. Frequentiùs quoque primus omnium ad Nocturnum officium surgebat: quod vbi celebratum erat, angulum quempiam remotiorem ac secretiorem deligebat, ibique deinceps totus idē mente & corpore Deo vacabat. Qua exercitatione ad tantum denique sanctitatis gradum euasit, vt cælesti circumfusum lumine orantem noctu

Nota insigne exemplū obedientiæ.

nocte multi viderint. Et quidem infestum per omne tempus dæmonem habuit, sed eius dolos huc vsque latentes expertus est; deinceps verò, aperto marte, multa cum eo certamina habuit. Nam fustibus sæpè orantē cecidit, & aliis mille vexauit modis; sic tamen vt semper athleta fortissimus victor euaserit, mirificè post decessum dæmonum cælesti luce, quam diximus, recreatus. Prodigiis multis claruit adhuc viuus, è quorum numero vnum tantùm adhuc referam.

Qvidam Bononiensis sacerdos optimus, cui Hieronymo Auiolo nomen fuit, B. Iacobo familiaris & charus admodum erat. Is fortè in grauem incidit valetudinē, vt minima de eius salute spes esset. Misit ille qui beatum Iacobum ad se perducerent. Venit continuò, vt erat benignus omnibus & expositus. Cumque se mutuò salutassent, & dulci colloquio paululum se recreassent, rogauit B. Iacobus vt omnes cubiculum egrederentur. Quod vbi factum est, continuò cœpit orare, ac pro salute sui familiaris precari, ac deinde assurgēs, à capite ægrotantis ad pedes vsque dexteram suam leniter duxit. Miram rē narro. Prout manum per corpus ducebat, ita repentè ex illis partibus fugabatur morbus. Sed nunc venio ad eius felicem obitum. Annos iam erat natus quatuor & octoginta cùm in valetudinem incidit, quæ illi suprema fuit. Vbi intelligens ipse finem aduenisse suæ vitæ, vocauit ad se illum cui ægrotantium cura commissa erat, & ait: Ego, frater, iam delibor, proinde, rogo te, huc voces monasterij nostri Præfectum, cui delicta mea generaliter confiteri cupio. Quod vbi fecit, & plenam remissionem ex more assecutus est, ad vltimum ipse sibi manus decenter & pedes componens, ita felicem efflauit animam.

Subito sanat eū S. Iacobus.

Transit vir sanctus feliciter.

Obiit verò vir beatus anno ab aduentu Christi millesimo quadringentesimo, nonagesimo primò, quinto Idus Octobris, tumulatus primo in loco quod paruum Capitulum appellant. Vnde, propter irruentes eò deuotionis causa etiam feminas, post diem octauum, permittente id Bononiensi Antistite, in ecclesiam translatus est, & ad aram D. Thomæ sepultus sic integer & incorruptus, ac si tunc primum exspirasset: vbi deinde penè infinita secuta sunt prodigia.

VITA S. FIRMINI CONFESSORIS,

ex Io. Maldonato Hispano.

XI. OCTOBRIS.

S. Firmini genus & educatio.

FIRMINVS Firmi senatoris filius Pompelone Hispaniæ ciuitate natus, traditus est puer Honesto presbytero erudiendus, tantumque breui in literis profecit, vt vix dum agens decimum octauum annum, sacras ad populum conciones vice magistri haberet. Nec addubitabat Honestus, iuuenem mittere per vicina oppida, quò latiùs verbum Euangelicum disseminaret. Erat certe tam efficax eius oratio, vt dies vix præteriret, in quo Deo animas non lucrifaceret. Tandem nimios eius in prædicando Christum, profectus animaduertens Honestus, ad Honoratum Episcopum Tholosam misit, à quo est presbyter factus, & maioribus destinatus. Post aliquot vero annos ad magistrum rediens, apud Andegauensium vrbem multos conuertit. Beluacum deinde veniens, ad mortem pene ob professionem Christi flagellatus est: ac in carcere durissimè catenatus. Eductus tamen à cuncto populo, ibidem aliquandiu moras traxit, baptizando, ac ecclesias dedicando. Omnis quippe populus est baptizatus, Christumque agnouit. Hinc Ambianum pertendit, vbi diebus quadraginta, tria millia hominum facta Christiana sunt. Quare tentus à Longino & Sebastiano præsidibus, in carcere, quo vitaretur popularis inuidia, iugulatus est.

Presbyter factus est.

VITA S. VVILFRIDI EPISCOPI Eboracensis ex V. Bedæ histor. Anglorum lib. 5.

XII. OCTOBRIS.

Lib. 5. c. 20.

S. VVilfridus fit monachus Lindisfarnensis.

ANTISTES eximius VVilfridus (vt de eius vita quæ gesta sunt, memoremus) cùm esset puer bonæ indolis, vbi quartumdecimum ætatis contigisset annum, mox venit ad insulam Lindisfarnensem; ibique monachorum famulatui se contradens, diligenter ea quæ monasticæ castitatis ac pietatis erant, & discere curabat & agere. In quo videlicet monasterio, cùm aliquot annos Deo seruiret, animaduertens paulatim adolescens animi sagacis, minimè perfectam esse virtutis viam quæ tradebatur à Scotis, proposuit animo venire Romam, vt qui apud Sedem Apostolicam ritus Ecclesiastici siue monasteriales seruarentur, videret. Quod cùm veniens ad Reginam Eanfledam, cui notus erat, cuiusque consilio & suffragiis præfato fuerat monasterio sociatus, ei indicasset, illa delectata bono adolescentis proposito, misit eum in Cantiam ad Regem Ercombertum, qui erat filius auunculi sui, postulans

Auxilio Reginæ Eanfledæ proficiscitur Romam.

vt

vt eum honorificè Romam transmitteret. Et quidem fecit Rex sicut Regina petierat. At verò Vvilfridus veniens Romã, & orationibus ac meditationi rerũ Ecclesiasticarũ, vt animo proposuerat, quotidiana mancipatus instãtia, peruenit etiã ad amicitiã viri sanctissimi ac doctissimi Bonifacij Archidiaconi, qui etiã Consiliarius erat Apostolici Papæ. Cuius magisterio quatuor Euangeliorũ libros ex ordine didicit, computũ quoq; Paschæ rationabilem, & alia multa, quæ in patria nequiuerat, Ecclesiasticis disciplinis accõmoda; ac tandẽ cũ mẽses aliquot ibi studiis occupatus feliciter exegisset, rediit in Britanniam.

Versatur ibi familiariter cum quodam doctissimo Bonifacio.

Erat ibi Alfridus Rex, qui Catholicas Ecclesiæ Regulas sequi semper & amare didicerat. Qui vbi Vvilfridum Catholicum planè esse cognouit, mox ei donauit terram decem familiarum in loco qui dicitur Staford, & non multo pòst monasterium familiarum triginta in loco qui vocatur in * Hryphum: quem locum dederat pridem ad construendum inibi monasterium his qui Scotos sequebantur. Qui nimirum, quia optione data, maluerunt loco cedere quàm Pascha Catholicum, cæterosque ritus iuxta Romanæ ac Apostolicæ Ecclesiæ consuetudinem recipere, dedit hoc illi quem melioribus imbutum disciplinis ac moribus vidit. Quo in tempore ad iussionem præfati Regis idem Vvilfridus Presbyter ordinatus est in eodem monasterio ab Agilberto Episcopo Geuissorum, desiderante Rege, vt vir tantæ eruditionis ac religionis sibi specialiter indiuiduo comitatu Sacerdos esset ac Doctor. Sed & non multo pòst, detecta & eliminata Scotorum secta, in Galliam mittens cum consilio atque consensu patris sui Osuui, Episcopum quoque eum sibi rogauit ordinari, cùm esset annorum circiter triginta, eodem Agilberto tunc Episcopatum agente Parisiacæ ciuitatis, cum quo simul & alij vndecim Episcopi ad dedicationem Antistitis conuenientes, multum honorificè ministerium impleuerunt. Cæterum eo adhuc in transmarinis partibus demorante, consecratus est in Episcopatum Eboraci, iubente Rege Osuui Ceadda vir sanctus. Qui cùm tribus annis ecclesiam sublimiter regens, dehinc ad curam monasterij sui, quod est in Lestinga, secessisset, accepit Vvilfridus Episcopatũ totius prouinciæ Nordanhumbrorum.

** Iuriphum Reuersus in Angliã, mox accepit a Rege locum ad construendum monasterium, cuius iussu etiam ordinatur Sacerdos.*

Verum enimuero, vt omnibus appareret quanti vir hic esset meriti, regnante Ecgfrido pulsus est Episcopatu, & alij sunt pro illo consecrati Antistites. Quo tempore ipse Romam iturus, & coram Apostolico Papa causam dicturus, vbi nauem

Accipit Episcopatum totius prouinciæ Nordanhumbrorum.

Prædicat in Frisia.

conscendisset, flante Fauonio, pulsus est in * Fresiam. Vbi honorificè susceptus à barbaris ac Rege illorum Aldgiso, prædicabat eis Christum, & multa eorum millia verbo veritatis instituens, à peccatorum suorum sordibus fonte Saluatoris abluebat; atque adeò, quod postmodum Vvilbrordus reuerendissimus Christi Pontifex in magna deuotione compleuit, ipse ibi primus opus Euangelicum cœpit. Verùm cùm hyemem ibi cũ noua Dei plebe feliciter exegisset, sic denique Romam veniendi iter repetiit. Vbi postquam causa eius ventilata est, præsente Agathone Papa, & pluribus Episcopis, vniuersorum iudicio absque crimine accusatus fuisse, & Episcopatu esse dignus inuentus est. Congregârat tunc Romæ idem Papa Agatho Synodum centum viginti quinque Episcoporum aduersus eos qui vnam in Domino Saluatore voluntatem atque operationem dogmatizabant. Quò cum vocari iussisset etiam Vvilfridum, atque inter Episcopos considentem dicere fidem suam, simul & prouinciæ siue insulæ de qua venerat, cùm Catholicus fide cum suis esset inuentus, placuit & hoc inter cætera eiusdem Synodi gestis inseri. * Porrò reuersus in Britanniam Vvilfridus, sicut propter inimicitias memorati Regis in patriam siue parochiam suam recipi non potuit, ita tamen ab euangelizandi ministerio nequaquam potuit cohiberi. Siquidem diuertens ad prouinciam Australium Saxonum, quę post Cantuarios ad Austrum & ad Occidentem, vsque ad Occidentales Saxones pertingit; habens terram familiarum septem millium, & eo adhuc tempore paganis cultibus seruiebat, hisce verbum fidei & lauacrum salutis ministrabat *, donec secundo anno Alfridi qui post Egfridum regnauit, sedem suam & Episcopatum, ipso Rege inuitante, recepit.

Secundò venit Romam, vbi & valde honorificè habitus est.

** Insertum ex lib. 4. cap. 12.*

Prædicat apud Australes Saxones.

** Rursum lib. 5. cap. 10.*

SED, ò verè discipulum eius qui positus fuit in signum cui contradiceretur. Post quinque annos iterum accusatus, iterum Præsulatu est pulsus. Vnde iterum veniens Romam, cùm, præsentibus accusatoribus acciperet locum se defendendi, considentibus Episcopis pluribus cum Apostolico Papa Ioanne, omnium iudicio probatum est, accusatores eius falsas contra eum esse machinatos calumnias: scriptumque est à præfato Papa Regibus Anglorum Edelredo & Aldfrido, vt in Episcopatum suum, eo quòd iniustè fuerit condemnatus, eum facerent recipi. Quibus epistolis lectis, Bertuualdus quidẽ Archiepiscopus & Edilredus quondam Rex, tunc autẽ Abbas, libentissimè fauerunt: at verò Aldfridus Nordan Humbrorum Rex

Secundo sede sua pulsus, iterum vadit Romam.

cum

eum suscipere contempsit; nec longo post tempore superfuit. Vnde factum est, vt regnante Osredo filio eius, mox Synodo facta iuxta fluuium Nidd, post aliquantum vtriusque partis conflictum, tandem, cunctis fauentibus, in Præsulatum sit suæ ecclesiæ receptus; sicque deinde quatuor annis, vsque ad diem obitus sui vitam duxit in pace. Defunctus est autem quarto Idus Octobris in monasterio suo quod habebat in prouincia Vndalum, sub regimine Cudbaldi Abbatis: & ministerio Fratrum perlatus est in suum monasteriũ primũ, quod dicitur in* Hripum, Quindecies ternos postquam egit Episcopus annos.

Migrat ad Christum.

* *Lurhypum*

MARTYRIVM SEPTEM FRANCISCA-*norum, Danielis, Samuelis, &c, partim ex Breuiario Ordinis, partim ex R. P. Surio.*

XIII. OCTOBRIS.

ANNO salutiferi Christi supra millesimum ducentesimo vigesimo primo, sexto Idus Octobris, dum aurea illa nascentis Ordinis Seraphici tempora feliciter pronunciarent, vir sanctitatis venerandæ Frater Daniel, minister Calabriæ, cum sex aliis Fratribus, videlicet Angelo, Samuele, Donulo, Leone, Hugolino, atque Nicolao, martyrij laureã insigniter adeptus est. Hi à Fratre Helia generali Ministro, Patrisque Francisci tunc agente vices, obtenta facultate, è Tusciæ plagis, ducente Christo, Septã Saracenorum vrbẽ penetrauerunt. Quò cùm peruenissent, procedentes in vrbis mediũ, mox libera voce Christum solũ esse mundi Saluatorem vnanimes conclamarũt. Sed postea quam aliquãdiu ea quæ sunt Christianæ fidei veritatisque Euãgelicæ palã protestati fuissent, taxassentque miserandam eorum vecordiam ac cæcitatem, à furentibus turbis arrepti, flagris insuper cæsi, variis affecti sunt cõtumeliis ac opprobriis. Quæ illi propter Christũ omnia nihili pendẽtes, illorum demum Domino sistuntur. At verò tyrannus, tonsis de religioso more capillis, intrepidis vultibus, ore etiam imperioso ac feruido loquẽtes adspiciens, eos mẽte captos arbitrabatur.

Veniunt SS. Martyres Septam Saracenorum vrbẽ, & mox constantißimè prædicant Christum.

IVBET proinde delirus ipse ac longè vanissimus in carcerem eos coniici, ferreisque ad octauum vsque diem vinculis constringi. Quo illucescente, ad se deductos interrogat, velintne ea quæ de Christiana fide prius asseuerassent, irrita esse; suoque Deo abnegato, ad Mahumeticæ legis ritum conuerti. Tum verò illi, tantum abest vt quicquam sint territi, vt etiam ea quæ dixerant, ac professi essent; constabilientes validis ra-

Affecti multis iniuriis, coniciuntur in vincula.

tionibus, spiritu veritatis adspirante, illorum potiùs belluinos mores ac impios confutarent, ostendentes nulli absque baptismo, vniusque redemptoris hominum Christi Iesu suffragio ad salutem aditū esse. Quos audiens Arbaldus Iudex, eos capite plecti iubet. Et quidem lata sententia, beatus Pater Daniel socios filiósque suos exhilarans, dixit: Gaudeamus in Domino fidelissimi commilitones, festiuísque diem hunc gaudiis consecremus. Adstant enim Angeli, animas nostras è corporis ergastulo solutas, in empyrea regna cum palmæ trophæo deducturi. Nos hodie in suam sortem candidati Martyres excipient En nobis cęlorum ianua aperta est. Quid moramur, quo minùs ad eorū beatitudinem conuolemus? Porrò vbi suis nudati sunt vestimentis, quasi forent ad lautissimas epulas inuitati, ita è regia mirum in modum exsultabundi, ad supplicij locum properant. Haud quaquam autem facile sit relatu quàm pias Deo tunc personauerint laudes, quamque impensè gratias egerint. At vbi, quod licuit, Deo supplicauêre, suasque animas ei commendauêre, spiculatori tandem flectentes ceruicem, capitis obtruncatione gloriosam pro Christi fide mortem consummauerunt.

Tandem fertur in eos sententia mortis.

Proficiscuntur ad locum supplicij velati ad epulum.

EORVM conquassatis capitibus, cadauera crudelissimè collisa membratimque discerpta, magno fuêre pueris ac cæteris ludibrio; vt pote quæ per vrbem turpiter raptata sint ac dilaniata, donec postea à Christianis collecta, congruo honore condita fuerunt in Alphondega Massiliensi. Quæ post hæc cùm Regis Portugalliæ filius dono accepisset, in Hispaniam transtulit *, vbi Deus per merita illorum multa deinde effecit miracula; vnde & vulgus hos Sanctos reuerenter in primis habuit. Quod animaduertentes Patres Franciscani, Sanctos ipsorum tanto in honore apud plebem haberi, cùm ipsi nullam eorum commemorationem facerent, quod tamē minimè eos deceret; anno salutis millesimo quingentesimo decimo sexto à Pontifice Leone decimo id impetrarunt, vt liceat ipsis quotannis solennes ferias de his Martyribus agere, quemadmodum de alijs quinque Martyribus Franciscanis in Ianuario fit. Libenter autem assensit Pontifex, hosque septem sanctos Fratres in Martyrum numerum retulit, eorumque festum celebrandum instituit: quod publicatum est eodem anno Rothomagi in Capitulo generali Fratrum de Obseruantia. Passi sunt autem sancti Martyres anno, vt dictum est, ab orbe redempto

Corpora eorū ignominiosè prius tractata, postea honorificè sepeliuntur à Christianis.

* *Deinceps Onrius.*

Solennizatur horum festū in memoria auctoritate Leonis decimi.

demptp

dempto millesimo ducentesimo vigesimo primo, quinquennio ante quàm è vita decederet beatus Franciscus.

VITA S. FAVSTI ET SOCIORVM EIVS

ex Io. Maldonato Hispano.

XXIII. OCTOBRIS.

FAVSTVS, Ianuarius, & Martialis Cordubæ quæ ciuitas est Hispaniæ, sanctissimè degebant, cùm Eugenius præses vrbem ingressus, eos ad se vocauit, & quem Deum colerent, interrogauit. Quibus etiam Christum omnium creatorem Deum se colere fatentibus; iterum Eugenius instat. Quæ vos excæcata & penitus destituta societas in perniciem agit? Nulla est, Faustus intulit, pernicies maior, quam quæ te præses exagitat, vt verum nos Deum abnegare, compellas. Eugenius ira correptus, Rapite vos, inquit, eum, & in eculeo quamprimum suspendite, discat irreuereri præfectum, quanti constet. Ianuarius Fausto inuidens, fœlicissimum appellabat, quòd prior ipse viam ad martyrium fecisset. Ad Martialem autem Eugenius inquit: quis te horum insanæ societati addixit? pone furorem, & nostris præceptis obtempera. Cui Martialis respondit: Deus qui condidit vniuersa, te puniet impie, meritasque pœnas de te sumet. Iterum Eugenius furit: & torquete, clamat, hos deliros: nares eis & aures abscidite, dētes infringite. Quod cùm fieret, gratias agebant Deo sancti martyres, seque mutuo animabant. Tandē Eugenius à proposito Martialē euertere conatus, dinumerās quæ tormenta, quæ mortes Christi cultores sequerentur; cùm nihil proficeret, vt igni tres simul traderentur edixit: vbi spiritum ediderunt.

Faustus & socij capi u..tur, & martyrio tandem coronantur.

VITA S. BVRCHARDI EPISCOPI

Herbipolensis, ex ea quæ est per Egilvvardum Monachum

XIIII. OCTOBRIS.

Secundum Martyrolog.

DVM Gregorianæ signum plantationis, Anglorum nouella germinasset Ecclesia, pullulasset, cresceret imò & floresceret, florebat in eadem insula vel patria nobilis quoque nobilissimi Burchardi parentela. Qui præcelsam suæ prosapiæ genealogiam haudquaquam passus morum suorum nebulis obfuscari, traditus cùm fuisset à religiosis parentibus literis imbuendus, vix eum quisquam, vel numquam reperit

S. Burchardi genus.

pueril

puerilibus addictum leuitatibus, sed aut studiis liberalibus intendentem, aut ecclesiarum limina tenentem, seu quibuslibet aliis bonæ indolis indiciis immorantem. Vnde factum est, vt ieiuniis & eleemosynis, vigiliis & orationibus non minus spirituales nequitias quàm carnis illecebras debellans, ad tantam subitò adoleuerit morum honestatem, vt iam nihil intra se caducum haberi sustineret. Quin & considerans in hac ipsa vitæ perfectione nonnulla tentamentorum scandala sibi opponi, puta opes & delicias patriæ, generis claritatem, affectus amicorum, spretorum obiecta, prædiorum, aliasque similes mundi fumantis nebulas, tandem spiritu consilij & fortitudinis roboratus, natali solo pro terra viuentium relicto, nequando illum pericula inferni inuenirent, periculosos sali fluctus transfretauit, & Galliæ comatæ limitem attingens, in quodam satis humili loco, verè non habens hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirens, aliquandiu sub habitu peregrini latuit.

Eiusdẽ insignis institutio seu educatio.

Relictis omnibus, accingitur vt sequatur nudum Christum.

RVTILABAT his temporibus stella verè fulgida VVinfridus, indigena nihilominus Angliæ Bonifacius dictus, Legatus Apostolicus in partes Germaniæ destinatus, nobilisque Moguntiæ metropolitanæ Archiepiscopus. Ad quem cùm venisset Deo dignus Presbyter Burchardus, iamque aliquamdiu sociatus fuisset nobilissimo illi sanctorum virorum collegio, Lulli dico, VVilibaldi & Vinniballi, cæterorumque tanti Præsulis cooperatorum, ille eum postea secum Romam ducens, ad incrementum Ecclesiarum Germaniæ, maximeque ad salutem Orientalis Franciæ, noui apud vrbem VVirgeburg Pontificatus primum Episcopum consecrari fecit, tantus nimirum relucebat in viro venerabili morum splendor & integritas: quod factum fuit anno Dominicæ incarnationis septingentesimo, quinquagesimo primo, hoc est, anno sexagesimo secundo, postquam ibi affecti sunt martyrio S. Kilianus & eius socij. Cæterùm Burchardus, vbi se speculatorem domus Israël in Ecclesiæ turri positum conspexit, sedula cordis anxietate cœpit meditari, qualiter sibi commissas Dominicas oues verbo Dei pascere, & in omni fidelis prudentisque dispensatoris cura tam se quàm Christi familiam regeret.

Venit ad S. Bonifacium Apostolũ Germanorum.

Constituitur ab eodem primus Episcopus Herbipolensis.

ITAQVE erat eloquio valdè mitis, vultu venerandus & affabilis, in vigiliis sedulus, in lectione assiduus, in eleemosynis, quantum facultas suppetebat, benignus & beneuolus, solicitus de commissis, prouidus in consiliis, in vniuersis moribus

ribus compositus, in bonis actibus indefessus, in contemplatione præ cunctis suspensus. De cuius humilitate vt quidpiam scribam, omnino superuacaneum esse arbitror, eo quòd vel sola ipsa quæ in loco sepulturæ eius seruatur virga pastoralis sambucea satis nobis ad memoriam reducit humilitatis eius exempla. Adeò tamen habitus est ab omnibus honorabilis, vt totius regni consilio ipse specialiter vnà cum Folrado Abbate, eodemque Archicapellano, ad Zachariam Romanum Pontificem sit missus; dum eiusdem Pontificis auctoritatem Pipinus Caroli Magni pater Rex Francorum fuit constitutus. Qui idem vir Dei cùm anno secundo ordinationis suæ beatorum martyrum Kiliani sociorumque eius venerandas reliquias cum maximo Cleri plebisque tripudio de terræ puluere leuasset, sericisque reuerenter inuolutas, cum summo, vt decebat, honore in feretro composuisset, monasterium etiam in eodem loco sepulturæ constituit.

Nota de virga eius pastorali Sambucea, signo magno eiusdem humilitatis.

Eleuat reliquias SS. Kiliani & sociorum, ad quas & monasterium quoddã construxit.

SED &, exemplo scilicet B. Martini, vt actiuæ vitæ solicitudinibus turbatus, posset deinde ad pedes Iesu refugium quærere, cõstruxit quoque cœnobium aliud in arcto procliui montis, & allapsu Mœni fluminis, quod in honore Dei genitricis, sanctique Apostoli Andreæ constructũ, tanta dotauit quantitate prædiorum, quæ duodecim Fratribus Canonicis, ibidem Deo militantibus sufficerent ad victũ & vestitũ. Quibus virtutum insignibus cum apud homines tum apud Deum maximè natus & clarus, cùm iã quadraginta per annos in vinea Domini Sabaoth pondus diei & æstus fidelis seruus, & laborator indefessus portasset, tandem in castello, quod *Hohemburg* dicitur, Dominicis Sacramentis premunitus feliciter migrauit ad Christum anno incarnationis Domini septingentesimo nonagesimo primo, à Megingando suo discipulo, postea que successore, cùm veneratione digna in ciuitatem sedis suæ VVirceburg deportatus. Vbi iuxta sanctorum Martyrum Kiliani, sociorumque eius reliquias honorificè tunc sepultus, posta cum consensu summi sedis Apostolicæ Pontificis Benedicti, ab Hugone Episcopo ad monasterium beati Andreæ, de quo suprà diximus, maxima cum solennitate translatus est. Atque hæc sunt præcipua quæ de vita & conuersatione ac obitu siue translatione sancti patroni nostri Burchardi, per veridicam præcedentium Patrum relationem, siue per exemplaria diuersa inuestigare atque colligere pro modulo ingenij mei sategi.

Item cõstruit & monasterium aliud.

Obdormit in Domino.

Transfertur a monasteriũ S. Andreæ.

VITA

VITA V. DOMINICI LORICATI

Eremitæ, ex ea quæ est per B. Petrum Damiani.

XIIII. OCTOBRIS.

Nota de Simonia.

VIR Dei Dominicus, pater & dominus meus ante annum defunctus, cùm esset in seculo Clericus, quia tunc Simoniaca vigebat hæresis, quæ & nunc vtinam prorsus esset exstincta, vt Presbyter fieret, à parentibus eius data est Episcopo hircinæ pellis aluta. Sed quia, sicut ait Apostolus, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, hæc vna beati viri culpa, multorum pòst bonorum probatur exstitisse materia. Nam hoc pauore perteritus, contempsit seculum, induit monachum, arduumque mox eremiticæ vitæ tanquam bellator intrepidus arripuit institutū, ita tamen vt, quia malè promotus fuit, donec vixit, sacrosancti altaris vsurpare ministerium non præsumpserit. Virgo vsque ad obitum fuit, vitam eremiticā non omisit: vbi sub magisterio sanct. viri Ioannis, qui dicebatur de Monte Ferreti, per plurimos vixit annos. In alia igitur eremo, quæ scilicet erat in regione quæ dicitur Luceoli, constituta, decem & octo videbantur cellulæ ad habitandum Fratribus deputatæ, vbi sub hac regula viuebatur, vt numquam vinum biberent, nūquam adipe alimenta condirent, vnum in Dominica die, & quinta feria pulmentum sumerent, quinque per hebdomadam diebus in pane & aqua ieiunium celebrarent, solis autem orationibus vacantes, vel manuum operibus insistentes, non agriculturam exercebant, non prædia vel aliquam substantiam præter vnum sagittarium possidebant, cum quo asello vel equo vnus erat minister, qui vel ad acquirendas, vel ad ferendas fruges indeficiens discurrebat, solusque eos cunctis necessitatibus sustentabat, Ioannes scilicet, qui postmodum loci Abbas factus sub honesta rexit administratione conuentum.

Rom. 8. 28.

Vir sanctus quia ordinatus Simoniacè, nunquam præsumpsit ministerium altaris.

Vixit in eremo artissimè.

Seruat vnà cum aliis semper silentium integrarum hebdomadarum.

TENEBANT autem per totam hebdomadam districta censura silentium: quod vtique Dominica die post Vesperam cibumque soluentes, habebant loquendi inuicem vsque ad Completionis officium libertatem. Nudis præterea pedibus & cruribus iugiter in cellulis morabantur. Dixit autem mihi, quia cùm cohabitaret Ansoni religioso videlicet, viro, quem & ipse vidi, quotidiè per omnes * canonicas disciplinam sibimet inuicem scoparum ictibus ingerebant. Atque hic est vir Dei Dominicus, qui longè pòst, magistro præbente consensum,

** supp. Horas. Nota fidē & ætatem Scriptoris.*

sensum, dignatus est mihi misero, & quem ipse suscipere dignaretur indigno, mira se prorsus humilitate committere, & sicut Abbati monachum subiugare. De cuius dictis vel factis, quia etiam per diuersa dictatus nostri iam opuscula sparsimus, non videtur absurdum, si eadem quoque hic, eo ipso stylo quo scripta sunt, apponamus. In epistola itaque ad dominum * Teozenem inclusum missa, hoc me scripsisse reperio: Sed cur ego Sanctos commemorando viros diuersa passim loca perlustror? quandoquidem intra limen, & præ manibus teneo, ad cuius dignè efferenda præconia impar viribus non assurgo. Certè cellulis altrinsecus constitutis, solo basilicæ mediantis interstitio ego illeque diuidimur. Cuius si virtutibus enumerandis inuigilo, antè dies cabitur, quàm scribendi materia deficere posse videatur: Dominicum, dico, doctorem & dominum meum: cuius quidem lingua rustica est sed vita artificiosa & lepida.

S. Dominicus loricatus rusticana quidem lingua, ter. prædicat sanctissima sua vita, nouerum semper cinctus ad carnem lorica ferrea.

QVAE sanè vita satis vtilius ad ædificationem viuis operibus prædicat, quàm sterilis quorumdam lingua, quæ accurata phaleratæ vrbanitatis verba inaniter trutinat. Longo iam annorum elabente curriculo ferrea ad carnem lorica præcinctus, infœderabilem pugnam cum iniquis spiritibus conserit, semperque paratus ad prælium, non solùm corde, sed & corpore præmunito, aduersus hostiles acies feruidus bellator incedit. Hanc autem continuæ vitæ consuetudinem indifferenter habet, vt vix dies vlla prætereat, quin duo psalteria modulando, vtraque manu scopis armata, nudum corpus allidat. Et hoc remissiori quidem tempore. Nam Quadragesimalibus circulis, siue cùm pœnitentiam peragendam habet (crebrò enim centum annorum pœnitentiam suscipit) tunc per dies singulos, dum se scoparum tunsionibus afficit, vt minùs tria psalteria meditando persoluit. Centum autem annorum pœnitentia, sicut ipso auctore didicimus, sic expletur: Cùm tria scoparum millia vnum pœnitentiæ annum apud nos regulariter expleant, decem autem psalmorum modulatio, vt sæpè probatum est, mille scopas admittat, dum centum quinquaginta psalmis constare Psalterium non ambigitur, quinque annorum pœnitentia in vnius psalterij disciplina rectè supputantibus inuenitur. Porrò siue quinque vicies, siue vigintiquinquies, centum faciunt. Consequitur igitur, vt qui viginti psalteria cum disciplina decantat, centum annorum pœnitentiam se peregisse confidat.

Acerrimus est in seipso disciplinando.

Nota diligenter, & forte melius intelliges quid sit tot vel tot dierum in Ecclesia indulgentia.

Quam

Quamquam & in hoc omnem modum Dominicus superet: quia cùm nonnulli vnam manum in disciplinis agendis exercerent, iste, vt reuera Beniamin filius, contra rebelles carnis illecebras vtraque manu infatigabiliter pugnat.

In Regula quoque eremitica ita inseruisse me recolo. Dicam: Sed quis scit vtrum fides assertioni fidelissimæ præbeatur? At paruipendendum est, si humana temeritas arguat, quem summa veritas falsitatis excusat. Est inter nos qui nonnumquam vno die continuato cum nocte nouem psalteria meditando decurrat, & interim penè semper vtraque manu scopis armata, nudum corpus afficiat. Notandum autem, quia, dum hæc peragere satagit, nocte vel die dormire non vacat, sed aliquando genua flectens, dum caput terræ deponit, sic nudo repentè somnus obrepit, eoque solo contentus est. In epistola quoque quam Blancæ Comitissæ direximus, hæc nos indidisse videmur: Vtinam daretur tibi nunc dominum meum videre Dominicum, qui quod imperitas linguæ conamur officio, ipse te efficaciori luculentissimæ vitæ doceret & informaret exemplo. Hic denique à tribus circiter annorum lustris lorica ferrea vestitur ad carnem, duobus autem ferreis circulis in corpore cingitur, duobus item per brachiorum armos arctatur. Scripsi super hoc & in aliis fortasse opusculis, quæ vel ad præsens desunt, vel facile memoriæ non occurrunt. Itaque ab eorum replicatione quæ scripta sunt, ad noua iam articulus transferatur. Enimuero quasi quidam diuinus ignis in eius pectore iugiter æstuabat, qui numquam permittebat eum à spirituali exercitij labore quiescere.

Nonnumquam vir sanctus inter diem & noctem percurrit nouem Psalteria.

Præter loricā ferream adhibet præterea corpori & circulos quosdam ferreos.

ALIQVANTIS ante obitum annis quasi nouum supplicij genus inueniens, virgarum scopas in corrigiarum scuticas vertit; semelque gustato quia duriores sunt, in his verberandi consuetudinem posuit. Hoc flagellum, siquando egrederetur ad seculum, portabat in sinu; vt, vbicumque eum iacere contingeret, à verberibus non vacaret. Circulis quoque ferreis quatuor, quia sibi præ longa consuetudine iam viluerant, quatuor item superaddidit, vt duobus in coxis, duobus consequenter in cruribus stringeretur. Loricam verò & quibus vtebatur tamquam ciliciis, vel lanea quælibet indumenta, post menses siue post spatium prolixius abluebat, tantùm vt rubiginem deponerent, & aridis ingerendam membris vredinem non haberent. Porrò autem cùm omnes qui in cellulis habitamus, hoc laboremus, vt pro muniendis à frigore pedibus, vesti

Pro virgarū scopis vtitur scutis corrigiarum.

vestimenta vsque ad imum defluant pauimentum, hoc etiam nobis in eo intolerabile videbatur, quia cũ in eremo & ocreas nesciret & calceos, vestes tamen eius ad tibias vix medias descendebant. Hoc autem mihi sæpè dicebat: In hoc psalmodia prouenit citò psallenti, si corde verba teneat, si quæ lingua loquitur mens veraciter comprehendat: alioquin, si cor vagetur, psalmorum cursus ad finem, lingua nunc fallente, nunc tepescente perducitur. Aiebat etiam, quia somnum somnus adescat, & vigilias vigiliæ pariunt. Nam corpus humanum in quo paulatim priùs enutritur, in hoc per incrementa postmodum roboratur. Obiit vir beatus pridie Idus Octobris.

Sēper nudis incedit pedibus, simulq; vestis habet vix vsque ad medias tibias.

Quiescit in Domino.

VITA S. HEDVVIGIS DVCISSÆ *Poloniæ, materteræ sanctæ Elizabeth, ex ea quæ est apud R.P. Surium.*

XV. OCTOBRIS.

HEDVVIGIS, iam in cælis beata, in terris è stirpe illustri orta, filia fuit magnifici Principis Bertholdi, Marchionis Morauiæ, Comitis Tyrolensis. Quatuor habuit fratres, sorores tres, quarum vna Philippo Regi Franciæ nupsit, altera Andreæ Regi Hungariæ, cui peperit sanctam Elizabeth, tertia quæ fuit Abbatissa in * Lutzingensi Franconiæ monasterio. Ex fratribus vnus Bertoldus fuit Aquileiēsis Patriarcha, alter Elebertus Babenbergensis Episcopus, reliqui duo Ottho & Henricus militiæ dediti, patri in Principatu successerunt. Porrò Hedvvigis cùm esset annos nata duodecim, præclaro Principi Henrico Duci Silesiæ & Poloniæ collocata est: quem illa instar Saræ cum timore Domini, non cum libidine sua consensit suscipere. Quocirca & coniugali alligata vinculo, studebat, secundùm Apostoli doctrinam, honorabile connubium & torum immaculatum in omnibus custodire, sperans per filiorum generationem se saluam fore. At nihilò minùs studio castitatis Deo placere desiderans, quantum licuit ex mariti consensu, continentiæ legem quoque sibi indicebat, nimirum vt, simulatque se concepisse sentiret, à viri toro vsque ad puerperij completionem sese reuerenter abstineret; atq; hunc in matrimonio continenter viuendi à sancta Ecclesia approbatum modum, alias quoque quascumque poterat, edocebat. Quo factum est, vt felices hi coniuges pro huiusmodi castimoniæ exercitio iugiter vacantes (sex enim proles pia ma-

S. Hedvvigis quatuor fratres, & tres sorores.

** Kitzingēsi.*

Nubit Duci Poloniæ.

Tobiæ 4.

O vtinam oēs coniugati sic facerent: & nota, quò! dicitur modus approbatus ab Ecclesia.

trona pio Principi peperit) ad maiora etiam peruenire meruerint diuinæ gratiæ incrementa; ita vt vno animo pariq́ue consensu cum Episcopi benedictione, perpetuam continentiam se seruaturos tandem promitterent.

Tandem vna cum marito viuit castitate.

Dei autem spiritu corroborati, triginta circiter annos toro separati, vitam duxére castitatis pulchritudine mirificè decoratam. Quo toto tempore Christi ancilla summopere incumbebat, ne ea continentia, quæ iam non paucis innotuerat, vlla ratione in infirmorum animis sinistra aliqua suspicione obfuscaretur. Atque ea causa adeò vitabat mariti sui colloquia, vt sola eum non adiret, nec ei loqueretur, nisi in loco publico vel in ecclesia, & vel plurimis, vel vt minimum duabus honestis personis præsentibus. Cæterùm quia nouerat in carne præter carnem viuere magni esse meriti, ad complectendam conseruandamq́ue carnis integritatem & castitatem, quoscumque poterat, inuitabat. Cuius rei causa constructo Trebnicensi monasterio, cuius construendi impensæ, vt à procuratoribus compertum est, triginta marcarum millia plus minus collegerunt, multas illic collegit feminas & virgines, quæ Domino seruirent in cordis & corporis puritate, inter quas suam quoque obtulit filiam, quæ illic postea Abbatissa creata est. Quin & ipsa quoque post Christum exiens extra castra, eò etiam se cum parua familia contulit, atque illic prope monasterium virginum (quod est Cistertiensis Ordinis) Domino seruiuit, marito adhuc viuente, eoque religiosa animi pietate similiter propè monacho effecto.

Construit monasterium Trebnicense.

Viuit iuxta iam dictum monasterium tota mente operibus charitatis.

Sane licet beata Hedvvigis institutum monasticum ibi professa non sit, videlicet vt misericordiæ operibus, & consolandis pauperibus liberiùs vacare posset; tamen conscientiæ puritate, bonorumq́ue operum fructu ita coram Deo & hominibus vas omni sanctitate plenum apparuit, vt non sit nostræ possibilitatis illud ad plenum exponere. Quisquis ille esset qui aliquid ei molestum, aut quod perturbationem afferre posset, quauis ratione intulisset, nihil ab ea audiuit nisi hoc dumtaxat, aut quippiam eiusmodi placidè & leniter ab ea prolatum: Certè, & cur hoc fecisti? Ignoscat tibi Deus. Quotidiano autem sese afficiebat ieiunio, exceptis Dominicis diebus, & præcipuis quibusdam solennitatibus; ab esu carnium, & earum rerum quæ essent carnis adipe saginatæ, abstinens omnino, idq́ue annis plus minùs quadraginta. Die Dominico, tertia & quinta feria piscibus & lactariis vescebatur, sabbatho

Dictum eius si quis eam fortè offendisset.

Ratio victus eius plus quàm monastica.

batho & secunda feria aridis leguminibus, quarto & sexto die pane & aqua dumtaxat, semper insuper, demptis diebus Dominicis & solennioribus festis, pro potu habens aquam. Cuius cùm aliquádo accusata fuisset apud maritum, illeque frequentium eius ægritudinum illam esse causam existimans, rem certiùs cognoscere voluisset, tollens ex improuiso scyphum coram illa positum, in quo reuera aqua infusa fuerat, dum bibit ex eo, ecce non nisi boni vini gustum percepit; cuius rei testes fuêre complures, ipsaque etiam Adelheidis, vxor quondam Theodorici de Ianouis, equestris Ordinis viri, femina in bonis operibus feruens.

Vt lateat gloriâ Christi bibens aquam, vertitur sub. ò aqua in vinum.

AD hæc tegebat quoque Deo dilecta Hedvvigis corpusculum suum licet attenuatum ieiuniis, flagellorumque insuper ictibus liuidum & hispidum, vna sola tunica & pallio simplici, tam hieme quàm æstate, asperum interim cilicium è setis equorum confectum, ad nudum corpus ferens, cui adiuncta erat similis generis zona nodosa ad lumbos eius adstricta. Lectus ei, ita vt decebat Principem feminam, & Ducissam, præparabatur; sed illa in eo non cubabat, quin magis in tabulis ligneis aut pauimento corio instrato, somno eam post diuturnas preces & vigilias opprimente, sese reponebat. Quòd si debili & infirmo, nimiumque defatigato corpori interdum plusculum indulgere vellet, in straminibus panno crasso opertis, aut in sacco ad tempus aliquod cubauit, in culcitra enim numquam, quantumlibet etiam ægrota, dormire voluit. Ad Sacramentum Dominici corporis percipiendum accessura, tanto lacrymarum imbre faciem perfundebat suam, tanto precandi, genua flectendi, corpus prosternendi studio occupabatur, vt feruor deuotionis eius non immeritò intuentes ad deuotionem efficaciter permoueret.

Gestat asperrimum cilicium.

Summa cum deuotione accedit ad Sacramentum Altaris.

HABEBAT autem permultas Sanctorum imagines & reliquias, quibus congruam præstabat reuerentiam, easque sibi ad ecclesiam eunti voluit præferri; inter quas cùm sanctissimæ Christi matris paruam imaginem ipsa sæpiùs suis manibus gestaret, vt ex amore crebro eam posset intueri, & inspiciendo, ad eius amorem se posset ampliùs excitare; factum est, vt cùm ea imagine interdum benediceret languidis, ilico quoque curarentur. Diligebat verò etiam decôrem domus Dei; atque idcirco ornamenta preciosa ecclesiis & altaribus donauit. Vestes quoque sacerdotales & Leuiticas, atque ministrorum altaris, suis impensis comparauit, immò

Sanat ægrotos, benedictione data cum imagine quadã Deiparæ Virginis.

& parauit tum per seipsam, tum per aliàs cum ipsa manentes feminas, quæ ex auro & serico nouerant egregiè operari. At verò erat illi innata clementia, quam augebat pietas Iesu Christi: cuius gratia eam instigante, studebat, quicquid boni poterat, manus eius instanter operari. Mater erat omnium pauperum, & præcipuè viduarum atque orphanorum eximia consolatrix: quorum causas & negotia, cùm id res posceret, apud Ducem libenter promouebat, exhibebatque se illis fidelissimam aduocatam.

Erat mater omnium pauperum & miserorum.

NON paucas quoque puellas, parentibus & amicis orbatas, apud se humaniter fouebat, singulis prouidens, prout visum fuit saluti illarum præcipuè expedire, alias matrimonio, alias monasteriis tradens. Habebat verò in aula sua speciales quosdam afflicta valetudine pauperes tredecim, quos in honorem Christi & duodecim Apostolorum eius, cùm aliquò proficisceretur, curribus impositos, secum vehebat, & vbi ad hospitium ventum esset, ante omnia illorum suscipiebat curam: iubensque illos coram se discumbere, priusquam ipsa mensæ assideret, illis ad mensam ipsa ministrabat, singulis apponens escas genibus flexis. Pro promiscua autem pauperum turba quæ coram mensa eius non versabatur, singularem etiam habebat culinam, & quosdam ministros illis specialiter deputatos: quibus in prandio & cœna, pro ratione temporis, victui necessaria præbebantur. Atque hæc hactenus de beatæ Hedvvigis vita & conuersatione.

Tredecim pauperibus ipsa suis manibus ministrat.

PORRO de miraculis, eo quòd multa sunt & magna, planeque conspicua, nihil attinet dicere, nisi quòd triennio antè quàm cæsus est Dux Henricus filius eius, ipsa prorsus spiritu Prophetico Adelheidi sanctimoniali dixit: Sis memor filij mei, non enim lecto decumbens morietur: cùm ecce post annos tres Tartari in Silesiam irrumpentes, intantum grassati sunt, vt ipsa beata Hedvvigis cum filia & nuru Anna in Crosnam castrum se transtulerit. Vbi cùm esset, quadam nocte ait ad Demundim: Noueris me orbatam filio meo, vnicus ille meus instar auiculæ repentè auolauit à me. Princeps enim ille Henricus, qui patri successerat, collecto exercitu, occurrerat Tartaris, ab iisque occisus erat (quod factum fuit anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo primo) sed cædis eius nuncius nondum allatus erat. Super quo cum Demundis eam consolari voluisset, tamquam quòd humana opinione metueret; illa è contrà: Sed sic est, ait, vt dixi: tu tamen vide ne filiæ

Prædicit triennio antè de morte sui filij Ducis Henrici.

Confirmatur eius prædictio rei euentu.

filiæ aut nurui meæ istuc innotescat. Post triduum autem confirmauit eius sententiam certus nuncius cæsi Principis. Sed missionem requirit sermo. Tandem vt esset finis laboris, quem tamen illa vix senserat præ amore, occurrentibus sibi S. Magdalena, S. Catharina, Tecla, Vrsula, aliisque nonnullis cælestibus ciuibus multa luce conspicuis, sicut & eas soror quædam, Catharina nomine, intrantes ad illam vidit, animam eius sanctissimam Christus transtulit in abyssum suæ claritatis, anno salutis millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, Idibus Octobris. Relata est autem illustrissima matrona in Sanctos à Clemente Pontifice, eius nominis quarto, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo septimo.

Migrat fœmina sanctissima ad Christũ, & paulò pòst refertur in Sanctos.

DE S. LVCA EVANGELISTA, EX *D. Hieronymo, vt est in Ordinario Nouo.*

XVIII. OCTOBRIS.

LVCAS medicus Antiochensis, vt eius scripta indicant, Græci sermonis nō ignarus fuit, sectator Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis eius comes. Scripsit Euangelium, de quo idem Paulus, Misimus, inquit, cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. Et ad Colossenses: Salutat vos Lucas medicus charissimus. Et ad Timotheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo Acta Apostolorum prænotatur, cuius historia vsque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, id est, vsque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus, in eadem vrbe librum esse compositum. Igitur periodos Pauli & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est vt indiuiduus comes Apostoli inter cæteras eius res hoc solùm ignorauerit? Sed & Tertullianus, vicinus eorum temporum, refert Presbyterum quendam in Asia, amatorem Apostoli Pauli, cōuictum à Ioanne quòd auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse, & ob id loco excidisse.

S. Lucas comes omnis peregrinationis Diui Pauli.

Scribit Romæ Acta Apostolorum.

Notá lector vnde irrepserint illa fabulosa.

QVIDAM suspicantur, quotiescumque in epistolis suis Paulus dicit, Iuxta Euangelium meum, de Lucæ significare volumine; Lucam autem non solùm ab Apostolo Paulo didicisse Euangelium, qui cum Domino in carne non fuerat, sed à cæteris Apostolis, quod ipse quoque in principio sui

voluminis declarat, dicens: Sicut tradiderunt nobis qui à principio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Igitur Euangelium, sicut audierat, scripsit; Acta verò Apostolorum, sicut viderat ipse, composuit. Vixit octoginta & quatuor annos vxorem non habens: sepultus est Constantinopoli, ad quam vrbem vicesimo Constantini anno ossa eius cum reliquiis Andreæ Apostoli translata sunt de Achaia.

Vixit S. Lucas celebs annos 84.

VITA S. AQVILINI EPICOPI
Ebroicensis in Gallia, ex ea qua scripta est ad Audoënum
XIX. OCTOBRIS.

S. Aquilini clari natales.

BEATISSIMVS Confessor Domini & Ebroicensis vrbis Episcopus Aquilinus, Baiocensi ciuitate ortus, parentum nobilitate clarus, sed morum dignitate illustrior, antiqua insignia nouis virtutum ornamentis velut obscurauit. Hic cùm sacris literis institutus, & summo studio enutritus esset, pluuiamque suo tempore effundendam ceu nubes matutina collegisset; transmissis adolescentiæ spatiis, ad iuuentutem pertigit, in qua pueritiæ marcescentibus floribus, humanæ probitatis solent prodire fructus. Quæritur interim vxor nobilitati eius congrua: inuenitur, ducitur, nuptiali celebritate coniungitur: proles terrena primùm gignitur, vt postmodum cælestis procreetur. Sentitur carnalis amor, vt eo propudiato, spiritualis feruentiùs sentiatur quemadmodum pueri cibo solido gustato, vbera respuunt. Discit Aquilinus in coniuge, qúam fidem Præsul quandoque effectus, Ecclesiæ præstare debeat. Sed & accitus à Clodoueo Rege, qui ea tempestate rerum potiebatur, cum cæteris vrbium Præfectis aduersum barbaros, qui in extremis regni Francorum finibus cœperant insolescere, proficiscitur, nimirum, vt & antè quàm spiritale contra spiritales nequitias bellum suscipiat, hostium quoque visibilium pugnis & victoriis priùs exerceretur. Vbi cùm exegisset triennium & menses sex, iamque omnibus facta esset domum redeundi potestas, in tantum deinde Aquilinus profecit Christi amorem, vt ipse eiusque coniunx animis coniunctis sub vno tecto manere constituerint, deinceps carnali consortio separari.

Duxit vxorem.

Proficiscitur vnà cum aliis vrbium Præfectis contra barbaros.

IMPENDVNT etiam sua post se; & vt perfectum sit castitatis sacrificium, elargiuntur res suas pauperibus, vt transeat in holocaustum. Denique adeò corpora sua ieiuniis & vigiliis

Reuersus domum, totum se dat pietati.

liis exarabant, animas elemosynis recreabant, vt ipsis quoque monachis, & Crucis habitum gerentibus, nihil eos cedere putares, domum autem illorum xenodochium potiùs diceres, quàm aliud quippiam. Verum enim verò qui eos diutius latêre noluit, occasionem obtulit, qua amator latibuli Aquilinus super candelabrum poneretur. Beato namque Æterno Ebroicensis vrbis Episcopo ex hac luce ad æternam translato; totius Cleri & populi animi diuinitus inflammãtur, vt Aquilinus ille occultus Dei seruus ei substituatur. Non ibi vna vox, aut vnius partis personuit acclamatio, sed diuersarum vocum generalis electio cõspirauit, vt nulli esset ambiguum, quod vulgus peteret id & inspirari & imperari diuinitus. Nec quæsitum est ab electo quid ipsi videretur; quandoquidem qui latêre didicerat, apparere vtique nollet, si quis eius consensum requireret. Sed rapitur ab omnibus, & trahitur, quasi non suus deinceps futurus, sed communiter omnium. Primôque fit Clericus: inde gradatim promotus, ad Episcopale cacumen euehitur, vt totius Ebroicensis ecclesiæ domum gubernet. Iam apertè vxor vertitur in sororem, in quam etiam antè transierat, sed occultè; ipse verò vt liberiùs posset contemplationi vacare, & pro peccatoribus mundi huius tumultibus deditis, Dominum deprecari, non longè à muro ciuitatis, ab ecclesia verò centum passuum spatio distantem; elegit cellam in portæ Rothomagensis regione sitam, ibique secretum, quod propter pastoralis curæ inquietudines amiserat, repetens, animarum causas & negotia tanto curabat meliùs, quanto plus corporum declinabat.

Moritur Æternus Episcopus Ebroicensis.

Substituitur in eius locum S. Aquilinus.

Ibi lectio & oratio vicissim sibi succedentes sine intermissione continuabantur: ibi psalmorum & canticorum spiritalium resonabat melodia; sancti Spiritus gratiam adducens: ibi non abrupto ab Ecclesiæ suæ corpore, sed retorto ad pennulas capite, columbina illa anima immolans, pro sanguine lacrymarum imbres fundebat. Nequaquam autem putes lecti illum mollitiem illic consectatum, quin verò nihil aliud sibi voluit in quo cubaret substernere, præter nudum pauimentum. Tum etiam carnales pastores vt sese vberiùs pascãt, ipsi sua refectione pascendis ouibus Christi se prouidere simulant, dicentes laborem se ferre non posse, nisi sic reficiantur & induantur. Sed dum necessitati consulere se fingunt, consulunt voluptati, non vtique imitantes vestigia magni illius Martini Turonensis, aut Germani Antissiodorensis, qui

Post curas pastorales, totus deinde est in lectione & oratione.

Notent pastores [illegible] & videant ne vt [illegible] fallant.

pauerunt gregem Christi ieiuniis, vigiliis, & laboribus suis, nimirum vt eorum exemplo grex disceret eò redire ieiunando, vnde in primo parente excidit manducando; existimantes non benè eum ieiunia aliis suggerere, qui ipse sub quocumque prætextu epulis vacaret. Quod sanè intelligens beatus Aquilinus, & ipse abstinendo & vigilando in primis pascere subditos suos studebat: Vnde etiam factum est, vt sicut ipse hac laudatissima via quos poterat, intus illuminabat, curabat, erigebat; ita quoque Christus ei præstiterit gratiam & facultatem extrinsecus illuminandi, sanandi & erigendi, adeò vt Crucis signo liberaret, quos per eam liberandos prædicabat; nec vlla corporalis infirmitas eius precibus resisteret, qui suis exemplis spiritales ægritudines depellebat.

Facilè curat ægrotos signo Crucis.

PORRO autem vir beatus sedulus erat custos innocentiæ, amator continentiæ, cultor sobrietatis, obtrectationis inimicus, persecutor improbitatis: quas ad res multum ei cæcitas corporis, quæ ei postea ad maiorem Dei gloriam superuenit, conferebat, sicut etiam ad populum paterna pietate exhortandum, pastoralique diligentia custodiendum nihil impedimenti adferebat. Non enim ideo segniùs vel orabat vel vigilabat, vel minùs ad populum concionabatur, imò tanto splendidiores pro concione radios ad inferiora vibrabat, quòd eos potiùs ab ipsa veritate quàm à veritatis testibus, puta libris, quos legere non poterat, hauriret. Qui denique cùm bonorum operum sanctarumque institutionum piis exercitiis sufficienter esset comprobatus, refocillandorum etiam pauperum studiis accuratè elimatus, tum & optatæ cæcitatis medicinali cauterio ab omni mundanæ vanitatis sorde purgatus, tandem cùm duos & quadraginta annos tanquam mansiones totidem vsque ad Iordanem suæ euocationis exegisset, vbi iam transiturus erat ad patriam semper optatam, Christo reddidit illibatum & incontaminatum spiritum, sepultus cum omni reuerentia Sacerdotum & populi, in basilica quam apud ciuitatis suburbium ipse condiderat.

Fit ipse cæcus corporaliter, nec tamē minus ob id fungitur suo officio.

Transit ad Dominum.

VITA S. HILARIONIS ABBATIS,

ex ea quæ est per Diuum Hieronymum.

Exstat inter epistolas.

XXI. OCTOBRIS.

S. Hilarionis patria & parentes.

SCRIPTVRVS vitam beati Hilarionis, habitatorem eius inuoco Spiritum sanctum. Hic ortus vico Thabatha, qui

quici reiter quinque millia à Gaza vrbe Palęstinę ad Austrum situs est, cùm haberet parentes idolis deditos, rosa, vt dicitur, de spinis floruit. A quibus missus Alexandriam, Grammatico traditus est, ibique quantum illa patiebatur ætas, magna ingenij & morum documenta præbuit, in breui charus omnibus, & loquendi arte gnarus. Quodque his maius est omnibus, credens in Dominum Iesum, non circi furoribus, non arenæ sanguine, non theatri luxuria delectabatur; sed tota illi voluntas in Ecclesię erat congregatione. Audiens autem tunc celebre nomen Antonij, quod per omnes Ægypti populos ferebatur, incensus visendi eius studio, perrexit ad eremum. Et statim vt eum vidit, mutato pristino habitu duobus ferè mensibus apud eum mansit, contemplatus ordinem vitę eius, morumque grauitatem; donec frequentiam eorum qui ad Antonium ob varias passiones aut impetus dæmonum concurrebant, vltrà non ferens, reuersus est cum quibusdam monachis ad patriam. Et quidem parentibus iam defunctis, partem substantiæ fratribus, partem pauperibus largitus est, nihil sibi omnino reseruans. Erat autem tunc annorum quindecim.

Fit Christianus.

Venit ad S. Antoniũ, & mox mutat habitum.

ITAQVE nudus & armatus in Christo, solitudinem, quæ in septimo miliario à Maioma Gazæ emporio per littus euntibus Ægyptum, ad læuam flectitur, ingressus, sic sacco tantùm membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum, inter mare & paludem vasta & terribili solitudine fruebatur, quindecim tantùm caricas post Solis occasum comedens, nonnumquam etiam tantùm herbarum succo & paucis caricis post triduum aut quatriduum deficientem animam sustentans, orans simul frequenter & psallens, & rastro humum fodiens, vt ieiuniorum laborem labor operis duplicaret. Igitur à sexto decimo vsque ad vicesimum suæ ætatis annum æstus & pluuias breui tuguriunculo declinauit, quod iunco & carice texerat. Exstructa deinceps breui cellula est, quæ vsque hodie permanet, latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc est, statura sua humiliore, porrò longitudine paulò ampliore quàm eius corpusculum patiebatur, vt sepulcrum potiùs quàm domum crederes. Capillum semel in anno die Paschæ totondit. Super nudam humum, stratumque iunceum vsque ad mortem cubitauit; saccum quo semel fuerat indutus, numquam lauans; & superfluum esse dicens, munditias in cilicio quærere. Nec mutauit alteram

Ingreditur vastissimam solitudinem, vbi & viuit in maxima abstinentia.

Cellula eius sepulcrũ potius quàm domus.

Dicit superfluũ esse quærere munditias in cilicio.

Nn 5 tuni

tunicam, niſi cùm prior penitus ſciſſa eſſet. Scripturas quoque ſanctas memoriter tenens, poſt orationes & pſalmos, quaſi Deo præſente, recitabat.

Sed quia longum eſt per diuerſa tempora carptim adſcenſum eius edicere, comprehendam breuiter ante Lectoris oculos vitam eius pariter exponens. A vigeſimo primo anno vſque ad vigeſimum ſeptimum, tribus annis dimidium lentis ſextarium madefactum aqua frigida comedit, & aliis tribus panem aridum cum ſale & aqua. Porrò à vigeſimo ſeptimo vſque ad trigeſimum, herbis agreſtibus, & virgultorum quorumdam radicibus crudis ſuſtentatus eſt. A trigeſimo autem primo vſque ad trigeſimum quintum ſex vncias hordeacei panis, & coctum modicè olus abſque oleo in cibo habuit. Sentiens autem caligare oculos ſuos, & totum corpus impetigine & punicea quadam ſcabredine contrahi, ad ſuperiorem victum adiecit oleum, & vſque ad ſexageſimum tertium vitæ ſuæ annum hoc continentiæ cucurrit gradu, nihil extrinſecus aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuſlibet rei guſtans: Sed & cùm ſe videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à ſexageſimo quarto anno vſque ad octogeſimum etiam pane abſtinuit incredibili feruore mentis; vt eo tempore quaſi nouus accederet ad ſeruitutem Domini, quo cæteri ſolent remiſſiùs viuere. Fiebant autem ei de farina & comminuto olere ſorbitiunculæ, cibo & potu vix quinque vncias appendentibus. Sicque complens ordinem vitæ, numquam ante Solis occaſum, nec in diebus feſtis, nec in grauiſſima valetudine ſoluit ieiunium. Sed tempus me deficiet ſi voluero omnia quæ de eo dici poſſent, ſingulatim dicere.

Semper conatur adſcendere a minori abſtinētia ad maiorem.

Sub finem vitæ etiam omnino abſtinet pane.

Sane in tantam à Domino fuerat eleuatus gloriam, vt beatus quoque Antonius, audiens conuerſationem eius, ſcriberet ei, libenterque eius epiſtolas ſumeret; & ſi quando de Syrię partibus ad ſe languentes perrexiſſent, diceret eis: Quare vos tam longè vexare voluiſtis, cùm habeatis ibi filium meum Hilarionem? Exemplo quoque eius per totam Palæſtinam innumerabilia monaſteria eſſe cœperunt, & omnes ad eum monachi certatim currere. Quòd ille cernens, laudabat Domini gratiam, & ad profectum animę ſingulos cohortabatur, ſtatis diebus ante vindemiam luſtrans cellulas monachorum. Concurrebant etiam Epiſcopi, Presbyteri, Clericorum & monachorum greges, matronę quoque, Chriſtianorum

Exemplo eius multa conſtruuntur monaſteria.

Item confluit ad eum benedictionem omne genus hominum.

rum grandis tentat[illegible], & hinc inde ex vrbibus & agris vulgus ignobile, ſed & potentes viri & Iudices, vt benedictum ab eo panem vel oleum acciperent. At ille nihil aliud niſi ſolitudinem ſemper meditabatur, intantum vt quodam die proficiſci omnino ſtatuerit, iamque adducto aſello (nimis quippe exeſus ieiuniis, vix ingredi poterat) iter arripere conaretur.

QVOD cùm percrebuiſſet, & quaſi vaſtitas & * iuſtitium Palæſtinæ indiceretur, plus quàm decem millia hominum diuerſæ ætatis & ſexus ad retinendum eum congregata ſunt. Immobilis verò ille ad preces, & * baculo arenas diſcutiēs, loquebatur: Fallacem Dominum meum non faciam: nō poſſum videre ſubuerſas eccleſias, calcata Chriſti altaria, filiorū meorum ſanguinem. Vniuerſi autem qui aderant, intelligebant reuelatum ei quiddam eſſe ſecreti, quod nollet confiteri: & nihilominus cuſtodiebant eum ne proficiſceretur. Decreuit ergo, publica omnes voce conteſtans, non cibi ſe, non potus quicquam ſumere, niſi dimitteretur, cùm poſt ſeptem dies inediæ tandem relaxatus, ac valedicens, quinto inde die venit Peluſium, dehinc ad caſtrum Theubatum, ac poſtremò ad oppidum Aphroditon: vbi duobus ſecùm tantum retentis Fratribus, vicina eremo moratus eſt tanta abſtinentia & ſilentio, vt tunc primùm ſe cœpiſſe Chriſto ſeruire diceret. Sed videns etiam ibi ſe honoribus affici, perrexit Alexandriam, atque inde ad vlteriorem Oaſim eremum. Vbi in inuia ſolitudine anno plus minùs exacto, quia illuc quoque ſua fama peruenerat, quaſi iam in Oriente latêre non poſſet, vbi multi illum & opinione & vultu nouerant, ad ſolas nauigare inſulas cogitabat, vt quem terra vulgauerat, ſaltem maria celarent.

* Iuſtitium quaſi iuris ſtatio: quando ceſſabat in publico Reip. iudicium.
* bacillo

Declinans planſum populi, tendit ad loca alia.

Nuſquam poteſt latere.

EODEM ferme tempore Hadrianus diſcipulus eius de Palæſtina ſuperuenit, dicens Iulianum occiſum, Chriſtianum Imperatorem regnare cœpiſſe, reuerti eum debere ad monaſterij ſui reliquias. Quod ille audiens, deteſtatus eſt: & conducto camelo, per vaſtam ſolitudinem peruenit ad maritimam vrbem Libyæ Parætonium, vbi Hadrianus infelix, volens Palæſtinam reuerti, & priſtinam ſub nomine magiſtri quærens gloriam, multas ei fecit iniurias. Ad extremum conuaſatis, quæ à Fratribus ei miſſa detulerat, neſciente illo profectus eſt. Super quo, quia alter locus referendi non eſt, hoc tantùm dixerim in terrorem eorum qui magiſtros deſpiciunt, quòd idem poſt aliquantulum temporis computruerit morbo regio. Habens igitur ſenex Gazanum ſecum, adſcendit claſſem,

Multas patitur iniurias à quodam ſuo diſcipulo.

Venit in Siciliam, sed nec ibi diu latuit sicut nec deinde in Dalmatia.

classem, quæ Siciliam nauigabat. In cuius promontorio Pachyno exceptus, cùm ad mediterranea loca se contulisset, id est, vigesimo à mari milliario, ibi in quodam deserto agello lignorum quotidie fascem alligans, imponebat dorso discipuli, hocque in proxima villa venundato, sibi alimoniam emebant. Sed verè, iuxta quod scriptum est, non potuit ciuitas latêre super montem posita.

QVOCIRCA statuens vir beatus ad barbaras quasque pergere nationes, vbi & nomen & sermo suus incognitus foret, ad Epidaurum Dalmatiæ oppidum est profectus. Vbi cùm paucis diebus in vicino agello mansitasset, non potuit tamen abscondi, miraculis scilicet eum identidem prodentibus. Vnde æstuans quid faceret, quò se verteret, aliam rursum parat fugam. Prætermitto cætera, nec in narratione signorum volumen extendam. Hoc solùm dicam quòd prospero cursu inter Cycladas nauigans, hinc inde clamantium de vrbibus & vicis ad littora occurrentium immundorum spirituum

Vbique passim proditur à dæmonibus.

voces audiebat. Ingressus ergo Paphum vrbem Cypri, nobilem carminibus Poëtarum, quæ frequenter terræmotu lapsa, nunc ruinarum tantùm vestigiis quid olim fuerit, ostendit, in secundo ab vrbe milliario habitabat ignobilis, gaudens quòd paucis diebus quietè viueret. Verum non ad plenum viginti transiêre dies, cùm per illam omnem insulam, quicumque immundos habebant spiritus clamare cœperunt, venisse Hilarionem seruũ Christi, & ad eum se debere properare. Hoc Salamina, hoc Curium, hoc Lapetha, vrbes reliquæ conclamabant, ita vt intra triginta ne multo amplius dies, ducenti fermè, tam viri quàm mulieres, ad eum congregati sint. Quos cùm vidisset, dolens quòd se non paterentur quiescere, & quodãmodo in sui vltionem sæuiens, tanta eos orationum instantia flagellauit, vt quidam statim, allij post biduum triduumve, omnes verò intra vnam hebdomadam curarentur.

Per biennium agit in Cypro.

MANENS autem ibi biennio, & semper de fuga cogitans, tandem in ipsa insula ad secretiorem locum conscendit, duodecim millibus à mari distantem, quò vix reptando posset pertingi: ex quo & innumerabilium per noctes & dies dæmonum voces resonabant. Quo ille valde delectatus, quo scilicet antagonistas haberet in proximo, habitauit ibi per annos quinque: atque hoc vel maximè extremo vitæ suæ tempore refocillatus est, quod propter asperitatẽ difficultatemque loci, & vmbrarum (vt ferebatur vulgò) multitudinem, aut

nullus

nullus aut rarus ad se vel posset, vel auderet adscendere. In quo suo extremo domicilio anno ætatis suæ octogesimo ad transitum perennem vocatus, cùm præter sensum vix quicquam viui hominis superesset, & tamen apertis oculis loqueretur, Egredere, inquit, quid times, egredere anima mea, quid dubitas, Septuaginta propè annis seruisti Christo, & mortem times? atque in hæc verba exhalauit spiritum.

Tandem ibidem in remotissimo quodã loco quiescit in Domino.

DE S. VRSVLA ET SOCIABVS

Vndecim milibus virginum, ex iis quæ sunt apud R.P. Surium.

XXI. OCTOBRIS.

ANNO circiter Domini quadringentesimo quinquagesimo tertio, omnibus bellis famosius fuit bellũ quod candidatus sanctarũ vndecim millium virginum exercitus bellauit duce sancta virgine Vrsula: quę filia vnica * Noti nobilissimi Britãnorum Principis, cùm nondũ nubilis à filio cuiusdam ferissimi tyranni ad nuptias expeteretur, & patrẽ suum super hoc anxiari videret (qui Deum metuebat, si filiam Deo iam deuotam nubere cogeret, & tyrãnum timebat, si ei filiam denegaret) diuinitus inspirata, nutanti patri suasit, vt nihilominus Tyrranno assentiretur, ea tamen illi proposita conditione, vt ipse & tyrannus decẽ virgines genere, forma, & ætate electas sibi traderent, & tam sibi quàm singulis illarum mille virgines subscriberent, & comparatis ad numerum ipsarum vndecim trieribus, inducias triẽnij sibi darent ad exercitiũ virginitatis suæ, nouo vsa cõsilio, vt aut difficultate propositę conditionis, animũ eius à se auerteret, aut hac opportunitate omnes coæuas suas secum Deo dicaret. Et ex hoc conducto, virginibus, trieribus, & sumptibus comparatis, per triennium celli præludia, cunctis mirantibus celebrarunt.

** Sigebertus in Chron.*

S. Vrsula genus.

Pio quodam astu deludit Tyrannum, qui eam petebat in matrimonium.

TANDEM sub vno die, agente vento ad portum Galliæ, qui Tila dicitur, & inde Coloniam appulsæ sunt: ibique ex Angeli monitu Romam tendentes ad vrbem Basileam nauibus, à Basilea Romam vsque pedibus profectæ, eodem eundi tenore Coloniam sunt reuersæ ab Hunnis vndique obsessam. A quibus cunctæ martyrizatæ, nouo & mirabili modo triumpharunt, & Coloniam sanguine & sepultura sua clariorem reddiderunt. Etenim vt Colonia illa beata & incomparabili hoc thesauro beatior fieret, quantum sacratissimis Virginum

Appellit cũ sociabus Coloniam, & inde tẽdit Romam & rursum redeunt Coloniam, vbi & martyrizantur.

cineribus honoris & reuerentiæ deberet, mox in sua liberatione experta est, quàm preciosa in conspectu Domini mors earum fuisset, & quàm magnificè in Concilio Sanctorum vixerant. Nam peracta tam belluina rabie, quasi torroribus illis manifestè Deus calicem iræ, vertiginis & insaniæ miscuisset, dati sunt in reprobum sensum, videruntque armatorum acies, quotas Virginum trucidauerant, persequentes se: ad quarum impetum efferа illa barbaries, & post tot triumphos iam fugere nescia, non auderet subsistere.

Meritis sanctarum virginũ liberatur Colonia ab obsidione Hunnorum.

FVGATIS ergo pacis hostibus, conclusis ciuibus insperata pax reddita est, longoque luctu solui: Colonienses portis eruperunt, & ecce passim super nudam humum inhumata Virginum cadauera inuenerunt: nec multum eos res fefellit, quippe qui iam pridem transeuntium ibidem sanctarum puellarum vestes, habitus & naues nouerant. Et quia facilè animaduerterant deuotas Deo virgines pro conseruandæ pudicitiæ signaculo in agone martyrij occubuisse, seque earum patrocinantibus meritis non modò mortem, sed etiam cruciatus barbarorum omni morte grauiores euasisse, vnanimi consensu, non quasi homines, sed quasi Deum in humanis corporibus venerantes, non priuatis, non publicis sumptibus pepercerunt, dum non modò humanitatis officio, verùm etiam humillimæ venerationis studio pro se quisque satagentes, alij dilaniata disiectaque martyrum membra congerunt, alij vestibus cooperiunt, alij terram effodiunt, alij sarcophagis imponunt, breuique tempore, sicut hodie illic est cernere, sanctissimæ Virginum reliquiæ ad æternam Coloniensium gloriam pausauerunt in pace. Exeo autem iam crescente diuina religione, non modò consuetudo, sed etiam pro consuetudine sacramentum ciuibus inoleuit, vt intra ambitum virginalis sepulturæ nemo vsque hodie cuiusquam mortui corpus audeat sepelire.

Earum sacrá corpora honorificentissimè sepeliuntur.

QVIN etiam post incensam per barbaros sanctorum corporum custodem ecclesiam, ex remotis quoque Orientalium regionum partibus Clematius quidam vir, vt rerum exitus docuit, clarus simul & religiosus, atque ad honorandas illustrandasque fama pariter & munere sanctarum Virginum sepulturas idoneus, crebris visionum prodigiis, terroribus & documentis Coloniã inuitatus accessit, & quæcũque in suo loco primum timore spoponderat, hîc in redintegranda prorsus de proprio pecuniarum sumptu beatarum Virginum basilica, religio

Instaurat earũ ecclesiam quidam venerãdus Clematius.

religionis deuotione perfecit. Cuius monimenta lapidibus isthic seruantur incisa in hunc modum: Diuinis flammeis visionibus frequenter admonitus (vt virtutis magnæ maiestatis martyrij cælestium Virginum imminentium) ex partibus Orientis exhibitus pro voto Clematius, vir Cõsularis, de proprio, in loco suo hanc basilicam voto, quo debebat, à fundamentis restituit. De his ita VVandelbertus Prumiensis, qui floruit circiter anno Christi octingentesimo quinquagesimo. Tunc numerosa simul Rheni per littora fulgent, Christo virgineis erecta trophea maniplis Agrippinæ vrbi, quarum furor impius olim Millia mactauit ductricibus inclyta sanctis. Ex quo sit Deo honor & gloria.

Testimonium de his virginibus VVandelberti Prumiensis.

VITA SS. NVNILONIS ET ALODIÆ ex Ioan. Maldonato Hispano.

XXII. OCTOBRIS.

ANNO redemptionis humanæ octingentesimo quinquagesimo primo, Abderhame in Hispania regnante, impium promulgatur edictum, vt Christianus quisque ex vtroque vel altero parente genitus Ethnico, Christum abnegaret, aut iugulum ensi traderet. Cumque in territorio Berbetano prope Oscam duæ sorores Nunilo & Alodia, Ethnico parente Christianaque matre genitæ, quæ primis ab annis matrem sequutæ, Christianam pietatem medullitus imbiberant, cognatus earum quidam de deserendo Christo, paternóque ritu resumendo anxius eas solicitabat. Orbatæ siquidem vtroque parente, nullam faciebant spem, aliquando matrimonio velle vacare: sed omnem curam, quæ nubiles puellas exercet, abiicientes, soli Christo sanctæque religioni indulgebant. Quare propinquus ille nobilitatem ac stemmata sui generis propagari forte percupiens, vel potius timens, ne bona fisco addicerentur, quod edicta virgines principum contemnerent à Christi eas dogmate ad dæmonum culturam pro virili studebat auocare. Verùm cùm contemni se, verbaque sua irrita deperire, manifestò cognouit, detulit ad proconsulem, eas ritu Christiano agere. Quę continuò ad tribunal ductę, multisque verbis interrogatæ, Christum audacissime concelebrarunt, constantissiméque prædicarunt. Tũ lictor Nuniloni natu maiori, Cõpone, inquit, ceruicem, vt lethalem tibi inferã plagam. Illa ali

Edictum impium in Hispania aduersus Christianos.

SS Nunilo & Alodia de deserendo Christo à cognato quodã suo solicitantur.

Ducuntur ad supplicium.

Illa libenter impigréque facies, gladium media mandibula excepit, & cum exanimis procumbens, crura paululum nudasset, soror statim cum omnium admiratione accurrit, & veste quod erat nudatum, obtexit. Aggreditur tum proconsul Alodiam, subijciens, nostris obtempera præceptis, si mortem præsentem effugere vis. At illa sororis animam cernens, cœlos penetrantem, Præstolare me parumper, inquit, soror, genibúsque flexis caput percussori obtulit, quòd vno ictu amputatum est.

VITA SS. SERVANDI ET GERmani, *ex Ioan. Maldonato Hispano.*

XXIII. OCTOBRIS.

SERVANDVS & Germanus sacro Chrismate signati, fonteque baptismatis abluti, dæmones malos ab humanis corporibus effugabant, langores Iesu verbo sanabant. Et cùm per Hispaniam id temporis horrida tempestas in Christianos ingrueret, nihilo ipsi perterriti, corpora tormentis obiectabãt, cruciamenta facilè superabant, viribus nec minus, quàm fide constantiáque præstantes. Cúmque serenitas tantula interueniret, & Ecclesia paululùm respiraret: quamuis Christiani, qui vinculis tenebantur, dimitterentur, Seruandus & Germanus martyrium alia via quæsiere. Templa quippe gentilium adeũtes aras deorum simulacráque diruebant, ac disturbabant sacrificantes arguebant, durisque verbis castigabant, quod relicto Christo vera luce, tenebras ipsumque Tartarum sequerentur. Vinciuntur iterum à præside Viatore, nouisque generibus tormentorum exercentur. Reputantes tamen quæ præmia illis cruciatibus deberentur, maiora se pati exoptabant. Denique cùm sententiam dixisset præses, vt capite plecterentur, libentissimè quidem gladio colla subdiderunt.

VITA S. SEVERINI EPISCOPI COLOniensis, *ex ijs quæ sunt apud R.P. Laur. Surium.*

XXIII. OCTOBRIS.

BEATVS Seuerinus vir honestæ vitæ, & per cuncta laudabilis, cuius hodierna die festa percolimus, Agrippinẽsi

præde

prædestinatus ecclesiæ, electione & consensu Cleri totius ac populi præfuit. Hic tempore Arrianæ hæreseos lorica fidei dominicæ indutus, in Dei opere spectabilis fuit, adeò vt conuenientibus ad synodale Concilium, ex tota penè Gallia, aliarumque prouinciarum partibus Catholicis & Orthodoxis fidei Christianæ Doctoribus, Euphrata, memoratæ Agrippinæ Coloniæ mercenario pro prælibatæ pestis perfidia destituto, vnus iste sanctissimus Dei famulus Seuerinus, vt infusam malitiam eliminare debuisset, à cunctis aptissimus acclamaretur. Quod quia periclitanti populo necessarium erat, Deo propitio, sancti Concilij aûctoritate quoque firmatum est. Actumque est mira omnipotentis Dei dispensatione, vt Euphrata scelestissimæ peruersitatis doctore expulso, atque è numero Pastorum prorsus exterminato, Seuerinus æterni iudicis præco, Materni fortissimi Christianæ fidei propugnatoris, & vigilantissimi propagatoris, ipse nec fidei nec doctrinæ perfectione dissimilis successor exsisteret. Qui quali vigilantia sibi & doctrinæ suæ, post susceptum Episcopatum attenderit, vel qualiter in custodia ouilis sibi crediti desudârit, tametsi perfectè dicere non possimus (nimirum quia post discessum Doctoris religiosissimi, quando grauissima inundatio gentis incredulæ totam penè Galliam & eius finitima, cæde atque incendiis deuastabat, succedentibus & ingrauescentibus aduersis, sancti viri gloriosa facta vel miracula partim conscripta, partim auidis scriptoribus casu inopinatæ perturbationis erepta, gratulationi nostræ cognitionis ablata sunt) tamen vtcumque colligere possumus, vel ex eo solo quod de eo narrat Sulpitius in epistola ad Bassulam, de transitu sanctissimi Martini.

S. Seuerinus substituitur in locum Euphratæ Ariani.

Nota diligenter: nam verè videtur esse hæc causa, cur de multis Sanctis tam pauca habeamus.

BEATVS, inquit, Seuerinus, Coloniensis ciuitatis Episcopus cùm die Dominico loca sancta ex consuetudine post Matutinas cum suis Clericis circuiret, hora illa qua vir beatus Martinus obiit, audiuit chorũ canentiũ in sublimi. Vnde cum vocato Archidiacono, interrogasset si aures eius percuterent voces quas ille attentiùs audiret, respondissetque ille, Nequaquam; tunc ille; Diligentiùs, inquit, ausculta. Archidiaconus autem cœpit sursum collum extendere, aures erigere, & super summos articulos, baculo sustentante, stare. Sed credo eum non fuisse æqualis meriti, à quo hæc non merebantur audiri. Quare prostrati terræ, ipse pariter & beatus Episcopus deprecabantur Dominum, vt hoc ei diuina pietas audire

In obitu sancti Martini audit vir sanctus cælestem hymnodiam. Fuit hic S. Euergisilus.

permitteret. Erectus autem, rursum interrogat senex: Quid audis? Qui ait: Voces psallentium tamquam in cælo audio; sed quid sit prorsus ignoro. Cui ille: Ego tibi quid sit narrabo: Dominus meus Martinus Episcopus migrauit ex hoc mundo, & nunc Angeli canendo eum deferunt in excelsum. Quæ Sacerdote loquente, notatur tunc tempus: Archidiaconus Turones misit velociter, qui hoc diligenter inquireret. Qui veniens, eo die & horâ manifestissimè cognouit transisse beatum virum, quo S. Seuerinus audiuit psallentium chorum. Hæc Sulpitius.

Audit illum cælestē cantu & ipsius Ar-[illegible]

PORRO corroborata & bene stabilita; Dei gratia, Coloniensi ecclesia, tandem vir sanctus per visionem monetur vt Burdegalense oppidum & partes Aquitaniæ, vnde claram traxerat originem, cælestis lucri causa etiam visitare nō dubitaret. Quod cùm statim, cognita Dei voluntate, licet iā senili grauaretur ætate, perficere aggreditur, interea dum iter agit, * apparuit Dominus ecclesiæ Burdegalensis Episcopo Amando, ei dicens, quatenus surgeret, & egrederetur in occursum famulo suo Seuerino. Quare exsurgens Amandus Episcopus, accepto bacillo in manu sua, perrexit in occursum eius, nihil de sancto viro sciens, nisi quæ Dominus reuelarat. Et ecce sanctus Seuerinus veniebat quasi obuiam ei. Tunc appropinquantes ac propriis se nominibus salutantes, ruunt pariter in amplexus, deosculatique, ac fusa oratione, ecclesiā cū magno psallentio sunt ingressi.* Quem deinceps intantum dilexit ac veneratus est Amandus Episcopus; vt eum in locum suum substitueret, ac ipse quasi iunior haberetur. Denique post paucos annos vir beatissimus Seuerinus obiit viuens miraculorum gloria tum ibi, tum etiam in propria sede Coloniæ; quo post infandam Hunnorum rabiem sopitam, diuina admonitione, maxima cum solennitate, parte nihilominus sanctissimi corporis eius Aquitanicis relicta, fuit relatus.

Dei monitu [illegible] S. Seuerinus suos Aquitanos.

** Greg. Turo. de Gloria Confess. c. 45.*

Honorificentissimè habetur a venerabili Amando Episcopo Burdegalensi.

DE SS. CRISPINO ET CRISPINIANO
Martyribus, ex iis quæ sunt apud R.P. Surium.

XXV. OCTOBRIS.

SVB Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, beati viri Quintinus, Lucianus, Ruffinus, Valerius, & Eugenius, Romæ claris orti natalibus, in Gallias Christum annunciaturi se contulerunt, felicique martyrio ad Christum commigrarunt.

En plantatores ecclesiæ Gallicanæ.

-unt. Quos secuti pari fidei deuotione & generis splendore Crispinus & Crispinianus, Suessiones venerunt, & ibidem peregrini habitare cœperunt, nec non & artem sutrinam, quòd quieta sit, discentes, de labore manuum victũ sibi quærebant: ad quos etiam propter eorum artem multi Gentilium venientes, ab eis conuertebantur. Denique à Rictiouaro Præside detenti, inuenti sunt calceamenta pauperum reficientes. Qui dũ Christum constanter confiterentur, iussit eos Præses primùm ad trochleam extensos fustibus cædi, deinde sudes inter digitorum vngues & carnem defigi, & ex pelle dorsi corrigias exscindi. Sed orantibus Sanctis, sudes de manibus eorum exsilierunt: & ministros percutientes, quosdam ex eis interfecerunt, quosdam verò vulnerauerunt.

SS Crispinus & Crispinianus exercent sutoriam.

Torquentur immanissimis suppliciis.

Quod videns Præses, præ furore insaniens, mandauit vt ligatis ad colla eorum molaribus saxis, in flumen Axonam demergerentur, ibique glacie cruciarentur. Sed eos nec aqua mergere, nec saxa deprimere, nec frigus constringere potuit: quin potius, proiecto onere, ad vlteriorem ripam fluminis enatant. Dehinc autem & in plumbum liquefactum iniecti, illæsi quoque permanserunt. Vbi cùm gutta feruentis metalli in oculos Præsidis insiliens, ipsum excæcasset, in picem, & oleum, & adipem simul bullientia eos iactari fecit. Quos orantes Angelus Domini ab igne illæsos eduxit. Quod cernens impius Rictiouarus, suo se furore lanians in ignem se præcipitauit, ac tali morte abiit è vita. At verò Maximianus audita morte Præsidis, præcepit deinde Sanctos capite puniri: qui decollati sunt octauo Kalendas Nouembris.

Item aliis & aliis.

VITA SS. VINCENTII, SABINÆ,

Et Christetæ, ex Io. Maldonato Hispano.

XXVII. OCTOBRIS.

CVM Dacianus præses Diocletiani & Maximiani iussu sæua per Hispaniam edicta dimitteret, pióque sanguine cuncta tribunalia respergeret apud Eboram ciuitatem Vincentius adolescens comprehensus est. Quem cæpit blandè primo Dacianus interrogare, cur florentis ætatis, cuius erat maximè tunc vsus, immemor iussa principum contemneret? Cur Christum à Iudæis ob flagitia crucifixum, Deum crederet? Cui Vincentius, Ego, inquit, Deum cœli & terræ conditorem colo: tu potiùs deliros flagitiosósq; sectaris deos. Nónne

Vbi & quo tẽpore comprehenditur S. Vincentius.

tibi notum est, Dacianus intulit, Iouem omnia quæ vides condidisse? Compertissimum mihi est, dixit Vincentius, & vestri libri non obscurè loquuntur, Iouem virum adulteriis flagitiisque quàm plurimis contaminatum fuisse. Non tulit hæc Dacianus, sed amouete, clamat, hominem, nefariũ, scelestum, impium propellite, & si sacrificare renuerit, altaribus admotus, morte multate. Rapitur inde Vincentius, & ad Iouis templum ducitur, sed in media platea durissimo pedem imprimẽs lapidi, cunctos in admirationem vertit. Demirati certè carnifices pedis vestigium in silice, verum esse Deum, quem prædicabat Vincentius, reputantes, tres velut induciarum dies à Daciano extorserunt, interim in custodia tenetur: Sorores Vincentij, Sabina, & Christeta veniẽtes in carcerem, peruicerunt, vt cum eis frater fugam capesseret, hac lege, vt si denuò vincirentur, ipsæ simul cum eo martyrium subirent. Vincentius percupiens sororum animas lucrifacere, fugam cum eis arripuit, Abilámque peruenit. Dacianus vbi de fuga cognouit, turmam equitum misit, qui Vincentium & sorores trucidarent. Qui Abilæ reperti membratim in eculeo diuaricantur, ac conciduntur: nouissimè capitibus fuste lapideque illisis, martyres efficiuntur.

Eius factum mirabile.

Exit de carcere cum sororibus, quibus cũ posteà martyrio coronatur.

DE SS. SIMONE ET IVDA APOSTOLIS, *ex Ordinario nono.*

XXVIII. OCTOBRIS.

SIMON Chananæus, qui & Zelotes, & Thaddæus, qui & Iudas Iacobi appellatur in Euangelio, vnus ex Canonicis Epistolis Scriptor, hic Mesopotamiam, ille Ægyptum Euangelica prædicatione peragrauit. Postea in Persiden conuenientes, cùm innumerabiles filios Iesu Christo peperissent, fidemque in vastissimis illis regionibus, & efferatis gentibus disseminassent, doctrina & miraculis, ac denique glorioso martyrio simul sanctissimum Iesu Christi nomen illustrarunt.

Quibus gentibus hi duo sancti Apostoli prædicarunt.

VITA S. FARONIS EPISCOPI MELDENSIS, *ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium.*

XXVIII. OCTOBRIS.

BEATVS Faro patrem habuit Hagnericum Burgundionem, adeò charum Theodeberto Austrasianorum Regi, vt ab

S. Faronis nobilissimi parentes.

vt ab eo in aulam accitus, inter proceres non mediocriter clarus exstiterit. Cuius coniunx generis præstãtia haud quaquam ei impar, Leodegunda nomine, tres ei peperit filios, Faronem, de quo nobis est sermo, Vualbertum, & Chalnoaldum, itemque Faram filiam multa probitate conspicuam. Chalnoaldum pater voluit à beato Columbano Abbate erudiri, cui etiam ad iussum eiusdem beati viri fera bellua parêre didicit, vt in eius gestis habetur. Vualbertus à S. Columbano cum fratre Chalnoaldo, & beato Agilo filio Agnoaldi, qui fuit Hagnerici frater, traditus est Eustachio, magnæ doctrinæ & sanctitatis viro, ipsiusque Columbani discipulo, instituẽdus; quibus & plerique alij adiuncti fuêre, qui postea ecclesiarum Præsules eximij exstiterunt. Denique Faro à patre Hagnerico in aulam Theodeberti adductus est. Vbi militari habitu degens, intantum inter palatij primarios viros, eius Regis familiaritate vsus est, vt etiam cùm Theodeberti & Theodorici Regum ditiones Clotario cessissent, apud eum quoque vel præcipuum gratiæ & amicitiæ locum obtinuerit: Quo factum est, vt familiariter admoneret Regem, mundi huius blandimenta & illecebras calcare, deinde & omnibus se comem & amabilem exhibere, actus denique & mores suos ad virtutis præscriptum per omnia componere.

Duo eius fratres instituũtur a S. Columbano & S. Eustachio.

S. Faro versatur in aula Regis vbi & multa bona fecit.

QVIN verò etiam dabat operam humanitatis & misericordiæ operibus, atque adeò ipsos reos capitis etiam, vbicumque posset, liberare studebat. Quibus virtutum adscendens gradibus, cùm aliquando sororem suam Faram virginem sanctissimam accessisset, intantum familiari eius colloquio sapientique oratione permotus est, vt amplissimos palatij honores, Regisque singularem amicitiam negligens, ipsius quoq; coniugij oblectamenta, adhuc vigente iuuẽtutis flore, respuerit; & consentiente vxore Blidechilde, Ecclesiastico Ordini se adiunxerit. Tum verò ecclesiã beati Stephani Meldensis, quæ tum magna premebatur paupertate; multis villarum opibus ditauit, sanctæ quoq; Faræ cœnobium magnificè sublimauit, & non ciues modò: sed etiam peregrinos & exsules suis facultatibus sustentauit. Crescente autem fama sanctitatis eius, gẽs quoque Anglorum magno eius amore incẽsa, puellas virgines mittebat, quæ eius opera in monasteriis Faræ & alio quodam, Christo militarẽt, atq; adeò cùm è vita decessisset Vualbertus Meldensis Episcopus, beati Faronis frater, in eius locum, annuẽnte Clotario, Faro subrogatus est. Ad quam dignitatem

Suasu sororis suæ S. Faræ, consentiente vxore, valedicit mundo.

Decedẽti fratri suo Episcopo Meldensi, ipse succedit.

euectus, quanta vitæ ſanctitate virtutumque ſplendore cla ruerit, ſatis declarant miracula quæ per eum Chriſtus efficere dignatus eſt, ex quibus nos aliquot narrabimus. Beatus Audoënus in fundo ſuo monaſterium condidit ad torrentẽ Reſbacenſem. Vbi cùm beati Petri Apoſtolorum Principis oratorium cuperet dedicari, ei rei operam ſuam nauauit Faro ſanctiſſimus, quippe in cuius diœceſi exſtructũ eſſet. Accidit tum vt paruum quidem ſed egregiè politum marmor cùm altari imponendum eſſet, humi collapſum, in duas partes ſciſſum ſit. Quod conſpicati Antiſtites Faro & Amandus, Proceresque Audoënus & Eligius, poſt fuſas ad Deũ preces, cùm marmor Crucis ſigno conſignaſſent, mox adeò inter ſe partes coaleſcere impetrarunt, vt nullum fracturæ veſtigium cerneretur.

Nota miraculum.

VISITABAT quoque aliquando vir beatus domeſticatim ouiculas vrbis ſuæ, paternam illis adhibens curam & ſolicitudinem. Quo in opere occupatus cùm præteriret carcerem, atque interim captiui miſerabiliter peterent veniam facinorum, vinculorumque ſolutionem, ille pietate commotus, Abite, inquit, liberi, quandoquidem factorum vos pœnitet: & ecce mox ad eius vocem vincula ſoluta ſunt, non auſa detrectare imperium ſancti Antiſtitis. Fuit quoque quadam die vir Dei egreſſus ab vrbe Meldenſi ad B. Remigii oratorium, cùm (ô caſus miſerabilis!) repentè ad eius aures perfertur clamor luctuſque ingens hominum, in quadam naui mediis in fluctibus permultos periiſſe dolentium. Tum verò ille conſcenſo ponte, prono vultu ſe proſternit, orat Dominum Ieſum pro ſalute miſerorum: poſt mediam ferè horam flumen baculo, quem tenebat manu, tangit: fit res admiratione digniſſima: ſine vllius rudentis aut remigis adminiculo nauis ab vndis emergit, ſubmerſi omnes in littus exeũt, quorum iam erat vita planè deplorata. Fuit verò vir ſanctus in Epiſcopatu à Clotario Rege vſque ad Childericum annis ſexaginta ſex. Migrauit autem poſt multos labores ad beatam requiem, eccleſia Meldenſi lugente, ſed lætantibus Angelis.

Solo eius imperio ſoluuntur vincula captiuorum.

Submerſi multi eius meritis ſaluantur.

VITA S. ERMELENDIS VIRGINIS,

ex tomo 7. R. P. Surij, paucis additis ex D. Molano.

XXIX. OCTOBRIS.

S. Ermelendis genus.

BEATA virgo Ermelendis ex Ermenoldo patre, & Ermeſenda matre, tam genere quàm diuitijs ſpectabilibus exorta,

ita, ab ineunte ætate studuit de virtute in virtutem ascendere. Quæ cum adhuc parentum in domo, puerilis ætatis vinculo teneretur adstricta, nihil tamen puerile gerebat in opere. Declinabat siquidē lasciuiam atque consortia coætanearum, in thalamo genitricis suæ residens, Psalmosque Dauidicos discens. Si quando verbum Dei audisset, memoria sagaci recondebat; sæpiusque ad os reducens, quasi mundum animal nouo semper pietatis affectu ruminabat. Iamtum enim suauitatem sponsi sui cælestis prægustabat. Quæ eadem, cū pueritia transisset in adolescentiam, parentibus eā nubere volentibus, nullatenus consensit, dicens se Christo virginitatē suam deuouisse. Arrepto denique ferro, capillos per ceruicem dependentes, præscidit; relictoque seculo & omnibus pompis eius, Christum, quem sibi sponsum elegerat, per arctam viam secuta est: nec retraxit pedem donec ad brauium perueniret.

Discit Psalmos Dauidicos.

Detrectat carnales nuptias.

Et quidem parentes eius nec minis nec blanditiis propositum illius immutare valentes, reditus cuiusdam villulę Odenca nomine, ad famulatus sui vsum vnanimiter tradiderunt. At beata virgo Ermelendis relicta domo, rebusque parentū postpositis, solitaria incedebat, solicitè exquirēs locū vbi soli Deo vacare posset. Venit ergo ad quādam villam cui præerant duo germani fratres, primo iuuentutis flore vernātes, qui necdum legitima contraxerant matrimonia, sed vanitatibus seculi atque illecebris inseruiebant. Ibi ergo venerabilis virgo aliquādiu commorata, hunc locū æstimabat à Deo sibi pręparatum: Vbi & diebus ac noctibus frequētabat ecclesiā, nudis pedibus incedens, Domino in holocaustum proprium corpus offerēs: humiliabatque se, seruituti Domini se subiiciens, nihilq; sibi de generis nobilitate blandiens. De nobili enim eius prosapia descendisse quoque dicitur Pipinus, pater S. Gertrudis.

Locus est prope Louanium, vulgò ter Dunck.

Putatur villa Beneckum.

Grauiter infistit S. virgo pedibus prostatu.

Necdum in illo tempore S. Amandus gubernacula Traiectensis ecclesiæ susceperat; cuius doctrina & institutione multi postea de errore suo ad vias iustitiæ redire coacti sunt: Fuit igitur hæc virgo suæ generationis lucerna. Nec defuit sanè ei tentatio inimici. Siquidem prædicti fratres introitum illius & egressum sæpius considerantes, exarserunt in concupiscentiam eius, ignorans alter cogitationem alterius. Neque tamen sciebant facilè quid agerent. Nō enim sine graui scandalo totius oppidi, vim inferre poterant tantæ opinionis virgini. Itaque vnus ex eis, quem flamma libidinis amplius exurebat, expetiit custodem ecclesię, dona maxima repromittens si per

Exardescunt in eius concupiscentiam duo nobiles.

si per eum consensum virginis habere potuisset: illi enim sæpiùs atque familiariùs loquebatur, atque per eum singulis noctibus ad ecclesiam habebat accessum. Ille verò de consensu virginis omnino desperans (sciebat enim mentem illius solidatam esse, & in Christo fundatam) rapiendam potiùs forè sub conticinio noctis iuueni suadebat. Hac enim hora, gustato paulisper somno, solita erat venire ad ecclesiam, offerens seipsam hostiam viuam, Deo placentem.

Statuit vnus eam vi rapere.

At verò sanè, non est sapientia, non est prudentia contra Dominum. Igitur nocte qua rapienda erat, meruit Angelicam vocem audire, se monentem ex nomine: Recede verò, inquiebat, recede; & virginitatem quam Deo cõsecrasti, inuiolatam custodi. Itaque obediens iussioni iter cepit. Quæ cum Spiritu sancto duceretur, Angelus Domini ei secundò apparuit, & viã quam ceperat, ne desereret, imperauit. Et, Veniens, inquit Angelus, in villam quam Meldricem nuncupabis: ibi namque præparauit tibi Dominus locum ad perficiendum desiderij tui votum. Peruenit igitur venerabilis virgo in locum quem prædixerat ei Angelus: ibíque parsimonia miræ abstinentiæ diu viuens, geminæ dilectionis in se continebat mandatum. Alebatur autem beata Ermelendis solummodo herbis agrestibus, non inferior summis eremi cultoribus: puellares quoque artus teneros diris cruciabat tormẽtis. Frequentabant quoque eam quique religiosi: sed quanto Dominus famã eius dilatabat, tanto humiliùs se agebat: sicque tandem, post multa certamina, euocata à Domino, ad cælestem peruenit gloriam.

Monetur ab Angelo vt mutet locum.

Locus est propè Hugardiã.

Plena bonis operibus migrat ad Christum.

Porro ad eius exsequias hymnidici Angelorum chori Christo cecinerunt gloriam. Et quia Christo fuit dilecta, ab ipsis est officiosissimè sepulta. Et quidem post mortem quadraginta octo annis latuit aliena à cultu seculi, sed tunc sanè miraculorum gloria est magnificata. Quibus permotus Dux Pipinus Pater B. Gertrudis, sacrum corpus leuauit è tumulo: prædiorum quoque maxima multitudine locum ditauit, instituens illic sanctarum virginum monasterium: quibus diuinum Sacrificium peragebant Presbyteri ex monasterio S. Bauonis, quod in vicino monte situm erat: sed neutrum monasterium modò subsistit. Sanctimonialium bona translata sunt in Leodienses Canonicos ad S. Bartholomæum. Natalem autem Meldauenses celebrant vigesimo nono Octobris.

Deinceps Molanus.

Eleuatur eius sacrum corpus.

DE

VITA S. THEVDERII ABBATIS
& Confessoris, ex Breuiario Viennensi.

XXIX. OCTOBRIS.

ADO Viennensis Episcopus, fratribus in cænobio beati Theuderij consistentibus in domino Iesu Christo æternam salutem. Patris vestri vitam, idest, beati Theuderij, idcirco vestræ sanctitati scriptis meis commendare disposui, vt vos eius exemplis ad amorem vitæ eternæ amplius incitarem. Hic beatus vir prouincia Viennensis ortus parentibus secundum seculi nobilitatem clarus facultatibus mundi honorabilis extitit. Qui vt perfectius Domino Iesu Christo seruiret, Lirinense cœnobium expetere cogitauit. Parentibus itaque derelictis, sub hoc desiderio Arelatem ciuitatem expetiit; vbi tunc sanctus Cæsarius Pontifex habebatur. Euoluto tempore beatus Cæsarius diaconi officium ei imposuit: ac si non post longum tempus presbyteri dignitatem cuncto clero & populo acclamante ei largitur. Curriculo autem temporis euoluto, cogitauit vir Dei reuisere prouinciam natiuitatis suæ, & parentes suos consolari. Veniens itaque sanctus Theuderius non longè ab vrbe Viennensium peruenit ad locum solitudinis suę aptum, non nimis procul ab vrbe, ibique in honore Domini nostri Iesu Christi sub veneratione beati Eusebij Vercellis Episcopi & martyris, domunculam ædificare cæpit. Exinde ædificata domo, & reliquiis sanctorum iam altari impositis: iterum vir Dei circumambulans iuxta Iairam fluuium, vbinam cellulam seruorum Dei fundaret, secum in cordis secreto voluit. Arripitur præterea somno, moneturque per visum, vt super ipsam aquam beati martyris Symphoriani basilicam construeret, factumque est, ac exornato loco monachos ibi seruire Deo elegit. Inflãmatus verò nimiũ & ardore sancti Spiritus accensus, venit ad castrum nuncupatum Alarona, ibique monasterium virorum instituere cupiens oratorium beatissimi Petri Apostolorum principis construxit, ibique orationibus & ieiunijs Deo vacans, per aliquot tempus resedit. Veniensque ad locum sibi diuinitus monstratum, annuente Viennensium pontifice constructa basilica est celeri opere, in venerationem sanctæ genitricis Mariæ, atque de facultatibus tam parentum quam propinquorum suorum

Hæc sunt verba S. Adonis Viennensis Episcopi.

Patria & parētes S. Theuderij.

Arelatem petit vbi diaconus factus est & presbyter.

Eius visio super fundanda cedula.

Basilicã construit in honorem B. Virginis Mariæ.

monasteriolum dotatum, & monachi iuxta regulam sanctorum patrum sunt instituti. Eodem tempore, Philippus venerabilis Episcopus vicesimus primus metropoli Viennæ habebatur. Pontifex itaque cum ex diœcesi virum plenum virtutis requireret, cui & populus imperio ipsius quando ad salutes pertinet secreta sua committeret; beatum Theude- rium iam patrem monachorum existentem se habere tanto operi necessarium gauisus est. Delegit itaque sibi vir beatus in monte Quirinali locum, & basilicam beati Laurentij martyris, vbi die noctuque vacaret. Quantæ autem discretionis quamtæque humilitatis hic vir fuerit, non facilè cuiusquam lingua explicabitur. Lacrymis profusus, oratione cautus, corde totus in deo fixus. Contulerat autem ei Christi gratia, cordis sapientiam, & oris gratiosam facundiam, vt sciret quod singulis salubre responderet. Quis vulnere Diaboli percussus ad eum venit, & non continuò medicatus sanusque recessit? Quis mœstus de pondere peccatorum suorum, non statim de misericordia Domini consolatus securior & lætior rediit? Mansit autem idem sanctus vir duodennio in loco prælecto & sibi dulcissimo, Deo semper ardentissimis suspirijs & contritione spiritus ac corporis totum se mactans. Cum autem tempus suæ resolutionis instare cerneret, feruentiùs in alta mentis contemplatione perdurans, quasi vicinior ianuæ cælestis vitæ oculum mentis ad alia deflectere ægrè ac durè ferebat. Non somnus, non cibus vllus, propter Christum suauis. Inter tam felices & beatos labores aliquamtulum vir Dei corpore languescens, plenus & consummatus pijs operibus migrauit ad Dominum. Delatum est ergo dignissimum eius corpus à fratribus sui monasterij, & in sepultura quam olim ipse sibi præuiderat venerabiliter cæiatum, Vbi se cum Deo viuere crebris miraculis, ad laudem Domini nostri Iesu Christi manifestat; Cumque deferretur ad locum, quidam cæcus natus tangens velamen feretri lumen recepit. In sepultura autem eius quidam debilis membris contractus à suis delatus, sanus rediit.

Accersitur in secreta Philippo Viennensis Episcopi.

Eius commendatio virtutum maxima.

Eius obitus & sepultura, & quæ miracula facta.

DE S. QVINTINO MARTYRE,

ex ijs quæ sunt apud R. P. Surium.

SANC

XXXI. OCTOBRIS.

SANCTVS Quintinus Christi famulus & martyr gloriosissimus, Romana gente, & Senatoria stirpe progenitus fuit. Hic cũ pro Christi amore, relicto mundialis monarchiæ loco, Galliis se intulisset, Ambianum tandem deuenit, Imperatoria sceptra gerentibus Diocletiano & Maximiano. Vbi cùm eius beata studia in prædicationibus, signis & virtutibus gloriosè parêrêt, Rictiouarus scelestus Præses in eum manus catenasque iniicit, detentũ in carcere clausit, die verò sequenti produci imperat. Et mox quidem cum liberè Christum confitentem, durissimis flagellis cædi mandat, donec voce de cælo ipsum exhortante, apparitores, qui nece crudeli eum cædebant, in terram ruentes, standi facultatem amitterent. Quod videns Præses, iterum eum in carcerem recipi iubet. Vnde ab Angelo nocte eductus, veniens ad locum, sibi eius insinuatum iussu, confluentibus vndique turbis, eis prædicans, fermè vsque ad sexcentos ad Christum conuertit.

S. Quintini claru genus, & quomodo venerit Ambianum.

Pro confessione fidei grauiter torquetur.

VNDE rursus captum iussit eum Præses intãtum trochelis torqueri, vt membra eius à suis iuncturis soluerentur. Sed & resticulis insuper ferreis eum cædi, & oleum candens, & picem, & adipem feruentissimum dorso eius infundi fecit, facesque ardentes applicari. Quæ cùm vniuersa Christi martyr contemneret, Tyrannum interim irridens, ipse sæuitiam augens, Afferte, inquit, calcem, acetum, & sinapi vt infundatur in os eius. Ac deinde præcepit collum Martyris, cæteraque membra ponderosis catenis & grauissimis nexibus circumdari, sicque Augustam Veromãduorum duci: Vbi eum frustra tentatũ per blanditias, duabus sudibus ferreis à ceruice vsque ad crura transfixum, decem item aliis clauis crudeliter digitorum vnguibus & carne tenus confixum, ad extremum gladio percuti imperat. Portò compleuit beatissimus Martyr longas martyrij sui pœnas pridie Calendas Nouembris.

Abducitur Augustam Veromanduorum, vbi & tandem consummat martyrium.

DE S. VVOLFANGO EPISCOPO

Ratisponensi, ex ijs quæ sunt apud R.P. Surium.

XXXI. OCTOBRIS,

BEATVS VVolfangus natione Sueuus parentes habuit ingenuos. Hic crescente ætate, non contentus scholis triuialibus aut priuatis erudiri, patre deducente, eò sibi propecandum statuit, vbi tum maximè florerent studia literarum. Itaque

S. VVolfangi natales & prima educatio.

Itaque ad Augiense monasterium se contulit, vbi libenter & comiter exceptus est, eò quòd fama ingenij eius iampridem etiam eò peruenisset. Sed inde non multò pòst, rogante Henrico ipsius pridem contubernali, Herbipolim vulgo VVerceburgum profectus est ad Stephanum quendam, ex Italia doctrinæ causa illuc accitum: vbi tamen maligno hoste id agente, nō nisi modico tempore permansit. Atq; ex eo tamen tempore (vt ipse fateri solebat testis sanè fide dignissimus) non homine docente didicit arcana Scripturarum, sed intus omnino docente patre luminum & veritatis, videlicet paulò pòst idem Henricus ab Othone Magno Imperatore Treuirensem accepit Episcopatū. Qui cùm Vvolfangum magni animi contentione rogaret, vt illuc secū iret, magnasque offerret dignitates & beneficia, magis hoc tantum impetrauit, vt tandem pateretur scolasticos adolescentes suæ curæ commendari.

Præest scholæ Treuirensi.

PORRO idem vir venerabilis Vvolfangus etiam antequam esset sacerdotio initiatus, à carnibus iam tū abstinuit, vestesq; omnes magni precij contempsit. Vigiliis etiam & ieiuniis, & precibus libenter incubuit, secularia negotia ita tractans, vt corpore non animo illis esset implicatus. Tandem autē consensit etiam esse clericorum Decanus. Qua in functione id effecit, vt, quod prius non fecerant, communi mensa & dormitorio omnes vterentur. Atque interim moritur supranominatus Henricus Episcopus. Qua occasione vir beatus Treuerim relinquens, in monasterio solitariorū in Hercynia sylua monasticæ professionis habitum induit. Vbi cùm aliquandiu hæsisset, maiora semper lucra pietatis sitiens, cùm bona venia sui Abbatis, posteà cum aliquot comitibus prædicandi causa in Noricum venit: Atque sic scilicet tandem licet inuitus, factus est Episcopus Ratisponensis.

Fit Episcopus.

SANE inter alia præclarè ab eo gesta, duo Virginum monasteria intra vrbem Ratisponensem egregiè ad normam regularis instituti eius industria & labore restituta sunt, atque adeò vsque in hanc diē beati viri meritis tanta apud eas virgines vigent virtutum incremēta, vt inter cæteras sanctimoniales tanquam specula quædam sint. Id quod etiam potest de S. Emerammi monachis dici, quamdiu quidem Ramuoldum habuère Abbatem, quem sanctus Episcopus illis præfecerat. Sed & in quotidiana vitæ suæ ratione haud aliter se gerebat ac si esset in monasterio. Mēdici quoque & inopes, quos ille dominos suos, & fratres vocabat, corā illo sedebant in subselliis, vt

..., vt posset suis conspicere oculis quemadmodum illis ministraretur. Ac denique cũ laudatissimè Episcopatum illum administrasset tum per se, tum etiam diligenter procurans, vt sacerdotes, qui in pagis morabantur, idem similiter cordi haberent, tandem multis virtutum spoliis exornatus abiit in cælum, pridie Calend. Nouemb.

Clarus virtutibus migrat in cælum.

NOVEMBER.

DE FESTIVITATE OMNIVM SANCTORVM.

Ex D. D. Augustino & Cypriano.

I. NOVEMBRIS.



ODIE, dilectissimi, omnium Sanctorum sub vna solennitatis lætitia celebramus festiuitatem: quorum societate cęlum exsultat, quorum patrociniis terra lætatur, quorum triumphis Ecclesia sancta coronatur, quorum Confessio quanto in passione fortior, tanta est clarior in honore. O verè beata mater Ecclesia, quàm sic honor diuinæ dignationis illuminat, quam vincentium gloriosus Martyrum sanguis exornat, quam inuiolatæ Confessionis candida induit virginitas. Ergo agite nunc fratres, agrediamur iter vitæ, reuertamur ad ciuitatem cælestem in qua scripti sumus, & ciues decreti. Non sumus hospites, sed ciues Sanctorum, & domestici Dei, etiam illius hęredes, cohæredes autem Christi. Huius nobis vrbis ianuas aperiet fortitudo, & fiducia latum præbebit ingressum. Consideremus inclytam vrbis illius felicitatem, inquantum considerare possibile est, vt enim vere est, comprehendere nullus sermo sufficiet.

D. Aug. sermone 37. De Sanctis.

Quid conferant Sancti in cælo regnantes militanti Ecclesiæ.

DICITVR de ea in quodam loco sic, Quod aufugiet ibi dolor & tristitia & gemitus. Quid hac vita beatius, vbi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? Nemo læditur, irascitur nemo, nemo inuidet. Cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoribus pulsatio, aut potestatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul. Mors ibi neque corporis neque animæ erit, sed immortalitatis munere vita iucunda.

Gloria Sanctorum excedit omnē humanum intellectum.

Nulla

Nulla erit tunc vſquam diſcordia, ſed cuncta conſona, cun[illegible] conuenientia: quia omnium Sanctorum vna concordia, pax cuncta & lætitia continet, tranquilla ſunt omnia & quieta, iugis ſplendor, non iſte qui nunc eſt, ſed tanto clarior quanto felicior: quia ciuitas illa, vt legitur, non egebit lumine Solis, ſed Dominus omnipotens illuminabit eam, & lucerna eius eſt Agnus: vbi Sancti fulgebunt vt ſtellæ in perpetuas æternitates, & ſicut ſplendor firmamenti, qui ad iuſtitiam erudiunt multos. Verùm ſuper omnia hæc conſociari Angelorum & Archangelorum cœtibus, Thronis etiam & Dominationibus, Principatibus, & Poteſtatibus, omniumque cæleſtium ſupernarumque Virtutum contuberniis perfrui, & intueri agmina Sanctorum ſplendidiùs ſideribus micantia, Patriarcharum, fide fugentia, prophetarum, ſpe lætantia, Apoſtolorum, in duodecim tribubus Iſraël orbem iudicantia, Martyrum, purpureis victoriæ coronis lucentia. Virginum quoque choros candentia ſerta geſtantes.

Apo. 21.

En quid ſit vita beata.

Et quanta erit illa, fratres chariſſimi, iuſtorũ gloria! quàm grandis Sanctorũ lætitia! Hæc hęreãt firmiter ſenſibus noſtris, hæc intelligantur plena fidę, hæc toto corde diligantur, hæc indeſinentium operum magnanimitate acquirantur. Repoſita eſt hæc res in poteſtate facientis, quia regnum cælorum vim patitur. Res iſta, ô homo, id eſt regnũ cæleſte, alind nõ quærit pretium quàm te ipſum: tantum valet quantum es tu. Quid turbaris de pretio, Chriſtus ſemetipſum tradidit, vt acquireret te in regnũ Deo Patri, ita & tu te ipſum da, vt ſis regnum eius, ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore, ſed ſpiritus in acquiſitionem vitæ.* Cõſiderandum eſt autem præterea, fratres, & identidem cogitandum, renunciaſſe nos mundo, & tanquam hoſpites & peregrinos hîc interim degere. Quare & amplectamur diem qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo, qui nos iſthinc ereptos, & laqueis ſecularibus exſolutos, paradiſo reſtituit & regno cæleſti.

Aeterna felicitas vt acquiratur, poſitũ eſt in poteſtate noſtra.

**D. Cyprian. ſer. 4. de Mortalitate.*

Qvis enim non peregre cõſtitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad ſuos nauigare feſtinans, ventum proſperũ cupidus optaret, vt velociter caros liceret amplecti? Patriam noſtram paradiſum cõputamus, parentęs Patriarchas habere iam cœpimus: quid non properamus & currimus vt patriam noſtram videre, vt parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos carorum numerus exſpectat, parentum, fratrum, filiorum: frequẽtes nos & copioſa turba deſiderat, iã de ſua immortali-

Quando ad c[illegible] tendimus ad noſtrã verã patriã.

tate

tate secura, & adhuc de nostra salute solicita. Ad horum conspectum & complexum venire quanta & illis & nobis in commune lætitia est? qualis illic cælestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate viuendi! quàm summa & perpetua felicitas! Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exsultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & passionis victoriam coronatus. Triumphantes illic Virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis continentiæ robore subegerũt. Remunerati misericordes, qui dominica præcepta seruantes, ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, fratres dilectissimi, auida cupiditate properemus, & cum his citò esse, vt citò ad Christum venire contingat, optemus: dante Domino nostro Iesu Christo. *En curãt de nobis Sancti.* *Quare debeamus velle citò tolli ex hoc mundo.*

VITA S. MARCELLI EPISCOPI

Parisiensis, ex ea quæ est per Fortunatum Episcopum.

I. NOVEMBRIS.

BEATISSIMVS Marcellus Antistes, natus Parisij, sed ciuis Paradisi, in terris humilis, erectus in cælis, mediocris parentibus, sed meritis celsus. Cui hoc fuit nobilitatis insigne lumen, Christo sine culpa seruire. Non de generis intumescens superbia, sed habens de moribus ornamenta, nec sumens de parentali laude iactantiam, sed gratiam possidens in virtutis exẽplum. Intra se suos thesauros retinens, Deumque mundo corde cõplectens. Scilicet cum Christo pauper iste regnauit, qui in humilitatis conuersatione, in charitatis vbertate, in castitatis lumine, in ieiuniorum pinguedine ita se totum cælesti tradidit disciplinæ, vt ab ipsa infantia maturus accederet, & positus in corpore, quasi nihil de carne portaret. *S. Marcelli natales.* *Ab ipsa infantia vixit sanctissime.*

HIC itaque nobilissima institutione succinctus, & venerandis operibus penè priùs Sacerdos quàm clericus, iam dudum dignus qui susciperet dignitatem, anteà paratus ad id, quod erat sine mora futurus, calcata pompa mundi vel criminibus, cùm diuinis armis initiatus accingeretur ad spem, felicem palmam de hoste publico relaturus, in militia Christi exercitando, Lector effectus est, ac seipsum templo Christi primitus offerens, velut Abel sacrificium, hostia victæ carnis & puræ mentis exceptus est. Qui clarior mercede quàm nomine, & merito maior quàm gradu, sine offendiculo suum

gerens officium, cœpit in milite crescere quod accepit à Rege, Subdiaconus effectus, cùm Subdiaconali ministerio fungeretur in die Epiphaniorum hauriens aquam de fluuio Sequanæ, dum Prudentio Episcopo manibus abluendis offerret, mutatis elementis, vini sapor inuentus est. Quo viso obstupescens Pontifex, iussit ex ipso vrceo in calicem sacrum fundi, vnde vniuersus populus, Missa celebrata, ad communionem accepit, & ipsum vas cùm ad plebis multitudinem suffecisset, ac si non tactum & integrum, sic plenum permansit. Cuius vini mystico beneficio postea multi infirmi sanati sunt. Atque ô verè beatum Marcellum, summa veneratione colendum, in cuius manibus vno eodemque momento floruit vindemia, & torculata sunt vina. Sed & illud operæprecium credimus in paginis texere.

Etiamnum Subdiaconus, suo merito vertit aquam in vinum.

Id quod diu sanctitate possederat, tandem ordinatur Episcopus.

Cum beatus Marcellus, quod semper possedit moribus, Pontifex esset ordinatus, matrona quædam prosapia quidem nobilis, sed malo maculans crimine quod fulgebat ex genere, postquam dies fugitiuæ vitæ rapta luce conclusit, ad tumulum, pompa comitante, processit. Quo condita, horresco referens, ad consumendum eius cadauer cœpit serpens immanissimus, frequentare. O casum execrabilem & valde timendum! Mulier quæ coniugij integritatem non seruauit in mundo, integra non meruit iacere in sepulcro. Nam serpens, qui viuentem in crimine traxerat, adhuc in cadauer deſæuiebat. Tunc ergo ex eius familia qui in ciuitate manebant, audientes strepitum, & pariter concurrentes, viderunt ingentem belluam de tumulosis anfractibus exeuntem, & vasta mole cadauer flagellantem & lambentem. Quo nimis perterriti homines, de suis sedibus migrauerunt. At verò è contrà, hoc cognito, beatus Marcellus intelligens de hoste triumphum acquirere, collecta plebe, de ciuitate progreditur, & relictis ciuibus, in prospectu populi solus, Christo duce ad locum pugnaturus accessit: & cùm coluber de sylua rediret ad tumulum, obuiantes se inuicem, dante orationem beato Marcello, ille capite supplici cœpit veniam blandiente cauda precari. Tunc verò beatus Marcellus caput eius baculo ter percutiens, misso in ceruicem serpentis orario, triumphum suum ante ciuium oculos extrahebat. Sed quis eius valeat miracula per singula sermone comprehendere? Ad vltimum vir sanctissimus conuersatione clarus, consummatione præcipuus, beatitudine gloriosus, remuneratione ditatus, cum Domino perpetuò regnatu

Nota terribile exemplum de quadam impudica femina.

Interficit vir sanctus quendam immanem serpentem.

-naturus, vincens mundi contagium, mundus migrauit ad Christum die Cal. Nouemb.

PRO COMMEMORATIONE FIDELIVM *Defunctorum, ex D. Ioanne Damascene, vt est tomo 7. R P. Surij.*

II. NOVEMBRIS.

O Vos præstantissima & selecta Ecclesiæ Dei membra, Sacerdotes & patres, fratres, matres ac filij charissimi, serpens ille, atque exsecrandus hostis, qui circa præclaras ac Deo gratas actiones omnes serpit ac iugulatur, nouum quoddam & absurdum, sacrísque sanctionibus omnino contrarium dogma quibusdam in animum iniecit, nempe pia omnia opera, quæ mortem sequuntur, nullam omnino defunctis vtilitatem adferre. Conclusit, inquiunt, Deus aduersus eos. Et, Reportabit vnusquisque per corpus iuxta id quod fecit, siue bonum siue malum. Ac denique, quod quisque seminauerit, hoc & metet. At, ô sapientes viri (sic enim eos alloquamur) peruestigate quæso, atque istud discite, magnum quidem Dei omnium Domini metum esse, verùm multo maiorem bonitatem: & horrendas quidem ac pertimescendas ipsius minas esse, cæterùm ipsius benignitatem nulla coniectura percipi posse: ac denique in ipsius sententiis ac suppliciis quamquam terroris multum insit, rursus tamen miserationum ipsius pelagus omnem orationis facultatem superare.

Argumenta eorum qui dicunt pia opera viuentium non prodesse defunctis.
Iob 16.
2. Cor. 5.
Galat. 6.
Eorundem solutiones, & simul argumenta varia pro ipsa veritate.

ANIMADVERTITE quid Scriptura sacra de Iuda Machabæo memoriæ prodiderit, nimirum eum in Sion Regis magni ciuitate, cùm populum, cui præerat, ab exteris hostibus cæsum & obtruncatum vidisset, sinúsque eorum excutiens condita in ipsis idola comperisset, statim expiandi huiusce sceleris causa Domino, ad misericordiam prompto atque propenso, pro vnoquoque eorum munera obtulisse, in eaque re summæ pietatis & charitatis munere perfunctum fuisse. Vnde etiam factum est, vt diuina Scriptura, quemadmodum omnibus aliis nominibus, ita hoc quoque nomine summis eum laudibus euexerit, ac mirificè commendarit. Sed & Verbi discipuli atque conspectores, à quibus orbis vniuersus captus est, illi, inquam, Saluatoris discipuli, ac diuini Apostoli, vt in tremendis ac puris vitamque afferentibus mysteriis eorum qui cum fide diem vitæ extremum clausissent,

2 Macha. 12.
Argumentum primum ex Scriptura.

sent, memoria fieret, instituerunt. Quod etiam firmè atq constanter ac sine vlla controuersia Catholica & Apostolica Ecclesia ab extremis finibus ad extremos vsque fines, ab eo tempore ad hunc vsque diem semper retinuit, ac tantisper dum mundus hic erit, retinebit.

Aliud argumentum ex traditione Apostolorum.

Sic eruditissimus ille, atque in explicandis rebus diuinis exercitatissimus Dionysius in mystica sua de iis qui mortem obierunt contemplatione, disertè hoc asserit. Diuinus itaque, inquit, Pontifex quæ Deo grata sunt postulat, quæque ille prorsus est daturus. Ac rursus: Hoc igitur supplex à diuina bonitate petit Pontifex, vt errata per humanam imbecillitatem admissa, ei qui è viuis excessit, remittat, eumque in viuentium regione collocet in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob, in loco vnde profugit dolor, & tristitia, & gemitus. Sic post hunc Gregorius ille qui à Theologia cognomentum traxit, in ea oratione quam in Cæsarij fratris funere habuit, de matre sua ad hunc modum loquitur: Auditum est, inquit, præconium dignum quod ad omnium aures perueniat; ac matris mœror per egregiam ac sanctam pollicitationem, qua se filio, quicquid opum ipse habebat, ipsius nomine in * parentale munus oblaturam recepit, exhauritur. Et aliis quibusdam interiectis: Atque hæc sunt quæ à nobis proficiscuntur. Ac quædam iam persoluimus, quædam rursus persoluemus, anniuersarios nimirum honores ac commemorationes offerentes.

Item argumentum ex D. Dionysio. Lib. de Eccl. hier. cap. 7.

Greg. Naz. in funere ...

** funerale.*

En anniuersaria mortuorum.

Denique & ille verè aurea loquens, atque ab auro cognomentum nactus Ioannes, in luculentissima sua enarratione in Epistolas ad Philippenses & Galatas his verbis vtitur. Nam cùm Gentiles simul cum iis qui mortem obierunt, bona sua comburant, quanto tandem æquius est, te, qui fide præditus es, operam dare, vt eius qui fide quoque præditus erat, bona eum consequantur: non vt ea in cinerem velut illa dilabantur, sed vt maiorem ipsi gloriam côcilies, ac, si peccator erat is qui fatis concessit, eius peccata deleas; si autem probus ac iustus, ea illi in mercedis ac remunerationis cumulum cedant. Et rursus in altera oratione: Excogitemus, quemadmodum de iis qui obierunt, benè mereamur. Auxilium quod nobis in promptu est, ipsis offeramus, hoc est, eleemosynas & oblationes. Id enim vberem fructum atque ingentem vtilitatem ipsis accersit. Non enim hæc frustrà ac temerè instituta, Ecclesiæque Dei à sapientissimis ipsius discipulis tradita sunt, nimirum vt Sacerdos pro iis qui in fide obdormierunt, in tremendis mysteriis vota faciat,

D. Ioannes Chrysostomus.

Hom. 3. ad Philip.

En apertissimè quòd narrat sit ex traditione ipsorum Apostolorũ

faciat. Probè siquidem norant, hinc ingentem quæstum & vtilitatem ad eos redire. Atque hæc quidem illi. * Itaque pro virili nostra prouideamus, ne in horrendo illo & extimescendo die, hoc est, in secundo iudicis aduentu, à propinquis necessariisque nostris eo nomine accusemur, quòd eorum saluti consulere neglexerimus, iique præsertim quibus id ab illis mandatum fuit.

* *Apud Surium cap. 13.*

VITA S. HVBERTI EPISCOPI

Leodiensis, partim ex R.P. Surio, partim ex D. Molano.

III. NOVEMBRIS.

POST gloriosum beatissimi Antistitis Lamberti excessum, * Hubertus venerandus eius sedi subrogatur Episcopus. * Hic filius Bertrandi Ducis Aquitaniæ, propter Ebroini tyrannidem in Austrasiam se transtulerat ad Pipinum. Vbi cùm in Tungrensi parochia adhuc paganus versaretur, ipsi venanti inter cornua cerui Christus apparuit; eumque ad Lambertum Episcopum misit. Qui benignè eum recipiens, in fide Catholica diligenter instruxit, & baptizauit. Deinde verò totus ardens desiderio cælestis patriæ, Hubertus Romam vadit ad limina Apostolorum. Vbi dum exsistit, Lambertus Episcopus propter veritatis testimonium ab impiis immolatur; atque interim Sergius Papa, Angelica monitione & illustrissimis miraculis vrgetur, vt Hubertum nolentem consecret successorem. Quod factum est anno sexcẽtesimo nonagesimo octauo. Igitur & consensu simul vnanimi fidelium Præsulatu Dominici gregis donatur, verè scilicet clarissimus lychnus in domo Dei mox futurus. Etenim distractis, si qua ei superfuêre in re priuata, studebat omnimodis amicos Euangelicos de his conquirere, largus erga indigentiam inopum, oppressis adminiculans, tribulationemque patientibus strenuus consolator. Sed & quocumque pedem ferre libuisset, in manu illius eleemosyna desudabat, quousque pauper occurreret, cui eum tamquam Christo committeret.

* *Surius.*
* *Molanus.*

S. Hubertus adhuc pagan. conspicit Christũ inter cornua cerui.

Constituitur Episcopus Traiectensis.

VNDE factum est, vt anno ordinationis suæ duodecimo crebras meruerit sub noctis quiete visiones, quibus se commonitum fatebatur, vt à Traiectensi oppido ossa sancti leuaret Lamberti, & in loco quo celebratam eius passionem nosset, iterum humanda reduceret. Quarum admonitio eius animum inæstimabili recreauit gaudio. Attamen in quodam

Admonetur diuinitus de transferendis reliquiis S. Lamberti.

meditullio positus, cùm neque visioni certam fidem tribu- adhuc auderet, neq; omnino ei diffideret; quod sibi occultum erat, iudicauit à Domino quærendum. Itaque indicto cunctis tam monasterialibus quàm & ciuitatis clericis, nec non & laicis ieiunio, quæ sibi diuina voluntas de his agere præciperet, magnopere requirere studuit. Tandemque edoctus, ancipiti submota sententia, tertiodecimò anno sui Præsulatus, cœtu Clericorum sibi adiuncto, nec non populari agmine coacto, accitis etiam venerabilibus Episcopis & Sacerdotibus, tumulum venerandi viri adiit. Vbi cùm spirituales obseruantes excubias, diuinitatem debitis precibus pulsassent, cum maxima veneratione vrnam, qua sanctissimus thesaurus conditus seruabatur, adeuntes, absque aliqua difficultate beati viri loculum protulêre; & cum magno gaudio, quà venerant, pedem referentes, in loco quo passus est, terræ mandauêre.

Perficit id quod erat iussus.

PORRO quantis, qualibúsve miraculis suum velle Dominus in tali facto per omne iter reuersionis eorum commendârit, schedula gestorum eiusdem sancti Pontificis annotata continet. Sed & de fabrica eiusdem basilicæ qua beati viri códitæ sunt reliquiæ, qualiter ab eodem sancto viro Huberto ordinata sit, dicere supersedeo, nimirum, quia ipsa oculis videntium se offert. Sane his peractis, vir Dei etiam magis magisque ieiuniis, & vigilijs, castitatíque animi & corporis operam dabat: & subditorum curam gerens, tamquam fidelissimus dispensator, verbi triticum conseruis suis toto nisu subministrabat. Instabat iuxta Apostoli mandatum prædicans opportunè importunè, atque adeò tanta cum gratia verbi, & dulcedine sermonis virtus Spiritus sancti donauerat, vt non modò è vicinis, verùm etiam è longinquis, & à se valde semotis locis ad eum populi concurrerent, ac de potestate faucibusque diaboli se erui, atque in regnum Christi, gremiúmque sanctæ Ecclesiæ per baptismi gratiam transferri gauderent, idolorúmque cultum nec non prophanum eorum obseruationis ritum, cum auctoribus eorum, respuerent; atque olim sibi veneranda templa terræ coæquarent, puluerémque eorum veluti immunditiam detestantes, per diuersa dispergerent: Omnem namque Arduennam hisce cultibus hactenus mancipatam, in breui sacrilega seruitute liberam famulitio Domini subiugauit.

Cõstruit beato Martyri magnificum templum.

2.Tim.4.

Grauiter instat officio suo Pastorali.

SI qui autem, facessente generali idolorum cultu, superessent, qui more sacrilego, aut pulueris eorum reuerentiam haberent,

In Christianos superstitiosos valde est seuerus.

erent, vel cætera huiusmodi obseruari debere vsu nefando autarent, hos ad se deductos, triennij pœnitentia plectebat, sicque præliator Domini strenuè aduersarias insequendo, ac proterendo virtutes, imperium Domini in fines eorum longè latéque ampliauit, ita vt Taxandria & Brachbante; eorum detegendo insidias, eos penitùs annullaret, effigiesque eorum populi Christi gratia illuminati, confringerent, & penitùs abdicarent. Ab iis autem, à quibus deorum, immò dæmoniorum delubra subuertebantur, Christo Domino præclara in honore sanctorum Martyrum per sanctum Hubertum templa construebantur & honorabantur. Sicque vir Domini circumquaque Christi prædicando mysteria populos ab atra cæcitate leuatos, lumine scientiæ reddidit conspicuos, vt de eis veracissimè dici posset: Populus qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam; habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Multa autem per eum Dominus operatus est miracula, sed nos vnum tantum referemus; quod fideli lectori erit instar multorum. *Passim vbique exstirpat Gentilismum.*

QVODAM tempore cùm ieiunium triduanum, quod more sanctæ Ecclesiæ vniuersaliter celebratur, & Græco vocabulo Litaniæ, Latinè verò Rogationes nominantur, instaret, gloriosus Domini Pontifex; iuxta consuetudinem suæ ecclesiæ, per oppida & castella cœpit discurrere; semenque verbi Dei in agro cordis audientium seminare: Veniensque Traiectum, iuxta consuetudinem; cum Clericis populique agmine, & victoriosissimis Saluatoris insignibus; Crucis videlicet vexillis, nec non & Sanctorum piis reliquiis ab oppido egreditur peragraturus cum precibus agros. Vbi cùm solitò verbum Domini in agro cordis humani iaceret, ecce inimicus mulierem quandam ingressus, magnis inconditisque vocibus cœpit perstrepere, & silentium, quo verbum Dei audiebatur, importunitate sui clamoris valde perturbare. Sed hac vociferatione tetrica vir Dei audita & cognita; ad se quidem accurrenti, primò signum Crucis obiecit: deinde alapam eidem impressit, atque silentium imposuit: statimque mulier in terram corruit, ita vt crederetur exanimis. Sed cùm diutiùs iaceret, ab ore eius quædam sanies diu profluxit; atque post hæc dæmone caruit. *En antiquũ morẽ solẽniũ Rogationum.* *Liberat quandam dæmoniacam.*

IAM sciebat vir Dei, cælesti nimirum oraculo edoctus, imminere tempus, quo anima eius ergastulo corporis absoluenda foret. Quare & discurrens per memorias Sanctorum, *Prædiscit de suo obitu.*

& loca orationum, per eorum intercessionem Domino commendabat suam resolutionem. Nam veniens ante sepulcra beati Lamberti in basilicam, quam ipse condiderat, orationi diutissimè incubuit, solitoque fonte lacrymarum genas suas rigauit, aramque deosculans, fratribus circumstantibus semet humiliter commẽdauit. Progredienśque inde, basilicam, quam ipse sub honore beati Petri Principis Apostolorum Domino dicauerat, oraturus adiit: sicque etiam ante altare, quod in honore beati Albini in eadem basilica Domino consecrauerat, diutius curuatis genibus orationem profudit: moxque ab oratione surgens conuersusque ad parietem, & protensis per eum brachiis, locum sepulchri sui permensus ita ait: Hic defossa humo locus meæ sepulturæ paretur. Et quidem iuxta quod vir Dei super sepulturæ suæ celebratione ore presago actitandum fore disposuerat, nos fidelissimi ac deuotissimi eius famuli flebiliter exsecuti sumus (sicut scilicet & triginta dierum spatio euoluto, corpus eius ad eundem quoque aduximus locum) cùm interim rogatu quorundam illustrium virorum Brachbantum vir sanctus perrexit, basilicam nouo opere constructam Domino dedicaturus. Vbi cùm omnia ritè peregisset, adeoque sermonem etiam exhortationis ab hora tertia vsque in horam sextam protraxisset, die ad vesperam vergente nauem ascendens, ab eodem loco secundo milliario secedit, ac deinde equo conscenso, tandem domui propriæ inducitur, noctis transacta non minima parte.

Designat sibi locum sepulturæ.

Nota ætatem auctoris.

NEC multum effluxit temporis; & ecce tactus febre, adstantibus pueris suis; quos olim pro suis sanctis meritis dæmonum tartareis vocibus eiulantes, ab eorum incursibus eripuerat atque saluauerat, nobisque vnà cum eis, inter verba orationis efflauit spiritum Angelicis miscendum cœtibus. Porrò corpus eius è loco obitus, qui vocatur * Fura, transfertur Leodium: quę loca à se differunt millibus triginta, per omnem reuersionem piis ouibus lugubri concursu certatim Pastorem suum celebrantibus. Quò cùm ventum esset, eo quo decuit honore in beati Petri basilica quam ipse beatus vir sua construxit munificentia, vti disposuerat, * iuxta altare sancti Albini sepelitur. Sed & anno dehinc decimo sexto per Ecclesiasticorum graduum turmas & Carolomannum, eiusque palatij proceres ex vase sepulcri, quod crebris miraculis enitebat, sublatus est ad altare S. Petri, à dissolutione & putredine prorsus illæsus. Vnde postmodum anno octingentesimo

Nota & istam e ulatam.

Migrat S. vir sanctus ad Dominum.

** Inter Louanium & Bruxellam.*

** Molanus.*

no vigesimo quinto, pridie Calendas Octobris, Vulcandus Episcopus cum magna Ecclesiastici gradus frequentia corpus sanctissimum ad Andainum monasterium suæ diœcesis in Ardennam transtulit: Vbi miraculorum gloria eius declarantur merita, & fidelium deuotione ipsius celebrantur beneficia; qui cateruatim tam propinqui quàm longinqui eò confluentes, in suis necessitatibus eum patronum experiuntur. Depositio festo die celebratur à Clero & populo per totam diœcesim tertio Nouembris.

Transfertur eius sacrum corpus in Ardennam.

VITA SS. VITALIS ET AGRICOLÆ

Martyrum, ex S. Ambrosio.

V. NOVEMBRIS.

QVI ad conuiuium magnum inuitantur, apophoreta secum referre consueuerunt. Ego ad Bononiense inuitatus conuiuium, vbi sancti martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis & gratiæ reseruaui. Apophoreta autem solent habere triumphos principum: & hæc apophoreta triumphalia sunt. Christi enim nostri principis triumphi sunt martyrum palmæ. Nec verò huc dirigebam iter, sed quia petitus à vobis sum, debui mecum deferre, quæ alijs parabantur, ne minor ad vos venirem, vt quod in me minus est, quàm præsumebatur, in martyre plus inueniretur. Martyri nomen Agricola est, cui Vitalis seruus fuit antè, nunc consors & collega martyrij. Præcessit seruus, vt prouideret locum, secutus est Dominus, securus quod fide seruuli iam inueniret paratum. Non aliena laudamus. Passio enim serui Domini disciplina est. Hic instituit, ille impleuit. Nihil illi decerpitur. Quomodo enim minui potest, quod Christus donauit? Egregiè & ille qui homini seruiuit, seruiendo didicit, quomodo Christo placeret. Hic tamen geminam laudem acquisiuit: in illo magisterij, in se martyrij. Certauerunt tamen inter se inuicem beneficijs, postquàm æquales esse meruerunt. Hic illum ad martyrium præmisit, iste illum accersiuit. Nullum ergo ad commendationem hominis conditio affert impedimentum, nec dignitas prosapiæ meritum, sed fides fert. Siue seruus, siue liber: omnes in Christo vnum sumus, & vnusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino. Nec seruitus derogat, nec libertas adiuuat. Vide ad eam rem quàm nihil in conditione momenti sit. Seruus inquit

Apophoreta triumphalia.

S. Vitalis famulus antè Agricolæ, nunc consors martyrij.

Ex fide meritum.

vocatus es, non sit tibi curæ. Qui enim vocatus est in Domino seruus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est seruus est Christi. Vide inquam vim Apostoli. Plus putatur dedisse ei qui seruus, quàm ei qui liber vocatus est. Ex seruo enim libertus Christi fit, ex libero seruus. Sed nulli plus dedit, verum vtrique æqualem mensuram diuisit. Apud Christum enim seruitus & libertas æqua lance penduntur: nec vllo discerniculo bonæ seruitutis & libertatis merita diuiduntur: quia nulla maior est dignitas, quàm seruire Christo. Denique Paulus seruus Christi Iesu. Hæc enim seruitus gloriosa est, in qua gloriatur Apostolus. An non summa gloria est, quando tali pretio æstimati sumus, vt sanguine Domini redimeremur? Sed pergamus ad cætera. Cumque sanctus Vitalis cogeretur à persequentibus, vt Christum negaret, & ille amplius profiteretur Dominum Iesum Christum, omnia tormentorum genera in eum exercentes, vt non esset in corpore eius sine vulnere locus, orationem fudit ad Dominum, dicens: Domine Iesu Christe saluator meus, & deus meus, iube suscipi spiritum meum, quia iam desidero, vt accipiam coronam, quam angelus tuus sanctus mihi ostendit. Et completa oratione, emisit spiritum. Sanctus verò Agricola mitior habebatur moribus, vt ab ipsis etiam inimicis diligeretur. Ideoque differebant eius passionem. Sed hæc persequutorum honorificentia, omni erat immanitate acerbior, quæ inuidebat martyrium. Denique vbi non acquieuit sanctus Agricola, crucifixus est, vt aduertamus illas blanditias eorum non sedulitatis fuisse, sed fraudis. Supplicio serui dominum terrere voluerunt. Vertit hoc Christus in gratiam, vt martyrio serui dominus inuitaretur. Vtrique nomen aptum martyrio, vt designati ad martyrium ipsis vocabulis viderentur. Ille Vitalis dictus est, quasi qui contemptu istius vitæ, veram illam vitam æternam sibi haberet acquirere: iste Agricola, qui bonos fructus spiritalis gratiæ seminaret, & sacri sanguinis effusione, meritorum suorum omnium virtutumque rigaret plantaria. Sepulti autem erant Agricola & Vitalis in Iudæorum solo, inter ipsorum sepulchra. Iudæi ambierunt cum seruulis sepulturæ habere consortium, quorum dominum negauerunt. Sic & aliquando Balaam dixit: Moriatur anima mea pro animis iustorum, & tamen non communicauit eorum operibus, cùm viueret, quorum in animis cupiebat mori. Et isti, quos viuentes persecuti sunt, mortuos honorabant. Illic igitur martyris exuuias

Nulla apud Christum acceptio personarum.

Oratio S. Vitalis dum esset in tormentis.

Cur passio S. Agricolæ differebatur ab inimicis.

SS. Vitalis & Agricolæ nominum sacra etymologia.

Cum sanctis istis optans Iudæi sepeliri.

..ias requirebamus, tanquam inter ſpinas roſam legentes, circumfundebamur Iudæis cùm ſacræ reliquiæ eueherentur. Aderat populus Eccleſiæ cum plauſu & lætitia. Dicebant Iudęi: Flores niſi ſunt in terra, cùm viderent martyres. Dicebant Chriſtiani: Tempus inciſionis adeſt. Iam qui metit, mercedem accipit. Alij ſeminauerunt, & nos metimus martyrum fructus. Iterum audientes Iudæi voces plaudentis Eccleſię, dicebant inter ſe: vox turturis audita eſt in terra noſtra. Vnde bene lectum eſt: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Dies diei, Chriſtianus Chriſtiano: Nox nocti, Iudæus Iudæo. Indicabant ergo Iudæi, quòd haberent ſcientiam martyrum, ſed non ſcientiam verbi: id eſt, non ſecundum illam ſolius boni, & ſolius veri ſcientiam. Ignorantes enim Dei iuſtitiam, & volentes ſe iuſtificare, iuſtitiam Dei non receperunt. Detuli ergo vobis munera, quæ meis legi manibus, id eſt, crucis trophæa, cuius gratiam in operibus agnoſcitis. Certè & ipſi dæmones confitentur. Condant alij aurum atque argentum, ac de latentibus eruant venis: Legant precioſa monilium ſerta: Temporalis ille theſaurus eſt, & ſæpe habentibus pernicioſus. Nos legimus martyris clauos, & multos quidem: & plura fuerunt vulnera, quàm membra. Clamare martyrem diceres ad populum Iudæorum, cùm clauos eius colligeremus. Mitte manus tuas in latus meum, & noli eſſe incredulus; ſed fidelis. Collegimus ſanguinem triumphalem, & crucis lignum. Hæc ſanctæ viduæ negare non potuimus poſtulanti. Munera itaque ſalutis accipite, quæ nunc ſub ſacris altaribus reconduntur, &c.

Inter ſacras Sanctorũ reliquias euehendas, Chriſtianorum & Iudæorũ ſermones ſubijciuntur.

VITA S. LEONARDI CONFESSORIS,

ex ea quæ eſt apud R. P. Laur. Surium.

VI. NOVEMBRIS.

BEATVS Leonardus, ſub Anaſtaſio Imperatore in Galliis natus eſt. Parentes claros habuit, & magnæ apud Clodoueum Regem dignitatis & auctoritatis. Clodoueus is primò paganus fuit, ſed ad beati Remigij Epiſcopi prædicationem Chriſtiana religione initiatus eſt, &, vt graues affirmant teſtes, Leonardum puerum è ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepit, quòd parentes eius in primis caros haberet. Et tamen Leonardus puer poſtquam adoleſcentiæ robur adeptus eſt, noluit terreno Regi militare, vt fecerant maiores eius; ſed Spiritu diuino permotus, ad beatiſſimum Remigium Epiſco-

S. Leonardi clari natales.

Educatur apud S. Remigium.

pum imitandum se contulit. Cuius sanè salutares admonitiones non surda accipiebat aure; sed vt futurus verbi Dei seminator, in pectoris sui armario diligẽter recondebat. Erat enim vir Dei alacer in exhortando, suauis atque humilis in sermone, in actione simplex & pudicus, in promissis verax, in eleemosynis largus & munificus; in reddenda ratione modestus, atque adeò tenuis & submissus, vt non familia nobili, sed abiectissima ortus videri posset.

Contempta aula Regia, proficiscitur vt spargat per Galliam verbum Dei.

Et quidem eius fama permotus Franciæ Rex, honestos ad eum Legatos misit, qui eum accersirent: sed ille, posthabito dignitatis terrenæ fastigio quod Rex offerebat, tamquam fidelis agricola verbum Dei seminans, Aureliam peruenit, inuentoque haud procul extra vrbem venerabili viro Maximino monacho, aliquamdiu apud illum moratus est, quousque diuina reuelatione admonitus, inde recedens in Aquitaniam profectus est. Quam reuelationem cùm sancto Liphardo fratri suo, qui fidus ei comes fuerat, indicasset, orans vt secum iret, beatus Liphardus respondit: E quidem, mi frater, nisi tibi molestum est, hîc apud Ligerim mihi commodum construam domicilium: tu verò pergas ire quò te vocat Dominus Iesus, isque tibi vbique propitius sit. Atque ita cùm se inuicem osculati essent, à se separati sunt: & Liphardus quidem Madunum petiit, vbi etiamnum requiescit; Leonardus verò abiit in Aquitaniam. Vbi cùm per Biturigum regionem iret, haud quaquam mortis metu se celauit, sed sicut vir strenuus armis fidei munitus, Christum prædicabat. Iis enim in locis tum recens admodum erat Christiana religio, necdum abolito prorsus ethnicismo.

Valedicens fratri suo S. Liphardo, venit in Aquitaniam.

Passim curat omnis generis morbidos.

Itaque vir Dei, quantum poterat, verbis & factis Christum annuntiabat, pellebat dæmones, surdos, claudos, cæcos, & morbidos omnes ad ipsum venientes curabat; atque interim suum prosequens iter, galea salutis, & scuto fidei instructus, tandem in siluam peruenit quam Pauum vocant. Ea feris abudans, Galliæ & Aquitaniæ Principes inuitabat ad venationes. Singulis etiam annis Galliarum Rex eò veniebat animi gratia, plerumque etiam Regina comitante. Aberat is locus à Lemouicum vrbe decẽ ferè miliaribus. Itaque cũ beatus Leonardus per eam transiret siluam, ecce Rex eò venerat cum Regina, quæ ex partu in magnum vitæ discrimen adductæ, Regem non mediocri animi dolore affecit. Adhibebantur varia medicorum opera, sed nihil promouebatur. Plorabat

Periclitatur Regina Francorum in partu.

at omnis aula & familia Regis, quod Regina tam misere biret è vita. Quod vbi sensit beatus Leonardus, solita humanitate commotus, cum Rege & paucis satellitibus eius intrans cubiculum, vbi Regina decumbebat, oculis in cælum sublatis, Dominum pro ea deprecabatur, ac deinde exeunte illo cum Rege, confestim Regina peperit, & omni dolore absoluta est. Mox verò Rex cum omnibus suis tollens ad sidera manus, dicit beato Leonardo: En totum hoc nemus tibi trado possidendum. Sed è contra beatus Leonardus, Non, inquit, serenissime Rex, totum, sed eius tantùm partem quandam à te accipiam, quando adeò promptum te experior. Itaque quantum nocte potero asello meo vectus circumire, tantum dari mihi peto. Annuit autem Rex libentissimè, iussitque omne illud spatium lapideis terminis definiri.

Succurrit ei suis meritis S. Leonardus.

MANSIT autem vir Dei in illo loco conditque ibi oratorium in honorem beatissimæ matris Dei, in cuius sinistro latere etiam altare alterum construxit in beati Remigij memoriam. Vixit verò parcissimè, corpus ieiuniis, vigiliis, & precibus macerans. Adiunxit quoque sibi duos monachos, vita & moribus religiosos, vt in ea ecclesia perpetim diuina mysteria celebrarent, quando ipse Sanctorum limina orandi causa visitaret. Solebat enim pro more sæpissimè adire basilicam beati Martialis Episcopi Lemouicensis, atque ea causa nolebat oratorium suum esse sine ministro, dum ipse abesset. Et quidem difficulter illic à monachis aqua obtineri potuit, eo quod ferè ab vno milliari apportanda esset. Rogarunt igitur beatum Leonardum vt iuxta ecclesiam aquam ipsis impetraret. Nec multa mora: Iussit ille humum, instar putei fodi, stansque suprà effossam humum, orauit Dominum, & mox perennes eruperunt aquæ, quæ vsque in hunc diem loci eius habitatoribus potum præbent. Porrò locum ipsum Nobiliacum dici voluit, quòd à nobilissimo Rege eum dono accepisset. Vbi etsi latère perceperet vir sanctus, & hominum frequentiam fugeret, quando tamen ciuitas abscondi non potest suprà montem posita, ita & infinita ad eum malè valentium turba confluxit, curabaturque ab eo.

Accipit à Rege locum construendo monasterio.

Frequẽs discurrit per memorias Sanctorum.

Confluit ad eum infinita turba malevalentium.

FAMA autem sanctitatis eius omnem Aquitaniam & Britanniam minorem impleuerat, imò & vsque in Germaniam sese effuderat, atque adeò Deus ornauit & illustrauit illum, vt si quis in carcerem coniectus eius nomen inuocaret, ruptis catenis, nullo impediente, liber absceederet. Vnde & accidit, vt multi

Item multos liberat capti-

nes, quos deinde apud se retentos, optimis instruit disciplinis.

vt multi etiam ex longinquis regionibus à vinculis & carceribus per eum liberati, ad eum venirent, & compedes atque catenas secum ferrent, ad eius sese pedes humiliter abiicientes. E quibus etiam non pauci apud eum manebant, se illi seruo offerentes: sed vir Dei illis potiùs seruire studebat, partem eis syluæ distribuens, vt consuescerent agriculturæ operam dare, & inde sibi parare victum, non autem inhiare prædis, ne rursus in vincula conijcerentur & obscuros carceres. Simul autem salutari eos Euangelij prædicatione quoque instituebat: sicut & omnes ad se venientes variis affectos morbis, sanabat sanctis precibus, & optimis sermonibus continenter pascebat, nudos vestiebat, esurientes alebat cunctisque necessaria pro viribus suppeditabat. Quibus virtutibus clarus, cùm iam bonum certamen certasset, fidemque seruasset, tandem, quando visum est Altissimo vt è præsenti seculo migraret, octauo Idus Nouembris sanctissima anima eius ab Angelis recepta est in cælum, corpus autem sacratissimum à fidelibus humatum est in ecclesia quam ipse construxerat in honorem beatissimæ semperque virginis Mariæ, & beati Remigij Rhemorum Episcopi: in qua ecclesia multa diuinitus miracula fiunt, præstante Domino nostro Iesu Christo.

Clarus multis virtutibus, migrat in cælum.

VITA S. VVINOCI ABBATIS,

ex ea quæ est apud R. P. Laur. Surium, ex MS.

VI. NOVEMBRIS

BEATVS VVinocus in Britaniæ finibus ex nobilium virorum prosapia nascendi exordia sumpsit: sed nobilitatis titulum probitatis indole ornauit. Stupebat in sinu suo Britannia ciuem suum peregrinari, & intra fines proprios nouis quotidie actibus exsulare & morari. At qui mente iam à patria exsulârat, & vt etiam corpore esset exsul, non ægrè operam dabat. Habuit proinde in consortium suscipiendæ peregrinationis coniuratos in Christi sacramenta tyrones Quadanocum, Ingenocum, atque Madocum, genere quidem spectabiles & vita probabiles. Hi ergo vnà cum B. VVinoco rerum suarum onere expediti, patrio solo parentiumque opibus exuti, ad currendam viam mandatorum Dei, passibus fidei ducebantur, ac tandem post longa viarum spatia regioni appulêre Morinorum, vbi, fama vulgante, sanctorum hominum tum florere religionem compererant. Per id tempus in ea Morinorum seu Taruanensium regione

Tomo 7. Molanus dicit filium Regis Iuthaeli fratrem S. Iudoci.

Assumptis tribus socijs, cogitat peregrinari pro Christo.

Venit ad S. Bertinum: vbi & suscepit cum suis suaue iugum Christi.

catus Bertinus in ornamento Ecclesiæ Dei erat lapis pretiosus, in Sithiu monasterio, merito & officio Abbas, qui tum sanctitatis suæ aromata longe latéque spirauerat, & in militiam Christi suo exemplo permultos inuitarat atque pertraxerat. Tanti ergo Patris regimini viri illi, quos diximus, deuoto se obsequio subdiderunt, quorum & laudabili deuotione gratulans B. Bertinus sub norma pij Patris Benedicti docuit eos ferre suaue iugum Christi, monasticisque parêre sanctionibus.

QVI cùm eos inter ipsa conuersionis primordia culmen perfectionis iam attigisse miraretur, locum eis, in quo singulariùs Domino vacarent, attribui, vtque cellam illic sacris occupationibus congruentem exstruerent, imperauit. Parent itaque illi imperio, & gnauiter construendo incumbunt ædificio. Locus ille in Morinorum territorio situs, vsque in præsentem diem Mons S. VVinoci vocatur: vbi illi viri Dei aliquamdiù degentes, & se mundo, & sibi mundum crucifixerunt. Habebat verò tum mater Ecclesia egregiũ membrum suum Hermarum, tam opibus quam moribus præclarum. Qui sanè pro adipiscenda in terra viuentium portione, Deo sanctoque VVinoco quoddam sui iuris obtulit prædium, quod Voromholt ab incolis vocitatum, vsitatissimum ad nos vsque seruat vocabulum. Eo autem Abbas Bertinus mox destinatis Dei famulis, operam dat construendis seruorum Dei habitaculis, in quibus & Christus in pauperibus charius exciperetur, & monasticus ordo secretius atque deuotiùs excoleretur. Feruet opus, surgunt ædificia, instruuntur xenodochia, ita vt breui absoluta & exædificata illa domus Dei, facilè posset ab incolis honorem promereri. Sancti autem viri illi in labore manuum suarum adeo erant diuina gratia instructi, vt aliorum leuandis incommodis, sarciendisque detrimentis, sua lucra facere viderentur. Nihil enim in omni vita iucundius habuêre, quàm hospitum, pauperum, & peregrinorum commodis prospicere, eratque eis cor vnum, & anima vna.

Mittitur à S. Bertino ad Montem qui nunc ab eo vocatur.

Cõstruit cum eis cœnobiũ in Vormhout.

Laborant manibus, vt pauperes inde alant.

ATQVE his scilicet instrumentis in semetipsis templũ Spiritus sancti construentes, vsque ad finẽ vitæ à rigore propositi nihil remiserunt. Porrò post discessum trium sanctorum virorum, beatus VVinocus superstes fuit, qui regularibus disciplinis apprimè imbutus, profecerat sanè in omnibus fidei doctrinis, proferens de thesauro cordis noua & vetera: vnde cùm memorati tres viri extremum clausissent diem, perpetuam translati

S. VVinocus post mortem suorum sociorum præficitur monachorum congregationi.

translati in requiem, sanctus Bertinus virum Dei gregi monachorum voluit præesse, quippe qui iam humiliter prius subesse didicerat. Erat enim ille quidem antedictis tribus viris ætate minor, sed non inferior sanctitate. Atque adeò in tantùm in præcedentiũ Sanctorum vestigiis institit, vt in nulla eum virtute posteriorem Ecclesia miretur. Taceo eius prædicandam humilitatem & pœnitentiam: de quibus quidquid dixero, minus inuenietur, quàm pro meritis tanti viri. *Insignis in eo fuit humilitas & hospitalitas* Egregium duxit subiectis sibi fratribus ministrare, Hospitalitas in eo prompta fuit. Quicquid operis aliorum manus vt arduum & graue refugiebat, impigrè ille & incunctanter arripiebat. In quarum argumentum virtutum, accessit etiam ei à Domino gratia talis signorum.

2 Thess. 3. Psal. 127.

SAEPIVS illud Apostolicum reuoluens, Qui non laborat, non manducet: itemque illud Psalmographi, Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit: *Ipse suis manibus versat molam ad pauperum usum.* eisdem præceptis non solùm affectu, sed etiam effectu paruit. Aptauit enim sibi molam quandam (nimirum opus in quo solet iniuriæ locus esse) quam subinde manibus versando, subinde quoque orando, suis pauperumque vtilitatibus seruire coëgit. Et mirum in modum, cùm vicissim operi succederet oratio, orationem quoque diuina secuta est benedictio, quæ illum celebrem reddidit. Deus enim parcere volens labori fessi senis sui, molam (quod dictu etiam mirum est) sua sponte fecit circumagi, consulens famuli sui & defessæ ætati & necessitati. Atque ô verè mirabilem Deum in sanctis suis! *Nota insigne miraculum.* Quod ille animaduertens, iam securus de labore suo, quippe qui Deum adiutorem experiretur, oculis & manibus semper in cælum intentis, pro collatis sibi à Deo beneficiis cordis offert sacrificia. At verò interim, fratres, qui labore manuum eius iucundè reficiebantur, & alimentorum copiam, & in sene operis efficaciam mirabantur. Nec erat incerta suspicio, *Deprehenditur palàm ipsius sanctitas* senem diuinitus adiuuari. Illis ergo admirantibus hinc copiam panis, inde imbecllia membra senis, vnus eorum omnem rei ordinem oculata fide explorare tentauit: & ecce oculis ad foramen curiosè admotis, vidit molam orante viro Dei diuinitus moueri.

Breuis omnium virtutum recapitulatio. SED & ad alias viri Dei virtutes veniamus. Erat ille planè, vt de quodam in Euangelio Dominus dicit, verè Israëlita, & doli expers. Iam mente Deum cernebat, à quo se dolebat in corpore peregrinari. Fidelisq; in domo Dei œconomus

plus

us amari studebat quàm timeri, & ministrare potius quàm aliorum ministeriis foueri, nec occasione regiæ nobilitatis, qua præclarè pollebat, cuiquam seruilis conditionis ad conuersionem venienti se anteponebat, animo & vultu hilaris, fide robustus, spe longanimis, charitate diffusus, in consilio prouidus, sapientiæ sale conditus. Atque his nimirum, & id genus aliis virtutibus armatus, Dominica bella peregit, & vt vir fortis Principem huius mundi subegit. Porrò cupiēs dissolui, & esse cum Christo, Educ, inquit, Domine, de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo Eius autem desideriis Dóminus annuens, petitioni eius non defuit. Mittit Angelos qui eum ad se euocent, donatiuum largitur emerito militi suo, quod oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit: Nimirum obiit octauo Idus Nouembris, atque in prædio, quod iā suprà diximus *Worembolt* appellari, humatus est.

Tanquam bonus miles Christi, tandem donatur laurea immortalitatis.

AT verò interea successu temporum, surrexit in Flandria Balduinus Caluus: qui suspicione eruptionis aduersæ, fines Flandriæ, vsque ad id temporis accessibiles, castris munierat. Tunc ergo etiam locum Bergas dictum præsidio placuit munire, quòd munitioni omni circumquaque esset patriæ: vbi etiam ecclesiam construi fecit, quam titulo Confessorum Christi, Martini atque VVinoci insignitam perfecit. Sed & animo insuper quiddam honestè vtile, & vtiliter honestum concepit. Tenebat ea tempestate sceptra Francorum Rex Carolus, quem dolo captiuauerat Heribertus. Quem Præfectus Flandrorum monarches adiens (habuit enim apud ipsum plurimum posse) consilium animi sui Regis roborauit consilio, & magnificauit priuilegio. Tum ergo demùm Sithiu perrexerāt ire, quò iā timor hostilis sacrosancti VVinoci membra coēgit transferri. Et licet arte qua poterant, obnitentibus Audomaricolis, sacrosanctum tamen corpus abstulit, & ad locum Bergas quò destinauerat, transtulit, quem iam regali & priuilegio & munificentia adeò ditauerat, vt eum Flandria honestam sui partem hodie habeat. Cæterum acta est hæc translatio à Balduino, cognomine Caluo, Anno humani Verbi 900.

Nota de munitione Bergensi.

Construitur ibi ecclesia sub titulo S. Martini & VVinoci.

Transfertur eo corpus S. VVinoci.

VITA S. VVILLIBRORDI EPISCOPI

Vltraiectini, ex ea quæ est per Alcuinum, Preceptorem Caroli Magni.

VII. NOVEMBRIS.

S. VVillibrordi genus.

FVIT pater sanctissimi VVillibrordi in Britannia insul. prouincia Nordanhumbrana, is pater familias, genere Saxo, & nomine Vulgis, qui postea relicto habitu seculari, monachicam conuersationem eligens, in promontoriis quæ mari Oceano, & Humbri flumine cinguntur, in ieiuniis & orationibus atque vigiliis Deo seruiens, etiam miraculorum signis claruit. Hic filium suum VVillibrordum adhuc penè infantulum tradidit religiosis studiis & sacris literis erudiendum fratribus ecclesiæ Ripensis, vbi fragilior ætas validioribus posset inualescere disciplinis, & vbi nihil videret nisi honestum, nihil audiret nisi sanctum. Vbi & multis profuturus puer clericatus accepit tonsuram, & pia professione monachum se fecit esse, & inter cæteros eiusdem sanctissimi monasterij adolescentes enutritus est, nulli alacritate minor, nulli humanitatis officio secundus, nulli lectionis studio inferior. Quotidie verò bonæ indolis puer proficiebat, ita vt teneros pueritiæ annos morum grauitate transcenderet, iamque in sacris eruditionibus, & in omni sobrietate morumque honestate beatissimus adolescens vsque ad vigesimum ætatis suæ annum proficiebat.

Educatur in monasterio Ripensi.

Viuit ibidem sanctissimè.

AVDIVIT verò tunc in Hybernia scholasticam eruditionem vigere, quorumdam sanctorum virorum (fama narrante) conuersatione incitatis, & præcipuè beatissimi Patris & Episcopi Egberti, qui cognomento Sanctus vocabatur, nec non & VVicberti, venerabilis viri, & Sacerdotis Dei; quorũ vterque, ob cælestis patriæ amorem, domo, patria, cognationeque relicta, Hyberniam secesserat, ibiq; dulcissimos supernæ contemplationis fructus solitaria quotidie hauriebant conuersatione. Quorũ beatus adolescens æmulari cupiens religionem, cum conniuentia sui Abbatis, & Fratrũ, in Hyberniam veloci cursu contendit, prędictorum Patrum se familiaritati coniungens, ibique duodecim annis inter eximios simul piæ religionis & sacræ lectionis magistros, futurus multorũ populorum prædicator, eruditus est, donec trigesimo & tertio ætatis suæ anno, audiens in borealibus partibus messem quidem multam esse, sed operarios paucos, assumptis secum duodecim Fratribus, eo fidei feruore armatis quo & ipse, nauem adscendit; & non multo pòst prospero cursu ad ostia Rheni fluminis vela deponens, ibi ipse & socij optata telluris statione refocilati sunt, & mox ad castellum Traiectum, quòd in ipsa fluminis ripa

Studio discendi proficiscitur in Hiberniam ad B. Egbertum.

Cum duodecim sociis pro prædicando Euangelio venit Vltraiectum.

pa situm est, peruenerunt, in quo etiam post aliquod tempus, Deo donante, & verbo fidei crescente, idem sanctus Vuillibrordus sedem Episcopatus sui habuit.

SORDEBAT tunc eadem gens Frisonum (in qua idem ædificatum est castellum) cum Rege suo Radbodo paganis adhuc ritibus. Quare visum est viro Dei Franciã contendere, ac Ducem illorum adire Pipinum, virum strenuum, & triumphis clarum. Qui vbi eum cum omni honore suscepisset, nolens tanto Doctore se vel suam priuare gentem, loca ei opportuna intra terminos regni sui prouidit, quo potuisset idololatriæ spinas exstirpare, & purissima verbi Dei semina per munda noualia abundantiùs spargere. Quod cum studiosissimè vir Dei per loca singula discurrendo exercuisset, iamque semina vitæ supernæ, gratiæ rore irrigante, longè lateq; in agris multorum cordium ad eius prædicationem pullulassent, congaudens prædictus Francorum Dux, maioris profectus occasione, prudenti cogitauit consilio, eum Romam mittere, vt à Domino Apostolico Sergio, viro sanctissimo tunc tẽporis, in summi Sacerdotij honorem ordinaretur, & sic cum honorifica legatione, & muneribus auctoritati Apostolicæ condignis, Romam directus est. Et ecce die quarta, priusquam illò veniret, beatissimus Apostolicus Angelica in somnis responsione admonitus est, vt illum cum summo honore susciperet, & quòd multarum animarum esset illuminator futurus. Qua factus Apostolicus admonitione certus, cum magno gaudio & summo eum suscepit honore, ac deinde publicè in Ecclesia beatissimi Petri, Principis Apostolorum, cum magna dignitate more Apostolico eum ordinauit Archiepiscopum, ac ordinato nomen imposuit Clemens, vestimentisque suis sacerdotalibus induit eum, & sancto quasi superhumerali Aaron pallio dignitatis, & indumenti cõfirmauit gloria, & quicquid voluit vel petiuit, aut in patrociniis Sanctorum, aut in rebus Ecclesiasticis cum tota mentis alacritate tradidit illi, ac sic firmatum benedictione cum salutaribus præceptis iterum eum in opus Euangelij remisit.

Venit ad Ducẽ Pipinum.

Magno successu prædicat: quare & mittitur Romam, vt consecretur Episcopus.

Honorificentissime excipitur a Papa Sergio.

SANE accepta Apostolicæ auctoritatis benedictione, cum maiori etiam fiducia deuotus verbi Dei prædicator ad præfatum Francorum Ducem regressus est. Qui eum cum summa honoris magnificentia receptum, deinde cum suæ potestatis iussione in opus Euangelij direxit, maximè tamen in borealibus regni sui partibus, quò eatenus ob raritatem doctorum,

Reuersus a Roma, rursũ redit ad opus Euangelij.

Qq vel

vel raritatem habitatorum, fidei flamma minùs reluceb: quapropter etiam vir Dei instantiùs illis in regionibus sem na vitæ spargebat. Vbi qualem, diuina gratia adiuuante, fructum fecerit, testes sunt vsque hodie populi per ciuitates, vicos & castella, quos ad veritatis agnitionē, & ad vnius omnipotentis Dei cultum pia admonitione perduxit. Testes quoque Ecclesiæ, quas per loca singula construxit: testes & Deo famulantium congregationes, quas aliquibus adunauit in locis. Tentauit vero idem vir Dei etiam vltra Francorum regni fines, cælestis doctrinæ flumina deriuare, & tunc temporis quoque Regem Frisonum Radbodum cum gente sua paganum adire. Sed præfatus Rex, licet virum Dei humilitatis gratia benignè susciperet, nullis tamen vitæ fomentis saxeum eius cor emolliri potuit.

Non contentus finibus suis [illegible] aliter cō[illegible], etiam prædicat Regi Frisonum.

QVOCIRCA cùm apud eum vir Dei fructificare se non posse sentiret, ad ferocissimos Danorum populos iter euangelizandi conuertit. Ibi tum regnabat Ongendus, homo omni fera crudelior, & omni lapide durior: qui tamen, iubente Deo, veritatis præconem honorificè tractabat. Quem dum obduratum moribus, & idololatriæ deditum, & nullam melioris vitæ spem habentem offendit, acceptis tunc triginta eiusdem patriæ pueris ad electos à Deo populos regni Francorum reuerti festinauit. Vbi cùm per singulos dies numerus cresceret fidelium, & maior credentium turba ad verbi Dei agnitionem quotidie confluerет, cœperunt plurimi fidei feruore incitati, patrimonia sua viro Dei offerre. Quibus ille acceptis, mox ecclesias in eis ædificare iussit: statuitque per eas singulos Presbyteros, & verbi Dei sibi cooperatores; quatenus nouus Dei populus haberet, quo se diebus festis congregaret, vel salutares audiret admonitiones, vel à quibus sacri baptismatis munera acciperet, & Christianæ religionis regulas disceret. Et ita vir Dei magis ac magis de die in diem, diuina donante gratia, proficiebat.

[illegible] penetrat [illegible] vsque in [illegible].

Multas construit ecclesias in ditione Francorū.

CONTIGIT autem post hæc Pipinum Ducem Francorum diem obire suum, & filium eius Carolum regno patris potiri. Qui cùm multas gentes sceptris adijciens Francorum, inter eas etiam Frisiam, deuicto Radbodo, paterno super addidisset imperio, in ea tunc gente sanctus VVillibrordus quoque positus est prædicator, sedique Episcopali in Traiecto castello locus delegatus est. Qui maiori euangelizādi occasione accepta, nuper gladio acquisitam gentem sacro baptismate

Id est Carolus Martellus.

Tandē deuicta Frisia, constituitur sedes eius Episcopalis Vltraiecti.

...ſmate abluens, nihil quicquam in ea vetuſti erroris, nec tenebras ignorantiæ latêre ſinebat, ſed totam Euangelica luce ſine dilatione perfundebat. Plurima autem diuina virtus fecit per ſeruum ſuum miracula, ex quibus vel in primis memoratu dignum eſt id quod referam. Eſt in Treuirenſi ciuitate monaſterium puellarum, quod temporibus illis peſtis acerrima inuaſerat. Cuius acerbitate multæ ex ancillis Dei moriebantur, cæteræ verò nimio terrore turbatæ, quaſi præſentem mortem metuebant. Et quia propè eſt prædictæ ciuitati ſancti viri monaſterium quod appellatur * Eſternaco, in quo vſque hodie ſanctus ille requieſcit corpore; antedicti, feminæ monaſterij audientes ſanctum virum illuc venire, ſtatim miſerunt legationes, poſtulantes eum non tardare venire. Qui veniens, mox in eodem monaſterio Miſſa pro infirmis celebrata, aquam benedixit, qua & domos illarum aſpergi iuſsit, & ægrotantibus potandam tranſmiſit: Quæ citò, diuina donante miſericordia, conualuêre, nec vllæ in eo monaſterio prædicta peſte exinde moriebantur.

Nota de ſancti viri monaſterio.

** Externaci.*

Suis meritis multas ſanat à peſte.

FVIT verò iſte vir ſanctus omni dignitate præclarus, vultu honorabilis, corde lætus, conſilio ſapiens, moribus compoſitus, & in opere Dei ſtrenuus. Qui quantam habuerit induſtriam in Euangelio Chriſti prædicando, non neceſſe eſt noſtro proſequi ſtilo, quod totius populi teſtimonio comprobatur, ſicut & eius ſecreta conuerſatio in vigiliis & orationibus, in ieiuniis & pſalmodiis ex vitæ ſanctitate & ſignorum oſtenſione facilè intelligi datur. Denique vir ſanctus omnibus diebus vitæ ſuæ in diuino proficiens opere, Deo amabilis, & omni populo gratus, temporibus Caroli antiqui, fortiſsimi Francorum Ducis, ſenex & plenus in omni perfectione dierum appoſitus eſt ad patres ſuos, multiplicem laboris ſui fructum accepturus à Deo. Migrauit autem ex hac peregrinatione ad perpetuam patriam die ſeptima menſis Nouembris, id eſt, ſeptimo Idus, ſepultus in monaſterio Externaco quod ipſe conſtruxerat. Vbi vſque hodie, diuina operante miſericordia, ſigna & ſanitates ad ſancti Dei ſacerdotis reliquias fieri non ceſſant. Ad laudem Dei omnipotentis.

Moritur in ſenectute bona.

VITA S. FLORENTII EPISCOPI
Argentinenſis, vt eſt apud R.P. Laurentium Surium.

VII. NOVEMBRIS.

CVM Dagobertus Rex ad regni Francorum gubernacula sederet, sanctus Florentius cum beato Arbogasto, Theodato, & Hildulpho, è Scotia venit in Alsatiam. Vbi cùm sanctus Arbogastus Argentinensi ecclesiæ datus esset Antistes, beatus Florentius in sylua quam Hassle vocant, vbi Bruscha fluuius è monte Vosago emanat, manibus suis cœpit terram colere, vt victui necessaria pararet. Sed cùm illic domicilium condidisset, ceruæ & aliæ feræ è nemore eò aduenientes, omnem eius laborem deuastabant. Nec aderant beato viro instrumenta venatoria, quibus eas caperet; sed non deerat tamen magna in Deum fiducia, qua fretus, in Domini nomine iussit eas omnes venire ad fores cellulæ suæ, & illic gradum figere. Per id tempus Dagobertus Rex manens in palatio suo Kircheimensi famulos suos misit vt venationi operam darent. Abeunt illi cum canibus; perlustrant montes & syluas omnes, nec vllam feram conspiciunt.

S. Florentius [illegible] quomodo primò vixerit solitarius.

TANDEM ad beati viri domunculam perueniunt. Vbi cùm frequentes præ foribus consistere feras conspiciunt, nihil se loco mouentes, perinde ac si vincula quædam eis iniecta sint, rei indignitate, vt ipsis videbatur, permoti, cùm virum Dei non cognoscerent, tunicam eius vi auferunt, & recedunt. Ille quoque sequitur abeuntes: apportat securim siue bipennim, vt eam simul tollant. Sed illis recedentibus, vbi ad paludem quandam ventum est, equi eorum progredi noluerunt. Vrgent illi quidem fortiter, adigunt calcaria; sed nihil efficiũt. Animaduertunt id se pati ob illatam sancto viro iniuriam: redeunt; redduntque quæ abstulerant. Redditur equis gradiendi facultas: veniunt ad Dagobertum Regem: quid acciderit, enunciant. Ille confestim mittit equum suum optimè instratum: orat virum Dei, vt illo subuectus, ad ipsum se conferat. Vir beatus equum non admittit, sed suo asello contentus, ad Regis palatium proficiscitur. Vbi cùm ad portæ limen accessisset, ecce filia Regis ab ipso ortu luminibus orbata, itemque muta, repentè & videt & loquitur, appellatque beati Florentij nomen, cùm tamen id omnibus esset incompertum.

Obediunt ipsi feræ.

Puniuntur diuinitus qui viro sancto fecerant iniuriam.

ADSCENDENTE quoque illo in palatium, & ad Regem ingredi volente, res rursum accidit admiratione digna. Cùm enim non haberet ministrum, cuius opera vteretur in seruando interim pallio suo, ad Solis radium per fenestram sese infundentem, suspendit pallium; inhæsitque illi haud secus

Venit ad Regẽ Dagobertũ vbi & plura fiunt miracula.

atque

atque perticæ cuidam, donec vir sanctus cum Rege collocatus esset. Quæ res tantæ admirationi fuit & Regi ipsi, & familiæ eius, vt magnam syluę eius partem Rex ei largitus sit, vbi cellam construeret; villásque adiacentes, & multa prædia addiderit, quæ vsque in præsens monasterium Hasle sibi vendicat. Porrò autem ex hac vita abeunte beato Arbogasto, sanctus Florentius ei subrogatus est in cathedra Argentinensi; vbi sanè vitam in populo viuens sanctissimam, gregem sibi creditum, vt bonus pastor accuratè custodiuit. In ecclesia quoque sua, siue monasterio Hasle, religiosos homines, qui Deo illic seruirent, collegit; sicque tandem bonorum operum cursu confecto, cum Christo æternùm regnaturus in pace quieuit. *

Fit Episcopus Argentinensis.

FVIT quidem vir sanctus etiam generis nobilitate clarus, sed virtutum ornamentis longè illustrior. Nam in ipso quoque vernantis adolescentiæ flore, quod aliàs apud maturos perrarũ est, carnis proculcauit illecebras, patriam parentésque pro Christi amore deseruit; voluntariámque complexus paupertatem, longinquam in exteras regiones peregrinationem suscepit. Denique Christi bonus odor effectus, Ecclesiam Dei & dictis & factis longè latéque suauiter affecit, & tamquam fidelis & prudens Domini seruus, æternæ vitæ alimonia refecit. Post multos autem exantlatos labores, septimo Idus Nouembris migrauit ad Dominum, conditus in ecclesia quam viuens gubernarat, quam & præsentia corporis sui condecórauit, donec Rhato Argentinensis Episcopus, diuina reuelatione admonitus, sanctissimi viri corpus in locum illum nemoris, quem primò sibi ille delegerat, transferendum curauit, ipséque sibi illic sepulturam elegit. Sed & postea multis miraculis Dominus virtutum fidelem quoque seruum suum Florentium illustrauit.

Migrat ad Christum.

VITA SS. FACVNDI ET PRIMITIVI,

Ex Io. Maldonato Hispano.

VII. NOVEMBRIS.

DVM amens Romanorum principum furor cunctos vbique mortales ad diis exhibenda libamina compellebat, Atticus in Hispaniã prætor missus, sæuitiam plusquam inhumanam in Christianos exercebat. Nam cum in Gallecia conuenire omnes edixisset ad sacrificandum, & Facundus ac Pri-

Atticus in Hispaniã missus Christianorum persequutor.

mitiuus, viri pietate insignes, Gallecij sanguinis, die constituto non adfuissent: vinciri, sibique sisti præcepit. Precibus primo tentantur promissisque, tum minis ac terroribus, sed cùm vtrumque contemnerent, tormentis sunt adhibiti. Quæ viriliter etiam perferentes, gratias agebant Deo, quòd martyrij eos palma dignaretur. Coniecti sunt in carcerem, sed cùm oblatum à prætore blanditias iterum tentante, cibum despicerent, producti, & in caminum ardentem sunt demissi. Diuinitus tamen seruati, incolumes euasère. Præsentaneum propinari eis venenum * Atricus iussit. Quod viri verè fortes accipientes. Et si nobis, inquiunt, hac erat potione abstinendum, signo tamen crucis armati, intrepidi hauriemus. Ita nihil eis nocuit venenum, sed potius reddidit lætiores. Post multa prætereà superata supplicia, quidam ethnicus in media proclamauit turba, duas se videre coronas ab angelis deferri, & capitibus piorum imponi. Quod prętor accipiens, capita, inquit, amputentur, ne sit locus coronis. Lac tamen è plagis cum sanguine simul manasse, summo cunctis miraculo fuit.

SS. Facundi & Primitiui tormenta varia.

** Præsentaneum venenum dicitur quod statim necat.*

DE SS. QVATVOR CORONATIS *martyribus, ex Ordinario nouo.*

VIII. NOVEMBRIS.

SEVERVS, Seuerianus, Carpophorus, & Victorinus fratres, in persecutione Diocletiani, deorum cultum liberè detestantes, plumbatis cæsi, in verberibus vitam pro Christi nomine profuderunt. Quorum corpora canibus obiecta, cùm ab illis intacta diu fuissent, sublata à Christianis, via Lauicana, tertio ab vrbe lapide in arenaria sepeliuntur propè sepulcrum sanctorum Martyrum Claudij, Nicostrati, Symphoriani, Castorij, & Simplicij, qui eodem Imperatore passi erant; quod cùm essent summi sculptores, nullo modo adduci potuerant vt idolorum statuas facerent: & ad Solis simulacrum ducti vt illud venerarentur, numquam commissuros se dixerunt vt adorarent opera manuum hominum. Quam ob rem in carcerem coniecti, cùm ibi multos dies in eodem proposito perstitissent, primùm scorpionibus cæsi, deinde viui plumbeis loculis inclusi, in flumen deiiciuntur. Extstat in vrbe ecclesia sub nomine Sanctorum quatuor Coronatorum; quorum diu ignota nomina, diuinitus postea patefacta sunt: vbi non solùm illorum quatuor, sed etiam horum quin

Patiūtur pro Christo quatuor insignes martyres.

Itē alij quinque eo quòd nollent arte sua sculptoria iuuare idololatriam.

quin

quinque martyrum corpora honorificè sepulta sunt, & eorum festiuitas sexto Idus Nouembris celebratur.

VITA S. VVILLEHADI EPISCOPI *Bremensis, vt est apud R. P. Laurentium Surium.*

VIII. NOVEMBRIS.

VVILLEHADVS vir venerabilis, ex Britannia maiori originē duxit. Qui spiritualibus instructus disciplinis, sacerdotioque initiatus, vbi comperit Frisones hactenus gentilismi erroribus implicatos Christianæ fidei expertere mysteria, magno zelo incitatus, accuratè cœpit perquirere qua possit ratione ad eam gentem peruenire. Atque eo salutis animarum zelo, agente spiritu Dei, indies augescente, accessit ad Regem Anglorum Alachuinum, eique aperuit quo zelo esset incensus, petiuitque eius permissu sibi licere prædicandi verbi vitæ causa ad Frisones proficisci. Et quidem Rex comperta eius sanctissima voluntate, conuocato ad se Episcoporum seruorumque Dei non paruo cætu, de communi omnium sententia & consensu iussit eum adire gentem illam, eique fidenter annunciare verbum Dei. At verò vir Dei gratulabundus accessit ad mare, eoque transmisso venit in Frisiæ locum quendam, quem * Dockinge vocant; vbi iam antè B. Bonifacius fuit martyrio coronatus. Cuius concionibus multi illic fidem edocti, & Christiana religione initiati fuêre. Vnde factum est; vt honorificè illic Vuillehadus exciperetur. Multo verò tempore ibi habitans, docuit ea quæ sunt Dei; ita vt etiam permulti nobiles suos filios ei traderent instituendos, & multi ab errore in viam reuocarentur, & magna infidelium turba eius prædicatione instructa, vndis salutaribus expiaretur.

S. VVillehadi genus.

Magno feruet zelo animarum.

** Dockum*

Venit in Frisiam.

INDE autem proficiscens vir Dei, traiecto flumine Lauinca, venit ad locum quem Huchmarke appellant. Vbi cùm habitatores loci ab idolorum cultura ad verum Deum colendum reuocaret; illi furore perciti, exclamarunt virum tam prophanum prorsus è medio tolli oportere. Nec deerant tamen moderatiores quidam & sanioris consilij, qui more gentis sorte experiendum dicerent, num morte afficiendus esset. Sed, agente diuina prouidentia, sors eum non attigit. Itaque liberam ei fecêre abeundi potestatem. Illis ergo relictis, venit in Drentiam; vbi multi eius prædicatione conuersi,

Magna constantia prædicat apud Huchmarke.

crediderunt in Christum, & baptizati sunt. Porrò discipuli eius, diuino eos impellente amore, idolorum fana demoliri conabantur: sed id barbari molestissimè ferentes, eos trucidare voluerunt. Cæsus tum fustibus est beatus Vuillehadus, & multæ ei plagæ impositæ sunt. Quidam etiam ex illis districto gladio in eum irruit, & caput ei amputare voluit; sed vir sanctus thecam, in qua Sanctorum reliquiæ inerant, ad collum suspensam habebat. Itaque ictus ille in eius caput vibratus, partem quidem ligaminis discidit, sed eum prorsus nihil læsit. Quo miraculo pagani territi, illum cum discipulis illæsum à se dimiserunt.

Nota de reliquiis Sanctorum.

CAETERVM inuictissimus Francorum Rex Carolus, audita eius fama, eum egregiè animauit ad propagandam Christi religionem; veritus ne fractus iniuriis, à prædicando verbo Dei cessaret. Tum verò in Vvigmodiam se conferens, ecclesias illic condidit, & populum salutari prædicatione alacriter erudiuit. Denique anno Christi septingentesimo octogesimoprimo omnes Frisones circumcirca degentes Christianam fidem se complecti velle promiserunt. Sed anno tertio Vvedekindus Saxonum Dux, congregato exercitu, aduersus Carolum Regem rebellauit, Christianosque persequi, & è suis finibus profligare cœpit. Quod vbi comperit vir Dei Vvillehadus, abiit in Vtriustri; vbi & vix imminentem persecutionem euasit. Vnde Romam proficiscens, cùm sanctissimi Pontificis Hadriani consolatione animatus esset, in Franciam lætus rediit: in quo itinere scutella eius lignea confracta, creditur meritis eius redintegrata. Porrò autem, Carolo Francorum Rege iubente, in Vvigmodiam reuersus, Christi fidem publicè & strenuè prædicauit, destructaque templa instaurauit, conatusque eius Domino adiuuante & prosperante, eodem anno Frisones fidem Christi, à qua defecerāt, rursus complexi sunt; atque etiam Vvedekindus ipse, totius mali auctor, Regi Carolo se submittens, baptismi gratiam percepit. Denique Carolus Rex cùm esset Vvormatiæ, seruum Dei Vvillehadum Episcopum consecrari voluit: quod factum est tertio Idus Iulij. Subiecit autem eius parœciæ Vvigmodiam, Haras, Vtriustri, Astergam, Vvangam, & Noerden.

Mouentibus Saxonibus persecutionē in Christianos, cogitur vir sanctus ex illis locis discedere. Proficiscitur Romam.

Ordinatur Episcopus.

ET illic quidem primus Episcopus fuit beatus Vvillehadus: in ipsa autem functione Episcopi admodū piè & religiosè se gessit, virtutūque studia multis modis auxit; atque adeò, cum corporis incommoda valetudine admodum confectus esset;

Viuit in maxima abstinentia.

esset; Hadrianus Pontifex iussit, vt piscibus vesceretur, quibus ob studium abstinentiæ vti non solebat. Nullus autem dies propemodum abiit, quo non sacra Missarum solennia cum magna cordis contritione celebraret, insuper nonnumquam duo vel tria psalteria lectitans: ita nimirum vir beatus doctrinam suam egregiè ornabat, exemplo suo confirmans quod ore prædicabat. Bremæ edificauit templum elegantissimum, dedicauitque illud Calendis Nouembris, Dominico die, in honorem Domini nostri Iesu Christi & beati Petri Apostoli. Atque in ea vrbe Episcopi sedem constituit. Denique cùm vniuersam parœciam suam studio piæ intentionis crebrò perlustrasset, in locum qui * Bleckensee dicitur, peruenit: vbi acri correptus febre, sexto Idus Nouembris in Christi pace obdormiuit. Ad cuius exsequias plebs deuota vndique accurrens, Patrem & Doctorem optimum cum hymnis & laudibus ad Bremensem ecclesiam, quam ipse condiderat, deportarunt, in eaque sacrum corpus eius tumularunt. * Sedit in ecclesia Bremensi post ordinationem suam annos duos, menses tres: prædicauit autem tam Frisis quàm Saxonibus post martyrium S. Bonifacij omnes annos triginta quoque.

** Bleccarre nũc Plexen.*

Obdormit in Domino.

** Surius ex Cranzio.*

VITA S. MARTINI EPISCOPI

Turonensis, ex Seuero Sulpitio, paucissimis in fine adiectis ex Gregorio Turonensi.

XI. NOVEMBRIS.

MARTINVS Sabariæ Pannoniarum oppido oriundus, intra Italiam Ticini altus est, parentibus secundùm seculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen. Pater eius miles primùm, pòst Tribunus militum fuit. Ipse armatam militiam in adolescentia secutus, inter scholares alas sub Rege Constantio, deinde sub Iuliano Cæsare militauit, non tamen sponte, quia à primis ferè annis diuinam potiùs seruitutem sacra illustris pueri spirauit infantia. Nam cùm esset annorum decem, inuitis parentibus ad ecclesiam confugit, seque catechumenum fieri postulauit. Mox mirum in modum totus in Dei opere conuersus, cùm esset annorum duodecim, eremum concupiuit; fecissetque votis satis, si ætatis infirmitas non obstitisset. Animo tamen aut circa monasteria, aut circa ecclesias semper intentus, meditabatur in ætate puerili, quod postea deuotus impleuit. Sed cùm edictum

S. Martini natales.

Annos natus decem, inuitis parentibus fit catechumenus.

esset à Regibus, vt veteranorum filij ad militiam scriberentur, prodente patre, qui felicibus eius actibus inuidebat, cùm esset annorum quindecim, raptus & catenatus, sacramentis militaribus est implicatus.

Fit miles.

VBI cùm quodam tempore obuium habuisset in porta Ambianensium ciuitatis pauperem nudum, cùm nihil præter chlamydem, qua indutus erat, haberet (iam enim reliqua in opus simile consumpserat) arrepto ferro quo erat accinctus, mediam diuidit, partemque eius pauperi tribuit, reliqua rursus induitur. Tum verò nocte insecuta vidit Christum chlamydis suæ, qua pauperem texerat, parte vestitum. Sed & mox ad Angelorum circumstantium multitudinem dicentem audiuit: Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. Inde cùm esset annorum duodeuiginti, ad baptismum conuolauit: ac non multo pòst relicta militia, ad S. Hilarium Pictauiæ Episcopum ciuitatis, cuius tunc in Dei rebus spectata & cognita fides habebatur, expetiuit, & aliquamdiu apud eum commoratus est. Vbi cùm admonitus esset per soporem, vt patriam, parentesque, quos adhuc gentilitas detinebat, religiosa solicitudine visitaret, vt voluntate S. Hilarij profectus est; contestatus Fratres, multa se aduersa passurum: quod sanè postea probauit euentus. Nam mox cùm Mediolanum præterisset, diabolus in itinere, humana specie assumpta, se ei obuiam tulit, terribiliter contestans se ei quocumque iret, vel quæcumque tentaret, apertè aduersaturum. Sed prophetica voce Martinus respondit: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo; atque ita statim è conspectu eius inimicus euanuit. Quin verò etiam vti animo conceperat, patre in malis perseuerante, matrem gentilitatis absoluit errore, ac plures suo saluauit exemplo.

Diuidit suã vestem mediam, vt det pauperi, Apparet ei Christus eadē veste indutus.

Relicta militia, venit ad S. Hilarium.

Minatur diabolus se ipsi semper aduersaturum.

DEINDE cùm hæresis Arriana per totum orbem, & maximè intra Illyricum pullulasset, cùm aduersus perfidiam sacerdotum solus penè acerrimè repugnaret, multisque suppliciis esset affectus (nam & publicè virgis cæsus est, & ad extremum de ciuitate quoque exire compulsus) Italiam repetens, cùm intra Gallias quoque discessu S. Hilarij, quē ad exsilium hæreticorũ vis coëgerat, turbatam Ecclesiã comperisset; Mediolani sibi monasterium statuit. Ibi quoque eum Auxentius, auctor & princeps Arrianorum grauissimè insectatus est; multisque affectũ iniuriis, de ciuitate exturbauit. Cedendũ itaque tempori arbitratus, ad Insulam Gallinariam nomine secessit, comite

Decertat fortiter contra Arrianos.

Statuit sibi monasterium Mediolani.

comite quodam Presbytero, magnarum virtutum viro. Hic aliquamdiu radicibus vixit herbarum. Nec multo pòst, cùm sancto Hilario comperisset Regis pœnitentia potestatem indultam fuisse redeundi, Romæ ei tentauit occurrere. Qui cùm præteriisset, ita eum est vestigiis prosecutus, vt ab eo grauissimè susceptus, haud longè sibi ab oppido monasterium collocauerit. At verò intereà ad Episcopatum Turonicæ petebatur ecclesiæ: vbi cum erui à monasterio suo non facilè posset, Ruricius quidam vnus è ciuibus, vxoris languore simulato, ad genua illius prouolutus, vt egrederetur obtinuit: sicque dispositis iam in itinere ciuium turbis, sub quadam custodia ad ciuitatem vsque deducitur. Iam verò sumpto Episcopatu, qualem se quamtumque præstiterit, non est nostræ facultatis euoluere: idem enim constantissimè perseuerabat, qui priùs fuerat.

Redit in Gallias.

Rapitur ad Episcopatum Turonensem.

EADEM in corde eius humilitas, eadē in vestitu eius vilitas erat. Atq; ita plenus auctoritatis & gratiæ, implebat Episcopi dignitatem, vt non tamen propositum monachi, virtutemque desereret. Aliquamdiu ergo adhærenti ad ecclesiam cellula vsus est. Deinde verò cùm inquietudinem se frequentantium ferre non posset, duobus ferè extra ciuitatē millibus monasterium sibi statuit, vbi ex lignis contextam cellulā habebat, multique ex Fratribus in eundem modum. Plerique quoque superiecti montis cauato receptacula sibi fecerant. Discipuli verò octoginta erant, qui ad exemplum beati magistri instituebantur. Nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur. Rarus cuiquam extra cellulam suam egressus, nisi cùm ad locum orationis conueniebant. Cibum vnà omnes post horam ieiunij accipiebant. Vinum nemo nouerat, nisi quem infirmitas coēgisset. Plerique camelorū setis vestiebantur: mollior ibi habitus pro crimine erat. Quod eo magis sit mirum necesse est, quòd multi inter eos nobiles habebantur, qui longè aliter educati, ad hanc se humilitatem & patientiam coegerāt, pluresque ex his postea Episcopos vidimus. Præterea etiam ante Martinum pauci admodum, imò penè nulli in iis regionibus Christi nomen receperant. Quod adeò virtutibus illius exemploque conualuit, vt iam ibi nullus locus sit, qui non aut ecclesiis frequentissimis, aut monasteriis sit repletus. Nam vbi fana destruxerat, statim ibi aut monasteria construebat.

Construit monasterium ad secundū milliare extra ciuitatem.

Notat insignē disciplinam monasticam.

Ante S. Martinū pauci ferè erant in illis locis Christiani.

HIC sanè vir beatus cùm aliquando ad Imperatorem

Maxi

Maximum ad conuiuium venisset, mirum in modum gaudente Rege quòd id impetrasset, atque ad medium ferè cõuiuium (vt moris est) pateram Regi minister obtulisset, illeque sancto Episcopo dari potiùs iuberet, expectans atque ambiens, vt ab illius dextera poculum sumeret, Martinus vbi ebibit, pateram Presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se prior biberet. Quod factum Imperator omnesque qui aderant, ita admirati sunt, vt hoc ipsum eis, in quo contempti fuerant, placeret, celeberrimumque per totum palatium factum est, fecisse Martinum in Regis prãdio, quod in infimorum iudicum conuiuiis Episcoporum nemo fecisset. Cõstat autem etiam Angelos ab eo plerumque visos, ita vt cõserto inuicem apud eum sermone loquerentur. Diabolum verò ita conspicabilem & subiectum oculis habebat, vt siue se in propria substantia contineret, siue in diuersas figuras, specialesque nequitias transtulisset, qualibet ab eo sub imagine videretur. Quod cùm diabolus sciret se effugere non posse, conuitiis eum frequenter vrgebat, quia fallere non posset insidiis. Iam verò in verbis & confabulatione eius quanta grauitas, quanta dignitas erat? quàm alacer, quàm efficax, quàm in absoluendis scripturarum quæstionibus promptus & facilis! Quamquam in Martini virtutibus quantula est ista laudatio? nisi quòd mirum est homini illiterato ne hanc quidem gratiam defuisse.

En dignitatem presbyteralem.

Angeli familiariter cum eo colloquuntur.

Absolutissimus est in soluendis quæstionibus sacræ scripturæ.

NEMO vmquam illum vidit iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem: vnus idemque semper cælestem quodammodo lætitiam vultu præferens. Numquam in illius ore, nisi Christus, numquam in illius corde, nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia. Ante Episcopatum duos mortuos vitæ restituit, in Episcopatu vnum. Sed & quodam tempore cùm Valentinianus Imperator assurgere ei dedignaretur, igne Regem sellam operiente, afflantéque incendio, vel inuitus ei assurrexit. Porrò Martinus obitum suũ longè antè præsciuit, dixitque fratribus, dissolutionem sui corporis imminere, cùm interim causa exstitit qua Condatẽsem diœcesim visitaret. Vbi cũ aliquamdiu esset commoratus, iamque regredi ad monasterium cogitaret, ecce viribus corporis cœpit repentè destitui. Tũ verò mœror & luctus omnium, vox vna plangentium: Cur, inquiunt, nos Pater deseris? aut cui nos desolatus relinquis? inuadẽt enim gregem tuum lupi rapaces. Scimus quidem desiderare te Christum, sed salua tibi sunt tua præmia, nec dilata minuẽt

Aliquot insigniar eius miracula.

Aegrotat.

minuentur: nostri potius miserere quos deseris. Tum ille motus his fletibus, Domine, inquit, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.

O virû virum ineffabilem nimirum nec labore victũ, nec morte vincendum.

SED & cùm iam per aliquot dies vi febrium teneretur, nobili strato suo in cinere & cilicio recubans, ac propterea à discipulis rogaretur vt saltem vilia sibi sineret stramenta supponi: Non decet, inquit, filij, Christianum nisi in cinere mori. Ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccaui. Insuper oculis ac manibus in cælum semper intentus, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Qui cùm à Presbyteris, qui tunc ad eum confluxerant, rogaretur, vt corpusculum lateris mutatione releuaret, Sinite, inquit, sinite me, fratres cælum potius respicere quàm terram: vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. Quæ locutus, diabolũ vidit propè assistere. Tum verò fiducia plenus: Quid hîc, inquit, adstas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies, Abrahæ me sinus recipiet. * Qua in voce, Archadio & Honorio imperantibus, plenus virtutibus & sanctitate, præbẽs infirmis multa beneficia, octogesimo primo ætatis suæ anno, Episcopatus autem vigesimo sexto feliciter migrauit ad Christum. Quo tempore Angelos diuinas laudes canentes beatus Seuerinus Coloniensis Episcopus audiuit, & sanctus etiam Ambrosius eodẽ tempore ad altare arctiori somno correptus, ac post tertiam horam excitatus, Scitote, inquit, fratrem meum Martinum exisse de corpore, meque eius funeri piam operam dedisse.

Nota aliquot eius insignia dicta.

Magna fiducia increpat diabolum sibi adstantem.

Greg. Turon.

Interfuit in spiritu eius exsequiis S. Ambrosius, & S. Seuerinus.

VITA S. CVNIBERTI EPISCOPI COLOniensis, *ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium.*

XII. NOVEMBRIS.

GLORIOSAM sancti Cuniberti memoriam piis venerari affectibus, & magnis frequenter extollere laudibus cùm decentissimum, tum saluberrimũ esse, nemo ferè est qui nesciat. Hic adhuc puer sinistrum ramum Pythagoricæ litteræ prius omnino per animi virtutem satagebat effugere, quàm ad eiusdem biuium per ætatem corporis posset adscendere. Nimirum dum pater eius Crallo nomine, clarus prouinciæ Mosellensis indigena, eum Dagoberto magno Fancorum Regi nutriendum simul & prouehendum, illectus familiaritate regia, commendasset, ipse mirũ in modum non tantum ab illicitis omnibus, verum etiam multoties à licitis

S. Cunibertus educatur in aula Regis Dagoberti.

licitis quibuslibet vitam liberam, & quasi solitariam duxit, imitatus videlicet maternæ pietatis ingenium, quod ab ipsis cunabulis simul cum infantiæ lacte sedulò potare consueuerat. Regina ea vocabatur. De cuius vita & studio nō est opus interim plura reuoluere: quid enim egerit, quóve studio erga cultum Dei desudauerit, testatur populus ciuium Mosellensium, qui & corpus eius venerabiliter in ecclesia conditum seruat, eiusdémque patrocinia semper expetendo, & sæpè promerendo frequentat. Itaque puer Deo deditus in regali palatio scholæ virtutum inuigilabat, & subiectus Regi quasi præcellenti, Dominum timebat, Regem honorificabat, ac se spontanea necessitate constringens, quo difficilius laborandum esse videret in deputato sibi onere, eo delectabiliùs & efficaciùs illud præ cæteris suis coæmulis festinabat arripere. Erat namque mansuetus, & patiens, ac in omni honestate, vtilitate, & probitate docilis.

Nota de eius psima morte.

QVIN non contentus Regi solūmodo & maioribus iuxta personæ suæ congruentiam deseruire, in tantam etiam sæpè vilitatem semetipsum detrudere conabatur, vt etiam seruorum vice calceamenta detrahere soleret, atq; mundare. A quo primo exercitij gradu cùm vellet illum Dominus ad altiora virtutum incrementa conscendere, reuelare quoque dignatus est Regi, quanti apud ipsum meriti puerilis illa simplicitas haberetur. Quadam denique nocte dū peruigil Rex in lecto quiesceret, vidit subitò locum illum vbi sanctus puer soporis gratia membra fessa composuit, magnifico lumine resplēdere. Exinde verò in processu tēporis beatus Cunibertus apprimè literis eruditus, ascensiones quoque in corde dispositas, profectu quotidiano cucurrit. Et mox quidem, Ecclesiasticos per ordinem ascendendo gradus, coactus quidem, retinente vi humilitatis, dignissimus tamen obtinuit: quos & excellentibus illustrauit meritis, & congruentibus adornare curauit obsequiis. Deinde autem auctus benedictione celesti, de virtute in virtutem feruidus in dilectione Domini properabat, donec raptus ab Archiepiscopo Treuirorum, Archidiaconatus officio sublimatus est. Vbi mirum in modum totus in Dei opere conuersatus, nihil sibi exhausti satis esse credebat, vitæque iam huius exosus, his tantùm quos lucrifacere conabatur, spiritum suum inuictum à quolibet seruabat.

Viuit adolescens clarus omni probitate & humilitate.

Videt circa eum Rex cœleste quoddā lumen.

Fit Archidiaconus Treuirensis.

DENIQVE paucis postmodum elapsis annorum curriculis, clerus & populus Agrippinæ Coloniæ pastore proprio destitu

destitutus, virũ Domini Cunibertum iam in opere Dei exercitatum, vt sibi præesse deberet, cùm vocibus, tum precibus implorauit. Nec difficilis erat ista congestio de eo qui præsagiebatur, quem & Rex olim anxia exspectatione promouere quærebat, & omnis tripartitæ Galliæ populus dignissimum, & verè plebi Dei necessarium prædicabat. Sola in eo repugnauit humilitas, donec tandem, conuenientibus in vnum plebis destitutæ maioribus, maximoque Sacerdotum, & aliorum Principum cœtu, ad eorum auxilium animis opibusque parato, fortissimum viri Dei pectus charitati tantùm cedere solitum, à propositi sui duritia emollitum est: sicque nutu Dei, Remedio Episcopo Coloniæ successor ellectus septimo Calendas Octobris gradum Episcopalis benedictionis adscendit. Ex quo tempore iam se talem tantumque cunctis exhibuit, vt nostra hoc facultas nequaquam possit euoluere, ne videamur maxima verbis vilioribus extenuere. Attamen de omnibus placet referre miraculum, quod in maximo sacerdotalis officij Sacramento, Dominus quasi speciale perfectionis eius indicium dare dignatus est.

Succedit Remedio Episco Coloniẽsi.

QVADAM die, dum singulare redemptionis nostræ mysterium, & solum infirmitatis nostæ remedium pleniùs Deo super mensam Dominicam in basilica Sanctarum Virginum immolaret: adstans clerus & populus, vidit columbam splendidissimam primùm hàc, & illac, per omnem ecclesiam circumuolitando vagari, deinde Pontificis insidere capiti: mox inde reuersam, & iuxta tumulum cuiusdam virginis, stupentibus simul & mirantibus vniuersis qui aderant, ab omnium oculis elapsam. Vnde & acclamatum est confestim ab omnibus, verè dignum hunc esse qui ministraret Domino. Dixerat siquidem Dominus, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Vnde & hæc glorificatio, cùm semper huius sancti Pontificis bona opera subsecuta est, tum maximè, quando omnis plebs quæ vidit, dedit laudem Deo. Nec enim Antistitem suum in Domino postea laudare trepidauit, quippe quæ per hoc prodigium iam fuisset secura illius interminationis, qua dicitur: Ne laudes hominem in vita sua. Ipse autem in omnibus his, clauso ostio, ne quid humanæ laudi concederetur, intra cubiculum cordis sui laudabat & glorificabat eum, à quo bona cuncta profluere nouerat. Ac denique completis feliciter quadraginta villicationis suæ annis

Intelligũtur vndecim millia virginum.

Omnibus videntibus, insidat in eius caput columba. Matth. 5.

Eccles. 11.

annis, pridie Iduum Nouembris perueniens ad diem lucis huius extremum, Creatori suo ditandum bonis omnibus reddidit spiritum: Corpusque eius positum est cum magna gloria in ecclesia S. Clementis, quam ipse construxerat.

Transit feliciter.

DE S. LIVINO ARCHIEPISCOPO
& Martyre, ex Breuiario ecclesiæ Gandensis.
XII. NOVEMBRIS.

S. Liuini genus & prima educatio.

LIVINUS in Scotia nobili genere natus, admodum adhuc puer non modò suprà ætatem eximia pietate conspicuus, verùm etiam miraculis clarus fuit. Adultæ ætatis factus, præceptoribus vsus est primùm egregio Dei Sacerdote Benigno, deinde susceptore suo è sacro fonte magno illo Augustino, Anglorum primo Episcopo. A quo tandem etiam sacro sacerdotij ordine decoratus, tanta cum laude eo in statu versatus est, vt eũ Scoti haud multo pòst in Archiepiscopum suum eligere non dubitauerint. Quod munus tametsi Rege populoque cópellente susceperit, & magno cum fructu annos aliquot administrarit, postea tamen maluit infidelibus ad Christum conuertendis operam dare (ad quam rem mira Spiritus sancti gratia præditus erat) quàm scilicet in Episcopatu suo vni tantùm prouinciæ quietiùs & minori cũ labore præesse. Itaque relicto in Scotia, loco suo, magnæ sanctitatis & virtutis Siluano Archidiacono, ipse Euangelij plantandi causa tribus cum discipulis Foillano, Helia, & Kiliano, Oceano traiecto, deuenit in Franciam: vbi & ingressus cœnobium Gandense, à beato Amando Episcopo tunc recèns exstructũ, humaniter à Florberto Abbate, Fratribusque exceptus est, anno incarnationis Dominicæ sexcentesimo trigesimo tertio decimo septimo Calendas Augusti.

Relicta patria, venit cũ tribus discipulis in Galliam.

En quãti vir tantus fecerit S. Bauonem.

QVIN etiam cum beatum Bauonem, triennio iam defunctum, magnis coruscantem miraculis inueniret, memoriam viri celeberrimam, & præsentia sanctitatis testimonia admiratus, triginta continuos dies super eius sepulchrum Missarum solennia celebrauit; sui, illi multis precibus, & monasterij Gandensis curam commendans. Postea autem inde prædicationis causa profectus, innumeros ad Christi fidem verbo, exemplo, magnisque adiunctis miraculis, conuertebat. Sed virtutem vmbra sua statim inuidia sequitur. Homines enim impij, quibus Christus & pietas omnis erat exosa, animaduerten

Multos conuertit sua prædicatione ad Christum

uertentes sanctum Episcopum tantam hominum multitudinem ad nouam religionem, erroribus pristinis, vitiisque spretis adducere, atque adeò sui ipsorum prauis cupiditatibus non parum obsistere, miris modis eum persequebantur. Nec omnino destiterunt, donec linguam eius extractam canibus deuorandam proiicerent (quæ tamen illi mox fuit miraculo restituta) ac tandem apud Hescham Flandriæ vicum, multis vulneribus saucium etiam obtruncarent, anno antè memorato pridie Idus Nouembris. *Ab impiis crudelissimè perimitur.*

Qvo eodem loco nobilem quoque & religiosam matronam, Craphaildem, Leuini hospitam, vnà cum filiolo eius Brixio, quem Liuinus de sacro fonte susceperat, cùm palàm quererentur immeritò interfectum esse sanctum Episcopum, immaniter trucidarunt. Quo facto, discipuli beati Martyris collectum eius corpus, simul cum beati Brixij corpusculo, vno eodemque in loculo in Hauthem vicino pago decenter sepelierunt, ac iuxta eos seorsum sanctam martyrem Craphaildem: Vbi anno partæ redemptionis octingentesimo quadragesimo secundo, iam dudum coruscantibus miraculis, sanctorum Liuini & Brixij corpora omni cum reuerentia & gaudio è terra sustulit, & loco celebriori decenter collocauit Theodoricus Episcopus Cameracensis. Ad laudem & gloriam Dei immortalis. *Eleuatur honorifice eius sacrũ corpus.*

VITA S. LEBVINI PRESBYTERI,

ex ea quæ est per Hucbaldum Monachum Elnonensem.

XII. NOVEMBRIS.

SANCTVS Lebuinus ex Anglorũ patria oriundus, ab ipsis, quoq; pueritiæ crepundiis, exercitiis Deũ colendi deditus fuit. Qui sicut ab ineunte ætate toto conamine prosecutus est virtutis vias; ita vir factus, fuit magnæ abstinẽtiæ, sibi parcus, egenis largus, ore serenus, corpore castus, lectionibus sacris, vigiliis & orationibus indesinenter intentus, sermone iucundus, qualitate morum sobrius, omnique bonitate præditus. Quibus pollens virtutibus, singulis sensim, secundũ instituta Canonica, dignitatis Ecclesiasticæ cõscensis gradibus, eligitur tandem ad officium Presbyteratus. Denique vt non solùm cum Apostolis, sed & cum Patriarchis digna foret operis communio, ipsius summi Patriarchæ Abrahæ proponitur imitatio. *S. Lebuinus mox ab ipsis crepũdiis vixit sãctissimè.*

Genes. 12. imitatio. Nam quomodo illi præceptum est à Deo, Exi de terra & cognatione tua, & veni in terram quam tibi monstrauero, sicque ille protinus Dei paruit imperio: ita & iste vir venerabilis hoc audito, ac veluti sibi specialiter delegato, ad exemplum beati Patriarchæ huic irrefragabiliter inhærens edicto, posthabita insula Anglorum, euectione nauali Traiectum petiit, castrum Vviltenburg antiquitus dictum.

Vir factus, relicta patria, pro lucro animarum venit Vltraiectum.

V B I reperiens quendam venerabilem virum nomine Gregorium, ex nobili Francorum sanguine procreatum, à beato Bonifacio Archiepiscopo olim à pueritia enutritum, gradu Ecclesiastico Presbyterum, sed tunc pro tempore Episcopalis officij in eodem castro, vel etiam parochia Vicarium, exposuit ei omnem suæ peregrinationis textum. Cui cùm etiam retulisset quid secundum Dei voluntatem gereret animo, ille gauisus in Domino, animatum consilio & fotum auxilio, direxit eum ad locum sibi diuinitus demonstratum secus Iselam fluuium, vt fieret velut quidam limes certissimus atque fortissimus in Francorum Saxonumque confinio, vt sicut lapis mediastinus vice lapidis illius viui & summi, angularis positus, & ipse duos in vnam reciperet fidem populos venientes ex diuerso. Sed & adhibuit quoque illi Abbas Gregorius socium quendam venerabilem virum ex discipulis sancti Præsulis Vvillibrordi, nomine Marcellinum. Cum quo veniens vir Dei ad præmonstratum sibi locum à Deo, vsus est aliquamdiu viduæ cuiusdam, quæ Abachilda vocabatur, hospitio; & nihil veritus animositatem gentis, insudabat quotidie Euangelicæ prædicationi, instantiùs ostendens, quòd neglecto Deo viuo & vero, vanis & per omnia superfluis inseruirent idolorum cultibus, ita vt salutaribus eius monitis edocti crediderint, quotquot ad æternam vitam erant præordinati. Quorum etiam sumptu compactum est primò oratoriolum in loco Vvilpa vocitato, versus Occidentalem Iselæ fluminis oram.

Dirigitur à venerabili Gregorio Traiectẽsiũ Prae-episcopo Transisulanos.

Prædicat ibidem felici successu.

N E C multo pòst, accrescente sensim numero fidelium, aliud maius versus Orientalem eiusdem fluminis partem ei construxerunt oratorium, & iuxta illud eius habitationi congruam domum: vbi sanctus Domini quotidiana vigiliarum ac Missarum Domino vota persoluebat, & confluentes ad se, verbi diuini pane cibabat, cunctisque se cernentibus gratiosum vultu, verbis, ac moribus exhibebat: vnde & quampluribus eorum etiam nobilioribus speciali affectione charus erat.

Irruũt in eũ quidã scelesti,

At verò

At verò interea hostis antiquus contra eum suos satellites excitat. Conglomerantur furioso murmure, appropiant, irruunt,& ecce apposito igne, ecclesiæ domum concremant; & quoscumque Christianos ibidem reperiunt, ab eodem loco insectando longiùs proturbant. Sed Dominus qui custodit omnes diligentes se, famulum suum ab eorum insectatione eripuit, atque ad multorum salutem illæsum custodiuit. Sed neque deinde beatus vir illorum territus sæuitia, ab euangelizandi cessauit instantia,sed vt fortis athleta, sumpto fidei scuto, & salutis galea,ad iterum rediuiua atque fortiora etiam se præparauit discrimina. *atque adeo comburũt ecclesiam ab eo exstructam.*

STATVTO tempore anni, ex singulis illius regionis pagis singulatim viri duodecim electi,& in vnum collecti, in media Saxonia secus flumen Vviseram,& locum Marcklo nuncupatum exercebant generale Concilium. Aderat dies constitutus; aderant quorum intererat, adest & bonus miles Lebuinus, & quidem clericali schemate insignitus, tum & Crucis signum præferens manibus, simul & Euangelium Christi. Fit concio, nimirum multitudine ex diuersis partibus coacta, & quidem primò illi numinibus suis vota soluunt ac sacrificia. Quod cernens agi sacrilegum Lebuinus, zelo zelatus pro Domino: vt olim Elias Propheta, in media illorum mox prorumpit agmina,& ex improuiso vociferans, Audite, inquit, omnes, audite me,& non tantum me, quantum eum qui loquitur vobis per me. Mandata illius vobis perfero, cuius omnia sunt imperio atque iudicio subiecta. Auscultate, attendite, & scitote quia Dominus creator cæli & terræ, maris, & omnium quæ in eis sunt, ipse solus vnus & verus est Deus. Ipse fecit nos, & non ipsi nos,neque est alius præter eum. Simulacra quæ Deos esse putatis,quæque à diabolo decepti venerando colitis, non viuunt, non mouentur, neque sentiunt: opera enim hominum sunt,nec cuiquam alij,nec sibi possunt auxiliari. *En antiquũ morem Comitiorum.* *Pro fide obijcit se vir sanctus maximo periculo.* *Sapiëtissimè ostendit stultitiã idololatrarum.*

QVAE & alia his similia eo præconante, illi dæmoniaco bacchantes spiritu, pleni furoris & insaniæ perstrepunt vndique clamore confuso: En adest seductor ille, sacrorum nostrorum, & totius inimicus patriæ: æquum est vt debitas sumat suo sanguine pœnas. Tum verò ex proximis sepibus palos rapiunt, detruncant & exacuunt, vt, veluti fieri solet lapidibus,sic eum illis sudibus perimerent. Sed taliter inardescente contra virum sanctum furore malignantium, Deus suorum protector fidelium, protexit illum sub velamento alarum suarum. *Parant impij vt ipsum quibusdam sudibus perimant, sed frustra.*

suarum. Denique, sicut ipse Dominus Iesus olim à perfidis Iudæis ad supercilium montis ad præcipitandum perductus, suæ virtutis potentia, transiens per medium illorum, ibat illæsus: sic & iste famulus suus eiusdem Domini sui munimine circumseptus, per medium se necare cupientium & ipse transiit intactus. Videns verò sanctus & humilis corde Lebuinus se non posse assequi quem summopere desiderabat martyrij fructum, nihil tamen ob hoc segniùs iniunctum sibi à Deo sui Apostolatus administrabat officium. Quo factum est, vt sermo ipsius audientes mirabiliter in fide & opere ædificaret, & ad feruorem sanctæ charitatis inflammaret, maximè quia quod ore monebat, ipse simul opere exercebat.

Dolet vir sanctus quod non possit esse martyr.

POST innumera autem ab ipso patrata sanctarum virtutum documenta pariter & exempla, cùm nullius penè temporis interpolarent spatia, quibus aut sui, aut simul aliorum profectus non quæreret emolumenta, ecce exemplificati viri sanctissimi in totius sacræ religionis gratia relaxantur artus, expediuntur latebræ animæque difficiles moræ: atque illa tandem reseratis sibi claustrorum ianuis, exsilit alacris, ac luce clariùs micantibus iungitur cælicolarum turmis, pridie Idus Nouembris. Porrò pura ac munda corporis eius vrna, in qua reposita fuerat felix anima, quæ multos cibauerat, velut cęlesti manna, humo reconditur cum debita honorificentia in ecclesia portus Dauentriensis.

Obdormit in pace.

VITA S. BRICTII EPISCOPI TVRO- *nensis, ex D. Gregorio, eiusdem loci Episcopo.*

Hist. Franc. lib. 8.

XIII. NOVEMBRIS.

POST excessum beati Martini Turonicæ ciuitatis Episcopi, summi & incōparabilis viri, de cuius virtutibus magna apud nos volumina retinentur, Brictius ad Episcopatum successit. Et quidem hic Brictius, cùm esset primæuæ ætatis iuuenis, sancto adhuc Martino viuenti in corpore multas tendebat insidias, idque propterea quòd ab eodem plerumque, cur vanas res sequeretur, arguebatur. Vnde & quadam die, dum quidam infirmus medicinam à beato Martino expeteret, Brictiū adhuc Diaconum in platea conuenit. Et quidem ille simpliciter ait: Ecce ego præstolor beatum virum, & nescio vbi sit, vel quid operis agat. Cui Brictius: Si, inquit, delirum illum quæris, prospice eminus: ecce cælum solito sicut amens respicit. Vnde

Notent diligenter adolescentes.

Brictius adhuc iuuenis irridet sanctitatem S. Martini.

cum

cum pauper ille à B. Martino, quod petierat, impetrasset, Brictium Diaconum vir beatus ita alloquitur, Num ego, Bricti, delirus tibi videor? Cumque ille confusus, hæc audiens, dixisse se denegaret, ait vir sanctus: Nonne aures meæ ad os tuum erant, cum hæc eminus loquebaris? Amen dico tibi quia obtinui apud Deum, vt post me ad Pontificatus honorem accedas. Sed noueris te in Episcopatu multa aduersa passurum. Sed Brictius æquè hæc audiens: Nonne verum, inquit, dixi, istum delira verba proferre? Quin & presbyterij quoque honore præditus, sæpiùs beatum virum conuiciis lacessiuit.

Prædicit ipsi S. Martinus, ipsum multa adhuc propterea passurum.

DENIQVE adeptus consentientibus ciuibus Pontificatus officium, orationi vacat, sic etiam, vt quamquam esset superbus & vanus, castus tamen haberetur corpore; cum tandem trigesimo tertio ordinationis eius anno oritur contra eum lamentabilis causa pro crimine. Nam mulier ad quam cubicularij eius vestimenta deferebant abluenda, quæ sub specie religionis erat, veste mutata, concepit & peperit. Qua de re surrexit omnis populus Turonorum in ira, atque adeò totum crimen super Episcopum referunt, volentes eum vnanimiter lapidare. Dicebant enim ei: Hactenus pietas sancti tuam celauit luxuriam: sed nunc deinceps non Deus sinat, manus tuas indignas osculando nos pollui. Illo quoque è contrario viriliter hæc negante, Afferte, inquit, infantem ad me. Cumque oblatus fuisset infans, triginta dies ab ortu habens, ait ad eum Episcopus: Adiuro te per Iesum Christum filium Dei omnipotentis, vt si ego generaui te, coram cunctis edicas. Et ille: Non es, inquit, tu pater meus.

Factus Episcopus, infamatur de fornicatione.

POPVLIS autem rogantibus, vt quis esset pater, interrogaret, ait Sacerdos: Nō est hoc meum. Quod ad me pertinuit, sollicitus fui: vobis si aliquid suppetit, per vos requirite. Tunc illi magicis artibus hæc facta asseuerantes, insurgunt contra eum in vna conspiratione; & trahentes eum dicebant: Non diutiùs nobis falso pastoris nomine dominaberis. Ille autem ad satisfaciendum adhuc populo, prunas rursum ardentes in birrum suum posuit. Et ad se stringens vsque ad sepulcrum B. Martini, vnà cum populorum turbis accedit; proiectisque ante sepulcrum prunis, vestimentum inustum apparuit, illo sic prosequente: Sicut istud vestimentum ab his ignibus videris illæsum, sic & corpus meum à tactu mulieris est impollutum. Illis verò non credentibus, sed contradicentibus, trahitur, calumniatur, eiicitur, vt sermo sancti adimpleretur:

Loquitur pro eius innocentia infans recens natus, sed nihil tamen ob id minus furit in eum populus.

Tandem ignominiose è sua sede pellitur.

impleretur: Noueris te in Episcopatu multa aduersa passurum. Quo eiecto, Iustinianum in Episcopum constituunt, atque interim Brictius Romanæ vrbis Papam expetiit, flens, eiulans, atque dicens: Meritò hæc patior, quia peccaui in sanctum Dei, & eum delirum & amentem sæpè vocaui, atque etiam videns virtutes, non credidi.

TVRONICI autem post eius discessum aiunt Sacerdoti suo. Vade post eum, & exerce negotium tuum: quia si eum non persecutus fueris, ad nostrum omnium contemptum humiliaberis. Sed Iustinianus egressus Turonis, Vercellas Italiæ ciuitatem ingressus, ibi obiit peregrinus. Cuius obitum Turonici audientes, etiam Armentium in eius loco constituunt. At verò Brictius ad sedem Apostolicam residens, plerumque Missarum solennia corde contrito celebrauit, ibique quicquid in sanctum Dei deliquerat, amarè defleuit; donec septimo anno egressus Roma cum auctoritate Papæ, Turones redire disposuit: & veniens ad vicum cui nomen est Laudiaco, sexto ab vrbe Turonica milliario, mansionem accepit. Atque interim Armentius febre corripitur, & media nocte spiritum exhalauit. Quod & protinus Brictio Episcopo per visum reuelatum est. Qui deinde ait suis: Surgite velociùs, vt ad tumulandum fratrem nostrum Turonicum Pontificem occurramus. Qui cùm venientes, portam ciuitatis ingrederentur, ecce istum per aliam portam mortuum efferebant. Quo sepulto, Brictius Episcopus rursum in cathedram suam regressus est, & septem feliciter postea vixit annos: eique tandem post quadraginta septem Episcopatus sui annos defuncto, sanctus Eustochius successit, vir magnificæ sanctitatis.

Luget Roma peccata sua.

Post pœnitentiam septem annorum restituitur in suam sedem.

VITA S. MAXELLENDIS VIRGINIS

Martyris, ex ea quæ est apud R. P. Laur. Surium.

XIII. NOVEMBRIS.

S. Maxellendis patria & parentes

TEMPORE illo quo sanctus Vindicianus à sancto Vedasto octauus Cameracensi seu Atrebatensi ecclesiæ præsidebat, sancta Maxellendis in eadem Cameracensi prouincia inclytis admodùm parentibus, & generis nobilitate, & spectata religione claris, patre Humlino, matre Ameltrude orta est feliciter, sed feliciùs renata. Inde parentum cura diligenter enutrita, cùm iam adoleuisset, non, vt solet puellaris ætas, vanis adolescentularum conuenticulis & confabulationibus

sese

ſeſe admiſcebat, nec lubricis implicabat moribus, ſed toto animo diuino ſe timori mancipans, quantum iuuentus ipſa patiebatur, præcepta Euangelica intra pectoris ſui penetralia complectebatur. Studio & cultui precioſarum veſtium nullo modo vacare voluit, meliorem illam animi pulchritudinem expetens, vt ei cui ſe vouerat, per omnia placeret. Quin & fama illius & in propinquas & longinquas regiones ſeſe diffundente, multi eam à patre illius ſibi coniugem petiêre. Sed ſciens ille filiam à coniugio abhorrere, eorum preces differebat. Erat in ijs nobilis quidam infauſtus Harduinus nomine: qui vt erat potentior cæteris, ita confidentiùs Humlinum & promiſſis & precibus ad aſſentiendum impellebat: nec priùs deſtitit quàm voto eſſet potitus ſuo; ſicque cum certus eſſet ſponſaliis præſtitutus dies, lætus abſceſſit. Sed factum eſt id puella ignorante.

Contemnit omnem ornatum mundanum.

Inuita deſpondetur cuidam Harduino.

IAM verò aderat ſponſaliorum dies, & Harduinus vltra modum nuptiis inhians, cum multa amicorum turba aduolat. Itaque & Humlinus licet in magnas coniectus anguſtias, virginem admodum reluctantem ſecum abducit, ad locum contrahendo matrimonio deſtinatum. Vbi quantum ſe & dictis & factis virgo oppoſuerit, vix explicari verbis poſſit. Iã enim quodammodo præſentiens imminere ſibi cædem, ſic coram omnibus conſtanter & intrepidè locuta eſt: Nã etiamſi Harduinus in ceruicem meam gladium vibret, Chriſto propitio, cui me tota deuotione commiſi, nũquam me ſponſam habebit. Quæ cùm illa dixiſſet, aliis ad ſua reuertẽtibus, ipſa ad paternas ſe recepit ædes: & deinceps etiã plus ſolito, & palam ſe dedit piis operibus exercendis. Vacabat ieiuniis, vigiliis, orationibus, carniſq; macerationi. Præſtabat eleemoſynas, refocillabat inopes, viſitabat infirmos, & cætera miſericordiæ officia exhibebat: idque tanto ardentiùs, quanto celeriùs ſe per martyrium ad Chriſtum abituram, illo inſpirante cognôrat. Interea verò parẽtes eius à quodam amico inuitati ad conuiuium, cum familia ſua eò ſe conferunt, ſola Maxellende cum nutrice eius domi relicta. Nolebat enim illa intereſſe vllis vnquam conuiuiis & lauticiis. Id vbi Harduinus comperit, lætatur impensè ſe opportunũ iam tempus nactũ ſuæ libidinis explẽdæ.

Apertè retractat id quod de illa ab alijs erat conſtitutum, & deinceps tota vacat operibus pietatis.

ADIVNCTIS igitur ſibi aliquot ſatellitibus, properat ad ædes Humlini. Quod ſentiens Maxellendis, orat Deum vt ſe tueatur: inde nutricem hortatur, vt clauſis oſtiis ipſam alicubi abſcondat; non quòd mortem formidaret, ſed quòd timeret pudi

Parat iã dictum Harduinus vi eam quoquo modo vincat.

 pudi

pudicitiæ suæ. Paret nutrix, obserat fores; veniunt hostes, irruunt in ædes, perscrutantur omnia, nec tamen inueniunt virginem. Iam tædio affecti recedere volunt, & ecce vnus ex illis eos retinens, ait: Si cistam hanc aperiatis, fortassis illic latitantem reperietis. Mox aperitur cista, Virgo lugens extrahitur, & ad Harduinum adducitur. Qui cum mœrentem blanditiis delinire moliretur, illa constanter ait: Frustra virulentos ingeris sermones, neque te neque tuas minas curanti: nulla me ratione impedire poteris, quin reddam altissimo quod ei pollicita sum: corpus occidere potes, animam non potes. Dixit: & totis viribus è manibus improborum se subducit: sed ecce fugientem sequitur Harduinus malitia inflammatus, suoque eam ense ipse iugulat, atque ita scilicet felix illa anima, palma martyrij, vt semper expetierat, adepta, migrat in cælestes beatæ gloriæ mansiones; cum interim Harduinus, vbi vidit sanguinem è corpore virginis manantem, repentè excæcatus est.

Tandem ab eodem impio iugulatur.

PORRO deinde vbi cædis fama increbuit, parentes virginis cum multis alijs tristes corpus in basilica BB. Petri & Pauli, & S. Sulpitij in proximo pago, quem Pomeriolas vocant, sepulturæ mandarunt. Vbi post annos tres femina quædam Amaltrudis nomine, vidua religiosa, quæ eam basilicam condiderat, & illic vigiliis & precibus assiduè vacans, non nisi ad breue tempus inde exibat, nocte quadam è cælo lapsam audiuit vocem, vt ad beatum Vindicianum Cameracensem Episcopum eat, illumque hortetur, vt corpus sanctæ virginis è terra leuatum, ad locum cædis eius reportet, quod Deus illic signis & miraculis eam illustrare velit: quod & factum est. Peruenit autem & ad miserum quoque Harduinum transferri corpus virginis. Itaque assumpto itineris duce, venit obuiam sacro corpori: humi se sternens cum lacrymis petit veniam facinorum suorum; & ecce recipit amissum oculorum lumen, Quod cernens populus, prorumpit in laudes Dei.

Admonetur quædam diuinitus vt corpus virginis debito honore eleuetur.

En insigne miraculum.

POSTQVAM autem ad locum, qui Chaldericus dicitur, in ecclesiam venêre, sacrum corpus illic honorificè conditum est. Episcopus verò clericos & religiosas feminas illic constituit: vt deinceps, ita vt par erat, omni tempore debitum ibi Officium persolueretur. In quorũ sumptus necessarios Humlinus, sanctæ virginis pater, intra cuius ditionem hæc gerebantur, omnes facultates suas contulit. Eo autem tempore, vt fida testatur antiquitas, multis euidentissimis miraculis per

Constituuntur ad eius sepulcrum religiosi clerici & religiosæ fœminæ.

sanctæ virginis merita locus ille floruit, quæ tamen scripta non exstant. Postea autem corpus eius Cameracum translatum, in ecclesia B. Martini, sanctimonialibus debita illic officia exhibentibus, aliquandiu quieuit. Sed cùm locus ille propter habitantium demerita crebris esset incendiis obnoxius, Rotardus vicesimus à B. Vindiciano Episcopus tandem sanctum corpus inde transtulit in B. Mariæ oratorium. Dies martyrij eius celebratur idibus Nouembris. *Transfertur eius sacrum corpus Cameracum.*

VITA S. HOMOBONI CREMONENSIS, *ex ea quæ est per Canonicos ibidem.*

XIII. NOVEMBRIS.

HOMOBONVS Cremonensis fuit ex honesta Tucengorum familia, patre mercatore, non opulento illo quidem, sed tamen nec sordido: quippe cui ab atauis vsque esset domus in vrbe apud ædem D. Ægidij: præterea prædium suburbanum, vnde victui suo necessaria quotannis capiebat: Cuius scilicet etiam parentes velut cælesti quodam mentis præsagio eum voluerunt Homobonum nominari. Cæterum hunc tanto omine susceptum, & ab ipsis incunabulis persanctè educatum, Christianaque in primis religione egregiè excultum, traduxêre tamen parentes ad exercendam eam quam ipsi faciebant mercaturam. Vbi tanta fuit dictorum conuentorumque constantia & veritate, vt nulla omnino augendæ rei cupiditate permotus, quæ transuersam mortalium mentem agit, neminem vnquam sciens deceperit. Eratque prætereà summa in adolescente comitas, cum singulari grauitate coniuncta, insignisque morum probitas: quibus artibus breui effecit, vt omnium ciuium, & oculos in sui admirationem conuerteret, & animos ad beneuolentiam alliceret. Denique parentum iussu, quibus semper in omnibus fuit obsequentissimus, virginem duxit vxorem, cum qua castissimè semper vixit. *S Homo boni natales.* *Fit mercator.* *Duxit vxorem.*

MORTVO patre, omni solicitudine augendarum opum amissa, quasi à corpore auocatus, cura omni studioque pascendæ animæ, eiusque saluti, vigilāter inseruire cœpit, relictaque humana societate in diuinam se totum insinuabat, ieiuniis, vigilijs, orationibus assiduè intentus. Rem igitur suam, quam mercatura auxerat, cœpit pauperibus erogare, adeò comiter, benignè, & liberaliter, vt cum cæteræ virtutes essent in eo præ-

Excellet multis virtutibus, sed potissimum misericordia in pauperes.

claræ, hæc tamen beneficentia principem ſemper locum obtineret. Neque enim eleemoſynam rogari ſe paſſus eſt vmquam: quin ipſe vltrò omnibus ſua, ſeque libentiſſime detulit, egenis facultates, triſtibus conſolationem, erranti correctionem, ignaris ſine arrogantia doctrinam, veniam inimicis, fidum deliberanti conſilium, mortuis orationem, ita vt cùm minùs ſibi quàm cæteris omnibus videretur eſſe natus, vno omnium ore pauperum pater iure appellaretur.

Conatur ipsum retardare in cursu virtutum sua uxor.

ET quidem vxor meticuloſa cùm videret profuſam viri liberalitatem, vehementer animi diſcruciabatur: Ac primò quidem cum ab hoc tam ſancto propoſito precibus ac monitis leniter auocare cœpit, deinde etiam acrius obiurgando, grauibuſque contumeliis conuiciiſque ineſſando abſterrere non deſiſtebat. Sed ille optimis rationibus eam refellens, intemperiem eius ſumma patientia ac humanitate ſuperabat: nec ab hac ſancta animi ſui ſentẽtia depelli poterat, quin in dies magis ac magis in ea confirmabatur. Frequentabat ſcilicet Homobonus domum Dei, nec id die ſolùm, ſed nocte etiam, atque aſſiduè nocturnis matutiniſque precibus intererat. Teſtatus eſt autem Obertus Sacerdos, qui tunc temporis templo diui Ægidij præerat, vir & ipſe bonus ac timens Deum, ſex & viginti annis, quibus ædem illam ſacram rexit, ſæpiùs viro ſancto valuas templi ſua ſponte patuiſſe, quandoquidem ſciebat ſe veſperi eas diligenter clauſiſſe, & tamen cum ante ſe in templo inueniebat. Sed & aliquando, cùm vinum foſſoribus in agrum deferendum pauperibus dediſſet vir ſanctus, nec propter vxoris acerbitatem auderet domum reuerti, cantharos aqua repleuit ac benedixit, qui paulò pòſt pro aqua, incomparabilis bonitatis vinum vinitoribus fuderunt.

Sæpius patescunt ipsi diuinitus valuæ templi.

Meretur à Deo vinum ex aqua.

Conuertit sua sanctitate multos hæreticos.

QVIBVS, atque alijs huiuſmodi plurimis illuſtratus miraculis Homobonus, ſed maximè ſumma vitæ puritate, tantam non inter populares ſolùm atque finitimos, ſed eos etiam omnes acquiſiuit fidem, ad quos longè lateque celeberrima illius fama peruaſerat; vt hæreticorum etiam plerique ad ſanitatem redirent: & qui nullo prudentum conſilio, aut doctiſſimorum hominum diſceptationibus victi, indepranata iamdudum de fide & religione ſententia obſirmato animo obdurnerant, eos Homobonus ſanctiſſimis verbis & moribus, miraculorumque frequentia ab omni errore abductos, ad benè beateque viuendi rationem traduceret. Tandem autem cum iam veniſſet tempus vt tot ſuarum virtutum, & rectè factorum

rum acciperet præmia, Idibus Nouembris, anno à partu Virginis millesimo centesimo nonagesimo septimo, cùm more suo matutino officio penitus incolumis interfuisset, sacerdote in Missa hymnum Angelorum incipiente, ipse ante Crucem, manibus in modum Crucis in terra extensis procubuit, ac sic, nemine sentiente, cum gaudio ad Deum, nullo correptus morbo, migrauit. Relatus est in Sanctos per Innocentium tertium, anno supra vndecies centesimum nonagesimo octauo.

Migrat & ad Christum.

DE S. EVGENIO EPISCOPO TOLETAno, & Martyre, ex Lucio Marinco, vt est tomo 7. R.P. Surij.

XV. NOVEMBRIS.

CVM Raymundus olim Toletanæ sedis Antistes ad Concilium apud Rhemos Galliæ populos celebrandum, temporibus Eugenij summi Pontificis, cum aliis multis Episcopis in Galliam profectus esset, cùm forte apud Parisios ad ecclesiam sancti Dionysij, orandi gratia diuertisset, in eadem ecclesia quoddam sepulchrum inuenit, quod apud eos magnæ venerationis habebatur, in quo ex eius superscriptione beati Eugenij Toletani Archiepiscopi corpus humatum esse cognouit. De quo diligentius inquirens quis fuerit, vel qua ratione à propria sede quieuerit, tum ex relatu hominum, tum ex eius vita quam ibi descriptam inuenit, satis plenè cognouit: nimirum scriptura continebat, hunc Eugenium à beato Dionysio in Galliam proficiscente, ab vrbe Arelatensi in Hispaniam directum, Toletanæ sedi præfuisse. Qui postquam visitauit magistrum suum Dionysium, cùm iter esset ingressus, à Gentilibus deprehensus, & ex fidei confessione quis esset, cognitus, gladio aperiente viam qua magister suus illuc iam præcesserat, cælum coronatus ingreditur. Cuius corpus post multum temporis, diuina reuelatione repertum, in ecclesia beati Dionysij, magna fidelium lætitia & exsultatione conditur: vbi etiam propter meritum sanctitatis, & gloriam miraculorum quæ ibi fiebant, deinceps semper ab omnibus quàm deuotissimè habitum est, ad laudem Dei immortalis, qui est vnus & trinus.

Quomodo primùm inuenta memoria huius sancti apud Hispanos. Mittitur S. Eugenius à S. Dionysio Arelate Galliarum, in Hispanias.

Transit gloriosè.

VITA

VITA S. LEOPOLDI MARCHIONIS *Austriæ, ex oratione habita à Francisco Patauo, coram Innocentio octauo.*

XV. NOVEMBRIS.

Tom. 7. Surij. S. Leopoldi genus, & sanctissima eius adolescẽtia.

LEOPOLDVS cognomento Pius, patre Leopoldo Marchione Austriæ natus, familia ortus est vtriusque parentis illustri, & tota diuini cultus. Hic ab infantia non se deliciis aut voluptatibus, quibus ætas illa permaximè irretiri solet, neque iis quæ omnes faciunt pueri, se accommodauit, aut aliqua ex parte corrupit inter regios luxus opésque innumeras: ab omnibus enim huiusmodi se abdicauit, ita vt inter tot rerũ omnium delicias, sobrium, continentem, abstemiũ, & in carne quodammodo viuentem præter carnem cerneres, & quidem eousque, vt qui illius temporis res gestas, & huius incorrupti viri vitã conscribunt (qui quidem plures sunt dignissimi scriptores) vnum hunc pleno commendent ore, admirentur, extollant, solúmque adolescentem dicant earum rerum expertem, quas fert adolescentia. Genitore vita functo, regni habenis hæreditario iure susceptis, populos natura feroces ea moderatione animi gubernauit, vt eis nõ præesse, sed prodesse curaret, & se rectorem & exemplum ad bene beatéque viuendùm subditis præberet. Quippe qui non eorum opibus inhiaret, sed populum sibi à Deo commissum rectè, quietè, sanctè, ac æqua lance cõseruare studeret: horumq́ue animas vnà cum sua innoxias, mundas, & Deo gratas reddere gauderet. Vxor ei pari sanctitate ac moribus, Deo ita iubẽte, anno millesimo centesimo sexto oblata est Agnes Imperatoris filia pudicitiã insignis, & quæ viro sponte ad bona opera properanti etiam calcaria subderet, quæ ei liberos duodeuiginti enixa est.

Mortuo patre sapientissimè suis præsidet.

Iungitur ei venerabilis Agnes filia Imperatoris.

VERVMENIMVERO, cùm mira essent ambo præditi bonitate, & ambo in Redemptorem nostrũ pientissimi, nihil in dies cogitarent, nisi quo maximè pacto placere, ac summo Deo gratificari possent, concordes animi & vno spiritu, arbitrati rem gratam altissimo fore, si quam ære proprio sacram construerent ædem, cui quæque cõmoda & ministeria præstò essent, beatæ Mariæ templum condere, in eoque sanctæ & approbatæ religionis viros collocare decreuerunt, quorum precibus, beata Dei genitrice intercedẽte, salutis eorum æternæ felicitas impetraretur. Vbi cùm de loco ædis construendæ cogitarent, miraculo datum est (vt in vrbe Roma de niue scribitur)

Cogitat extruere templum Virgini Mariæ.

bitur) atque diuina quasi voluntate, ventus coortus, flammeolum Agnetis capite leuiter sublatum procul ab oculis, in remota detulit loca, quod nono pòst anno, cùm relaxandi animi gratia vir Dei deambularet, oculosque ad vepres verteret, conspectũ super frutice illæsum & inuiolatum lætabundus accepit: ac deinde, velut Deo iubente, ædificatũ est templum B.Mariæ virgini dicatum, conspicuum & opulentum, situm in ripa Danubij, octauo à Vienna lapide, durátq; adhuc, Nouum Claustripurgum cognominatum. Porrò finito operi dotem dedit, ibique Canonicos, quos seculares vocant, sacris præesse voluit. Qui cùm negligentiùs ministrarent, Canonicos Regulares B.Augustini, sanctimonia vitæ præditos, & fidelibus gratos, qui adhuc præsunt, substituit. *Complet quod cogitarat.*

SED & alterum monasteriũ Ordinis sancti Benedicti ædificauit sub titulo salutiferæ Crucis, in valle nemorosa, duodecimo à Vienna lapide, in quo quamplurimi monachi & ministri abundè aluntur. Instaurauit autem sanè à maioribus suis antè conditum, sed relictum, vi atque hostili metu procul abactis deletisque hostiũ viribus atque incursionibus, ampliori etiam fructu dotauit. *Item instaurat insigne monasterium Benedictinorum.* Atque hæc quidem Leopoldus inter tot regni occupationes ad thesauri cælestis reconditria viuens posuit, hâc sibi voluntatem delegit, his veris deliciis vsus est, hoc sibi ad futuram vitam iter arripuit, & in tã laudabili bene viuendi tenore, & tam præclaris monumentis millesimo centesimo trigesimo sexto salutis anno orbe cessit, adque cælos migrauit. *Transit feliciter ex hoc sæculo.* Singulare verò monimẽtum exstat Regumberti de probatissima Leopoldi vita deque sanctissimis eius moribus: necnon & in cœnobio Claustripurgensi vetustus inspicitur codex, in quo Leopoldi natalis dies, tenorque vitæ legitur. Sic & in cœnobio Cælinensi Cistertiensis Ordinis liber seruatur, in quo miracula istius inclyti viri leguntur. Mulier sanè quædam Carinthia immundo vexata spiritu, Leopoldi ope liberata fuit. *Liberantur per eum varij generis morbidi.* Puer quoque mutus nouem annis ex Herzogemburgha, vocalis factus est. Alius item captus manibus & pedibus, conualuit. Rursum Presbyter Herbipolensis cæcus, relictis tenebris, diem vidit. Virgo quoque icta fulmine, reuixit. Sic & altera lapillo obcæcata, Leopoldi tumulo porrectis precibus, recuperauit visum. Verùm hæc sufficiant pro compendio.

DE S. ANIANO EPISCOPO AVRELIAnensi, ex ijs quæ sunt apud R.P. Laur Surium.

XVII.

XVII. NOVEMBRIS.

EA tempestate qua Hunnica rabies se in regiones populandas deuastandásque effudit, & Galliis atrociter imminebat, beatissimus Anianus Aurelianẽsis vrbis fidum se pastorem declarauit. Metuens enim gregi, quem à Domino pascendum acceperat (quippe qui ex sancti spiritus reuelatione, quæ vẽtura essent, iam cognouisset) supplices pro eo ad Deum preces fudit, iram eius ab illo auertere cupiens. Hic sanè cùm communibus omnium suffragiis Episcopus electus esset, ab Agrippino viro illustri & militum magistro petiit, vt eos omnes quos carceres vinctos tenerent, liberos abire pateretur. Et quidem recusabat ille, nescio quid causæ prætexens, sed cum vellet in templum precandi causa ingredi, ab alto decidit lapis in caput eius, diramq́ue ei plagam imponens, multum ex eo sanguinem expressit. Vnde & sensit illico ea de causa id accidisse, quòd sancti Episcopi preces reiecisset, sicq́ue mittit iam à famulis reportatus in domum suam, qui Episcopum vocent: mors enim propter nimiam sanguinis fluxionem iam impendere videbatur. Venit ergo Episcopus, manu sua vulneri crucis signum imprimit, sanguis sistitur, redeunt vires propè iam deplorato, aperiuntur carceres, & exeunt miseri, B. Aniani Episcopi intercessione in libertatem vindicati.

S. Anianus præuidet vastationẽ Galliarum.

Sanat virum illustrem Agrippinum & simul impetrat ab eo dimissionem captiuorum.

CONDIDERAT quoque eius decessor beatus Euortius Ecclesiam Aureliæ. Eam sanctus Anianus illustriorẽ reddere volens, culmen eius iussit altius euehi. Sed in eo opere præfectus operis siue architectus, labante pede, è tecto corruens præsentissimum vitæ discrimen adiit, toto quassato corpore, & vix vltimo spiritu in illo residente. Quod sentiens beatus Anianus, procul contra eũ expressit Crucis signum, ad eumq́; aduolans, manum eius apprehẽdit, punctoq́ue temporis sanatum iussit redire ad opus. Sed & in Gallias irruentibus Hunnis, sæuissimus Attila Rex imperabat. Qui cũ Aurelianensem vrbem vellet euertere, beatus Anianus, non quòd carnem poneret brachium suum, aut in hominum viribus cõfideret, sed vt officio non deesset, Arelatem profectus est, vt Aëtio Patritio, qui tum in Galliis erat, barbaræ gentis crudelitatem explicaret. A quo humanissimè exceptus, indicat quo in periculo versetur Aurelia, implorat eius opem, eamque etiam Aëtius liberaliter & prolixè pollicetur. Redit deinde ad ciues suos, non parum tanti pastoris absentia mœrentes: erigit animos illorum multa consolatione: præparant illi omnia

Itẽ & alium quendam.

Proficiscitur vir sanctus pro subsidio contra Hunnos.

propul

propulsandò hosti oportuna.

Et quidem Attila Hunnorum Rex à Metensi vrbe egrediens, cùm multas Galliarum ciuitates opprimeret, Aureliam quoque deinceps aggreditur, eamque maximo arietum impulsu nititur expugnare. Sed ecce trementibus ab impetu arietum muris, iamque ruituris, subito Aëtius & * Theudo Gothorũ Rex, ac Thorismundus eius filius, cum exercitibus suis ad ciuitatem accurrunt, aduersumque hostem eiiciunt ac repellunt. Vnde & post eam è barbaris reportatam victoriam, sanctus Anianus lætabatur in Domino, quod in tanta calamitate, tanque præsenti discrimine neminem è suis amisisset, nisi si quis forte diuinam desperans opem, contra eius præceptum barbaro hosti se vltrô tradidisset. Quin etiã tanta meritis beati viri post eam victoriam exstitit frugum vbertas in Aurelianensi territorio, vt magna inde ad superiorem lætitiam fieret accessio. Biẽnio verò inde elapso, multis virtutum ornamentis illustris beatus Anianus, post calcatos seculi fluctus, iam emeritus miles, carnis nexibus expeditus, migrauit ad cælos, ab æterno & immortali Rege seculorum amplissima præmia recepturus. Conditus est autẽ sepulcro ad Occidentalem vrbis Aurelianẽsis plagam, in beatissimi martyris Laurentij æde, vbi meritorum eius præstantiam Christus multiplici miraculorum gloria declarauit, donec postea, crescente fidelium deuotione, ad Orientalem ciuitatis partem exstructo templo insigni, corpus illius eò translatum est, Christo pergente semper miraculorum signis mirificare sanctum suum.

** Ex D. Greg. Tur. lib. 2. hist. c. 7.*

Obsessã Aureliam, liberant Aetius Patricius, & Theudo Gothus.

Migrat vir sanctus in cælum.

Transfertur eius sacrum corpus ad locum digniorem.

VITA S. GREGORII EPISCOPI *Turonensis, ex ea quæ est per Clericos eiusdem Ecclesiæ.*

XVII. NOVEMBRIS.

GREGRIVS Celtico Galiarum tractu exortus, Aruernicæ regionis indigena fuit, patre Florentio, matre Armentaria procreatus, & si quid diuinæ generositati terrena condúcit nobilitas, parẽtes eius, cúm rebus locupletes tum quoque natalibus fulserunt illustres. Hic, vt ætatulæ robur admisit, mox literarũ studiis mancipatur: in quibus equidem studiis primitus sub Gallo Episcopo, suo videlicet patruo, sensus illius teneritudo coaluit. Vbi, cùm adhuc laicus, tam sensu quàm corpore adoleuisset, subitò nimia febrium ac stomachi

S. Gregorii genus.

machi pituita cóprehensus, cœpit grauiter ægrotare, eiusque languor per dies ingrauescere, & medicinalis industria nihil proficere. Rogat igitur adolescens, vt ad sepulchrum sancti *Elidij (erat enim iuxtà) portari deberet, dicens: Fides mea est, quòd ille & mihi sanitatem, & vobis mox præstabit lætitiam, cùm ille illuc deportatus, voce qua poterat, orationem fudit, spondens, quia si ab hoc contagio liberaretur, Clericatus habitum suscipere nec prorsus moraretur. Dixerat, & sensit protinus discedere febrim, & à naribus eius copia sanguinis defluere, sic omnis illa valetudo disparuit, ac si legatus quidã re, pro qua venerat, obtenta, discedere festinaret. Ita ergo comam deposuit, & se diuinis obsequiis ex toto mancipauit.

*Illidij

Adolescens sanatur à morbo, meritis S. Illidij.

Fit Clericus.

QVI cùm etiam ad emeritam beatæ vitæ coronã vocaretur, vir Domini Auitus adolescentem suscepit. Qui cùm eius ingenium morúmque habitudinem explorasset, adhibuit in primis magistrorum diligentiam: & quanta vel ipsius industria, vel eorum sedulitas velocitate poterat, prouexit eum ad arcem sapientiæ. Porrò autem in discẽdis literarum studiis ea se discretione exercuit, vt vtraque nimietate careret, nec Poëtarum scilicet nænias ex toto horreret, nec, vt plerísque mos est, etiam his indecentiùs hærens, earum lenocinio mente ancillaretur. Fecit verò quod sufficit. Aciem cordis, veluti ad quandam cotem exacuit, & ita quasi ab Ægyptiis vasa aurea promutuans, & ad eremum qua manna comederet, demigrans, in perscrutandis diuinarum scripturarum potentatibus intrauit. Quod ipse de se loquens, ostendit, dicens: Non ego Saturni fugam, non Iunonis iram, non Iouis stupra commemoro; & cætera monstra, quæ illic securus annectit, vsque dum diceret: Hæc omnia tamquam citò ruitura despiciens, ad diuina potiùs & Euangelica miracula reuertar; non enim vinciri cupio meis retibus, vel inuolui. In quo ostendit sanè scisse se hæc, sed saniori iudicio respuisse. Quin etiam tempore præstituto Diaconus ordinatus est.

Nota quomodo Christianu studendum sit in libris Ethnicorum.

De gloria Martyrũ lib. 1 cap. 1.

FVLGEBANT tunc temporis apud Aruernum plerique viri in habitu religionis: quos idem iuuenis nunc cum B. Auito, nunc semotim inuisebat, quatenus vel ab eis exempla pietatis assumeret, vel ipsis, quod fortè deerat, mutua charitate præstaret. Nimirum in his Christum colebat; & veluti Solis iubar in vertice montium prospectans, ad hoc animum intendebat, vt ad laudem Christi* proferret quicquid per eos, vel etiam per illos, qui iam cælo præcesserant, operari dignabatur.

Libenter visit viros sanctos.

* scriberet

tur. Interim anno centesimo septuagesimo secundo, post transitum Domini Martini, Sigeberto Rege anno duodecimo regnante, beatus Euphronius, qui inter virtutes consenescens, tanta gratia donatus est, vt ei prophetiæ spiritus inesse visus sit, appositus est ad patres suos, cùm ecce cunctis in consona voce coëuntibus, Clericorum turba nobilibus viris conserta, plebsque rustica simul & vrbana pari sententia clamant Gregorium decernendum, cùm claris meritis, tum quoque nobilitate pollentem, sapientia præcipuum, generositate primum, Principibus notum, ac sua probitate reuerendum, omnibusque officiis habilem. Legatio mox ad Regem dirigitur; cùm quidem, Deo dispensante, Gregorius coràm reperitur. Et quidem de hoc conuentus, multa humilitate se excusare tentauit, multis modis se subducere voluit: sed quia velle Dei est, hinc cætera flectuntur. Eum Rex auctoritate cogit, eum Brunechildis Regina perurget: & quoniam discreta humilitas obedientiam non recusat, tandem aliquando assensus est: quem, ne qualibet occasione dilatus profugeret, statim Ægidius Rhemensis Archiepiscopus ordinauit.

Omnium cōsensu eligitur Episcopus Turonensis.

Vix tandem consentit in electionem.

CERTE adeptus Præsulatum, qualis vel quantus fuerit, vt cōpendiosè dicatur, & plures ecclesiæ, quas nouiter construxit, vel quarum sartatecta restaurauit, insinuant, & libri in laudem Sanctorum, vel in expositione sanctarum Scripturarum editi, quàm primùm demonstrant. Matrem etiam ecclesiam, quam Dominus Martinus construxerat, nimia vetustate confectam, arcuato schemate reparauit, atq; historiatis parietibus per eiusdem Martini gesta decorauit. Construxit item & alias, sicut in ipsius Chronicis reperitur, vt est ecclesia S. Crucis, vel in Artensi villa. Qui etiam in construendis spiritualibus templis, videlicet in custodia gregis, quàm certatim sese impēderit, vel ex hoc animaduertitur, quòd nec ab ipsis quidē sanctis viris studium suæ prædicationis constituit. Haud longè post eius ordinationem sanctus Senoch Abbas de cella egressus, ad eum salutandum profectus est. Quem sanctus vir magna reuerentia susceptum, mutuoque colloquio sensim exploratum, peste superbiæ mox persensit infectum. Atque ecce gratia quæ in discernendis spiritibus huic suppeditabat, illum quoque ab eadem superbia penitus expurgauit. Nec dissimili virtute circa beatum quoque Leobardum exstitit solicitus; quem nequam spiritus ita sinistris cogitationibus exagitabat, vt propter quandam verborum contumeliam, qua se dudum

Præclarè restaurat ecclesiam cathedralem.

Item cōstruit & alias.

Singulari prudentia sanat quendam sanctum a morbo propriæ cōplacentiæ.

recluserat, migrare decreuisset. Sed nec iste potuit incurrere casum, qui Gregorium meruit habere subleuantem.

Miracula à se facta humilis [illegible] in Sanctos, quorum reliquias ferebat.

MVLTA autem vir sanctus, quæ insequi lógum est, etiam in salute languentium operatus est, quæ tamen sub obtentu Sanctorum, quorum reliquias perinde ferebat, à suis meritis excludere nitebatur, vt vel ex hoc vno patebit exemplo. Causa fuerat qua Rhemense oppidum adire debuerat. Vbi cum ab Ægidio Pontifice humanitus fuisset susceptus, ibidem noctu quieuit. In crastinum verò illucescente Dominica, ad ecclesiam episcopo collocuturus venit. Cuius cùm aduentum in secretario præstolaretur (nolebat enim in Ecclesia loqui) Sigo ferendarius quondam Sigeberti ad eum accessit. Quem ille osculatum sedere iuxta se fecit. Et ecce, dum aliquantisper secum sermocinarentur, & ille de ore Gregorij penderet, subitò auris eius, quæ pridem obsurduerat, cum quodam crepitu reserata est. Tum ille gratias cœpit agere, & quid ei per Gregorium præstitum sit, manifestare. Sed vir Domini, consuetæ non immemor humilitatis, hominem ab hac æstimatione subducere nitens, Noli, ait, dulcissime fili, mihi aliquid gratiæ referre, sed beato Martino, per cuius reliquias, licet indignus, quas defero, tibi auditus restitutus est, & surditas depulsa.

Hoc modo sanat quendam surdum.

SEXDECIM annos iam in Episcopatu exegerat, cùm æquiuocus eius ille Magnus Gregorius in sede Apostolica subrogatur. Quo tempore cùm sacra Apostolorum limina expetisset, magna cum reuerentia sanctus eum Papa excepit. Quin & ad beati Petri confessionem eum introducens, præstolabatur quo assurgeret, cùm interim secretam Dei dispensationem admirans, cõsiderabat in huiusmodi hominem (erat enim statura breuis) tantam gratiam cælitus profluxisse. Quod ille mox diuinitus persentiens, & ab oratione surgens, placidoque, vt erat vultu ad Papam respiciens, Dominus, inquit, fecit nos, & non ipsi nos; idem in paruis, qui & in magnis. Quod cùm suæ cogitationi sanctus Papa responderi cognosceret, ipsa sua deprehensione gauisus, gratiam quam hactenus in Gregorio mirabatur, in magna veneratione deinceps habere cœpit, sedemque Turonicam ita nobilitauit, vt auream ei cathedram donaret, quæ apud præfatam vrbem in posterum seruaretur.

Inuisit S. Gregorium Papam, cuius & detegit occultam cogitationem.

AD extremum vigesimo & primo Episcopatus sui anno, tamquam septenario annorum numero ter in fide sanctæ Trinitatis

Trinitatis completo, appositus est ad patres suos, nõ tam dierum, quia fermè tricẽnalis ordinatus est, quàm * perfectione plenus: qui tamen non vsquequaque videtur clausus in tumulo, cui scilicet restat vt lingua viuat in mundo: & quia sicut credimus, B. Martino in cælo est sociatus, sic etiam corpore est illi in sepulcro vicinus. Nec prætereundum, quomodo etiam consuetam sibi humilitatem in ipsa sepultura sua seruauerit. Nam in tali loco se sepeliri fecit, vbi semper omnium pedibus conculcaretur, & ipsa loci necessitas cogeret, ne vmquam in aliqua reuerentia haberi posset. Sed grex beati Martini talia non ferens, amicum Domini sui de loco leuauit, & edito sepulcro mausoleo, ad leuam sancti sepulcri digna reuerentia collocauit. Obiit verò xv. Cal. Decembris.

Obdormit in Domino.

* *virtutum.*

Nota studium humilitatis.

VITA SS. ACISCLI ET VICTORIÆ, *ex Io. Maldonato Hispano.*

XVII. NOVEMBRIS.

CVM Dion præses carceres, sæuos cruciatus, mortem denique, Cordubæ Christianis indiceret, ni sacra continuò facerent diis, Acisclus & Victoria sunt ibi reperti, adeò strenui ac fortes in asserenda Christiana religione, vt ad præsidem ducti, nihil se facere iussa principum, audacitet prædicarent. Quibus Dion admiratus, vosne dixit, estis, qui sacra deorum contemnitis? Præstamus nos, inquit Acisclus, Christo Deo debitam seruitutem, non autem dæmonibus, surdisque lapidibus. Erubuit præses ob tam audax responsum, & in ima carceris eos contrudi, præcepit: postera die producti cùm in caminum ignis præcipitarentur, ab angelis excepti laudes diuinas personabant. In fluentum cum saxis ingentibus protrusi, enatant psallentes, & vocem angelicam audiunt, irrita suorum clientum non fore vota. His Dion perceptis rotas iubet afferri, ignem sub rotis accendi, oleum desuper infundi. Acisclus & Victoria circumactis rotis certè cassabantur, sed precibus instabant supplices, vt ignis extingueretur, ne victoria Dion exultaret. Itaque subitò prorumpens flamma quamplurimos Ethnicos interemit. Dion cùm vinci tormẽtis omninò diffideret, sagittis Victoriam confecit, & Acisclum iugulauit.

SS. Acisclus & Victoria fortes in defendenda sacra religione.

Examino ignis excipiuntur.

Aliud tormenti genus euadunt.

VITA S. MAXIMI EPISCOPI MOguntini, ex ea qua est per Ioannem Trithemium.

XVIII. NOVEMBRIS.

Floruit is Megenfridus historicus sub Othone 2. & 3.

S. Maximi genus, & prima institutio.

BEATVS Maximus, testante * Megenfrido, honestis & Christianis parentibus ortus in vrbe Moguntina, more gentis adhuc puer studio deputatus est literarum: in quo cum tempore adeò profecit, quòd sibi coætaneos penè omnes superauit. Erant in tempore illo plures cum Christianis mixti Gẽtiles: & quemadmodum persecutione cessante, nemo paganum cogebat fieri Christianum, ita nec quisquam impellebat credentem abnegare vel deserere Christum. Multi tamẽ inter Christianos surrexerunt hæretici: inter quos imprimis Arriani, Principum Romanorum fauore suffulti, multas intulerunt veris Christianis persecutiones & molestias. Vnde cũ publicè non semper liceret metu hæreticorum; fideles quique filios suos in priuato fidem seruare constanter orthodoxam vsque ad mortem docuerunt. Sic nimirum & sanctus Maximus in his quæ pertinebant ad fidem & veram religionem, tenerus ab vnguiculis parentum & sacerdotum ministerio sufficienter instructus, in virum cum tempore magnum creuit, atque meritis & doctrina gloriosum. Atque adeò mox, vt per ætatem sapere ac intelligere cœpit, diuina miseratione præuentus, non minùs quàm gratia semper comitatus, Deo se totum obtulit, pro cuius amore cuncta huius mundi blanda & dulcia contempsit. Consuetudo verò fuit illo in tempore Clericis ac Sacerdotibus soli Deo vacare, sacro ministerio verbi & orationis insistere, ad fidem & iustitiam populum non minùs exemplo bonæ actionis, quàm sanctæ prædicationis verbo erudire, mundi honores, diuitias quoque, & omnes voluptates moriturae carnis vilipendere, & Christum opere & sermone super omnia veraciter amare.

Mãcipat se diuinu seruitiu.

Fulget tum sanctimonia, tũ eruditione.

IN quo viuendi genere sanè beatus Maximus in clericatu suo perseueranter enituit, & breui cæteris perfectionis in se normam dedit, meritoq; sanctitatis fuit admirabilis, simulque diuinarum Scripturarum interpres & doctor insignis. Cæterum ordinatus fuerat Clericus à beato Pontifice Adelhardo. Quo vita functo, beatus Lucius Anneus in Pontificatu succedens, præfuit annis decem & octo, vir magnarum in Christo virtutum, cui sanctus ipse Maximus stabili semper charitate adhæsit, & innumeras Arrianorum persecutiones simul pro defensio

defensione Catholicæ fidei sustinuit. Qui idem Lucius Anneus, cùm pro fide Catholica in exsilio apud Phrygiam, cum duobus presbyteris Paulo & Crescentio, subordinatione & insidiis Arrianorum, strangulatus esset; beatissimus Presbyter Maximus, quem pro confirmandis in recta fide populis, apud Moguntiam, ordinatione diuina, reliquerat, fidelium omnium voto communi, Præsul ecclesiæ iam dictæ, nonusdecimus cõstituitur, facta verò sunt hæc anno Dominicæ natiuitatis trecentesimo quinquagesimo quarto. Et quidẽ ordinatus Pontifex in Ecclesia Moguntina beatus Maximus, per omnia se studuit exhibere Domino ministrum irreprehensibilem, paratus etiam amore Dei pro salute fidelis populi non solùm persecutiones sustinere & carceres, sed mortem quoque, & si quid morte esset crudelius, quod ei posset occurrere.

Eligitur Episcopus Moguntinus.

VNDE & vitam in omni puritate duxit, & cõntinuauit Apostolicam, mundi rebus pauper & modicus, virtutibus diues, humilitate profundus. Qui cùm esset vir tam in diuinis Scripturis, quàm in secularibus scientiis multum peritus atque doctissimus, hoc summopere curabat in primis, vt vita cõstaret eius doctrinæ conformis, ne aliis bona prædicans, ipse reprobus efficeretur. Corpus proinde suum ieiuniis, abstinentia multa, & vigiliis penè cõtinuis, prò Christi Saluatoris amore castigauit, sanctis orationibus & prædicationi salutaris doctrinæ verbi Dei sine intermissione, quoties opportunè licebat, intentus. Per vicos circumibat & vrbes, vt plurimum, Apostolorum exemplo, pedibus nudis, Presbytero, Diacono, & Subdiacono comitantibus, & cunctis per gyrum populis opportunè & importunè fidem Christi, quanta potuit sedulitate, prædicauit. Septies tempore sui Pontificatus ab impiis Arrianis vrbe Moguntina pulsus est, septies quoque diuina prouidentia restitutus, numquam attædiatus mente, numquam deiectus animo, numquam victus aut superatus. Nam cùm esset diuina miseratione præuentus & illustratus, vnum Deum consubstantialem & coæternum semper Patrem, & Filium, & Spiritũ sanctum asseruit, & sanctam indiuiduamque Trinitatem personarum, vnius incomprehensibilis, & impartibilis Dei constanter vbiq; prædicauit. Pro huius etiam Catholicæ Orthodoxæque fidei assertione tuenda, nec mortem timuit, nec vincula, nec carcerem aut exsilium subire formidauit. Docuit públicè, cùm licuit, docuitque, si aliter non potuit, occultè gregem Domini suo ministerio, comm(i)ssum:

Vitam viuit verè Apostolicam.

Passim prædicat per vicos pedibus nudis, patiturq; multa pro confessione fidei.

sum: docuit verbis, docuit scriptis, ac tandem post varias pro fide Christi persecutiones, & innumeras tribulationes, plenus dierum atque virtutum ad Dominum feliciter migrauit, die mensis Nouembris octauadecima, anno Pontificatus sui vicesimo quarto, qui fuit Dominicæ natiuitatis trecentesimus septuagesimus octauus.

Plenus dierũ & virtutum obdormit in Domino.

SCRIPSIT, iam dicto Meginfrido testante, contra Arrianos libros quatuor, De incarnatione Domini libros duos, De Spiritu sancto libros duos, De Constantia fidei Catholicæ librum vnum, De martyrio Sanctorum librum vnum, Homilias & Sermones multos & vtiles ad populum. Alia quoque nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad notitiam nostræ lectionis peruenire minimè potuerunt. At verò beatissimi Pontificis corpus à discipulis in ecclesia diui Præsulis Hilarij, postea nũcupata in Dalheim, vbi ciuitas Moguntina eo tempore legitur fuisse constructa, debito cum honore iuxta tumbam sancti Crescentis, primi Episcopi, fuit sepultum: in quo quidem loco humatum permansit annis quingentis quinquaginta septem, vsque ad tempora Hildeberti, post S. Bonifacium, Moguntinensis ecclesiæ Archiepiscopum, duodecimi: qui anno Dominicæ natiuitatis nõgentesimo trigesimo quinto, decem ecclesiæ Moguntinæ Pontificum ossa de Capella diui Hilarij memorata, solenni cum processione Cleri & populi, ad ecclesiam monasterij diui martyris Albani transtulit, & in choro summa cum reuerentia collocauit. Inter quæ, corpus etiam beatissimi Põtificis Maximi, de quo loquimur, annumeratur.

Surius in initio, id est, c. 3.

Transfertur honorificè eius sacrum corpus.

VITA S. ELIZABETH FILIÆ REGIS *Hungariæ, ex Iacobo Montano Spirensi.*

XIX. NOVEMBRIS.

ELIZABETH nobilissimis in Hungaria parentibus progenitam, patre Andrea Rege, matre Gertrude Regina, lactentem adhuc Hermannus Thuringiæ maximus Princeps, (quem vulgò Lantgrauium vocant) Ludouico filio desponderi procurauit. Hæc cùm nonum ingredi annum cœpit, mox id in primis faciendum sibi destinauit, vt omnibus in rebus Deum præ oculis haberet, illum inspectorem cordis humani cogitaret, illum penitus præsentem obseruaret, illius causa vestium decorem, carnis lenocinia, mundi vanitatem contemneret. Votiuas quotidie preces Deo fundebat: quas interdiu

S. Elizabeth genus, & quomodo etiam num lactens desponsa sit Lantgrauio.

Eueritiam c[illegible]git valde p[illegible]é.

si quopiam impedita negotio intermisisset, noctu persolueat. Transgressam verò nubiles annos vxorem Princeps duxit; cùm Elizabeth tamen nil de feruoris pristini remisit intentione, sed insuper auxit in dies accumulauitque studia bonarum actionum. Enimuerò animum contemplatione cælestium rerum pascens, corpusculum vigilijs, precibus, & ieiunijs exercebat, exhorrens etiamnum tūc sępenumerò plumei lecti malè blandam mollitiem. Ob hoc scilicet & noctu, deserto Principis accubitu, ipso vel quiescente, vel etiam palam consentiente, maturiùs exsurgere, precibus operam dare, ac semet, suaque omnia Deo commendare solita erat.

Item viuit sanctissimè & in coniugio.

QVAM nocturnam deprecandi deuotionem tanto feruore assumpserat, vt sæpiusculè sit pro lecto super stratos humi tapetas deprehensa dormire. Sed & arctiori deinde obseruationi se dedens, sexto quoque hebdomadis die virgarum flagellis in tenerum corpus animaduertebat, itidem in Quadragesima. Porrò per id tempus sacerdos Christi Conradus Marpurgensis vita & eruditione præclarus fuit. Cui cùm Ludouicus clarissimus Princeps omnes templorū Præfecturas, ac Sacerdotia cōferendi in quos vellet potestatem dedisset, ad hoc etiam assensus est, vt ei ab Elizabeth obedientia matrimonio congruens præstari possit: quā illa & deuotissimè præstitit, & studiosissimè seruauit, non solū toto biēnio, quo princeps posteà superuixit, verū etiā posteaquā è vita migrauit, & quidem multò promptiorem absolutioremque. Habiturus sanè aliquando cōcionem idē Magister de rebus (vt solebat) diuinis, eidem Christi famulā interesse præceperat. Quod cū illa inopinato sororis viri sui aduentu prępedita non implesset, atque idcirco ille postea eā nihilominus veluti indignabūdus auersaretur, ad pedes eius Regia mulier, nulla habita generis sui ratione, aduoluitur, ea demum humilitate veniam cōsecuta.

Seuerè castigat suum corpusculum.

Consentiente marito, promittit Confessario suo obedientiam.

En insigne exemplū humilitatis & obedientiæ.

TRES autem liberos ex Elizabeth præstantissimus Princeps sustulit, filium vnum Hermannum nomine, paterni principatus hæredem, duasque filias: quarum vna Duci Brabantiæ in matrimonium collocata est; altera Sanctimonialium ascita Collegio, atque in Dominam electa, illis religiosè prę fuit. Sed imprimis maxima cōmiseratione Elazabeth erat erga pauperes, atque incommodis membrorum laborantes, vti plenè sequentia edocebunt. Siquidem fame per vniuersam Alemanniam grassante, anno à natali Christi millesimo ducentesimo vigesimo quinto, cùm in Apuliam Princeps ad

Eius vnus filius, & duæ filiæ.

Tempore famis profusissimè succurrit pauperibus.

Imperatorem profectus esset, ipsa explendæ pietatis occasionem nacta, primò frumentum omne suæ ditionis collectum pauperibus erorare manu largissima cœpit, pluribus eorum etiam integrum victum quotidie præbens. Deinde verò cùm aduerteret plurimos egenorum præ aduersa valetudine, aut membrorum incommodis, eleemosynæ communis manere expertes, quod adscensu montis, in cuius vertice arx sita erat, præpedirentur, insigne quoque xenodochium loco humili sub arce quamprimum construere est aggressa.

Construit insigne xenodochium:

At verò tamen, huic xenodochio per expensas non mediocres, vti voluerat, perfectos, eos potissimum pauperes intulit, quos vel morborum vexabat iniquitas, vel membrorū debilitas insigni dehonestamento notabat, quos ipsa quoque per se pascere quotidie, è statu tollere, gestare brachiis, fœtoremque singulorum, etiam sub æstiuo caumate, quo grauiter discruciabantur ancillæ, præferre non grauabatur. Duodetriginta verò pauperes ita in xenodochio illo disposuerat, vt quopiam è viuis excedente, mox alius suggereretur, defuncti lecto potiturus. Nongenti autem quotidie mendici sub oculis eius alebantur, exceptis quos per latissimam ditionis suæ prouinciam pascebat absens: apud quos omnes tanta beneficia indefessæ humanitatis posuit, vt reditus frugesque locupletissimi principatus vehementer exantlauerit, distractis nonnunquam & corporis sui ornamentis, atque in precia collectis, ne Christi membra fame tabescerent. Et quidem reuersum ex Apulia principem œconomorum excipiunt querelę profusionis accusantium Elizabeth. At verò ille, Sinite, inquit, sororem meam, vt cœpit, benefacere, modò arces mihi incolumes supersint. Non deerit scio victus quamdiu illam permiserimus egenis subuenire. Dignum profectò principe responsum.

Ipsa per se seruit ægrotis.

Distrahit & ipsa sui corporis ornamēta, vt impendat pauperibus.

Notent isti auari & immisericordes.

Qvi cùm in profectione aduersus Ecclesiæ hostes, qui Hierosolymæ sacra tenebant loca, apud Imperatorem Fredericum in Sicilia agens piè obiisset: mirum quæ deinde de Elizabeth ordinarit dignatio diuina. Siquidem paruo post tempore, Magnates qui Henrico defuncti Principis fratri per ętatem ad regendum necdum idoneo ad id auctores erant, posthabito Dei timore ac publica honestate, Dei famulam fortunis omnibus exutam, ceu ignobilem aliquam, arce coëgerunt excedere, idque eo modo, vt propter sæuitiam eorum vix vnus eiectam recipere auderet hospitio, quo tempore ipsa veniens in cœnobium Fratrum Minorum, hymnum quem, Te Deum

Post mortem mariti ignominiosè suis ædibus exturbata, facit cantare Te Deum.

Deum laudamus, vocant, decantari obnixè rogauit. Quin & liberi quoque eius nouo inhumanitatis genere ad eam fuerunt allati. Atque, vt vno dicatur verbo, filia Regis ab altissimo diuitiarum culmine deiecta, eo vsque paupertatis deuenit, vt ablatis vitæ necessariis, etiam angustias ergastuli magis quàm diuersorij non sine mendicitate adipisceretur. Sed erat sanctæ mulieri matertera Sanctimonialium Pręfecta cœnobij. Quæ audita neptis suæ calamitate, miseram ad se quamprimum acciri aduehique, aduectam ad Babenbergensis Ecclesiæ Episcopum auunculum ipsius transmitti honorificè procurauit.

Filia Regis vix obtinet diuersorium mendicatum.

Et quidem ab hoc humanissimè suscepta, cùm aliquamdiu ibidem egisset, agentibus nobilibus viris quibusdam, rursum postea in arcem est restituta. Sed tamen verita, ne fortè diuina se gratia indignam redderet, ex dote quam recuperare habebat, securiùs victura, iterum mox populari se vitę ac paupertati sponte addicit, magnatibus illis æmulis (quos suprà notauimus) eam necquicquam insanam, fatuam, ac superstitiosam clamitantibus. Erat itaque impiis ostentui; cùm interim piis plurimæ esset venerationi; intantum vt & Pontifex Maximus Gregorius nonus, audita fama virtutum eius, tanquam filiam sub Apostolicæ legis protectione eam assumpserit, assumptam Christi sacerdoti Conrado Marpurgensi commendauerit, commendatę solatium pariter & adhortationem adhibuerit. Interea verò exædificato intra vrbem expedito magis quàm sumptuoso domicilio, reuersa, ibidem famulari Deo in omni sanctitate perrexit, simulque constructum à se quondam xenodochium crebrò inuisere, ac Christi membra, quibus poterat, fouêre solatiis. Quamquam autem in commune pauperibus, prout facultas suppetebat, eleemosynas largiebatur, delectum tamen eorum quos xenodochij domicilio donaret, perquam diligentem agebat, iis potissimùm assumptis, qui vel Christianæ religionis studio cæteros excellerent, vel magis valetudinarij essent.

Restituitur in sua, sed mox sponte redit ad vitam priuatã.

Impiis est ostentui, sed venerantur eam pij.

Nota an delectus haberi possit pro dandis eleemosynis.

Convictus autem illi cum ancillis fuit in multa humilitate & paupertate. Cibus, olera & legumina sæpenumero ob egestatem aqua dumtaxat sine alio gulæ irritamento percocta; ac interdum cum ipsa coquinariam exerceret, semiustulata: ob quod ab ancillis etiam castigari verbis austeris minimè grauabatur. Vestem autem ab magistro accipit colore natiuo, textu rustico, valore admodum vili abiectoque. Porrò

Exercet coquinariam sicut vna ex cæteris.

lanificio filando, quia lino nesciebat, operam dabat. Atque inde victum quæstuaria procurabat, cunctis Regum deliciis sibi gratiorem. Qua in paupertate degentem, cùm missus ex Hungaria Comes quidam non sine vehementi stupore inuenisset, tentaretque reducere ad opes natalis soli, affirmans eo se nomine illuc missum à patre; nequaquam tamen Elizabeth illis est mota, sed constanter dixit, se ita vt erat, permansuram. Certè & piscem aliquando flagitante paupere quodam, ipsa, inuocato Christo, cum è puteo piscibus vacuo hauriret aquam, & piscem pariter cepit: cui similia creditur & sæpenumero fecisse, quæ tamen humilitatis gratia prodere noluit.

Frustra suadetur ei vt redeat ad opes natalis soli.

Solatur eam Christus insigni miraculo.

SED & exstinctæ matris vmbra noctu dormienti visa est obuersari, lugubrique vultu ac flexis poplitibus orare, sui misereretur: ob vitam enim negligentius actam, igne se pœnas soluere; moxque hoc viso expergefactæ, ac post effusas pro ea ad Deum preces ac lachrymas, denuò in soporem depressæ iterum apparere, ac immortales gratias agere pro liberatione. Quibus virtutum insignibus decorata Dei famula, post deductam annis multis religiosissimè vitam, obitum suum sibi reuelatum magistro suo prædicens, Eucharistiæ Sacramento refecta, oleoque sacro peruncta inter puelli Iesu nati, pannis inuoluti, collocati in præsepio, à pastoribus inuenti, stella proditi, denique à Chaldæis adorati repetita magnalia placidè obdormiuit, anno religionis nostræ millesimo ducentesimo tricesimo primo, tertiodecimo Calendas Decembris. Quam mox plurimis coruscātem miraculis, quarto postquam decesserat anno, Gregorius nonus in Diuarum retulit numerum.

Nota pro cōfirmando loco purgatorij.

Obdormit in Domino.

Adscribitur Sanctis.

VITA SS. SEVERINI, EXVPERII & Feliciani Martyrum, ex Breuiario Viennensi.

XIX. NOVEMBRIS.

VICTORIAS Martyrum & agones feliciter consummatos, multi scriptorum memoriæ tradiderunt. Nobilissima igitur Galliarum Viennensium ciuitas legitur, ex qua ortus natiuitatis Seuerini, Exuperij & Feliciani esse perhibetur, fama veridicę locutionis, quæ à Venerio exule condita quarta ætate mundi, priusquā Romanæ arces à Remo & Romulo geminis conderentur. Postmodū verò Iulij Cæsaris tempore, quinque ex principibus Romanorū senatoriæ dignitatis, eam decen

Tēpus & locus natiuitatis SS. Seuerini Exuperij & Feliciani.

decentius construxerunt: & quinque castris totidemque legionibus insignitam, cingentes eam muris à flumine vsque ad flumen, totius Galliæ primatem constituerunt. Si quidem principia Euangelicæ prædicationis ita sibi nunciata sunt. Cum Paulus ad Hispanias proficisceretur, Viennæ Crescentem reliquit.

Viēna totius Galliæ Primas.

Qui cum populis verba diuini seminis ostendisset, regressus ad Galatiam Zacharias ex Apostolorum discipulis, eius in loco ponitur, quo ibi per martyrij confessionem coronato, succedit Martinus, iniunctum sibi officium longè lateque prædicando & docendo beatissimo fine compleuit. Post quem Verus de discipulis Apostolorum etiam vnus Viennensem Ecclesiam regit, & sub Cæsare Traiano coronatur martyrio.

Episcopi qui Ecclesiæ Viēnensi præfuerunt vsque ad horum sanctorum tempora.

Vero itaque feliciter consummato, Iustus nomine & opere præponitur Viennæ. Et hic temporibus Antonini cognomento Pij & Antonini minoris floruit, quo tempore Ireneus Lugdunensis Episcopus adhuc presbyter habebatur. Huius Iusti tempore, fertur persecutio grauissima Christianorum in vrbe Vienna fuisse, quando multi Christianorum martyrio coronati sunt inter quos Seuerinus, Exuperius, & Felicianus, sicut nobilitatis titulo clari, ita religione Christiana prædicantur deuoti. Quos cum minister tanti sceleris constantiam illorum inuincibilem perpenderet, nec vlterius ad sacrificia dæmonum posset reuocare, sententiam proferens suæ crudelitati ait ministris suis, Inuictissimorum principum custodite præcepta, & quos illorum pietas hactenus sustinuit vt diis immolarent & viuerent, non obedientes pio præcepto Cæsaris pariter trucidentur.

Mandatum principum Ethnicorum aduersus Christianos.

Ducuntur ad sacrificia, contemnuntur idola dæmoniis plena, per responsa veridica ore martyrum prolata. Tunc ducuntur ad locum certaminis, accipere sententiam decollationis. Religiosa oratione peracta, ponunt genua, ac deinde feriuntur gladio. Quorum corpora in vicino vrbis prædio Brĕniaco nomine, decenter sunt condita.

SS. Seuerinus Exuperius et Felicianus animantur ad sacrificia Ethnicorum.

Tempore Constantini gloriosissimi Augusti ad fidem Christianam per beatum Syluestrum conuersi, Ecclesia Viennensis regebatur ab illustri viro Pontifice Paschasio. Eodem quoque tempore corpora sanctorum martyrum Seuerini, Exuperij, & Feliciani, ipsis se reuelantibus reperta sunt, cùm iam per multa tempora latuissent loco Brenniaco, & à loculo sublata, in basilica beati Romani Martyris quæ iam dictæ ciuitatis parte Orientali sita est tumulantur sub ara altaris. Deinde annorum curriculo labente: sub tempore

Eorum translatio sub Paschasio & Bernardo Ecclesiā Viēnensem regentibus.

ræ? Quid ſplendidius ea quam ſplendor elegit? Quid caſtius ea quæ corpus ſine corporis contagione generauit? Nam de cæteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non ſolùm corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior: non in incerto diuitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens, intenta operi, verecunda ſermone, denique arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere.

En catalogū virtutū eius.

VITA S. COLVMBANI ABBATIS,

partim ex illa eius prolixa per Ionam, partim ex vita S. Galli.

XXI. NOVEMBRIS.

COLVMBANVS, qui etiam Columba vocatur, in Hybernia ortus eſt, inter ipſa fidei illic naſcentis primordia. Genitrix eius cū concepto fœtu grauida eſſet, vidit è ſinu ſuo rutilantem Solem, nimióque fulgore micantem, procedere. Porrò Columbanus exactis infantiæ annis, cùm in pueritiæ ætate pubeſceret, liberalium literarū ſtudiis & Grammaticorum literis capaci ingenio operam nauare cœpit, in eaque per omne pueritiæ & adoleſcentiæ tempus perſeuerans, vſque in virilem etiam ætatem magna animi contentione eandem proſecutus eſt. Et iam quidē haud fruſtratum laborem non mediocri ingenio in Grammatica, Rhetorica, Geometria, & ipſis quoque Scripturis diuinis cōſumpſerat, cùm relicto natali ſolo, quod Lagenorum terram incolæ nominant, ad virum venerabilem, qui Senilis dicebatur, contulit, qui eo tempore ſingulari religione, & ſcripturarum ſacrarum eruditione inter ſuos pollebat. Qui cum eūm ſagacis ingenij eſſe videret, omnium diuinarum Scripturarum ſtudiis eum imbuit. Vbi ſanè vſque adeò profecit, vt intra adoleſcentiæ metas conſtitutus, Pſalmorum librum elimato ſermone expoſuerit, multaque alia, quæ vel cantari ſint digna, vel ad docendum vtilia conſcripſerit. Deinde verò operam dedit, vt etiam monachorum adiungeretur ſocietati.

S. Columbani genus.

Inſigniter proficit in omni genere ſcientiarum.

ITAQVE monaſterium Benchor petiit, cui tum præerat virtutū vbertate clarus beatus Commogellus egregius inter ſuos monachorum Pater, quiq; religionis ſtudio, & regularis diſciplinæ cultu præcipuus habebatur. Ibi autem ſolis orationi

Fit monachus.

tionibus & ieiuniis vacare cœpit, & leue iugum Christi in suos humeros recipere, sibique semetipsum abnegando, & crucem suam tollendo Christum sequi vt qui aliorum doctor futurus erat, ipse, quod doctrina didicerat, in suo corpore priùs mortificationem ferẽdo copiosiùs exemplo monstraret, quid alij ab ipso docendi facere deberent. Quo in monasterio cùm multos annos egisset, tandem tactus desiderio peregrinandi, venerabili Comogello mœrente, nec tamen Dei arbitrio resistere volente, vigesimum ætatis annũ agens cum duodecim comitibus, quorum animos idem feruor accenderet, adscendẽs nauium, venit in Britanniã, & inde ad Galliam. Vbi à Rege Sigeberto humaniter suscepti, accepta ab eo optione comorandi vbi vellent, cùm eremum quæ * Vosegus dicitur, intrassent, inuenerũt locum muris antiquitus septum, calidis aquis irriguũ, sed iam vetustate collapsum, qui vulgo Luxouium vocabatur. Quo in loco illi oratoriũ in honorem S. Petri construentes, mansiunculasque in quibus commanerent, facientes, ita conuersationis suæ odorem diffuderũt, vt multi, non solum de genere Burgundionum, sed etiam Francorum amore vitæ laudabilis ad ipsos confluentes, omnibus suis ad locum contraditis, monasticæ vitæ habitum ibi susciperent.

Cum duodecim sociis suscipit vo-untariam pro Christo peregrinationem.

** Vosegus.*

Venit ad locum dictum Luxouium.

LAVDABATVR igitur beati Columbani sanctitas ab omnibus, colebatur à cũctis, adeò vt Theodoricus Rex, filius Childeberti, nepos Sigeberti, qui eo tempore Burgũdionibus regnabat, ad eum sæpè veniret, & precũ eius suffragia summa cũ deuotione deposceret. Verũ enimuero cùm pater sanctus eundem increparet, cur concubinarum pollueretur amplexibus, & non potiùs legitimi coniugis connubio frueretur, Brunechildis auia Regis, videns Regem viri Dei consiliis auscultare, se autem, si abiectis concubinis, Regina in consortium regni assumeretur, dignitate minuendam, non cessauit post multas iniurias, quas viro Dei per Regem à se incitatum machinata est, donec illum regno suo deturbaret. Et vt scias, Lector, quid possit reprehensa superba malitia, Theodoricus Rex priùs virum sanctum veneratus, nunc, vt prætexebat, ô magnum crimen, quia nolebat Columbanus secularibus hominibus ad secreta monasterij sui septa aditum patere, misso illuc militari præsidio ignominiosè eum monasterio exturbat, iam post incolatũ eremi illius anno vigesimo; atque adeo iubet Sophronio Nannetensi Episcopo, & Theobaldo Comiti, vt eum naui impositum in Hyberniam remittere

Inclarescit eius sanctitas supra modũ.

Reprehendens Regem pro suis sceleribus, expellitur suo monasterio.

festi

festinent. Et quidem faciunt illi metu Regis quod erant iussi; at verò cum in alta pelagi nauis esset deducta, vndarum se obiecêre moles, nauemque ad littus redire coëgerunt, ita etiam, vt mox deinde subsidentibus vndis mare quiesceret, maneretque per triduum nauis sine vndis. Quo miraculo omnibus non immeritò permotis, facileque videntibus non esse diuinæ voluntatis, vt beatus vir in Hyberniam reuerteretur, ipse ad Clotarium Regem profectus est.

Insigni miraculo confunditur Rex improbus.

APVD quem cùm aliquanto tempore moraretur, rogauit vt adiumento ipsi esset, quo per Theodeberti regnum in Italiam per Alpium iuga peruenire posset. Itaque venerabiliter Ad Theodebertum est missus. A quo honorificè susceptus, cùm per aliquot dies ei Colũbanus scripturas sacras aperuisset, ille molestè ferens tantorum discessum virorum, permisit eis licentiam eligẽdi locum vbicumque voluissent. Vbi dum loca plurima perlustrassent, venerũt intra partes Alemanniæ ad fluuium qui Limagus vocatur. Iuxta quem ad superiora tendentes, peruenerunt ad lacum Turicinum. Vbi cum per littus ambulantes venissent ad caput lacus ipsius, in locum qui Tucconia dicitur, placuit illis loci qualitas ad inhabitandum. Sed verò homines ibidem commorantes crudeles erant & impij, simulachra colentes, idolaque sacrificiis venerantes. Inter quos cùm sancti homines habitare cœpissent, docerẽtque eos verum Deum, beatus Gallus sancti viri Columbani discipulus zelo pietatis armatus, fana in quibus Dęmonijs sacrificabant, igni succendit; & quæcunque inuenit oblata, demersit in lacũ. Qua re idololatræ illi permoti, communi consilio Gallum perimere voluerunt, Columbanum quoque flagellis cæsum de suis finibus proturbarunt.

Venit in partes Alemanniæ.

Rursum cogitur cedere loco.

QVOD viri sancti cognoscentes, ne inaniter arida corda diutius irrigarẽt, qui beneuolis mentibus quàm plurimũ interim prodesse potuissent, pergentes inde peruenerunt in Castrum quod Arbona vocatur, vbi inuenerunt presbyterum bonitate conspicuum nomine VVillimarum. Qui cùm eos edocuisset de loco solitudinis apto, antiquæ structuræ seruante vestigia, indicans nomen eius Brigantium, venerabilis Columbanus cum comitibus Gallo & quodam Diacono, nauem conscendentes, inuocato nomine Domini, ad locum desideratum via recta peruenerunt. Ac deinde egressi de nauicula, oratorium in honore sanctæ Aureliæ constructum adierunt, quod etiam postmodum beatus Colnmbanus in priscum

Venit ad locum dictum Brigantium.

priscum renouauit honorem, Etenim cum Columbanus beato Gallo id iniunxisset officij, vt populum ab errore idololatriæ exhortatione salutari reuocaret, quia ipse hanc à Domino gratiam meruit, vt non solum Latinæ, sed etiam Barbaricæ locutionis cognitionem non paruam haberet, ipseq; illud strenuè exequeretur, ædificata cellula permansit ibi beatus Colũbanus cum commilitonibus suis labore manuum suarum victitantes, idque adeo tribus annis, donec scilicet, nonnullis ciuium propter idolorum suorum abolitionẽ contra eos commotis, Duce etiam locorum Gunzone deinde contra eos furente, ac postremo per eius satellites duobus ex Fratribus interfectis, ad Agilulphum Longobardorum Regem vir Dei se contulit.

Construit eo in loco sibi & socijs cellulam.

Rursum expellitur, & venit in Italiam.

QVI cùm eum similiter cum honore excepisset, itidem ei optionẽ dedit vt quocumque Italiæ loco vellet, habitationem sibi deligeret. Itaque dum eo tẽpore apud Mediolanum moratur, atque interim hæresum fraudes atque Arrianæ perfidiæ machinas scripturarum cauterio discerpere ac dissecare conatur, edito etiam aduersum illos florentissimæ scientiæ libello, ecce vir quidam Iucundus nomine ad Regem venit, indicat se in solitudine ruribus Apenninis beati Petri Apostolorum Principis Basilicam scire, in qua experimento didicerit, virtutes & miracula fieri, locum ipsum esse vbertate fœcundum, aquis irriguum, piscium copia abundantem; veterum traditione eum Bobium appellari, à riuo quodam sic dicto illic manante, cui adiunctus sit, & amnis Trebia. Quò cùm vir Dei magna animi intentione peruenisset, basilicã illic semirutam reperit, quam penè restaurans, prisco decori restituit. Porrò beatus Columbanus cùm annum vnum egisset in monasterio Bobiensi; vita beata functus est, & animam corpore solutam Christo feliciter reddidit vndecimo Calend. Decembris. Cuius strenuitatem si quis amplius nosse velit, in eius quoque dictis reperiet. Reliquiæ verò eius in loco conditæ habentur: vbi & multis miraculis pollent.

Fundat monasterium Bobiense, & paulo post moritur.

DE S. CÆCILIA VIRGINE ET *Martyre, ex Ordinario nouo.*

XXII. NOVEMBRIS.

S. Cæcilia à prima ætate statim vouet virginitatem.

CÆCILIA virgo Romana nobili genere nata, à prima ætate Christianæ fidei præceptis instituta, virginitatem suam Deo vouit. Quæ cùm posteà contra suam voluntatem data

data esset in matrimonium Valeriano, prima nuptiarum nocte hũc cum eo sermonem habuit: Ego, Valeriane, in Angeli tutela sum, qui virginitatem meam custodit: quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te concitetur. Quibus verbis commotus Valerianus illam attingere non est ausus, quin etiam addidit, se in Christum crediturum, si eum Angelum videret. Cui Cæcilia, cùm sine baptismo negaret id fieri posse, incensus cupiditate videndi Angelum, se baptizari velle respondit. Quare hortatu Virginis ad Vrbanum Papam, qui propter persecutionem in martyrum sepulcris via Appia latebat, veniens, ab eo baptizatur. Inde autem ad Cæciliam reuersus, orantem, & cum eo Angelum diuino splendore fulgentem inuenit. Quo adspectu obstupefactus, vt primùm ex timore confirmatus est, Tiburtium quoque fratrem suum accersit: qui à Cæcilia Christi fide imbutus, & ab eodem Vrbano baptizatus, & ipse etiam eiusdem Angeli, quem frater eius viderat, adspectu dignatus est. Vterque autem paulo pòst Almachio præfecto, constanter martyrium subiit.

Desponsata in nuptia cuidam Valeriano, eundem simul & fratrem eius lucratur Christo.

QVI mox quoque Cæciliam comprehendi imperat, ab eaque primùm, vbi Tiburtij & Valeriani facultates sint, exquirit. Cui cùm virgo omnia illorum pauperibus distributa esse respondisset; eo furore concitatus est, vt eam in in ipsius ædes reductam, in balneo comburi iusserit. Quo in loco cùm diem noctemque ita fuisset, vt ne flamma quidem eam attingeret, eò immissus est carnifex, qui ter securi ictam, cùm caput abscindere non potuisset, semiuiuam reliquit. Itaque illa triduo pòst, decimo Calendas Decembris, Commodo Imperatore, duplici virginitatis & martyrij palma decorata, euolauit in cælum: cuius corpus ab Vrbano Pontifice in Calixti cœmiterio sepultum est, in eius ædibus ecclesia ipsius Cæciliæ nomine consecrata. Denique eius & Vrbani Papæ, Tiburtij ac Valeriani corpora à Paschale primo Pontifice inde translata in Vrbem, in ecclesia sanctæ Cæciliæ condita sunt.

Comprehẽditur pro cõfessione fidei.

Cõsummatur glorioso martyrio.

DE S. CLEMENTE PAPA ET MARTYRE, *ex Ordinario nouo.*

XXIII. NOVEMBRIS.

CLEMENS Romanus, Faustini filius, de regione Cœlij mõtis, discipulus beati Petri, cuius meminit Paulus scribens ad Philippẽses: Etiam rogo & te germane cõpar, adiuua

S. Clemẽs discipulus d. Petri, & quo modo curarit scribi gesta Martyrum.

illas quæ mecum laborauerunt in Euangelio, cum Clemente & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. Hic septem vrbis regiones diuisit septẽ Notariis, singulas singulis attribuens, qui vitas martyrũ, & res ab eis gestas diligentissimè conquisitas, literis mandarent. Multa scripsit & ipse accuratè & salutariter, quibus Christianam religionem illustrauit. Denique cùm doctrina ac vitæ sanctitate multos ad Christi fidẽ cõuerteret, à Traiano Imperatore relegatus est in insulam Lyciæ, in solitudinẽ vrbis Cersonæ, in qua duo millia Christianorum reperit, qui ab eodem Traiano condemnati fuerant. Qui cùm in eruendis & secandis marmoribus aquæ penuria laborarent, Clemens, facta oratione, in vicinum collẽ adscendit, in cuius iugo vidit Agnum dextero pede fontem aquæ dulcis, qui inde scatebat, attingentem; vbi omnes sitim expleuerunt: eoque miraculo multi infideles ad Christi fidem conuersi, Clementis etiam sanctitatem venerari cœperunt.

Relegatur in exilium.

Christianis aquæ penuria laborantibus, diuinitus impetrat fontem.

QVIBVS concitatus Traianus, misit in insulam qui Clementem, alligata ad eius collũ anchora, in profundum deiicerent. Quod cùm factum esset, Christianis ad litus orantibus mare ad tria miliaria recessit; quo illi accedentes, ædiculam marmoream in templi formam, & intus arcam lapideam vbi martyris corpus conditum erat, & iuxta illud anchoram qua mersus fuerat, inuenerunt; atque hoc etiam miraculo incolæ permoti, Christi fidem susceperunt. Eius corpus postea Romã Nicolao primo Pontifice translatum, in ecclesia sancti Clementis conditum est. Ecclesia etiam eius nomine in eo insulæ loco, vnde diuinitus fons manarat, dedicata est. Vixit autem in Pontificatu annos nouem, menses duos, dies decem. Fecit ordinationes duas mense Decembri, quibus creauit Episcopos per diuersa loca quindecim, Presbyteros decẽ, Diaconos duos.

Submergitur in mare, vbi vide insigne miraculum.

VITA S. TRVDONIS PRESBYTERI,

partim ex ea quæ est per Theodoricum Abbatem, partim ex D. Io. Molano.

XXIII. NOVEMBRIS.

SANCTVS Trudo in Hasbania natus, quæ olim cũ Lotharingia censebatur, ortus est ex parentibus qui multas ditiones habebant in Flandria, Hasbania, & Campania, ob quas dignitates, nomineq; Comitũ celebrabantur. Sed quod summo loco

S. Trudonis genus.

mo loco ponas, insigniter pij erant: vnde etiam Adela mater in Zeelem apud Diesthemium, quod iuris hæreditarij erat, quiescit, eleuata in altari: eiusque os permagnum, & pars maxillæ in monasterio Trudonensi visuntur. Trudo adhuc puer, tam largus fuit in eleemosynis, vt boni eius vix modū nouerit; atq; adeo à primæua ætate, adhuc licet positus sub tutore, numquam calore æstiuali, numquam frigore prohibitus est hyemali, quin statim vt nudum aut indigentem obuium habuisset, singularem licet tunicam aut dimidiaret, aut integram erogaret. Mortuis parentibus, adiit consilio S. Remacli Tungrorum Episcopi, Clodulphum Episcopum Metensem. Erat is S. Arnulphi ex Duce quondam Episcopi, & ex Episcopo solitarij carnalis filius, & tertio nihilominus loco eiusdem Episcopatus successor, paternarumque virtutum simul sanctissimus æmulator. Ad quem cùm venisset beatus Trudo, primò omnem hæreditarij fundi sui possessionem, quam in territorio Hasbaniensi, loco qui vocatur Sarchinium super fluuium Cisindriam possidebat, beato protomartyri Stephano in vsus ecclesiæ Metensis tradidit: deinde transfertur ipse ad liberalium instrumenta artium: vbi iacto in primis fundamento Grammaticæ, mira facilitate superædificat statim totum illud genus scientiæ.

Etiam puer sæpe eqüeter sibi detrahebat quo pauperes vestiat.

Educatur apud Clodulphum Episcopū diligentē.

TAEDIO etiam, plerumque vt solet, si afficeretur, solatium sibi Psalmos adhibebat; eos intenta mente ruminabat, & mira alacritate laborando vires resumebat; elongansq; se fugiendo, manebat in solitudine. At verò vbi ad Ecclesiasticas ventum est scripturas, tanto earum amore ductus est, vt præterita omnia contemneret, & in adipiscendo Clericatu totum se quasi expediret, Ingressus itaque ecclesiā beatissimi Protomartyris renunciat scholasticis, manibusque Episcopi sui tonsuratus exuit laicum; & indutus clericatum, iuratus in Christi bella miles assumitur, & ad expugnādum Pharaonis equitatum gladio Spiritus sancti accingitur. Proficiebat autem giganteis, vt ita loquar, passibus per gradus Ecclesiasticos, donec concordi acclamatione omnium peteretur, imò traheretur ad Sacerdotium. De quo sanè nequaquam dignè explicuero, quanta non tantùm corporis, sed & animæ munditia sancta illa tractauerit. Ieiunia & eleemosynas si loquar, parum est: sicut nec hoc magnum est, si continentiam, & suimet pro Christo contemptum attulero. Minima enim hæc & puerilia eius fuerunt, & in quibus totus est educatus.

Tonsuratur Clericus.

Sacerdos factus redit in Hasbaniam.

MVLTIPLICATIS autem diebus, cùm iam in eo esset, vt lucrati talenti sanctissimas merces natiua quoque eius terra experiretur, morum & ætatis iam adepta maturitate, acceptaque auctoritate ab Apostolatu sanctissimæ Metensis ecclesiæ, accingitur in redeundo ad partes Hasbaniæ, quæ magna ex parte tunc adhuc seruiebat sub idolo, atque ideò cultore egebat Catholico. Quò cùm venisset, multiplicabantur mox sata Euangelij, & crescente religione, nouus quotidie populus ad ecclesiarũ castra conuolabat, & lucratæ animæ in vnitate fidei componebantur. Qua re ille plurimum delectatus, optimum factu arbitratur Christiano exercitui etiam cœnobialem vallum erigere, vbi cum impugnante se inimico, fide magis quàm iaculo, & oratione quàm gladio dimicaret. Nec mora. Voti non immemor præsidij, ad Christum conuertitur, cooperationis beneficiũ vt præstet, deprecatur. Recolens etiã voti, suæ licet quondã puerilitatis, & quia periculosè vouetur quod post votum non redditur, concepta auctoritate, lineam iacit fundandæ ecclesiæ, ac deinde dedicatam per beatum Theodardum, sanctissimi martyris Quintini, necnon & gloriosi Rhemorum Archipræsulis Remigij memoria reliquiisque eam honorat. Dote dehinc sufficienti ex collatione adiecta, fidelis multitudo adunatur; cœnobium beati Trudonis seipso auctore inchoatur: quo etiam tempore Floriacense S. Benedicti cœnobium à Leodeboodo Abbate fundatur.

Extruit in proprio fundo monasteriũ.

INGREDIVNTVR illuc palatina dignitas, & curialium fastus cum paupere, & ex seruitio conuertente, portare iugum Domini; nec discreuit sancta animalia diuitiarum aut paupertatis conditio, quæ ad seruitium omnipotentis Dei charitatiua iugauit religio. Multi præterea nobilium, filios cum patrimoniis in commutationem supernæ hæreditatis ibidem deuouerunt, felices sub talis doctoris magisterio, qui nil præter cælestia, nil docebat aliud quàm spretis carnalibus ambire spiritualia. Cuius omnis sermo sufficienti sale conditus, & in nationes eloquij eruditionem diffundens, multos ad Deum præmisit, innumerabiles etiam ad sequendam magistri viam informauit. Condidit autem & aliud quoque monasterium, simul & dotauit, quod similiter S. Trudonis vocatur, medioq; milliario dissitum est à Brugis Flãdriæ ciuitate. Quæ id temporis cum vniuerso suo agro iure paterno ditionis eius erat, licet non ita inclyta, vti creuit postea: vbi & octoginta monachos aluit. Porrò habebat vir beatus vsitatissimum memorias

Plures viri nobiles ibidẽ offerunt Deo suos filios.

Item cõstruit adhuc monasteriũ aliud.

Sancto

Sanctorum frequentare, quas circumeundo, quasi ocium laborem itineris reputabat. Quod tamen tanta celabat industria, vt die dissimulans, nocti semper se magis crederet; aliisque diurnum tædium nocturna quiete consolantibus, solus ipse, & sine arbitris fatigatione sua perfrueretur.

Noctu discurrit per memoriam Sactorũ.

FVNDVS erat cui Falinio vetustas vocabulum indidit, & in eo memoria B. Martini, tribus fermè millibus à Sarchinio disparatus. Alius similiter viculus Septẽbuas, pari distans spatio, beatæ virginis Genouefæ nomini titulatus. Hos, partito labore, ita sibi æquauerat, vt alternatis noctium vicibus, nunc hunc nũc illum inuiseret, nec vlla nox prorsus præteriret, quin alterutrum frequentaret. Attendebant verò intereà in cælo testes Angeli, labores præliantis conciuis sui; ac deinde circa finem certaminis occupato, etiã ipsa Imperialis maiestas Deus, immortalitatis ei nectebat coronam. Bis terque inclamans, Quando veniam & apparebo ante faciem tuam Domine? statim consolatur, & de vicina die, & hora obitus sui præmonetur. Accedit infirmitatis languor, arent membra languore, & superducta cute, rigẽtibus neruis, consumpta caro figmentum hominis vix prætendebat. Defecerat iam penè spiritus, & tamen de contemptu mundi, de amore Dei quandã viuæ vocis efficaciã lingua moriens exprimebat. Facta hora, allatis viuificis mysteriorum Sacramẽtis participat: & reiectis oculis, ne circa exteriora hæc ampliùs occuparentur, conciues sanctorũ choros aduenisse recognoscit. Tum verò protensis manibus, toto corpusculo in obuiam chari exercitus erecto, ingeminato signaculo Crucis, Dirige, inquiens, Domine, viam famuli tui in conspectu tuo; in manus Saluatoris caput reclinauit, nono Cal. Decembris, Traiecti præsidente S. Lamberto.

Cupit dissolui & esse cum Christo.

Occurrẽtibus sibi Sãctorũ choris, migrat in cælum.

VITA S. CHRYSOGONI,

ex Io. Maldonato Hispano.

XXIV. NOVEMBRIS.

CHRYSOGONVS Diocletiani Cæsaris imperio sub arctissima Romæ custodia biennio fuit, soláque Anastasia inuẽta est, quæ miseriam eius, literis eleganti stilo scriptis, alleuaret, vt quæ ab eo didicerat, esse Christiana. Ipse quinetiam posteà diuam Anastasiam epistolis fouit ac subleuauit, admonẽs sæpissimè, carceris squallorem ac inediam, quibus erat à viro mancipata, vt æquo ferret animo, Iesum suis neutiquam de-

S. Chrysogonus biennio in carcere detentus.

fore cultoribus. Diocletianus autem Christiano nomini infestissimus, Chrysogonum tandem euocat, defert ei vltrò præfecturam, defert consulatum, honores quos maiores eius gesserant, dum sacrificet diis. Cui Chrysogonus vnum refert Deum suspiciendum, adorandum: Deos autem gentium, quos dæmonum sciret receptacula, explodendos, detestandos. Non tenuit Diocletianus iram, sed ad Scalas mox iussit Gemonias Chrysogonum trahi, & ibi trucidari. Corpus in profundum pelagi deiectum, ad saltus (sic vocant) repertum est. Zoilus presbyter vndis iactatum excepit, & suos intra penates sepeliuit. Caput etiam oraculi voce repertum, corpori adiunxit.

Honores ob latos recusat.

In mare deijcitur.

DE S. CATHARINA VIRGINE ET *Martyre, ex Ordinario nouo.*

XXV. NOVEMBRIS.

CATHARINA nobilis virgo Alexandrina, à prima ætate studia liberalium artium cum fidei ardore coniungens breui ad eam sanctitatis & doctrinæ perfectionem peruenit, vt decem & octo annos nata, eruditissimum quemque superaret. Quæ cùm Maxentij iussu multos propter Christianæ religionis professionem variè tormentis cruciatos ad suppliciũ rapi videret, non dubitanter ipsum adiit Maxentium; eique nefariam immanitatem obijciens, sapientissimis rationibus Christi fidem ad salutem necessariam esse affirmauit. Cuius prudentiam Maxentius admiratus, retineri eam iubet, accersitis vndique doctissimis hominibus, maximisque propositis præmiis, eis, qui conuictam Catharinam, à Christi fide ad idolorum cultum perduxissent. Quod contrà accidit. Nam quinquaginta Philosophi, qui ad eam coarguendam conuenerant, vi ac subtilitate eius disputationis tanto Iesu Christi amore sunt incensi, vt pro illo mori non dubitauerint.

S. Catharina decem & octo annos nata, superat doctissimũ quemque.

Comprehensa pro fide, lucratur Christo quinquaginta Philosophos.

QVAMOBREM Maxentius bláditiis ac promissis Catharinam de sententia deducere aggreditur: verũ id frustra fieri intelligés, verberibus affectam, plumbatisque cótusam, dies vndecim sine cibo ac potu inclusam tenet in carcere. Quo tempore Faustina Maxentij vxor, & Porphyrius belli Dux, visendę Virginis causa carcerem ingressi, & eiusdem prędicatione in Iesum Christum credentes, postea martyrio coronati sunt. Interim Catharina educitur è custodia; & rota expeditur

tur crebris & acutis præfixa gladiis, vt Virginis corpus crudelissimè dilaceraretur. Quæ machina breui Catharinę oratione confracta est; eoque miraculo multi Christi fidem susceperunt. At verò Maxentius in impietate & credulitate obstinatior, Catharinam securi percuti imperat. Quę fortiter dato capite, ad septimum Calendas Decembris ad duplicatum virginitatis & martyrij præmium euolauit: cuius corpus ab Angelis in Sina Arabiæ monte mirabiliter collocatum est.

Cõfringit suâ oratione terribilem rotæ machinam, sibi torquendæ præparatam. Sepelitur ab Angelis in monte Sina.

DE S. CONRADO EPICOPO CONstantiensi, ex *Addis ad D. Petrum Episcopum Equilinum.*

XXVI. NOVEMBRIS.

SANCTVS Conradus Episcopus genere Alemannus, parentibus simul & virtutibus nobilis, primo à Notingo Cõstantiensi Episcopo causarum auditor Episcopatui præfectus, ac deinde etiam maiori Ecclesiæ præpositus est. Vbi cum in magna perfectione se dudum gessisset, tandem, defuncto Nothingo, à sancto Vdalrico post indictum triduanum ieiunium Constantius Episcopus quamuis renitens cõstituitur: vbi tres erexit ecclesias; in quarum vna videlicet beati Mauricij sepulchrum Domini, Hierosolymitano illi simillimum extrui curauit; nec nõ & Dei genitricis templum preciosis reliquiis decorauit. Quin & ter deuotione impulsus sepulchrum Domini in Hierusalem visitauit. Ac denique in die Paschæ peracta consecratione araneã in calicem delapsam fiducialiter deglutiuit, quæ & miraculosè postea, ipso ad mensam expectante, omnibus videntibus, ex ore eius exiuit. Porrò & Gebhardo adolescenti post Gamelomim sibi successurum in Episcopalem sedem prædixit, quod & ita euenit. Et sic scilicet inter optimas operationes in Domino diem clausit extremum, Anno salutis nongentesimo sexagesimo sexto, sexto Cal. Decemb.

S. Conradus creatus Episcopus à S. Vdalrico.

Nota.

VITA S. MAXIMI EPISCOPI RHEgiensis, ex ea quæ est per *Dinamium Patricium.*

XXVII. NOVEMBRIS.

BEATVS Maximus in vico proprio, cui Decomero vocabulum est, vitæ sumpsit exordium, Christianis parentibus ditus, & factus ilico Christianus. Ab ipsis infantiæ rudimen-

S. Maximi natales.

tis ſublimi ſemper humilitate creſcens, ita teneros ætatis annos morum maturitate caſtigauit, vt proprietatem nominis ſui, gratia ſanctitatis ſibi merito vēdicaret. Sed & poſteaquam exceſſit ex ephebis, luxuriæ illecebras & blandimenta, animi magiſterio & cenſura edomabat, vt pollicitatione virginitatis palmam incorruptæ integritatis obtineret, & in regnis cæleſtibus, è carne ſub iugum miſſa triumpharet. Porrò etiam omnem facultatum ſuarum copiam deſerens, Lirinenſe monaſterium petiit, vbi ſempiternas diuitias iuſtus inueniret, Euāgelica ſecutus præcepta, ſciens ſe perfectum fieri nō poſſe, niſi venderet omnia ſua, & à cunctis opibus alienum ſe faceret: in qua etiam congregatione cùm omnes perfecta charitate diligeret, ipſe itidem ab omnibus amabatur. Tantus verò in eo feruor exſtitit, vt antequam monaſticam viuendi Regulam complexus eſſet, vel myſtica inſtituta, iam tunc conuerſatione præcipuus videretur, ac deinde ſancto Honorato deceſſori ſuo, ſummis virtutibus ornatiſſimo, qui illic Abbas fuerat, & honore ſuccederet, & meritis æquaretur. Qua in functione, cùm gregem commiſſum paſtorali ſolertia ſtrenuè cuſtodiret, poſtea fama inſignium virtutum eius per orbē vniuerſum volitante, ad Rhegienſis vrbis Epiſcopatū non modò ciuium, ſed etiam Sacerdotum ſiue Præſulum omnium ſtudio, nō minùs raptus quā electus, & quāuis inuitus, illico cōſecratus eſt.

Relictis omnibus, venit ad monaſterium Lirinenſe.

Fit Abbas, ac deinde Epiſcopus.

Etsi autem iam & re nomine Maximus vix habere videretur in quo ampliùs creſceret, ne quid tamen nomini decederet, ſicut opere & factis erat maximus, ita & in honore debuit excellere. Erat autem patientia fortis, beneuolentia patiens, libertate alacris, liberalitate abundans, humanitate mitis, ſedulitate diligens, charitate ſuauis, doctrina præſtans, iuſtitia ſingularis, humilitate ſublimis, opum contemptor. Templum in Rhegienſi caſtello, in beati Albini honorem, quanta potuit animi deuotione condidit, cuius columnas, quas hodieque illic cernere licet, iuga boum eò pertraxerunt, & quidem ita, vt nullam ſentirent tanti ponderis moleſtiam, quam diu ille ad templi ſtructuram operarius indefectus adeſſet: qui ſi abeſſet, nequiſſimi dæmonis occulta machinatione adeò earum pondere premebantur boues vniuerſi, vt nullis ſtimulis adigi poſſent ad progrediendum. Cæterùm teneros corporis ſui artus vir ſanctiſſimus perpetua cilicij aſperitate domuit, quo pro interiori tunica vtebatur, nec id Crucis ſtudio vnquam depoſuit, ſed in illo etiam ſe iuſſit ſepeliri. Lauacris

Extruit inſigne templū, vbi & vide pulchrum miraculum.

Perpetuò geſtat cilicium.

cris verò vti nunquam voluit, ne scilicet animi constantia, qua calcatis carnis oblectamentis & illecebris martyrium sustinebat, emollesceret.

CAECVS sanè quidam annis quindecim perpetua damnatus caligine, virum sanctissimum continĕter deprecabatur, vt suis precibus lumen ipsi reformaret. Quod quidem Episcopo ob vitandam ostentationem differĕte, idem cæcus rogauit Rusticum Subdiaconum, qui ei seruire consueuerat, vt noctu, Episcopo Ecclesias visitante, ipsum perduceret ad templi vestibulum, vnde ille esset ęgressurus. Fecitque id Subdiaconus; cum ecce vir beatus dum vult excedere ē templo, in cæcum pedibus molliter impingit. Tunc verò cæcus eius veneranda vestigia supplex amplectitur, orat, visum sibi vt restituat. Itaque Episcopus obsecrat Dominum; Crucis signum imprimit oculis eius; & diu exstincta lumina mox reparantur. Innumera autem sunt & alia beati Antistitis miracula; sed nō possunt omnia commemorari, quamtumuis prolixa texeretur oratio. *Illuminat quendam cæcum.*

ECCE autem intereà, dum tot claret miraculis, & immensis mysteriis, diem obitus sui diuina reuelatione cognoscit. Tum verò publicè summa humilitate ab omnibus contendit, vt ipsi permitterent priùs natale solum, & propinquos inuisere suos. Quod etsi illis magnum adferret animi dolorem, attamen abiit ille ad suos, obitumque suum iam imminere illis prædixit. Itaque aduentu suo eòs mirum in modum exhilaratos, hoc tristissimo nuncio non mediocriter rursum perturbauit. Et (ô verè mirabilis Deus in Sanctis suis!) dum ille se tamquam somnum capturus in lectulo reponit, inter psallendum sub officio diuino extremum halitum efflat, feliciterque commigrat in cælos, quinto Calendas Decembris. Importatum denique est corpus beatissimi Antistitis in oppidum Rhegiense, & cum multa celebritate humatum in ecclesia beati Petri, quam ipse condiderat, quæ postea ipsius nomine appellata est ob crebra eius patrocinia: vbi quicquid fidenter petitur, Christo auxiliante obtinetur. *Prædicit de suo obitu.* *Obdormit in Domino.*

DE S. IACOBO INTERCISO MARTYRE, *ex iis quæ sunt tomo 7. R. P. Surii.*

XXVII. NOVEMBRIS.

IACOBVS martyr cognominatus Intercisus, nobilis genere, sed fide nobilior, ex regione Persarum & ciuitate Ela- *Meminit huius S. Iacobi Nicephorus l. 14. c. 20.*

pe oriundus fuit. Hic ex Christianissimis parētibus ortus est, & vxorem Christianissimam habuit, eratque notissimus Regi Persarum, & inter optimates primus. Accidit autē vt à Principe nimio amore seduceretur, & ad colenda idola flecteretur. Quod mater & vxor audientes, protinus sic ei scripserunt: Obediendo mortali, deseruisti eum qui vita est; & placendo futuræ citò putredini, deseruisti sempiternum odorem. Noueris igitur nos amodo à te futuras extraneas, nec tecum de cetero aliquatenus moraturas. Quas literas cùm Iacobus legisset, amarè flens, ait: Si mater mea quæ me genuit, & vxor mea extraneæ factæ sunt; quanto magis à me extraneus factus est Deus meus? Cùm ergo pro errore suo se plurimum afflixisset, nuncius venit ad Principem, qui diceret Iacobum Christianum esse. Quem Princeps aduocans, ait: Dic mihi, Nazaræus es? Cui Iacobus: Etiam, Nazaræus sum. Et ille: Ergo magus es Cui Iacobus: Absit à me magum esse.

Iacobus nimia familiaritate Regis idololatra, flectitur & ipse ad colenda idola.

Redit ad mentem, & constanter spondet pro fide.

CVM ergo ei multa supplicia minaretur, dixit Iacobus: Non me perturbant minæ tuæ, quia tamquam ventus flās supra petram, furor tuus aures meas citò pertransit: Cui Princeps: Noli imprudenter agere, ne graui morte pereas. Cui Iacobus: Hæc mors non mors, sed somnus potiùs est dicendus, cùm post modicum resurrectio tribuatur. Cui Princeps: Non te seducant Nazareni, dicentes mortem esse somnum, quia etiam magni Imperatores timent eam. Cui Iacobus: At nos non timemus mortem, quia de morte ad vitam transire speramus. Tunc Princeps amicorum consilio hanc super Iacobum tulit sententiam, vt ad aliorum terrorem, membratim Iacobus puniatur. Et quidem mox carnifex pollicem manus eius dexteræ abscidit, cùm exclamans Iacobus ait: Liberator Nazarene, suscipe ramum arboris misericordiæ tuæ: nam à cultore vineæ sarmentum abscinditur vitis, vt potiùs germinet, & vberiùs crescat. Cui carnifex: Si assentire vis, adhuc tibi parco, & medicamenta adhibeo. Cui Iacobus: Nonne perspexisti stirpem vitis, quia cùm amputantur sarmenta, ille nodus qui remanet, suo tempore, cum terra incalescere incipit, per singula abscisionis loca producit germina? Si igitur vitis putatur vicissitudine temporis, vt germinet; quanto magis fidelis homo, qui in vera vite Christo compactus est?

Iubetur puniri membratim.

Sapientissimè irridet crudelem cārnificē.

TVNC accedens carnifex, secūdum abscidit digitum, ac sic deinceps; Iacobo semper tormenta irridente, Deumque super omnia laudante. Cui cùm postremò omnium sinistri cruris sura

sura abscinderetur vsque ad femur, exclamans eleuata voce dixit: Dominator Domine, exaudi me femineum, exaudi viuorum & mortuorum Deus. Digitos Domine non habeo, vt ipsos ad te porrigam, nec manus vt eas ad te extẽdam, Pedes mei truncati, & genua mea demolita sunt, vt tibi genua flectere nõ valeam, & factus sum velut casura domus, ablatis quibus sustẽtur columnis. Exaudi ergo me Dñe Iesu Christe, & educ de carcere animã meam. Quod cùm dixisset, vnus de carnificibus accessit, & caput eius amputauit. At verò Christiani occultè accesserunt, & corpus eius rapientes, honorificè sepelierunt. Passus est autem quinto Calendas Decembris. *Consummat gloriosum martyrium.*

VITA S. RADBODI EPISCOPI

Vltraiectensis, & ea quæ est apud R. P. Laur. Surium.

XXIX. NOVEMBRIS.

BEATVS Radbodus è nobili Francorũ stirpe prognatus, parentes habuit Christianissimos. Nomen eius est quod consilij nunciũ Latinè possis reddere. Hic primæ ætatis tempus exegit apud Guntherum Coloniensem Archiepiscopum, auunculum suum, literis operam nauans. Cui Episcopo cùm res aduersæ accidissent, puer egregiæ indolis, hortantibus suis, plerisque etiam adiuuantibus, quippe quem Dei gratia, qua præditus erat, omnibus charum efficeret, primò ad Caroli Regis Francorum, inde ad Ludouici eius filij aulam se contulit, non quòd palatinos ambiret honores, sed quòd intra Regis palatium liberalium disciplinarum studia præclarè colerẽtur. Præerat gymnasio illi Manno philosophus; cui & sanctus Puer, feruens discendi studio, sedulus adhærebat, instarq. apis sedulæ literarum floribus insidens, multam inde eruditionis copiam collegit, donec omnium iudicio nõ mediocriter doctus est existimatus. Atque interim etiam virtute animi, adolescentiæ motus cõprimebat, carnis rebellionem parsimonia edomabat, mundum & mundana omnia cælestium amore contemnebat. Nec verò Regem eius latebat virtus. Nam quãto ille studiosius occultare se conitebatur, tanto eius fama vel maximè, inuito illo, latiùs populi ore diffundebatur. Fit itaque Regi charus propter morum integritatem, proceribus regni venerabilis, acceptus & probabilis populo, vt qui non obscurè Deo gratus & amabilis videretur. *S. Radbodi genus.* *Instituitur in aula imperatoris.* *Fit eius fama celebris.*

SED tamen, postquam Carolus, sub quo adolescentiæ annos

nos exegit, è vita discessit, suos volens inuisere, Lomaganium (sic enim vulgo eius patria vocabatur) adit. Porro etiam Hugoni summæ dignitatis Abbati, & ea tempestate inter Abbates præcipuo sese adiunxit, vbi & doctrinæ palmam præ cæteris tulit, simul etiam virtutum scalis semper ad altiora scandens. Interea verò Egilbertus Traiectensis ecclesiæ Præsul vitam cum morte commutat, cùm ecce mira Cleri & populi consensione, non sine nutu Dei, Rabdodus omnium dignissimus censetur, idem est & Arnulphi, qui tum regni moderabatur habenas, itemque Principum de eo iudicium. Itaque Cleri, Regis, Principum, populi studio & voluntate, vir sanctus primò quidem huius rei ignarus, postea verò frustra reluctans, Episcopus creatur. Qua percepta benedictione, æterni Regis miles processurus ad pugnam animo virili armis spiritualibus se accingit, mutat habitum, moribus addit maiora etiam ornamenta, Christique doctrinæ obtemperans, angustam valde complectitur viam, perfecteque regularis fit monachus. Et neque à carnium dumtaxat esu, sed ab omni ciborum voluptate abstinens, biduanis triduanisque ieiunijs animum pascebat, corporisque imbecillitatem vix ossibus hærentem, naturæ necessarijs, & vilibus sustentabat alimentis, interim tamẽ vultu hilaritatem præ se ferens, & ita se comparans inter suos, ac si delicatis cibis vesceretur.

Rediens in patriam, iungit se Abbati Hugoni.

Creatur Episcopus vltraiectensis.

Pascitur frequenter biduanis, triduanisque ieiunijs.

CVIVS quotidiana conuersatio quàm grata Deo, quàm optata & suauis hominibus fuerit, quotidiana illo virtutum augmẽta capessente, tametsi explicare nos pro dignitate non valemus, tamen vel pauca commemorabimus, accepta ab illis qui rebus gestis interfuêre, vt faciliùs Lector fidem nobis adhibeat. Quicquid ergo ex rebus mundi huius habere potuit, accuratè in pauperes erogauit: cumque omnium bonorum operum floreret exercitus, attamen in benignitate erga pauperes nulli secundus fuit. Quotidie enim demptis paucis solennitatibus, suis manibus lauabat pauperum pedes, præbebat eis victum, nudos vestiebat, infirmos visitabat, claudis & pupillis curam adhibebat. Cuiusmodi studiis & officiis humanitatis & misericordiæ diu noctuque incredibili vigilantia & solicitudine indefessus vacabat, nec vnquam id genus frangebatur laboribus. Cæterùm cum Traiectẽsem ecclesiam Dani vastassent, sæpiùs Dauentriæ morabatur, animo tamen semper Traiecti habitans, quò etsi, reddita pace crebrò se conferret,

Nota fidem Scriptoris.

Ipse suis manibus quotidie lauat pauperum pedes.

Vastato Vltraiecto per Danos, vt plurimũ moratur Dauentriæ.

conferret, non parum tamẽ dolebat, quòd res & tempus non sinerent eum illic perpetuo residere. Proponebat autem sibi in animo ad imitandum multos sanctos Patres, eos præsertim qui eiusdem ecclesiæ fundamẽta in firma petra Christo primò collocarunt, puta sanctos Villibrordum & Bonifacium, meritis & sanctitate præcipuos: quorum vestigiis insistens, semina fidei spargebat commisso gregi, seipsum quotidie viuam hostiam immolans Deo.

NVNQVAM verò ab eius ore Christus abfuit, quẽ etiam animo perpetim, quicquid ageret, affixum habuit. Nunquam vel lectionis, vel orationis studio fatigabatur, nunquam misericordiæ officiis & operibus satiabatur, ieiuniis & vigiliis semper addictus. Præcedentium autem Patrum, vt diximus, exempla cupidissimè sectabatur, eorumque memoriam, legendo, audiendo, colloquendo, vel quidpiam de eis componendo, incredibili auiditate vsurpabat. Sed & solebat interdum ad virum Dei venire Baldricus egregius adolescens, Ricfridi Comitis filius. Itaque quandoque præsente illo vocauit ad se Nitgerum Presbyterum, & Richardum militem, aitque ad illos spiritu prophetico: Adolescens hic quem cernitis, mihi in Episcopatu succedet, & per eum. Deus sedem hanc instaurabit, Ecclesiæ res multum augebit, & destructa & diruta reparabit. Neque id semel atque iterum, sed crebrò de illo adolescente prædixit. Quin etiam de seipso ante annos tres, & menses sex predixerat, quòd post tantum spatium esset ex hac vita abiturus. Denique obiit vir beatus in Oetamarsem vnde sanctum corpus mox feretro impositum, Clerus & populus omnis, cum hymnis & psalmodiis, in primis reuerenter & honorificè Dauentriam perduxerunt: vbi in ecclesiam importatum, ea parte quæ Septentrionem spectat, humatum est, spiritu perfruente gaudio Domini sui.

Semper occupatur circa exempla priorum Sanctorum.

Claret spiritu prophetia.

Obdormit in Domino.

VITA S. SATVRNINI THOLOSANI EPIscopi, ex Io Maldonato Hispano.

XXIX. NOVEMBRIS.

SATVRNINVS vrbis Tholosæ Episcopus rem Christianam, Decio Cæsare imperante, plurimum auxit, maximásq; gentium superstitioni tenebras offudit. Nam cùm bonus antistes in Ecclesiam tunc modicam itaret, & Tholosanũ capitoliũ inter domũ eius & Ecclesiam medium interiaceret, responsis solitis deos, quoties transiret, priuabat, ac mutos omninò red

ne interpellat, ac demum hortatur, vt sibi consulens, diis velit immolare. Cui Andreas: Ego omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in Altari: cuius carnem, posteaquam omnis populus credentium manducauerit, Agnus qui sacrificatus est, integer æquè perseuerat & viuus.

En veritatē Christi in Sacramēto Eucharistiæ.

QVAMOBREM ira accensus Aegeas, iubet eum in carcerem detrudi: vnde populus Andream facilè liberasset, nisi ipse sedasset multitudinem, vehemētiùs rogans, ne se ad optatissimam martyrij coronam properantem impedirent. Igitur paulò pòst in tribunal productum, cùm Aegeas crucis extollentem mysteria, sibique suam impietatem exprobrantem diutiùs ferre non posset, in crucem tolli, & Christi mortem imitari iussit. Adductus verò Andreas ad locū martyrij, cùm crucē vidisset, longè exclamare cœpit: O bona crux, quæ decorē ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquādo cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo: vt per te me recipiat, qui per te me redemit. Itaque cruci affixus est: in qua biduum viuus pendens, & Christi fidem prædicare nunquam intermittens, ad eum migrauit, cuius mortis similitudinem concupierat. Quæ omnia Presbiteri & Diaconi Achaiæ, qui eius passionē scripserunt, se ita, vt commemorata sunt, audisse & vidisse testantur. Eius ossa primùm, Constantino Imperatore, Constantinopolim, denide Malphim translata sunt. Caput Pio II. pontificè Romam allatum, in basilica S. Petri collocatum est.

Exultabūdus properat ad mortem.

Adfertur eius sacrum corpus Romam.

DE ADVENTV DOMINI,

Partim ex D. Leone, partim ex D. Gregorio.

CVM de Aduentu regni Dei, & de mundi fine ac temporum, discipulos suos Saluator institueret, totamque Ecclesiam suam in Apostolis suis erudiret, Cauete, inquit, ne fortè grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & cogitationibus secularibus. Quod vtique præceptum dilectissimi, ad nos specialiùs pertinere cognoscimus, quibus denunciatus dies, etiam si est occultus, non dubitatur esse vicinus. Ad cuius Aduentum omnem hominem conuenit præparari, ne quemquam aut ventri deditum, aut curis secularibus inueniat

D. Leo ser. 8 De ieiunio 10. mensis.

Cauendum admoneamur tempore Aduentus.

niat implicatum. Quotidiano enim experimento probatur, potus satietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari, ita vt delectatio edendi etiam corporum contraria sit saluti, nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ, & quod futurum est oneri, subtrahat voluptati. Quãuis enim sine anima nihil caro desideret, & inde accipiat sensus, vnde sumit & motus, eiusdem tamen est animæ, quædam sibi subditæ negare substantiæ, & interiori iudicio ab inconuenientibus exteriora frenare, vt à corporeis cupiditatibus sæpiùs libera, in aula mentis possit diuinæ vacare sapientiæ, vbi omni strepitu terrenatum silente curarum, in meditationibus sanctis, & in deliciis lætetur æternis.

D. Greg. hom. 10. *Agenda pœnitentia.*

DEINDE & dicebat Ioannes ad turbas quæ exibant, vt baptizarentur ab eo: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Ventura enim ira, est animaduersio vltionis extremæ: quam tunc peccator fugere non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit. Et sequitur: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. In quibus verbis notandum est, quòd amicus Sponsi non solùm fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ admonet esse faciendos. Aliud namque est fructum facere pœnitentiæ, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere. Vt enim secundùm dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendùm est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic iure conceditur vt licitis vtatur, sicque pietatis opera faciat, vt tamen, si voluerit, ea quæ mundi sunt non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel forcasse, quod est grauius, in adulterium lapsus est, tanto à se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse; neque enim par fructus boni operis esse debet eius qui minùs, & eius qui ampliùs deliquit, aut eius qui in nullis, & eius qui in quibusdam facinoribus cecidit, & eius qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dicitur: Facite fructus dignos pœnitentiæ, vniuscuiusque conscientia conuenitur; vt tanto maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto grauiora sibi intulit damna per culpam.

Qui sint digni fructus pœnitentiæ.

Nota diligenter.

D. Leo, ser. 1. *En ieiunium decimi mensis.*

IGITVR quod temporis ratio, & deuotionis nostræ admonet consuetudo, pastorali vobis, dilectissimi, solicitudine prædicamus decimi mensis celebrandum esse ieiunium: quo pro consummata perceptione omnium fructuum, dignissimè largitori eorum Deo continentiæ libamen offertur. Et quid quæso potest efficacius esse ieiunio? cuius obseruantia

appro

appropinquamus Deo;& resistentes diabolo, vitia blanda superamus. Semper enim virtuti cibus ieiunium fuit. De abstinentia denique prodeunt castæ cogitationes, rationales voluptates, salubriora consilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innouatur. Sed quia non solo ieiunio animarum nostrarum salus acquiritur, ieiunium nostrum etiam misericordiis pauperum suppleamus. Impendamus virtuti quod subtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis, abstinentia ieiunantis. Studeamus viduarum defensioni, pupillorum vtilitati, lugentium consolationi, dissidentium paci. Suscipiatur peregrinus, adiuuetur oppressus, vestiatur nudus, foueatur ægrotus: idque scilicet vt quicumque nostrûm de iustis laboribus auctori bonorum omnium Deo sacrificium huius pietatis obtulerit, ab eodem regni cælestis præmium percipere mereatur.

Adiungenda est ieiunio eleemosyna.

DECEMBER.

VITA S. ELIGII EPISCOPI NOVIOmensis, ex B. Audoëno eius contemporaneo.

I. DECEMBRIS.



FVIT Sanctus Eligius Lemouice Galliarum vrbe, in villa Catalacensi oriundus, parentibus ingenuis atque Christianis, cuius pater Eucherius, mater verò Terrigia vocitata est. Qui cũ adhuc matris esset aluo inditus, vidit genitrix eius quasi aquilam valde pulchram supra suũ volitantem stratum, ac se tertiò inclamantem. Verumenimuerò, cùm videret pater eius magnum filij ingenium, tradidit eũ ad imbuendum honorabili viro Abboni fabro aurifici, qui eo tempore in vrbe Lemouicina publicam fiscalis monetæ officinam gerebat, à quo in breui huius officij vsu plenissimè doctus est. Interea verò post aliquot annos exstitit quædam causa, diuina gubernante prouidentia, vt relicta patria & parentibus, Francorum adiret solum; vbi paucis degens diebus, factus est notus cuidam Regis thesaurario Bobboni vocabulo. Volebat eo tempore Rex Clotarius sellam vrbanè auro gemmisque fabricare; cùm præfatus Regis thesaurarius indicauit ei, inuenisse se artificem industrium. Tunc Rex tradidit ei co-

S. Eligii patria & parentes.

Fit peritus aurifaber.

Summa arte & fide fabri-

cat sellam auream Regi Clotario.

piosam auri impensam; sed & ipse nihilominus tradidit Eligio. At ille acceptum opus cum celeritate inchoauit. Denique quod ad vnius opificij acceperat vsum, ex eo duo composuit, nequaquam mordacis limæ fragmina culpans, aut foci edacem flammam. Porrò hoc fuit initium in Regis palatio credendi Eligium, cùm non post longum spatium, omnia quoque ab adolescentia sua coram Sacerdote confessus est acta, sicque sibi austeram imponens pœnitentiam, cœpit fortiter colluctationi carnis spiritus feruore resistere.

Cōfitetur omnia sua peccata: ab inde ab adolescentia, ac deinceps agit austeram pœnitentiam.

ORABAT iugiter, adimebat sibi saturitatem panis, ad Domini pedes noctibus iacebat, manibus pectus tondens, genas lacrymis irrigans. Habebat autem in cubiculo multorum pignora Sanctorum in supremis dependentia, sub quorum sacro velamine orare consueuerat. Mira res. Eo in loco, cùm quadam nocte in oratione prostratus super cilicium incumberet, visum est ei adstitisse quendam, atque dixisse: Ecce, Eligi, exauditæ sunt preces tuæ atque mox ille excitatus, odorem hausit gratissimum: quin sensit etiam ex gerulo reliquiarum guttas suauissimas super suum lenissimè defluere caput. Sub id verò tempus mortuo Clotario, Dagobertus filius monarchiam regni solus obtinuit. Pollebat itaque magis ac magis Eligius in vigiliis, in ieiuniis, atque in charitate. Fabricabat in vsum Regis vtensilia quamplurima ex auro & gemmis, sed & interim codicem quoque sibimet præ oculis præparabat apertum, vt quoquo genere laborans, diuinum simul perciperet mandatum. Fragrabat eius vbique fama, intantum, vt si quis ex Romana, vel Italica, aut Gotthica, vel qualicumque prouincia legationis fœdere, aut alia quacumque ex causa palatium Regis Francorum adire pararent, non priùs Regi occurrerent, quàm Eligium agrederentur, vel iuuamen alimoniæ ab eo poscentes, vel certè consilium salubre quærentes.

Nota de reliquiis Sanctorum.

Audit diuinitus exauditas esse suas preces.

Agit in aula Regis celeberrimus, & simul omnibus obuius.

CONFLVEBANT ad eum vndique viri religiosi, aduenæ quoque & monachi, & quicquid militare poterat, aut eis in eleemosynam dabat, aut certè captiuorum in precia distrahebat. O quoties debitor esse voluit, vt debitoribus subueniret! Multitudo pauperum, sicut apes ad caluarium, vndique quotidie ad eum confluebant, intantum vt si quis ignotus aut peregrinus, Eligij inquirens domicilium, cùm de eo interrogaret quempiam, id ab eo acciperet responsum. Vade in illam plateam, & vbi pauperum cœtum conspexeris, illic vtique & Eligium reperies. Vtebatur quidem in primordio auro

Militare, id est, acquirere.

Cōtinuò obsidetur eius fores à pauperibus.

auro & gemmis in habitu, sed ad ostentationem tantùm fugiendam, intrinsecus verò ad carnem cilicium gestabat ex consuetudine. Postea verò cùm adauctiùs profecit, cuncta ornamenta in egentium necessitatibus consumpsit. Videres plerumque ire funiculo cinctum, vilibus vestibus tectum, quem videbas dudum radiantis auri & gemmarum mole opertum. Vnde & Rex nonnumquam subripiens sibiipsi, dabat ei proprium indumentum & cingulum. Denique intantum diligebat eum, vt frequenter cateruis Principum, Optimatum, Ducum, atque Episcoporum se subtrahens, Eligij secreta expeteret colloquia. Quicquid autem Eligius ab eo petiisset, id absque vlla dilatione impetrabat, id totum in eleemosynas egentium mox expendens.

Sub vestibus pretiosis intus gestat cilicium.

INTER cætera autem petiit quoque ab eo villam quandam in rure Lemouicino, quam Solemniacum vocabant: quo in loco primum ac potissimum virorum Dei construxit monasterium; vbi ad centum & quinquaginta monachos congregauit, reditusque terræ, qui affluenter possent sufficere, delegauit: Post quæ in Parisiensi vrbe quoque cœpit ex domo sua, quam in eadem vrbe ex munere Regis acceperat, virginum Christi ædificare domicilium. In quo opere diu multúmque instantissimè desudans, dignum tandem sanctarum virginum construxit asceterium. Vbi districtam constituens disciplinam, vsque ad trecentarum numerum puellarum congregauit, quibus & Abbatissam dignam Deo puellam Auream, filiam scilicet Maurini & Quiriæ, constituit. Ad hæc etiam octo vel decem fluxêre anni, quibus nunquam vinum hausit Eligius. De carnibus enim melius tacere puto quàm aliquid dicere: quandoquidem eas post propositum nec edere nec attingere sustinuit; nisi quod intra illos quos dixi annos semel memini eum propter hospites, charitate exigente, ex volatilibus parum aliquid gustasse. Quibus denique beatis actibus intentum, intantum diuina prouexit clementia, vt adhuc in laico habitu, Domino largiente, miraculis coruscaret, modò contractum, claudum, aut cæcum aliquem sanans; modò exiguo vino multos reficiens, semel etiam aurum erogandum pauperibus, in crumena priùs vacua, non sine magno stupore reperiens. Sed non patitur instituti ratio narrari omnia.

Exstruit monasterium Solemniacum.

Item quoddam monasterium puellarum in vrbe Parisiensi.

Nota fidem scriptoris.

Etiamnum laicus, multis claret miraculis.

CERTE inter alia bonorum operum insignia, multas quoque Sanctorum ex auro, argento, atque gemmis fabricauit thecas siue tumbas, puta Germani Parisiensis Episcopi,

Nota de fabricatis ab eo thecis Sanctorum.

Seuerini Abbatis Agaunensis, Platonis Presbyteri & martyris, Quintini, Luciani Bellonacensis Apostoli, Genouefæ, Columbæ, Maximiani, Iuliani, multorumque aliorum, sed præcipuè beati Martini apud Turones Dagoberto Rege impensas præbente, deinde & S. Bricti, sed & mausoleum postremò sancti Martyris Dionysij, singulare in Galliis ornamentum. Sed & erat simul eloquentia affluentissimus, & in studio scripturarum subtilissimus, vnde & populum quocumque pergeret, euangelicis quoque cohortationibus docebat. O laicum scilicet perfectissimum: Ad extremum autem elegerunt eum vt præesset ecclesiæ Nouiomensi. Elegerunt autem cum eo & Audoënum sodalem eius, vt præesset Ecclesiæ Rothomagensi. Atque hoc modo ergo aurificem inuitum detonsum constituerunt custodem vrbium seu municipiorum, Veromanduensis scilicet, quæ est metropolis vrbs, Tornacensis, quæ quõdam regalis fuit ciuitas, Nouiomensis & Flandrensis, Gandensis atque Coturiacensis, idque vel hoc maximè quòd eius regionis incolæ magna adhuc ex parte gentilitatis errore detinerentur; sicque anno tertio Clodouei iuuenculi adhuc Regis, simul in ciuitate Rothomagensi consecrati sumus, ego Rothomago, ille verò Nouiomo. At verò qualem se deinceps quantumque præstiterit, nemo dignè valeat explicare.

Eligitur Episcopus [illegible]

** Curtriacensis.*

Et quod prius auctor dixerat in tertia persona.

EADEM in corde humilitas, eadem in vultu grauitas erat. Eadem erga pauperes cura, eadem quæ priùs solicitudo cernebatur, nonnumquam etiamsi turba plurima conflueret. Attamen seorsim singulis diebus certo, id est, duodenario numero comprehensos reficiebat, ipse plerumque cum eis ad vnam mensam pariter conuiuans, ita tamen, vt priùs singulorum manibus aquam funderet, vinumque & panem suis manibus præberet: simulque Pastoris etiam cura solicitus lustrabat vrbes, & municipia circumquaque sibi commissa. Et quidem Flandrenses atque Andouorpenses, Frisones quoque & *Sueui, & barbari quique circa maris littora degentes, quos, velut in extremis remotos, nullus adhuc prædicationis vomere exararat, principio eum hostili animo & aduersa mente exceperunt. Sed postmodum tamen cùm paulatim per gratiam Christi eis verbum Dei insinuare cœpisset, pars maxima trucis ac barbari populi, relictis idolis, conuersa est ad verum Deum. Atque ô quoties ob veritatis assertionem paratam habuit mortem! fecissetque satis votis, si ratio tulisset temporis. Erat verò mira eius in cunctis operibus discretio, & imitanda erga omnes

Quotidie alit ad suam mensã duodecim pauperes.

** Suedi.*

Multa patitur ab iis quibus prædicat verbum Dei.

omnes dilectio. Rigore scilicet vtebatur in iustitiæ discussione, sed misericordia in iustitiæ definitione, ipsam distrinctionis censuram semper temperans misericordia. *Nota, simul mitis est & rigidus.*

PORRO exstruxit quoque in oppido Nouiomensi ancillarum Christi monasterium, cui magnam congregationem, & vitæ seueram institutioné adhibuit. Sed & alia multa monasteria partim eius opere, partim institutione, à discipulis eius constructa, hodie intra Gallias nota sunt. Multi enim ex discipulis eius ecclesias condiderunt, multi monasteria salubriter rexerunt, non pauci etiam ad Episcopale regimen sublimati, ecclesiis præfuerunt. Postremò autem post multarum virtutum insignia, post miraculorū coruscationes, inter quæ sunt & confractæ diuinitus carcerum seræ, & compeditorum vincula, post multa quoque & varia veridicè ab eo prædicta, annos iam natus ampliùs septuaginta in Nouiomensi oppido feliciter reddidit spiritum. Aderat autem ingens vtriusque sexus multitudo; itemque Regina Bathildis cum filiis & Proceribus, multoque exercitu feretrum prosequuntur. Quotidie autem vndique aduentant morbidi, & sanantur, ferro vincti absoluuntur, claudi carrucis aduecti, suis pedibus recedunt: periuri aut arripiuntur à dæmone, aut moriuntur; dæmoniaci liberantur, cæci illuminantur, multi quoque sanantur morbi oleo illic succrescente, immò quisquis eo perungitur, quacumque laborat infirmitate, statim, fugiente morbo, curari potest. *Construuntur in Galliis multa monasteria.* *Clarus multis virtutibus & miraculis, transit ad Christum.* *Nota de oleo succres i. e ex eius reliquiis*

VITA S. DOMNOLI EPISCOPI

Cenomanensis, ex ea quæ est per eius familiarem.

I. DECEMBRIS.

BEATISSIMVS Domnolus vrbi Cenomanicæ à Deo destinatus Episcopus, virtutum omnium floribus redimitus, in alia regione ex generosis parētibus, quod eius probi mores & nobilis conuersatio testabatur, est procreatus. Etsi verò apud nos in Episcopum consecratus non fuit, ad nos tamen in multorum salutem diuinitus est transmissus. Nam ad imitationem Abrahæ Patriarchæ, cui à Deo dictum est, Egredere de terra tua; iam ordinatus alibi Episcopus, relicta patria & parentibus, cunctisque rebus quas possidere videbatur, Romam profectus est, limina beatissimorum Apostolorum orationis gratia visitaturus. Vbi cùm animi sui deuotioni se *S. Domnoli genus, & quomodo pro Christo reliquerit omnia.* *Genes. 12.* *Venit Romā.*

ni fecisset satis, post longa itineris emensa spacia, Domino gubernante, ad Cenomanos appulit, quos, propter obitum sui Pontificis, magno offendit animi mœrore affectos. Iam pridem enim beatus Innocens ad Dominum migrarat, & laboris sui erat præmia consecutus; in eius verò locum necdum alius subrogatus fuit. Cùm igitur hunc virum sanctissimum conspexissent, cumque iam Episcopum ordinatum didicissent, tam Proceres & Principes, quam clerus vniuersus & populus, diuino id instinctu agente, vno ore, eademque sententia eum deprecabantur, vellet ipsos, ipsorumque ciuitatem & patriam gubernandam suscipere.

Committitur ei Episcopatus Cenomanensis.

SVSCEPIT igitur, sed sanè inuitus & compulsus, Episcopi ministerium cum multa humilitate Dominoque cooperante, toto vitæ suæ tempore non parum illis, quibus præerat, contulit. In conuersatione erat humilitate conspicuus, charitatis dulcedine feruens, castitatis splendore illustris, ieiuniorum pinguedini deditus. Disciplinæ verò cælesti adeò se totum addixit, vt Pontificale ministerium sanè pro dignitate, & quidem piè & deuotè sit exsecutus. Porrò autem socia charitate ac mutua beneuolentia coniunctus fuit Germano sanctissimo Parisiorum Antistiti: quem & creberrimè inuisere consueuit, & ab illo itidem non rarò visitatus est. Exstruxit autem sanctæ ecclesiæ amator deuotissimus monasterium quoddam in suburbio ciuitatis suæ, tum vt eius vrbis esset munimentum, tum vt posset Domino animas lucrifacere, idque in honorem SS. Martyrum Vincentij & Laurentij consecrauit. In cuius consecratione de rebus ecclesiæ suæ multa testamento ei legauit atque confirmauit, permittente & fauente Chilperico Francorum Rege, eiusque Principibus, multis etiam id ei suggerentibus Episcopis.

Vtitur familiariter S. Germano Parisiensi.

MONACHOS etiam sub cura & moderatione Leusi Abbatis, quem ipse præfecit, ad Regulæ præscriptum illic degere, Dominoque seruire voluit. Sed & cùm religionis monasticæ propositum mirificè complecteretur, in ea cellula, in qua S. Iulianus, primus Cenomanorum Episcopus corpore requiescit, iuxta monasterium Victurij, quod situm est ad flumen * Sartam, monasticum institutum, quod iam pridem illic florere cœperat, mirificè augmentauit, adeò vt quinquaginta ferè monachos illic regulariter degere voluerit, eaque quæ ad victum pertinent, tam illorum quàm peregrinorum & aduentantium magnificè suppeditarit. Aliud quoque mona-

Magnificè instaurat Cellã S. Iuliani.

nasteriolum & xenodochium vltra * Sartam flumen in honorem beatissimæ matris Dei & virginis Mariæ sapienter ædificauit, atque suæ ecclesiæ rebus dotauit, accuratè constituens, vt illic pauperes & peregrini, egentesque omnes, qui intra vrbem propter eius iugem custodiam admitti non possent, reciperentur. Sed & monachos viginti quatuor illic ad Regulæ monasticæ præscriptum viuere voluit, qui & perpetim seruirent Deo, & aduentantes pauperes recrearent, atque hospites comiter & congruenter acciperent. Iis autem monachis quendam è suis probatissimæ vitæ virum Paduinum nomine, ecclesiæ beatorum martyrum Vincentij & Laurentij per id tempus Præpositum, Abbatem præfecit, locumque ipsum & sibi & successoribus suis subditum esse debere decreuit, adhibita etiam adiuratione & detestatione, vt hospitale eius vrbis perpetuis temporibus in Pontificum ditione esset.

Item instituit quoddam xenodochium.

QVANTA autem apud nos degens vir sanctus corpus suum abstinentia affecerit, quàm se perpetuis confecerit vigiliis, quàm in præstandis eleemosynis liberalis & profusus fuerit, solus ille ad plenum nouit qui videt in abscondito. Macerabat se & vigiliis & continua inedia, adeò vt etiam fortissimi iuuenes eius parsimoniam ferre non possent, ita corpus suum redigebat in spiritus seruitutem. Quòd si quis eius facta curiosiùs inquisierit, innumera magnarum virtutum miracula inueniat, è quibus nos vel pauca proponemus. Puerulus sanè quidam Rainatius nomine, à parentibus oblatus est sancto viro. Is puer & cæcus, & surdus, & mutus, & claudus erat. Vnxit autem eum vir Dei oleo benedicto, & Crucis signo eum communiuit, & totus reualuit. Exiit etiam quandoque vir beatus extra vrbem nostram, audiuitque damnatorum voces è carcere. Misit itaque ministrum suum ad custodem carceris, qui ei diceret, vt vinctos illos absolutos pateretur abire. Cui respondit custos, non se id ausum esse, ne ipse cogeretur in illorum locum succedere. Tum verò vir Dei cum lacrymis rogauit Dominum pro illis; & ecce die tertio sua sponte patescit carcer, exeuntque qui illic detinebantur, & ad nostram ecclesiam sese conferunt.

Sibi parcus, aliis est valde liberalis.

Sanat quendam cæcũ, surdum, & mutum.

EST quoque villa ecclesiæ nostræ quam Crisiacum vocant. In ea cùm esset vir Dei, adducti sunt ad eum duo dæmoniaci, rogabantque eum parentes eorum, vt suis precibus

Item claret & aliis miraculis.

illos sanaret. Sciscitabatur autem ex eis sanctus Antistes cui id ipsis accidisset: & per eorum ora respondebant immundi spiritus se torqueri ab ipso, nec posse coram eo celare præstigias suas. Rogabant autem eum, vt, si ipsos inde vellet eiicere, saltem sineret migrare in porcos. Permisit verò hoc vir sanctus, & sic Crucis signo edito, profligauit illos, ita vt omnes adstantes laudarent Dominum mirabilem in Sanctis suis. Poteram quidem plura eius commemorare miracula, sed multa prætermisi, ne Lectori fastidium parerem. Nihil vero in eius actionibus cernebatur quod ad Deum non pertineret. Ad altare siquidem rarò sine lachrymis, ad mensam nunquam sine Lectore, nunquam sine conuiuis pauperibus accessit. Denique militiæ certamine iam peracto, & impendente resolutioris eius tempore, cœpit vir pius morbo laborare, nec tamen os eius morbi vis à laudando Deo potuit cohibere. Conuocans ergo discipulos suos, diem & horam obitus sui illis prædixit, docuitque eos quemadmodum antiquis insidias cauerent, & à malo se abstinentes, bonis operibus inhærerent: ac deinde ipsis Calendis Decembris in senectute bona vir beatissimus in pace quieuit, humatusque est à discipulis suis in ecclesia beatorum martyrum Vincentij & Laurentij. Quo in loco multos diuersis afflictos morbis ad eius sepulcrum venire conspeximus, ac deinde eos beati viri meritis sanos inde recedere.

Pollet gratia lachrymarũ.

Transit feliciter.

DE S. AGERICO EPISCOPO
Virdunensi ex Fortunato Presbytero.

I. DECEMBRIS.

VRBS Virduna quamuis breui orbe claudatur, meritis tamen Pontificis amplificata enitet, maiorique, in angusto gyro præfulgentem gratiâ, Agerici etiam magis auxit honor. Hic sanè plurima semina magnarum laudum fudit, quæ matura quoque propterea operis fertilitate metit. Tempore præsenti victum egenis largiebatur, confidens inde in futuram diem opes suas centuplum multiplicandas. Arcani dogmatis pastor reserabat penetralia non solùm dapibûs, sed & ore greges pascens. Templa vetusta nouabat pretiosiùs, & noua condebat, ita vt sub ipso domus Domini cultior longè euaderet. Egregios etiam fontes sacri baptismatis explebat, ipse

S. Agericus decus ciuitatis Virdunensis.

Multos conuertit ad Christum.

ipse scilicet diuino fonte repletus. Concurrebant autem vndique auidè ad noua templa plebes, populique mirè per eum in Dei amore crescebant. Erat siquidem ipse, per quem solamen inops merebatur, & amictum is qui erat nudus, atque adeò ipse solus cunctis erat potus & esca. Quin &, vt vno dicatur verbo, sicut sol elatum suum cursum suspendit in æthera, purusque igniferum vbique iubar spargit, effusis radiis sibi totum orbem vendicans, montes, plana, ima & alta; ita prorsus & hic Præsul Agericus splendore animi coruscabat. *Profusissimum est in pauperes.*

ERAT terrenis rebus sterilis, sed fœcundus supernis, abnegans cuncta caduca, sed diues intraturus polum. Purus ab omnibus illecebris, mundi lasciua à se repellebat, nihilque apud eum poterat carnis amarus amor. In templis conuersans ab omnibus piis sic purus habebatur, vt prorsus appareret cor ipsius esse templum Dei, & in quo Christus sibi nitidam domum constituisset. Non erat in labiis ipsius dolus, nec erat ipse duplici corde, sed sincero animo vernabat in ore eius lux vera. Refundebat autem de se salienti fonte doctiloquum flumen, vnde sensus steriles voce rigante fouebat. Pandebat terræ mysteria ardua cælorum, ita vt per eum terra, hoc est, homines terreni plus etiam Dominum scirent, timerent, orarent, & amarent. Triumphabat Præsul facundus diuino dogmate, monensque Pastor oues, prouidebat ne eas vllus error premeret. Denique sumente per eum populo fidem, paupere opem, tristi spem, ipse omnibus omnia factus erat, & omnia ipsius erant communiter omnium. Quod reliquum est, optandum est vt longa salus maneat, maximè ea quæ est futura, atque vt pastor diu pro grege suo vota ferat. *Cor ipsius mūdissimum templū Dei.* *Nota pro inuocatione Sanctorum.*

VITA S. PETRI CHRYSOLOGI

Archiepiscopi Rauennatis, ex ea quæ est per Hieronymum Rubeum.

II. DECEMBRIS.

SVCCESSOR Ioannis Rauennatum Archiepiscopi, qui vidit Angelum, numeratur Petrus Rauennas, vocatus cognomento Chrysologus, quòd ea fuerit suauitate sermonis, vt aureum orationis flumen funderet. Blondus hunc patria Rauennatem fuisse scribit, & Fori Cornelij Episcopum; sed fallitur, cùm ex Foro Cornelij vbi natus erat, in Archiepiscopum *Sanctus vir cur dictus Chrysologus.*

Rauennatem fuerit electus, nimirum per Sixtum tertium Pontificem; quia ita à beato Petro Apostolo, nec non & sancto Apollinari de hoc fuerat per quietem admonitus, nihil tale nec ipso Petro, tunc Diacono, nec etiam Rauennatibus, quippe qui alium electum Pontifici præsentabant, suspicantibus: vnde maxima reuerentia apud omnes ex hoc Petro conflata est. Petrus inuitus, & non absque ingenti molestia Archiepiscopus factus, Rauennam accedens, summa gratulatione ab Valentiniano primùm, & Galla Placidia, mox ab omnibus Rauennatibus excipitur. Qui ab eis id vnum petere dixit, vt quando tantum oneris pro ipsorum salute susceperit, studerent ipsi monitis suis obtemperare, præceptisque diuinis non obsisterent.

Designatur diuino oraculo Episcopus Rauennas.

CVRAVIT quoque interea Galla Placidia diuo Ioanni Baptistæ egregiam ædem iuxta domum suam exstruendam, vniuersæ ædificationis negotio demandato Baduario Patritio Rauennati. In eo vero templo Barbatianus Deo seruiens, multis prodigiis tunc innotescebat indies magis ac magis: ex quibus illa maximè commendantur; vnum videlicet, quo Iuliani Rauennatis nobilissimi viri filium strumis ita laborantem, vt ab omnibus iam esset desperatus, sanauit: Alterum, quo liberauit similiter Theodoram primariam mulierem refractario sanguinis fluxu ad desperationem detentam; quem quidem Barbatianum meruit hic Petrus ab hoc seculo migrantem, sepulturæ tradere. Qui idem Petrus ad ecclesiæ administrationem conuersus, mox Tricollim aggressus est, quod ædificium ad trium collium simulachrum exstructum, sacerdotibus, Vrsiani templi stationem tutam assiduamque præbebat: quod à successoribus admirabili ædificatione absolutum, nunc non exstat: Eius autem vicem reddunt horti qui circa Vrsianam ædẽ conspiciuntur: Nec non & tẽplum pręterea sacrauit, quod diuo Ioanni Baptistæ Baduarius iussu Placidiæ ædificauerat.

Breuiter de S. Barbatiano, & quomodo hic S. Petrus cum sepelierit.

AT verò interea, cùm Eutyches Byzantius Abbas factiosorum ope disseminaret falsam doctrinam, asseuerans in Christo diuinam naturam cum humana in idem recidisse, Leoque Pontifex, qui Syxto successerat, trecentorum & sexaginta Episcoporum ad Calcedonem conuocato Concilio, eam pestem restringendam summa ope niteretur, Petrum Chrysologum iussit ad Concilium aduersus Eutychen quæ viderentur scribere. Quod & Petrus fecit adeò luculenter, grauiterque & piè, vt ad hanc vsque ætatem eas literas, quæ exstant,

Exoritur hæresis Eutychiana.

Scribit contra eam vir sanctus.

ant, viri omnes docti mirentur, & primo loco habeant. Accessit autem etiam sub hoc Episcopo Rauennam, ad Valentinianum Imperatorem Germanus Altissiodorensis Antistes eximia vir sanctitate: Qui cùm ibidem diem vltimum obiisset, habuit & hoc Petrus, vt eius sacrum corpus conditum, in Galliam mitteret, vti Germanus petierat, ipséque sancti viri cucullam & cilicium sibi hæres auidè vendicaret. Præterea quoque ædificationi intentus, in classe exstruxit mirabilis magnitudinis fontem, duplici alto muro exstructo. Ad hoc diuo etiam Andreæ Apostolo, iuxta Vrsianam ædem, haud procul ab Posterula, quam Vincilionis appellant, ædificauit egregium templum, ligneis tamen columnis suffultum.

Nota pro Veneratione reliquiarum.

DENIQVE cùm hoc tempore Rauennates, ad Deorum commentitiorum simulachrum, quos antiquitas errore delusa, coluerat, personati Calendis Ianuarij tota vrbe per ludum discurrere consueuissent, ipse multis concionibus habitis, eam perniciosam consuetudinem tollere conatus est. Quibus omnibus absolutis, Chrysologus, cùm imminere sibi extremum vitæ diem diuinitus intelligeret, decimumque iam annum Rauennati ecclesiæ præfuisset, contulit se ad Forum Cornelij: vbi diui Cassiani martyris templum ingressus, muneribus tributis, Deum atque ipsum Cassianum martyrem precatus, qui benignè eius animam exciperent, hortatùsque Rauennates, qui illum fuerant insecuti, vt in deligendo optimo Pastore inuigilarent, nec discederent ab diuinis mandatis, initio Pontificatus Leonis primi placidè ac tranquillè ex hac vita migrauit, tertio Nonas Decembris, circiter annum Domini quadragesimum suprà quadringentesimum. Sepultus est vero ibidem iuxta aram D. Cassiani, vbi & nunc quiescit. Eius tamen brachium auro ac gemmis ornatum, in Vrsiana æde veneramur: Inter alia porro quæ reliquit doctrinæ monimenta, eius inprimis ad populum conciones diuino spiritu, & eximia pietate religionéque illustres ab omnibus bonis & doctis iudicantur.

Episcopatu summa cum laude administrato, prædicit de suo obitu.

Quiescit in Foro Cornelij.

VITA S. BIRINI EPISCOPI, EX

primis Angliæ Apostolis, ex ea quæ est apud F. P. Laur Surium.

SANC

III. DECEMBRIS.

S. Birinus dirigitur ut prædicet Anglis.

SANCTVS Birinus, à Papa Honorio ad prædicandum verba salutis genti Anglorum directus est. Hic in præsentia eiusdem Pontificis Honorij, in intimis vltrà Anglorum partibus, quò nullus doctor præcessisset, sanctæ fidei semina se sparsurum promisit. Vnde etiam iussu eiusdem Pontificis per Asterium Genuensem Episcopum, in Episcopatus consecratus est gradum. Porrò ad littus Britannici freti arrepto itinere perueniens, adscensurus nauem, diuina priùs celebrat mysteria, ac sibi suisque viaticum parans, salutaris hostiæ pia obtulit Deo libamina. Vbi vrgente nauigationis articulo, cùm ad nauem festinans introducitur, insurgente vento, dum alta sulcarent pelagi, reminiscitur Birinus se rem præcipuè charam amisisse, & nautis vrgentibus, impeditum in littore, vnde ascenderet, reliquisse. Dederat enim ei Honorius pallam, super quam corpus Christi consecrabat, & in qua corpus Dominicum inuolutum, & ad collum suspensum semper secum ferebat, atque inter sacranda sacrosancta mysteria super sanctum altare ponere consueuit.

In usum venit sacrum ornamentum altaris.

FIDE igitur armatus, in mare descendit: Deum auctorem habens, per mare securus incedit, & recepto quod reliquerat, ad nauem regreditur. Offendit autem illam quasi immobilem stantem, cùm paulo antè per vndas maris velociter currentem reliquisset: quam etiam vt ingressus est, nec vna quidem in vestimento eius aquæ gutta deprehensa est. Quod nautæ videntes, flexis genibus, tamquam Deum eum adorauerunt, & complures ex eis ad fidem Christi, prædicante illo verbum Dei, conuersi sunt. Intrante porrò illo in portum, apud Occidentalium Saxonum gentem, qui antiquitus Genissæ vocabantur, cùm omnes ibidem paganissimos inueniret, vtilius esse ratus est ibi potiùs verbum Dei prædicare, quàm vltrà progrediendo, eos, quibus Christum annunciaret, inquirere; maximè cùm populi cateruatim irruerent, audire cupientes beatum Antistitem, & tum corporis, tum cordis auribus, quæ ab illo dicebantur, humiliter complectentes. Erat tunc in ea prouincia mulier quædam annosa, quæ longo tempore nec videre nec audire poterat. Ei per visionem dictũ est, vt ad beatum Antistitem receptura sanitatem, ire festinaret. Surgens igitur mulier ducem parat, qui gressus eius regat. Episcopus autem visa illa, motus pietate, auribus & oculis eius signum crucis impresit: & mox depulsa cæcitate visus redditur,

Ambulat vir sanctus super mare.

Prædicat apud Occidentales Saxones.

Illuminat quandam cæcam.

redditur,& surditatis excluso vitio,auditus reparatur.

EVANGELIZANTE quoque illo in ea prouincia,cùm Rex Cinigilsus catechesi instructus, fonte baptismi cum sua gente ablueretur, sanctus Nordanhumbrorum Rex Osvvaldus eum de lauacro exeuntem suscepit, sicque pulcherrimo prorsus Deoque digno consortio,cuius erat filiam habiturus coniugem,eum prius secunda regeneratione Deo dedicatum sibi filium accepit. Donauerunt autem ambo Reges eidem Episcopo ciuitatem,quæ vocatur Dorcic,id est,Dorcestra, ad constituendam illic sedem Episcopalem: sicque anno 38. ab ingressu.S.Augustini in Angliam,prædicare cœpit S. Birinus Vvest saxonibus,& eos baptizare. Porrò anno Domini 635. tempore Regis Cinigilsi, Canonicos regulares instituit apud Dorcestram, ab Oxonia milliaribus septem distantem: vbi ipse & successores eius 27. Episcopi annis circiter 457. fuêre,sed Vvilhelmo Conquæstore regnante, Remigius Episcopus eam sedem in Lincolniam transtulit. Obiit autem tertio Nonas Decembris.

Instituit apud Dorcestram Canonicos regulares, & postea moritur.

DE S. BARBARA VIRGINE ET *Martyre,ex ea quæ est per Petrum Galesinium.*

IIII. DECEMBRIS.

BARBARA, virgo & martyr Maximiano Imperatore insignis fuit. Patrem habuit Dioscorum nobilem quidem virum,at impium, & idolorum cultui vel maximè deditum. Huic patri filia planè dissimilis,ab ineunte ætate mundi pulchritudinem, certumque semper ordinem admirata, hacque contemplatione summum rerum opificem vtcumque colligens, tandem in idolorum, quæ pater venerabatur, os conspuit,ac dixit præterea, Vestri similes sunt & qui vos fingunt,& qui vos colunt. Atque ita quidem puella Barbara Spiritus sancti lumine duce progrediebatur in fide, & sapientia,& ætate,& gratia.Sed & eam filiam pater Dioscorus vnicam habuit,egregia forma,& morum elegantia præstantem, cui & turrim altam ædificauit, inque ea Virginem inclusit. Qua in turri cùm illa vitam traduceret, multa interim secum piè & religiosè meditans, tandem pater impulsus à multis, iisque nobilibus viris, qui sibi illam in matrimonium dari contendebant, hoc multis verbis ei suadere conatur. At illa constanter negat se velle nubere,stultum ducens,se,iam, cælesti

S. Barbaræ pater summus idololatra.

Exstruit ei pater magnificã turrim.

Constanter negat nu ere mortal sposo.

lesti sponso dicatam, terrenas nuptias inire. Quod videns pater, ab eius oculis longè peregrinari statuit, id certè sperans, vt patris desiderio victa filia, eius voluntati cederet.

Praedicat patri suo mysterium Trinitatis.

INTEREA priusquam abeat, iubet balneum ædificari, iniungens vt duas in eo fenestras facerent. Vbi cùm Barbara, absente patre, pro duabus tres fieri curasset in honorem sanctæ Trinitatis, ac insuper labri pauimentum Crucis imagine ornari, pater reuersus, ædificij rationem mutatam dolens, propterea furenter irascitur. Fabri culpam in filiam reiiciũt. Quæ opportunam hanc nacta occasionem, apertè de sacrosanctæ Trinitatis gloria diuinitus multa dixit. Deinde pluribus verbis ad salutarem Christi Iesu fidem cohortata est patrem. Qui graui filiæ oratione iratior factus, vt is qui omni impietate imbutus erat, primum stricto ense vnicam filiam aggreditur: deinde, nihil etiam motus, quòd saxum ingens mirabiliter se patefaciens, fugienti filiæ viam aperuerat, in montem vsque illam persecutus, crudeliter eam tractat, eius latera pedibus, dorsum pugnis fœdè percutit, crinibus raptatam, via aspera ac difficili trahit: ad hæc ob Virginis constantiam insaniens, etiam Præsidi prouinciæ Marciano eam tradit. Qui cùm frustrà eam blanditiis emollire se cerneret, mox nudatam neruis bubulis grauissimè cædit, dehinc ferreis vnguibus dilaniatæ, faces accensas admouet, tum & caput malleolis quibusdam pertundit, ac postremò vbera præscindit, sicque eam gladio feriri iubet. Cuius cædis minister non aliquis alius fuit, sed pater ipse Martyris: qui & ob hoc mox fulminibus de cælo iactis comburitur.

Post varia tormenta tãdem consummatur gloriosa mar tyrio.

VITA S. IOANNIS DAMASCENI,
Scriptoris Ecclesiastici, ex ea quæ est per Ioannem Patriarcham Hierosolymitanum.

IIII. DECEMBRIS.

Est apud Surium 6. Maij.

SANCTORVM vnus vel præstantissimis annumerandus est percelebris ille Ioannes, cui cognomen à Damasco ciuitate, patria inditum. Erat ille firmamenti Ecclesiastici luminare haud paruum, immo planè ingens atque perquam fulgidum. Neque etiam in nocte hæreseos, quæ, se vbique locorum diffunderat, tantùm lucebat, sed & prorsus omnes malè sentientium caligines dispellebat, libris videlicet ac epistolis. Ingruerat enim vniuerso orbi nox horrida, atque profundæ tene

S. Ioannes Damascenus scriptor Ecclesiasticus.

tenebræ, ita vt obscurarentur venerabilium imaginum præclaræ figuræ. Cuius quidem noctis auctor fuit, non à triuio aliquis ac plebeius, qui in exigua tãtùm parte orbis malitiam suam dissemmaret, sed vir ille, vt sic dicam, manu fines orbis complectens, Romanorum videlicet Princeps. Is scilicet potentia inflatus, vi summa nitebatur, vt ad vnam venerandas imagines omnes, & locis in omnibus demoliri posset. Et ea propter imaginum cultores partim dilaniari faciebat, respondens suo nomini, sicut leo rapiens & rugiēs, partim in diuersa rugitu suo fugabat, atque adeò sæuiebat, vt fidelium plerique in subterraneis speluncis sese occulerent, existimarentque tutiùs leonibus ac draconibus conuenire, quàm cum illo, illiusque familiaribus habitare. Nonnulli etiam metu perterriti, vsque in extremos orbis terminos procurrerunt. At verò non ita Ioannes. Sed & cùm versaretur Damasci, & cùm etiam monasticam in solitario Palestinæ loco exerceret, strennuus & impauidus aduersus Leonem pugnabat. Cæterùm hæc ipsa quoque paulo altius narrabo.

Intelligit Ioãnem Isauricum Imperatorem.

En sæuitiam impij iconomachiis.

FVERVNT Ioanni progenitores admodum pij, quique in medio spinarum pietatis florem, Christianæque scientiæ fragrantiam custodiebant vnicè. Ab eo enim tempore, quo in Agarenorum manus ciuitas Damascus venit, soli ipsi Christianum nomen, vt præclaram inuiolabilemque hereditatem, asseruabant. Quorum opera omnem disciplinam ac philosophiam Ioannes edoctus omnino, hoc est, siue peregrina ea sit, siue quam Spiritus sanctus dignos edocet, post mortem patris apud Ducem Saracenorum maiori etiam præfectura quàm pater suus honestatus est. Itaque & cùm fureret Leo Isaurius aduersus venerandas imagines, nihil eum timuit, sed, vt diximus, imitatus zelum Eliæ, & reprehendendi libertatem Baptistæ cognominis sui, epistolares prorsus libellos, pro venerandarum imaginum honore ad notos familiaresque dedit, clarè sapienterque indicans, necessariam esse diuinarum effigierum adorationem, illisque demandauit, vt similia docerent & alios, commonstratis audacter omnibus epistolis suis. Et hoc quidem modo per omnium ora volitabat nouus veritatis athleta, epistolæque eius in omnium manus quasi per circulum veniebant, & inualescebat pietas, donec tandem, ignominioso Rege, Leone inquam, illo, Ioannem apud Saracenum Damasci Principem proditionis accusante, effictis scilicet ad hoc tanquam Ioannis manu scriptis ad ipsum

S. Ioannis genus.

Scribit pro Venerandis imaginibus.

ad ipſum literis, barbarus nullum ad excuſandum ſpatium concedens, dexteram ei amputari iuſſit. Sed nequaquam dereliquit Deus ſeruum ſuum: ſed cùm ille oratorium ſuum ingreſſus, oraſſet ante imaginem Dei genitricis, aptaretque congruè abſectam manum; in ſomnum verſus, videt S. Dei genitricis imaginem lætis oculis ad ſe reſpicientem, & dicentem: Ecce ſana facta eſt manus tua.

Amputatur ipſius dextra, & mox iterum miraculo ei reſtituitur.

QVO illo diuino beneficio etiam magis excitatus, cùm barbarus iam intellexiſſet fraudem Leonis, obque hoc non diligeret ſolùm Ioannem, ſed etiam veneraretur amplius; Ioannes nihil ob hoc minùs, quippe qui igne Spiritus ſancti eſſet acceſſus, primùm vendit omnem ſuam ſubſtantiam, ac diſtribuit pauperibus: ac deinde nihil cunctatus, Hieroſolimam proficiſcitur, vbi facta in venerabilibus locis adoratione decenti, mox velut ceruus ſitiens; in deſerta abiit, & ad beati Sabæ monaſterium perrexit, ibi ſe humiliter in monachorum numerum tradens. Sed memorabile eſt hîc in primis iſtud. Senex qui Ioannem formandum in monaſticis acceperat, vt athletam maioribus obedientiæ certaminibus exerceret, ecce tale quiddam commentus eſt: Multos corbes comportauit, quos labore manuum ſuarum monachi parauerant, & ſumpta inde probandi occaſione ſic ait ad Ioannem: Fili, vt ſcis, pluribus nobis opus eſt: & quia accepimus Damaſci corbes pluris venundari, quàm in Paleſtinæ regionibus, itaque tolle illos omnes, & vade illuc quàm velociter potes. Verùm non aliter neque minoris illos venundes, quam tibi præcipio. Definiebat autem precium, vltra duplum quàm par erat. Non contradicebat verò Ioannes, neque ſermonem imperantis iudicabat, ſed magis ſublato in humeros onere, quaſi alatus obedientia Damaſcum proficiſcitur. In qua ſcilicet pridem ſpectabilis, nunc viliter veſtitus, pallidus & obſoletus obambulabat foro ſportulas vendituriens. Verùm cùm nimio precio ſua æſtimaret, ab omnibus ridiculus eſt habitus; donec tandem quidam, qui ei olim miniſtrarat, eum recognoſcens, quaſi tamen nihil conſcius rei, rogat pretium ſportularum, ſtatimque quantum indicabatur dinumerauit.

Relictis omnibus fit monachus.

Vera obediētia eſt cæca.

CAETERVM monitus eſt poſt hæc diuinitus idem ſenex, quatenus ne obturaret diutius fontem, qui tam dulce poſſet flumen profundere, ſed permitteret fonti curſum. Quo factum eſt, vt ex ea hora cœperit Ioannes Hymnorum cantilenas, & melliflua cantica concinnare, quibus adhuc lætificat Eccle

Scribit vir ſanctus ſacros Hymnos.

ecclesiam, & locum tabernaculi admirabilis. Præterea autem & panegyricos sermones tradidit, sacramque paginam à Deo conscriptam exarauit. Insuper & in mysteria Theologiæ & aliorum veræ fidei dogmatum, succinctioris tam intelligibilium quàm sensibilium considerationis ianuam, & introductionis egregiam inuitationem scripsit, quam ego cælum voco, quia tamquam stellis fulget rectis demonstrationibus collectis à scientia tam naturæ quàm Scripturæ: in quem librum qui non respicit, & eius pulchritudine non oblectatur, is nimirum cæcus est. Præterea autem longos aliquot Sermones conscripsit: item & libros de præclara adoratione venerabilium imaginum. Qui quidem cum postea à Patriarcha Hierosolymitano presbyter esset ordinatus, ac nihilominus ad diuini Sabæ rediret speluncam, ibi ea, quæ priùs lucubrauerat, denuo reuocans sub incudem, postquam sic viuens cõsummauit monasticæ exercitationis cursum, tenuit fidem, imo dilatauit lucubrationibus, tandem ad Christum, quem dilexit, adscendit.

Item doctissimos libros de Orthodoxa fide.

Migrat ad Christum.

VITA S. ANNONIS ARCHIEPISCOPI

Coloniensis, ex illa eius prolixa quæ est apud R. P. Laur. Surium.

IIII. DECEMBRIS.

SANCTVS Anno, generis & patriæ suę decus, ex Alemannorum populis duxit origině. Pater eius Vvalterus, mater Engela dicebatur, ex ingenuis ingenui. Qui cum Annonem puerum per exercitia militaria mundo primùm nutrire cœpissent, pueri auunculus Babenbergensis ecclesiæ Canonicus superueniens, illud impediuit, puerumque à se persuasum, insciis parentibus, in scholam Babenbergensium perduxit. Vbi tantas hausit acris ingenij adolescens, per incrementa temporum, humanorum diuinorumque voluminum diuitias, vt postea Magister scholarũ inibi effectus, doctrinæ suæ, & virtutum ramos longè lateque per ora multorum cœperit extendere. Episcopos accersitus adiit, nec latuit Principes: à quibus pro sua reuerentia in amicitiam admissus, Henrico etiam tertio Romanorum Augusto facilè innotuit. Qui cùm eũ in palatium assumpsisset, breui apud eũ præ omnibus Clericis, qui in palatio versabãtur, primum gratiæ & familiaritatis locũ obtinuit: hoc vel maximè suspicientibus in eo omnibus,

S. Annonis genus, & prima vocatio.

Ob famã virtutũ & eruditionis accersitur in aulam Imperatoris.

quò iusti ac recti admodum tenax esset, atque in causis omnibus pro suo tum statu non adulando, vt sæpe cæteri, sed cum magna libertate obloquendo, iustitiæ semper patrocinaretur.

DENIQVE exactis in palatio haud multis annis, magna Imperatoris, magna omnium qui eum nouerant expectatione adeptus est Agrippinæ, quæ & Colonia, nobilem sedem, Hermanno nominis huius præsule secundo ex hac luce subtracto. Quem gradum Ecclesiæ anno Dominicæ incarnationis millesimo quinquagesimo quinto adeptus, haud sanè imparem se acceptæ dignitati deinceps gessit. Pernoctabat plerumque in orationibus, & per Ecclesias, paucis ac certis comitibus, interdum vno tantum puero contentus, discurrens nudis pedibus, nonnunquam etiam cilicio ad carnem indutus, flens procedebat, Etenim diem quidem in disponendis priuatis seu publicis negociis, at noctem totam expendebat in Dei opere. Tunc pœnitentiam agere, errata confiteri, commissa deflere, ob corporalis quoque flagelli castigationem inferioris personæ manibus tantus Pontifex humiliare se non erubuit. Perlustrabat verò omnē Episcopatus sui parochiam, hominesque fidei, ac penè totius religionis ignaros, solo autem nomine Christianos, assiduis prædicationibus ad Catholicæ pietatis cultum informabat, habens hoc insigne meritorum suorum indicium, quod quoties prædicaturus in publicum processisset, subitò multis lacrymis immadesceret: quo factum est, vt nemo vel saxei cordis Annonem in Eclesia loquentem audiens, se à lacrymis temperaret.

Fit Episcopus Coloniensis.

Administrat officium sanctissime.

Claret insigni gratia lacrymarum.

AD hoc, & ab exteris etiam & remotioribus prouinciis ob solam indulgentiæ & doctrinæ eius famam plurimi confluxerunt, omnibus deliciis præferentes Annonem audire, diuitias incomparabiles æstimantes eius indulgentia relaxari, eius benedictione præmuniri. Pauperum, peregrinorum & infirmorum prima illi, & perpes erat solicitudo, imitanti eum qui dixit: Estote misericordes, sicut & pater vester cælestis misericors est. Illucescente enim primo surgentis diei crepusculo, ecce velut examen apum turba egenorum vndecumque conuolans, eius quotidie fores obsidebat, sufficientia alimenta hora statuta singuli percepturi. Inter quos omnes, miserrimi quique numero viginti quatuor perscrutati seorsum congregabantur. Ante quorum pedes humillimè procumbens Pontifex, postquam lauit ac tersit, osculum etiam cordis & oris impressit, nec non & manibus aquam infudit, simul cum cibo &

Quotidie multos alit pauperes.

bo & potu vnicuique etiam nummum porrigens. At verò cùm per omnes curæ suæ congregationes, cuiuscumque professionis essent, regularis disciplinæ tramitem licentia deperisse doleret, aliis pro vitæ necessitatibus, aliis pro mundi cupiditatibus extrà vagantibus, vniuersorum præbendas pro supputatione annualium reddituum largè disposuit, nonnullas etiam ex suis adaugens, tantùm vt occasione libertatis erepta, necessitatem iugi claustralis cunctis induceret.

QVIN etiam quo plus charitate feruebat, eo solicitiùs insistens ad maiora diuinæ laudis operá, quinque monasteriorum structuras ab ipsis fundamentorum initiis ad perfectum deduxit, non animam tantùm, sed & corpus omne, quinis à conditore sensibus institutum, ipsius addicens seruitiis. Ita nimirum ille, quod primum est, Monasterium, quod dicitur ad gradus, in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, iactis fundamentis erexit, omniquе varij decoris elegantia pulchrè distinctum consecrauit, prædiis ad triginta Canonicorum sufficientiam copiosè delegatis, quos vndique scientia, vita, vel moribus exquisitos illuc adunauit. Sic & sancti Georgij martyris ecclesiam * extra murum construxit, annuis redditibus abundantem, iuxta quod exigebat illic congregatio facta Clericorum.

Multa restaurat monasteria, atq. etiã quinque noua fundat.

Nota eius liberalitatem.

** Hodie intra murum est.*

CETERVM per id temporis Palatinus Comes Henricus, vir potentiæ secularis & gloriæ, inimicitias aduersus innocentem Deo dilecti Pontificis exercebat, cædibusque rapinis & incendiis per omne ferebatur Episcopium ad deuastationem patriæ, præsidio fretus in vertice montis, qui à præterfluente fluuio Sigeberg cognominatur. Hunc ergo Henricum, iustis exigentibus causis, anathematis sententia feriens Archiepiscopus, tandem ad satisfactionem coactum captiuumque traxit. Qui Coloniam veniens, cùum ad Antistitis vestigia supplex procidens, pro accepto communionis & indulgentiæ beneficio, B. Petro montem Sigebergensem dono contradidisset, ecce beatus Anno alacris factus, maximè quod & signũ Crucis in eo monte visum esset, diuersis vallatus artificibus, eò se contulit, auxilioque de cælis præstito, mox consummationem templi strenuè prosperauit, idemque anno Dominicæ incarnationis millesimo sexagesimo sexto, nomini sancti Michaëlis Archangeli specialiter assignans, in honorem omnium cælestium Virtutum, sub patrocinio gloriosi Ducis Mauricij sociorumque eius consecrauit. Sed & interea contigit, vt pro

Excommunicat Henricum Comitem Palatinum.

Construit sanctus monasterium Sigebergense.

causa Reipublicæ vir beatus Romam proficisceretur. Vbi cum nonnullas Italiæ regiones peragraret, Principes eius regni, ne à Rege deficerent, suis exhortationibus confortaturus, contigit vt ad monasterium quoddam, cui Fructuaria nomen est, causa orationis diuerteret. Quo in loco admiratus monachorum arctissimam, & secundùm Regulæ instituta conuersationem, duodecim ex eis in opere Dei probatissimos secum rediens abduxit, & eos ad tradendum Galliis eiusdem disciplinę formulam in Sigeberg constituit.

Nota de monasterio Italia Fructuaria.

ET quidem à Rege grauissimis sæpenumero dissidens inimicitiis, nunc quidem in summam familiaritatem, & penè in regni consortium ab illo assumebatur, nunc verò quoniam ea quæ in regno præter æquum & bonum perperam gerebantur, vehementer detestaretur, & acerrimè impugnaret, cum contumelia de palatio eiiciebatur, & ad extinguendum nomen eius, totum regni robur concitabatur. Quibus vicissitudinibus per plures annos cum Rege concertationem habens, semper velut ad turrim fortitudinis recurrens, Sigebergensium fratrum preces in auxilium asciuit, nunc eos clypeum suum, nunc præsidium vocans: tanta nimirum ipsi erat monastici ordinis veneratio. Vnde & duas adhuc monachorum congregationes superioribus addidit, nimirum vnam in regione Vvestphalorum, loco qui dicitur Grascaf, aliam in confinio Turingorum & Sclauorum, loco qui dicitur Saleuelt: quarum prior in honorem S. Alexandri martyris, sequens in honorem Principis Apostolorum consecrata est: quas structuris & prædiorum sumptibus abundè ditatas, ad normam Sigebergensium viuere instituit, adductis etiam illuc eiusdem cœnobij Fratribus.

Reprehendẽ Imperatorẽ, cũ primus esset apud eum summus, ab eodẽ ignominiosè aula eiicitur.

Item constructa ab eo duo alia monasteria.

SANE quicquid ab huius mundi diuitibus, vel emendo, vel in precarium accipiendo, vel aliter acquisierat, mox in pauperes, vel ecclesiarum ministros expendit; hoc propositum habens, vt ne minimam saltem rem in omni proprietatis suæ iure moriens post se relinqueret. Cuius propositi eius quis finis fuerit, patet ex eo quòd in ægritudine, qua mortuus est, alienis fouebatur operimentis; quotiesque manibus ferebatur in occursum Sanctorũ, quos iam infirmus in suis liminibus ipse visitare non præualens, ad se visitandum plerumque deferri voluit, habitu proprio carens, interim ab aliquo Canonicorũ contegi necesse habuit. Exstant eius innumerabiles pro Ecclesia sudores, sicut & plurima quæ per eum Deus præstitit miracula

Omnia sua largitus pauperibus, tãdẽ cooperitur cõmodatis vestibus.

miracula; sed non possunt commemorari omnia. Illud tantum breuiter referemus, quàm grauiter pius Dominus ante diem vocationis suæ permiserit eum tentari. Primùm moto Saxonico bello, fratrem eius Vvessellum Magdeburgensem Archiepiscopum, & consobrinum eius Bucconem Halberstedensem Antistitem, tempestas inuoluit grauissimæ persecutionis, Contra quos, cùm Regi totius Saxonicæ gẽtis exterminium, anhelanti opem non satis alacriter ferret noster Anno, naturæ profectò legibus inhibitus, inuisus ei suspectusque efficitur, periurij ac perfidiæ insimulatur. Atque hinc iter cum & Regẽ quotidie discordiis incrementa accipientibus, eo vsque tandem res progressa est, vt ciues Colonienses, quibus paulo antè vnicè charus acceptusque erat, etiam ad interficiendum eum solicitarentur. Atque adeò quadam vice ex omnibus vrbis partibus ruunt ad *curtim Archiepiscopi, & eum cum Episcopo Monasteriensi cœnantem adorti tela contorquent, saxa iaciunt, nonnullos etiam ex assistentibus interficiunt, cæteros plagis & vulneribus confectos in fugam vertunt. Denique Archiepiscopum vix ex eorum manibus in templum S. Petri elapsum, direpta hostiliter tota ipsius domo, arctissimè obsident, extrema quæque minantes.

Insurgit contra eum grauissima procella.

** id est, Curiã.*

Quæsitus ad mortẽ, a propriis ciuibus vix elabitur.

AT non permisit Deus tentari famulum suum vltra modum. Etenim cùm is per paruulum quendam posticum noctu egressus, Nussiam venisset, iamque per prouinciam res vulgari inciperet, mox per quatuor vel quinque milliaria circumquaque ad arma conclamant, multa hominum millia dicto citiùs concurrunt, conglobati in vnum, rogant Archiepiscopum, & cunctantem ei impellunt, vt ad recuperandam ciuitatem quantocyus festinet. Quo factum est, vt quarto die postquam exierat, magno vallatus agmine ad vrbem accedẽs, facilè sit intromissus, Coloniensibus reos se confitentibus, nec non & quòd parati sint, vita incolumi, omnem quam Archiepiscopus iuberet pœnam pendere. Ad extremum vir beatus multis tribulationum ignibus velut in camino ad purũ excoctus, anno Saluatoris millesimo septuagesimo quinto, Episcopatus sui vigesimo primo, pridie nonas Decembris ab hominibus ad Angelos est profectus: cuius venerandum corpus non tam funus quàm cæleste munus, Colonia in protectionem sui, filiorumque suorum sanctificationem, diebus sex solenniter circumduxit, & septimo tandem die cum ingenti comitatu tam honorificè quàm luctuosè ad montem

Restituitur in suam sedem.

Nota de honore eius sacro corpori exhibito.

Sigebergensem, sicut ipse petierat, transmisit. Ad laudem Dei immortalis.

DE S. DALMATIO EPISCOPO
Tricinensi & Martyre, ex Petro Episcopo Equilino consirmiter carmini Vidæ.

V. DECEMBRIS.

S. Dalmatij clari natales.

DALMATIVS Martyr & Episcopus fuit de Italia oriũdus patre Senatore. Hic dum Christianus esset occultus, omnia deserens, ad Albam ciuitatẽ deuenit; ibique Christum prædicare cœpit & miraculis clarere. Ad quem quidem Valentinianus Magister militum de Rauenna veniens, eius audita fama, pro filio suo, graui infirmitate detento, supplicare cœpit; cùm paulo pòst oratione fusa, sanctus filium liberatum eidem nunciat. Quod ille in patriam reuersus, dum verum esse cognouit, ad Dalmatium mox rediit, & conuersus ad Christum, ab eodem cum filio baptismum suscepit; sicque ad propria remeans, & Christum annuncians, miraculi testimonio multos & ipse ad fidem conuertit. At verò deinde Dalmatius, Angelo duce, Tricinum venit: Vbi dum flumen sine ponte vel naui ab Angelo in momento transuectus, multis coram positis, transiuisset, populum multum conuertit ad Christum: ibique constitutus Episcopus, prædicationis officium fideliter perficiebat. Sed & ad * Gallias transiens, plurimos infidelium Christianos effecit. Denique post hæc reuelatione diuina, dum ad suam rediret ecclesiam, iuxta flumen Ticini ab infidelibus captus, & in cerebro gladiis percussus, per martyrium migrauit ad Christum. Cuius dum corpus exanime staret, nec dudum caderet; viso miraculo, multi ex infidelibus conuersi sunt. Sepultus est autem ibidem miraculis clarus, passus die Nonarum Decembris.

Conuertitur per eum quidam magister equitum.

* *Vila nominat accolas Rhodani.*

Transit gloriosè.

VITA S. NICOLAI EPISCOPI MYRENsis,
partim ex Ordinario nouo, partim ex ea quæ est apud R.P. Laur. Surium.

VI. DECEMBRIS.

Breuiarium. S. Nicolaus genus.

NICOLAVM, illustri loco Pataræ in Lycia natum, parentes steriles à Deo precibus impetrarunt. Cuius viri sancti

ſanctitas quanta futura eſſet, etiam ab ipſis iam cunabulis apparuit. Etenim infans cùm reliquos dies lac nutricis frequens ſugeret, vt aſſolent infantes; quarta & ſexta feria ſemel dumtaxat, idque veſperi ſugebat. Quam ieiunij conſuetudinem in reliqua quoque vita ſemper tenuit. Ætate poſcente ad capiendum animi cultum, traditur ſtudio literarum. Vbi tum ingenij magnitudine, tum velocitate diſcendi, breui admodum multa ingenuarum diſciplinarum ſcientia imbutus eſt. Cæterùm æqualium ſodalitates, conuiuia, & conſuetudines vitabat omnino, quia in illis cerneret plurimum eſſe intemperantiæ atque periculi, mulierum etiam non modò colloquia, verùm etiam conſpectum ipſum tanquam iuuenilis animi peſtilentiſſimam labem fugiens. Adoleſcens parentibus orbatus, facultates pauperibus diſtribuit. Cuius quidem reliquas eleemoſynas tunc intelligemus faciliùs, ſi hoc vnum è pluribus celebre illius factum ſubiiciamus.

Etiamnum lactens, ieiunat ſingulis quartis & ſextis feriis. Surius.

Adoleſcens ſtudiosè declinat conſpectum mulierum.

ERAT Pataræ vir genere nobili, ſed qui (vt fert humanæ felicitatis fragilitas) à diuitiis inegeſtatem deciredat. Ei erant tres filiæ, quarum ætas nuptias flagitaret. Quas cùm non modò viris tradere, ſed ne alere quidem quoquo pacto poſſet, egens pater (proh miſeriam) earum pudicitiam proſtituere cogitat. Sed re cognita, Nicolaus mox noctu per feneſtram tantum pecuniæ in eius domum iniecit, quantum vnius virginis doti ſatis eſſet. Quod cùm iterum & tertiò feciſſet, tres illæ virgines honeſtis viris in matrimonium datæ ſunt. Atque poſt hæc Nicolaus cùm ſe totum Deo dedidiſſet, in Palæſtinam profectus eſt, vt loca ſancta viſeret, & præſens veneraretur. Qua in peregrinatione nauem conſcendens ſereno cælo & tranquillo mari, horribilem nautis tempeſtatem prædixit, moxque ortam, cùm eſſent omnes in ſummo periculo, orans mirabiliter ſedauit. Vnde cùm domum reuerſus ſingularis ſanctitatis omnibus documenta præberet, Dei admonitu Myream, quæ Lyciæ metropolis erat, venit; quo tempore eius vrbis Epiſcopo mortuo, prouinciales Epiſcopi de ſucceſſore deligendo conſultabant. Tum verò poſt ieiunia & preces iidem diuinitus admonentur, vt eum eligant qui Nicolaus nomine poſtridie manè primus in eccleſiam ingrediatur. Qua obſeruatione adhibita, in eccleſiæ ianua deprehenſus eſt Nicolaus, & ſummo omnium conſenſu Myreæ Epiſcopus creatus.

Seruat ſua munificentia tres filias, quæ aliter fuiſſent proſtituendæ. Breuiarium.

Viſit loca ſancta.

Sedat in mari tempeſtatẽ.

Eligitur Epiſcopus Myrenſis. Surius.

Hîc verò mirum quo pacto ſe in ea dignitate habuerit. Semel

mel edebat quotidie,& vesperi quidem,vt publicis negociis, quæ magna erant multaque, diem licentiùs commodaret. Nec cœna tamen publico vacabat munere, quandoquidem triclinium eius suo consilio, aut ope indigentibus patebat semper. Carnes ab ineunte ætate ita dimisit, vt illas nunquam in omni reliqua vita resumpserit. Non plus vno ferculo cœnauit vnquam, nisi hospitum gratia, quorum dignitas affluentiorem escam expeteret. Nunquam sine sacrorum librorum lectione cœnatum est. Post epulas verò grauis aliquis sermo, sanctissimo atque doctissimo conuentu dignus, inducebatur. Nam Sacerdotes aliquot eruditione & vita probatos, perpetuos sibi conuiuas delegit, à quibus suauiori aliquo animi cibo aleretur; ex quibus & duos sibi quasi consiliarios adiunxit, Paulum Rhodium, & Theodorum Ascalonitam. A mensa verò in cubiculum se recipiens, totus in cælestium contemplationum campum diffundebatur, & animum diurnis alienisque curis distractum, nocturna meditatione collectum refouebat. Inter quas delicias cùm aliquantum noctis absumpsisset, membra tandem humi demissa, somno tantum indulgebat, quantum ad perferendum diei labores vix erat satis. Inde surgens, socios aduocabat, quibuscum antelucana oratione resumpta, inter psalmos & hymnos aurora exspectabatur. Tum vnà cum sole in templum prodiens, diuina exsoluebat officia: à quibus ad pascendum curandùmque gregem, reliquum lucis accommodabat.

Eius domestica consuetudines.

Semper habet secum aliquot pios sacerdotes.

Cubat humi:

Noctu vacat sibi & Deo, interdiu pascendo suo gregi. Breuiarium.

INCREDIBILE autem est quanto studio & charitate opem suam quoquo modo laborantibus impartiebat. Certè viduis & orphanis, reliquisque egentibus, pecunia, consilio, opera nunquam defuit, quippe qui præter necessaria corporis, & supellectilem tenui vitæ opportunam nihil sibi reliquum reseruaret. Qui cùm contra Edictum Diocletiani & Maximiani Christianæ fidei veritatem Myreæ constanter prædicaret, ab Imperatorum satellitibus comprehensus, & longissimè abductus, in carcerem coniectus est: vbi fuit vsque ad Constantinum Imperatorem, cuius iussu ex custodia ereptus, Myream rediit; deinde ad Nicenum Concilium quoque se contulit, vbi cum trecentis illis decem & octo Patribus, Arrianorum hæresim condemnauit. Est verò hoc præterea eius singulare, nempe quòd aliquando tres Tribunos, Nepotianum, Vrsum, & Herpilionem, calumnia æmulorum à Constantino Augusto condemnatos, qui se propter famam mira

Conij itur in carcerem pro confessione fidei.

Surius.

miraculorum eius, orationibus longissimè absenti commendauerant, adhuc viuens (cum Imperatori simul & prætori, minaciter vtrumque terrens, nocte apparuisset) liberauit. Quo miraculo motus Constantinus, misit Nicolao Euangelium aureis literis, aureumque thuribulum, gemmis & arte insigne, & duo prætereà puro ex auro candelabra, quibus inter sacrificandum vtatur, suæ pietatis perpetuum monimentum.

Etiamnū viuens, noctu apparet Constantino Imperatori, & liberat insontes.

SED & his aliisque viri factis eousque nomen eius diffusum est, vt iam vel remotas orbis terrarum plagas attingeret, essetque calamitosis & periclitantibus certissima spes atque refugium, adeò vt etiam similiter inuocatus adhuc viuens, semel in naui tempestate iactata, visus sit ipse clauum tenere, ipse fluctus increpare, ipse sæuientes procellas placare. Qui tantis præditus ornamentis, cùm ita inter mortales esset versatus, vt cælo semper & immortalitate omnium consensu dignissimus videretur, instante morte suspiciens in cælum, cùm Angelos sibi occurrētes intueretur, illo Psalmo pronunciato, In te Domine speraui; vsque eum locum, In manus tuas commendo spiritum meum: in cælestem patriam migrauit, octauo Idus Decembris, Anno salutis humanæ trecentesimo quadragesimo tertio.

Item ad similem modū liberat periclitantes in mari.

Breuiarium.

Obdormit in Domino.

VITA S. ASELLÆ VIRGINIS,
ex D. Hieronymo ad Marcellam.

VI. DECEMBRIS.

NEMO reprehendat quòd in epistolis aliquos aut laudamus aut carpimus: cùm & in arguendis malis sit correctio cæterorum: & in optimis prędicandis, bonorum ad virtutem studia concitentur. Nudiustertius de beatæ memoriæ Lea aliqua dixeramus. Ilicò pupūgit animum, & mihi venit in mentem non debere nos tacere de Virgine, qui de secundo ordine castitatis locuti sumus. Igitur Asellæ nostræ vita breuiter explicanda est; cui, quæso, ne hanc epistolam legas; grauatur quippe laudibus suis; sed iis potiùs quæ adolescentulæ sunt, legere dignare: vt ad exemplum eius se instituentes, conuersationem illius perfectæ vitæ normam arbitrentur.

Tomo 7. Surij. En ad quid conducant Vitæ Sanctorum.

PRAETERMITTO quòd in matris vtero benedicitur ei antequam nascatur; quòd in phiala nitentis vitri, & omni speculo purioris, patri virgo traditur per quietem; quòd adhuc

Mira S. Asellæ natiuitas.

huc infantiæ inuoluta pannis, & vix annum decimum ætatis excedens, honore futuræ beatitudinis consecratur. Sit gratiæ omne quod ante laborem fuit; licet Deus præscius futurorum & Hieremiam sanctificet in vtero, & Ioannem in aluo matris faciat exsultare, & Paulum ante constitutionem mundi separet in Euangelium Filij sui. Ad ea venio quæ post duodecimum annum sudore proprio elegit, arripuit, tenuit, cœpit, impleuit. Vnius cellulæ clausa angustiis, latitudine paradisi fruebatur. Idem terræ solum, & orationis locus exstitit, & quietis. Ieiunium pro ludo habuit, inediam pro refectione. Et cùm eam non vescendi desiderium, sed humana confectio ad cibum traheret, pane & sale, & aqua frigida concitabat magis esuriem, quam restringebat. Et quia penè oblitus sum quod in principio debui dicere. Cùm primùm hoc propositum arripuit, aurum colli sui, quod quidem murenulam vulgus vocat, quod scilicet metallo in virgulas lentescente quadam ordinis flexuosi catena contexitur, absque parentibus vendidit, & tunicam fusciorem quam à matre impetrare non poterat, induta pio negotiationis auspicio, se repentè Domino consecrauit: vt intelligeret vniuersa cognatio non posse aliud ei extorqueri, quæ iam seculum damnasset in vestibus.

Clausa angustiis cellulæ, perfruitur latitudine paradisi.

Vendit monile aureum, vt emat vestem pœnitentiæ.

Studiosissimè vitat colloquia virorũ

SED vt dicere cœperamus, ita se semper moderatè habuit, & intra cubiculi sui secreta se custodiuit, vt nunquam pedem proferret in publicum, nunquam viri nosset alloquium, &, quod magis sit admirandum, sororem virginem amaret potiùs quàm videret. Operabatur manibus suis sciens scriptum esse: Qui non operatur non manducet. Sponso suo aut orans loquebatur aut psallens. Ad martyrum limina penè inuisa properabat. Et cùm gauderet proposito suo in eo vehementiùs exsultabat, quòd se nullus cognosceret. Cumque per omnem annum iugi ieiunio pasceretur, biduo triduoque sic permanens; tum verò in Quadragesima nauigij sui vela tendebat, omnes penè hebdomadas vultu lętante coniungens, & (quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum, Deo autem pręstante possibile est) ita ad quinquagenariam peruenit ætatem, vt non doleret stomachum, non viscerum cruciaretur iniuria, non sicca humus iacentia membra confringeret, non sacco aspera cutis, fœtorem aliquem situmque contraheret; sed sana corpore, anima sanior, solitudinem putaret esse delicias; & in vrbe turbida inueniret eremum monachorum.

Pascitur continuo ieiunio.

Lectus eius terra, vestis saccus.

ET hæc quidem tu meliùs nosti, à quã pauca didicimus, & cuius

cuius oculis durities de genibus camelorũ in illo sancto corpusculo præ orandi frequentia obcalluisse perspecta est. Nos, quod scire possumus, explicamus. Nihil illius seueritate iucundius, nihil iucũditate seuerius, nihil suauitate tristius, nihil tristitia suauius. Ita pallor in facie est, vt cum cõtinentiam indicet, non redoleat ostentationẽ. Sermo silens, & silentium loquens. Nec citus nec tardus incessus, idem semper habitus. Neglecta mundities, & in culta veste cultus ipse sine cultu. Sola vitæ suæ æqualitate promeruit, vt in vrbe pompæ, lasciuiæ, deliciarum (in qua humilem esse miseria est) & boni eam prædicent, & mali detrahere non audeant, viduæ eam imitentur & virgines, maritatæ colant, noxiæ timeant, suspiciant Sacerdotes.

Summè exprimit in virtutibus auream mediocritatem.

DE S. DIONYSIA CVM SOCIIS

sub persecutione Vvandalica, ex Victore Vticensi libro tertio.

VI. DECEMBRIS.

QVo tempore addidit bestia Hunnericus Vvandalorum Rex, sanguinem sitiens innocentem, Episcopis necdum adhuc in exsilium directis, per vniuersas Africanæ terræ prouincias simul vno quasi impetu tortores crudelissimos destinare, vt nulla remansisset domus & locus, vbi non fuisset eiulatus & luctus, vt nulli ætati, nulli parceretur sexui, nisi illis, qui eorum succumberent voluntati; tunc hos fustibus, illos suspendio, alios ignibus torquebant. Mulieres & præcipuè nobiles, cõtra ius naturæ, nudas omnino in facie publica cruciabant. Ex quibus vnam Dionysiam cursim ac breuiter nominabo. Quam cùm viderent non solùm audacem, sed etiam matronis cæteris pulchriorem, ipsam primò nisi sunt fustibus exspoliatam aptare. Quæ cùm peteret, diceretque de Domino suo secura: Qualiter libet, cruciate, verecunda tamen membra nolite nudare; ampliùs illi magis furentes, celsiori loco vestimentis exutam constituunt, spectaculum eam omnibus facientes. Quæ inter ictus virgarum, dum riuuli sanguinis toto iam corpore fluitarent, libera voce dicebat. Ministri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipsa est laus mea.

En impietatem & crudelitatem hæreticam.

S. Dionysia cõstanter firmè perfert tormenta.

ET quia erat scripturarum diuinarum scientia plena, attrita pœnis, & ipsa iam martyr, alacriter etiam alios ad martyrium confortabat, atque adeò suo sancto exemplo vniuersam

Item confortat ad martyrium suum filium.

sam suam patriam liberauit. Quæ cùm suum vnicum filium, admodum adhuc teneræ ætatis & delicatum, timore pœnarum formidolosum cõspiceret, verberans eum nutibus oculorum, & increpans auctoritate materna ita confortauit, vt matre multo fortior redderetur: ac deinde ei inter crudelia verbera cõstituto ita dicebat: Memento fili mi, quia in nomine Trinitatis in matre Catholica baptizati sumus: non perdamus indumentum nostræ salutis, ne veniens inuitator, vestem nõ inueniat nuptialem, & dicat ministris: Mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium. Illa (inquiebat) ô fili mi, pœna timenda est quæ nunquam finitur, illa desideranda vita quæ semper habetur. Quibus filium solidans verbis, velociter martyrem fecit, ita vt venerabilis adolescens, Maioricus nomine, in certamine confessionis spiritum reddens cursum palmiferum consumaret. Tum verò amplexabatur illam hostiam suam mater, ac deinde, quantis potuit vocibus, Domino gratias agens etiam ad gaudium spei futuræ in sua domo cum maluit sepelire: vt quoties super sepulchrũ eius Trinitati preces effunderet, alienam se à filio nunquam esse confideret.

Consummat ille gloriosum martyrium.

PER quam quanti in illa ciuitate, vt fati sumus, acquisiti sint Deo, longum est enarrare. Nam & eius germana, nomine Datiua, atque Leontia, filia sancti Germani Episcopi, cognatusque Datiuæ venerabilis * Emelius medicus, religiosus quoque Tertius, Trinitatis confessione præclarus, Sibidensisque Bonifacius horribilia pertulerunt, magnisque cruciatibus euisceratæ vel euiscerati sunt. Sed vt dixi, longum est omnia ordine referre.

** Aemilianus.*

Itemanimantur eorum exemplo & alij.

VITA S. AMBROSII ECCLESIÆ *Doctoris, ex ea quæ est per Paulinum ad sanctum Augustinum.*

VII. DECEMBRIS.

HORTARIS venerabilis pater Augustine, vt vitam beati Ambrosij Episcopi Mediolanensiũ meo prosequar stilo. Igitur posito in administratione præfecturæ Galliarum patre eius Ambrosio, natus est Ambrosius. Qui infans in area Prætorij in cunabulis positus, cùm dormiret aperto ore, examen apum adueniens, faciem eius atque ora compleuit, ingrediendi in eos, egrediendique frequentans vices, donec post aliquan

S. Ambrosii genus & præsagiũ infantia.

aliquamdiu euolantes in tantum aëris altitudinem subleuatæ sunt, vt humanis oculis minimè viderentur: quod scriptorum ipsius nobis generabat fauos. Hic postquam edoctus est liberalibus disciplinis, professus in auditorio præfecturæ prætorij, ita splendidè caussas perorabat, vt eligeretur à viro illustri Probo, tunc Præfecto prætorij, ad consilium tribuendum. Post quod & Consularitatis suscepit insignia, vt regeret Liguriam, Æmiliamque prouincias. Cæterùm per id tempus mortuo Auxentio, Arrianæ perfidiæ Episcopo (qui Dionisio beatæ memoriæ ad exsilium destinato incubabat Mediolanensium ecclesiæ) cum populus ad seditionem esset commotus, erat illi cura sedandæ seditionis. Vbi cùm alloqueretur plebem, subitò vox fertur infantis, Ambrosium Episcopum proclamantis. Ad cuius vocis sonum totius quoque populi ora conuersa sunt acclamantis Ambrosium, Ambrosium: ita vt qui antea turbulentissimè dissidebant, quia & Arriani sibi, & Catholici sibi Episcopum cupiebant, ordinari repentè hunc vnum consenserint.

Claret multa eloquentia.

Administrat Liguriam & Aemiliam.

Voce infantis proclamatur Episcopus Mediolanensis.

QVO ille cognito (erat autem tunc catechumenus) reuertens domum, philosophiam profiteri voluit. Quod vbi ne faceret, reuocatus est, publicas etiam mulieres publicè ad se ingredi fecit, ad hoc tantùm vt visis his, populi intentio reuocaretur. At verò populus magis magisque clamabat. Tum ille cùm videret nihil intentionem suam proficere, fugam parauit. Sed egressus noctis medio ciuitatē, cùm Ticinum se pergere putaret, manè ad portam ciuitatis Mediolanensis inuenitur. Qui inuentus, cùm custodiretur à populo, missa est relatio ad Imperatorem Valentinianum: qui sanè summo gaudio accepit quòd iudices à se directi ad Sacerdotium peterentur. Lætabatur etiam Probus Præfectus, qui dixerat proficiscenti: Vade, age non vt Iudex, sed vt Episcopus. Interim pendente relatione, iterum fugam parauit, atque in possessione cuiusdā Leontij aliquādiu latuit. Verùm vbi relationi responsum est, ab eodē Leontio proditur. Productus & adductus Mediolanū, postulauit se non nisi à Catholico Episcopo baptizari. Baptizatus, omnia Ecclesiastica officia impleuit, atque ita octaua die Episcopus ordinatus est, cum summa lætitia cunctorum. Sed mirum simul, quantas vir beatus ab impiis Arriânis non multo post sustinuit passiones.

Multis artib. studet Episcopatum subterfugere, sed frustra.

Valde sibi congratulatur de eius electione Imperator.

Baptizatur, ac deinde octaua die consecratur Episcopus.

SIRMIVM sanè cum ad ordinandum Episcopum Anemmium perrexisset, Iustinæ tunc temporis Reginæ potentia,

à multitu

à multitudine coadunata Ecclesia pellebatur, ita vt vna de virginibus Arrianorum tribunal conscendens, illum attrahere vellet ad partem mulierum, vt ab ipsis cæderetur. At verò ille ad eam, Et si inquiebat, ego indignus tanto Sacerdotio sum, tamen te non conuenit in qualemcumque Sacerdotem manum inijcere: vnde debes vereri Dei iudicium. Quod dictum etiam exitus confirmauit. Nam alio die mortuam ad sepulcrum vsque deduxit, gratiam pro contumelia rependens. Quod factum nō leuem aduersariis incussit metum, pacemque in ordinando Episcopo tribuit. Sed nec sic tamen adhuc supradictæ Iustinæ mulieris omnes insidias effugit, quippe quæ etiam Mediolani, muneribus atque honoribus aduersus sanctum virum oblatis, populum excitaret. Promittebat tribunatus, & diuersas alias dignitates iis qui illum de Ecclesia raptum, ad exsilium perduxissent. Tandem etiam exercitus armatus ad custodiendas fores ecclesiæ est directus, vt nemo auderet Catholicam ecclesiam ingredi. Sed Dominus, qui de aduersariis suis Ecclesiæ triumphos donare consueuit, ad Ecclesiæ suæ munimentum militum corda conuertit. Sed nec hoc satis erat, nisi etiam pro Catholica fide cum plebe pariter acclamarent: hoc enim tempore primò Antiphonæ, Hymni, ac Vigiliæ in ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt. Per idem quoque tempus sancti Martyres Protasius & Geruasius se Sacerdoti reuelauerunt. Quorum corpora vbi leuata sunt, & in lecticis posita, multorum ibi sanatæ ægritudines perdocentur. Cæcus etiam Seuerus nomine, qui nunc vsque in eadem basilica religiosè seruit, vbi vestem Martyrum attigit, statim lumen recepit. Quibus beneficiis Martyrum inquantum crescebat fides Ecclesiæ Catholicæ, intantum Arrianorum perfidia minuebatur.

Magnā patitur contumeliā ab Arrianis.

En iudicium Dei.

Milites constituti contra Catholicos, diuinitus mutantur vt fierent pro Catholicis.

Reuelant se S. Ambrosio, S. Protasius & Geruasius.

Nota miraculum.

INTEREA etiam occiso Gratiano Imperatore, Sacerdos recipiendi corporis eius causa ad Maximum suscepit legationem. Apud quem quàm constanter egerit, qui voluerit cognoscere, ipsius legationis epistolam ad Valentinianum iuniorem datam cum legerit, approbabit: ipsum verò Maximū à communionis consortio segregauit, admonens vt effusi sanguinis Domini sui & (quod est grauius) innocentis, ageret pœnitentiam. Quod vt ipse declinauit superbo spiritu ita non solum futuram, sed etiam præsentem salutem amisit. Sed & alia sunt narranda. Certe causa Thessalonicensis ciuitatis non minima successit tribulatio Sacerdoti, cùm pene com

Mittitur vir sanctus Legatus ad Maximum tyrannū.

Vlciscitur crudelitatem ciuium Thessalonicēsiū.

comperiſſet ciuitatem deletam. Promiſerat enim illi Theodoſius Imperator,ſe veniam daturum ciuibus ſupradictæ ciuitatis : ſed agentibus Comitibus occultè cum Imperatore, ignorante Sacerdote,vſque in horam tertiam gladio ciuitas eſt donata,atque plurimi interempti innocentes. Quod factum vbi comperiſſet Sacerdos,copiã Imperatori ingrediendi eccleſiam denegauit:nec priùs dignum iudicauit Eccleſiæ vel Sacramentorum communione, quàm publicam ageret pœnitentiam,quam clementiſſimus Imperator libẽter ſuſcepit.Sed & inter hæc egreſſo Theodoſio de Italia,& Conſtantinopoli conſtituto,Valẽtiniano Auguſto intra Gallias poſito, directa relatio eſt ſub nomine Senatus à Symmacho, tũ Præfecto vrbis,de repetenda ara Victoriæ & ſumptibus cæremoniarum.Quod vbi comperit Sacerdos,miſſo libello ad Imperatorem,poſtulauit vt ad ſe relationis exemplaria dirigerentur.Qua accepta præclariſſimum libellum conſcripſit,vt contrà nihil vmquam auderet vir aliàs eloquentiſſimus.

Excommunicat propterea S. Ambroſius Imperatorem Theodoſium.

Fortiter opponit ſe petentibus reſtaurare ceremoniam gentilitatis.

ATQVI tamen (proh pudor) poſtquam Valentinianus in Viennenſi ciuitate vitam finiuit,ac Eugenius ſuſcepit imperium,is non multo pòſt petentibus Flauiano tunc Præfecto & Arbogaſte Comite,aram Victoriæ & ſumptus ceremoniarum,oblitus fidei ſuæ conceſſit. Quod vbi audiuit Sacerdos, relicta ciuitate Mediolanenſi,ad quam ille feſtinatò veniebat, ad Bononienſem ciuitatem emigrauit,atque inde Fabẽtiam, hinc inuitatus à Florentinis,in Tuſciam vſque , non tam formidans imperantis iniuriam , quã declinans eius adſpectum ſacrilegum.Nam & epiſtolam ad eundẽ dedit,in qua egregiè conuenit conſcientiam illius.Promiſerat etiam Arbogaſtes Comes, & Fabianus Præfectus Mediolano contra Theodoſium Imperatorem egredientes , cùm victores reuertiſſent, ſtabulum ſe eſſe facturos in eccleſia Mediolanenſi,atque Clericos ſub armis probaturos. Cuius commodationis cauſa fuit quia munera Imperatoris, qui ſe ſacrilegio commiſcuerat,ab Eccleſia reſpuebantur, nec orandi illi cum Eccleſia ſocietas tribuebatur. Sed Dominus de cælo iaculatus eſt iudicium, atque omnem victoriam ad religioſum Imperatorem tranſtulit Theodoſium , exſtincto Eugenio. De quo cùm Sacerdos ſcripta acciperet Imperatoris , non illi alia maior cura fuit , quàm vt pro his interueniret , quos renatos inuenerat. Obſecrauit itaque primo ſcriptis Imperatorem, poſtea etiam ipſe Aquileiam perrexit precaturus pro eis : quibus facilè venia impe-

Occiſo Valentiniano inuadit imperium impius Eugenius.

Variè ſancto viro impii cõminantur.

Vincitur impius Eugenius à pio Imperatore Theodoſio.

nia impetrata est: quia Christianissimus Imperator, prouolutus pedibus sacerdotis, testabatur meritis & orationibus eius se esse seruatum.

REVERTENS autem de vrbe Aquileiensi, vno die præcessit Imperatorem. Nec diu clementissimæ memoriæ Theodosius Imperator, susceptis filiis in Ecclesia, & traditis Sacerdoti, in hac luce fuit. Post cuius obitum fere triennium superuixit. Quo in tempore S. Nazarij Martyris corpus leuatum ad basilicam Apostolorum transtulit. Ipse autem vir venerabilis erat multæ abstinentiæ, & vigiliarum multarum, & laborum, quotidiano ieiunio macerans corpus: cui prandendi nunquam consuetudo fuit, nisi die Sabbatho & Dominico, vel cùm natalitia celeberrimorum Martyrum essent. Orandi etiam assiduitas magna die ac nocte: nec operam declinabat scribendi propria manu libros, nisi cùm aliqua infirmitate corpus eius attenuaretur. Erat etiam in rebus diuinis implendis fortissimus, intantum vt quod implere solitus erat circa baptizandos, quinque postea Episcopi, à tẽpore quo decessit, vix implerent, solicitus etiam nimium pro pauperibus & captiuis. Nam in tempore quo Episcopus ordinatus est, aurum omne atque argentum quod habere poterat, Ecclesiæ, vel pauperibus contulit. Prædia etiam quæ habebat, reseruato vsufructu germanæ suæ, donauit Ecclesiæ, nihil sibi, quod hîc suum diceret, derelinquens. Erat autem flens cum flentibus. Siquidem & quotiescunque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, vt & illum flere compelleret.

Trãsfert vir sanctus corpus S. Nazarij.

Præbet se omnibus exemplum bonorum operum.

Audiens cõfessiones, ita flet, vt & cõfitentes flere compelleret.

IPSE autem de sua morte antè prædixit, quòd vsque ad Pascha nobiscum futurus esset. Quo tempore Comes Stilico dicens quod tanto viro recedente, interitus immineret Italiç, conuocatis ad se nobilibus viris, quos diligi à sancto sacerdote cognouerat, partim interminatus est illis, partim blando sermone persuasit, vt pergerent ad sanctum sacerdotem, suaderentque illi vt sibi viuendi peteret à Domino commeatum. Quod vbi ab illis audiuit, respondit: Non ita inter vos vixi, vt pudeat me viuere: nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus. Sed & eodem tempore quo à nobis migrauit ad Dominum, ab hora circiter vndecima diei vsque ad illam horam qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis orauit. Nos verò labia illius moueri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus quoque

Prædicit de suo obitu.

Nec mori timet, nec viuere recusat.

sacerdos

ſacerdos Eccleſiæ Vercellenſis, cum in ſuperiori domo ſe ad quietem compoſuiſſet, tertiò vocem vocantis ſe audiuit, dicentiſque ſibi: Surge, feſtina, quia modò eſt receſſurus. Qui deſcendens, obtulit ſancto Domini corpus. Quo accepto, vbi glutiuit, emiſit ſpiritum. Cuius corpus, cùm peractis Sacramentis diuinis, de Eccleſia maiore leuaretur portandum ad baſilicam Ambroſianam, in qua poſitus eſt, ita, ibi dæmonum turba clamabat ſe ab illo torqueri, vt eiulatus eorum ferri non poſſet. Quæ gratia ſacerdotis non ſolùm in illo loco, verùm etiam in plurimis prouinciis vſque in hodiernum diem manet.

Accepto viatico corporis Dominici trãſit feliciter.

DE CONCEPTIONE B. MARIÆ,

partim ex Diuo Bernardo, partim ex Diuo Ioanne Chryſoſtomo.

VIII. DECEMBRIS.

NOVVM fecit Dominus ſuper terram, vt mulier circumdaret virum, nec alium quàm Chriſtum de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomẽ eius. Nouum quoque fecit in cælo, vt mulier Sole appareret amicta. Denique & coronauit eum, & viciſſim ab eo meruit coronari. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua. Verùm hoc aliàs. Interim ſanè egredimini magis, & videte Reginam in diademate, quo coronauit eam filius ſuus. In capite, inquit, eius corona ſtellarum duodecim. Dignum planè ſtellis coronari caput, quòd & ipſa longe clariùs micans, ornet eas potiùs quàm ornetur ab eis. Et quid ni coronent ſidera quam Sol veſtit? Et quod ergo ſidereum micat in generatione Mariæ? Planè quod ex Regibus orta, quod ex ſemine Abrahæ, quòd generoſa ex ſtirpe Dauid. Et ſi id parum videtur, adde quòd generatio illius ob ſingulare priuilegium ſanctitatis diuinitus noſcitur eſſe conceſſa: quòd longè antè eiſdẽ patribus cælitus repromiſſa; quòd myſticis præfigurata miraculis, quòd oraculis prænunciata propheticis. Hanc ſacerdotalis virga, dum ſine radice floruit; hanc Gedeonis vellus, dum in medio ſiccæ areæ maduit; hanc in Ezechielis viſione Orientalis porta, quæ nulli vnquam patuit, præſignabat.

D. Bernardus ſerm. 12. de verbis Apocalypſis.

In capite Mariæ corona ſtellarũ duodecim.

In generatione Mariæ ſingulare eſt priuilegium ſanctitatis.

MAGNVM re vera miraculum, fratres dilectiſſimi, fuit beata ſemper virgo Maria. Quid namque illa maius aut illu-

** D. Chryſoſtomus, vt eſt in Breu. infra. Nat. B. Mariæ.*

ſtrius vllo vnquam tempore inuentum eſt, ſeu aliquando inueniri poterit? Hæc ſola cælum ac terram amplitudine ſuperauit. Quidnam illa ſanctius? non Prophetę, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res viſibiles aut inuiſibiles, maius aut excellentius inueniri poteſt. Eadem ancilla Dei eſt, & mater, eadem virgo & genitrix. Hæc eius mater eſt, qui à Pater ante omne principium genitus fuit, quem Angeli & homines agnoſcunt Dominum rerum omnium. Viſne cognoſcere quanto Virgo hæc præſtantior ſit cæleſtibus potentiis? Illæ cum timore & tremore aſſiſtunt, faciem velantes ſuam, hæc humanum genus illi offert quem genuit. Per hanc & peccatorum veniam etiam conſequimur. Auę igitur mater, cælum, puella, virgo, thronus, Eccleſiæ noſtræ decus, gloria, & firmamentum, aſſiduè pro nobis precare Ieſum filium tuum, & Dominum noſtrum, vt per te miſericordiam inuenire in die iudicij, & quæ repoſita ſunt his qui diligunt Deum, bona conſequi poſſimus, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo Patri ſimul & ſancto Spiritui ſit gloria, honor & imperium, nunc & ſemper in ſecula ſeculorum.

S. Maria excellentiſſima inter omnes creaturas.

En ... nihil noui ... Deiparam.

DE S. LEOCADIA VIRGINE TOLETANA

vt habetur lib 5. hiſt. Lucij Marinei.

Tom. 7. Surij.

IX. DECEMBRIS.

LEOCADIA virgo celeberrima Toleti orta fuiſſe perhibetur, quæ & propter ſanctiſsimos ſuos mores & Chriſti cultum, cui feruentiſsimè ſeruiebat, à Daciano Hiſpaniæ Præfecto tanquam Chriſtiana capta fuit, & apud vrbem Toletanam carceri mancipata. Vbi etiam cum grauiſsimos B. Eulaliæ & reliquorum Martyrum cruciatus audiſſet, poſitis in oratione genibus, quinto Idus Decembris impollutum Deo reddidit ſpiritum. Sunt etiam qui dicunt Leocadiam crudeliſſimis Daciani ſatellitibus ab altis Toletanæ vrbis mœnibus fuiſſe præcipitatam, vſque ad locum vbi nunc eius eccleſia colitur extra vrbem.

S. Leocadia capta tanquã Chriſtiana, ... ſit feliciter.

VITA S. EVLALIÆ VIRGINIS,

ex Georg. Vvicelio.

X. DE

X. DECEMBRIS.

HISPANICA virgo, à S. Donato presbytero in ciuitate Barcinonensi catechizata, puerilibus etiamdũ annis martyrij palmam cupide assecuta est, sub præside Daciano. Causa mortis erat, idolorum abominatio. Aiebat se soli Deo, qui in cœlis habitabat, sacrificare solere; huiusque vnigenito dedisse fidem. In qua sententia cùm firma perstaret, cedens neque ad dextram neque ad sinistram, multò atrocissimis pariter & creberrimis tormentis, vsque dum animam redderet, discruciata fuit. Et quod in muliebri ac sanè quàm imbecillo sexu magis mirere, bene locuta est Eulalia (suo videlicet nomini respondens) in Christo Iesu inter has ipsas laminas, vngulas, fustes, cultros, flagra, haud secus ac si accubaret in viridario quodam procul à carnificum cruentis & ferinis manibus. O virtutem Dei ostensam in testaceo vasculo! O turpiter confusam potestatem robustissimi Behemoth! Hispaniæ decus haud vulgare, hæc Eulalia, satanicam tyrannidem deuicit in Domino qui est benedictus in secula. Meminit Eulaliæ Her. contractus, recensens eam inter sanctos Ecclesiæ homines sub Diocletiano Imperatore passos.

S. Eulalia professio Christiana.

Hæc sunt verba S. Eulalia in tormentis.

HYMNVS IN LAVDEM EIVSDEM EVLAliæ virginis, ex Aurelio Prudentio.

GERMINE nobilis Eulalia,
Moris & indole nobilior,
Emeritam sacra virgo suam
Cuius ab vbere progenita est
Ossibus ornat, amore colit.
Proximus occiduo locus est,
Qui tulit hoc decus egregium,
Vrbe potens populis locuples,
Sed mage sanguine martyrij,
Virgineoq; potens titulo.
Curriculis tribus atque nouem
Tres hyemes quater attigerat,
Cum crepitante pyra, trepidos
Terruit aspera carnifices,
Supplicium sibi dulce ratæ.
Iam dederat prius indicium
Tendere se patris ad solium,
Nec sua membra dicata thoro

Ipsa crepundia repulerat,
Ludere nescia pusiola.
Spernere succina, flere rosas,
Fulua monilia respuere,
Ore seuera, modesta gradu,
Moribus & nimium teneris:
Caniciem meditata senum.
Ast vbi se furiata lues
Excitat in famulos Domini,
Christicolasq; cruenta iubet
Thura cremare, iecur pecudis
Mortiferis adolere deis.
Infremuit sacer Eulaliæ.
Spiritus, ingeniiq; ferox
Turbida frangere bella parat,
Et rude pectus, anhela Deo.
Fœmina prouocat arma virum.
Sed pia cura parentis agit
Virgo animosa domi vt lateat,
Abdita rure & ab vrbe procul,
Ne fera sanguinis in precium
Mortis amore puella ruat.
Illa perosa, quietis opem
Degeneri tolerare mora,
Nocte fores sine teste mouet.
Septaq; claustra fugax aperit,
Inde per inuia carpit iter.
Ingreditur pedibus laceris,
Per loca senta situ, & vepribus,
Angelico comitata choro,
Et licet horrida nox sileat,
Lucis habet tamen illa ducem.
Sic habuit generosa patrum
Turba columniferum radium,
Scindere qui tenebrosa potens,
Nocte viam face perspicua
Præstitit, intereunte chao.
Non aliter pia virgo viam
Nocte sequuta diem meruit,
Nec tenebris adoperta fuit,
Regna Canopica quum fugeret

Et super

Et super astra pararet iter.
Illa gradu cita peruigili,
Millia multa priùs peragit,
Quàm plaga pandat Eoa polum;
Manè superba tribunal adit,
Fascibus adstat & in mediis:
Vociferans, rogo quis pudor est
Perdere præcipites animas,
Et malè prodiga corda sui
Sternere rasilibus scopulis,
Omnipatremq; negare Deum?
Quæritis ô miseranda manus
Christicolûm genus? en ego sum
Dæmoniacis inimica sacris,
Idola protero sub pedibus,
Pectore & ore Deum fateor.
Isis, Apollo, Venus, nihil est,
Maximianus & ipse, nihil,
Illa nihil, quia facta manu:
Hic, manuum quia facta colit:
Friuola vtraq;, & vtraq; nihil.
Maximianus opum dominus,
Et tamen ipse cliens lapidum,
Prostituat, voueatq; suis
Numinis caput ipse suum,
Pectora cur generosa quatit?
Dux bonus, arbiter egregius,
Sanguine pascitur innocuo,
Corporibusq; piis inhians,
Viscera sobria dilacerat,
Gaudet & excruciare fidem.
Ergo age tortor adure, seca,
Diuide membra coacta luto.
Soluere rem fragilem facile est,
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.
Talibus excitus in furias
Prætor, ait, rape præcipitem
Lictor, & obrue suppliciis,
Sentiat esse deos patrios,
Nec leue principis imperium.

Quàm cuperem tamen, ante necem
Si potis es, reuocare tuam
Torua puellula nequitiam,
Respice gaudia quanta metas,
Quæ tibi fert genialis honor.
Te lacrymis labefacta domus
Prosequitur, generisque tui
Ingemit anxia nobilitas.
Flore quod occidis in tenero,
Proxima dotibus & thalamo.
Non mouet aurea pompa thori,
Non pietas veneranda senum,
Quos temeraria debilitas,
Ecce parata ministeria
Excruciabilis exitij.
Aut gladio feriere caput,
Aut laniabere membra feris,
Aut facibus data fumificis.
Flebilitérque vlulanda tuis,
In cineres resoluta flues.
Hæc, rogo, quis labor est fugere?
Si modicum salis eminulis,
Thuris & exiguum digitis
Tangere virgo benigna velis,
Pœna grauis procul abfuerit.
Martyr ad ista nihil, sed enim
Infremit, inque tyranni oculos
Sputa iacit, simulachra dehinc
Dissipat, impositámque molam
Thuribulis pede prosubigit.
Nec mora, carnifices gemini
Iuncea pectora dilacerant,
Et latus [illegible] la virgineum
Pulsat [illegible]inque, & ad ossa secat,
Eulalia numerante notas.
Scriberis ecce mihi domine,
Quàm iuuat hos apices legere,
Qui tua Christe trophæa notant,
Nomen & ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.
Hæc sine fletibus & gemitu

Læta canebat & intrepida,
Dirus abest dolor ex animo,
Membráque picta cruore,nouo
Fonte cutem recalente lauant.
Vltima carnificina dehinc
Non laceratio vulnifica
Crate tenus,nec arata cutis,
Flamma, sed vndique lampadibus
In latera, stomachúmque furit.
Crinis odorus & in iugulos
Fluxerat, inuolitans humeris,
Qui pudibunda pudicitia,
Virgineúsque lateret honos,
Tegmine verticis opposito.
Flamma crepans volat in faciem,
Pérque comas vegetata caput
Occupat,exuperatque apicem,
Virgo citum cupiens obitum,
Appetit & bibit ore rogum.
Emicat inde columba repens,
Martyris os niue candidior
Visa relinquere, & astra sequi:
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus,celer,innocuus.
Colla fluunt abeunte anima,
Et rogus igneus emoritur,
Pax datur artubus exanimis,
Flatus in æthere plaudit ouans,
Templáque celsa petit volucer.
Vidit & ipse satelles,auem
Fœmina ab ore meare palam,
Obstupefactus, & attonitus
Prosilit,& sua gesta fugit,
Lictor & ipse fugit pauidus.
Ecce niuem glacialis hyems
Ingerit & tegit omne forum.
Membra tegit simul Eulaliæ
Axe iacentia sub gelido,
Pallioli vice linteoli.
Cedat amor lacrymantum hominum
Qui celebrare suprema solent,

Flebile cedat & officium,
Ipsa elementa, iubente Deo,
Exequias tibi virgo ferunt.
Nunc locus emerita est tumulo
Clara Colonia Vettoniæ,
Quam memorabilis amnis Ana
Præterit, & viridante rapax
Gurgite, mœnia pulchra lauat.
Hic vbi marmore perspicuo,
Atria luminat alma nitor,
Et peregrinus, & indigena,
Reliquias, cineresque sacros
Seruat humus veneranda sinu.
Tecta corusca superrutilant
De laquearibus aureolis,
Saxáque cæsa solum variant
Floribus, vt rosulenta putes
Prata rubescere multimodis.
Carpite purpureas violas,
Sanguineósque crocos metite;
Non caret his genialis hyems,
Laxat & arua tepens glacies,
Floribus vt cumulet calathos.
Ista comantibus è foliis
Munera virgo, puérque date,
Ast ego serta choro in medio
Texta feram pede dactylico,
Vilia, marcida, festa tamen.
Sic venerarier ossa libet,
Illa Dei sita sub pedibus
Ossibus altar & impositum,
Prospicit hæc, populósque suos,
Carmine propitiata fouet.

DE SANCTO DAMASO PAPA, *ex Ordinario nouo.*

XI. DECEMBRIS.

S. Damasus natione Hispanus.

DAMASVS Hispanus; vir egregius & eruditus in scripturis, indicto primo Constantinopolitano Concilio, nefa

nefariam Eunomij & Macedonij hæresim exstinxit. Idem Ariminensem conuentum condemnauit, in quo, vt scribit sanctus Hieronymus, Valentis potissimùm & Vrsatij fraudibus damnatio Nicænæ fidei conclamata fuit; & ingemiscens orbis terrarum se Arrianum esse miratus est. Basilicas duas ædificauit: alteram sancti Laurentij nomine ad theatrum Pompeij, quam maximis muneribus auxit, eique domos & prædia attribuit; alteram via Ardiatina ad Catacumbas; Platoniam etiam vbi corpora sanctorum Petri & Pauli aliquamdiu iacuerunt, dedicauit, & exornauit elegantibus versibus. Idemque prosa & versu scripsit librum de virginitate, multaque alia metro edidit.

Ædificat duas basilicas.

POENAM talionis constituit iis qui alterum falsi criminis accusassent. Instituit, vt in Ecclesia Psalmi ab alternis canerentur, & in fine cuiusque Psalmi diceretur, Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto, & vt Confessio Missæ esset exordium. Eius iussu sanctus Hieronymus diuinæ Scripturæ libros in Latinum conuertit. Denique cùm Ecclesiam rexisset annos decem & octo, menses tres, dies vndecim, & habuisset ordinationes quinque mense Decembri, quibus creauit Presbyteros triginta duos, Diaconos vndecim, Episcopos per diuersa loca sexaginta duos; virtute, doctrina, ac prudentia clarus, propè octogenarius, Theodosio seniore Imperatore, obdormiuit in Domino, & via Ardeatina vnà cum matre & sorore sepultus est in basilica quam ipse ædificauerat. Eius reliquiæ postea translatę sunt in Ecclesiam sancti Laurentij in Damaso, quam idem Pontifex ad theatrum Pompeij construxerat.

Eius iussu S. Hieronymus vertit libros sacræ Scripturæ.

Obdormit in Domino in senectute bona.

DE S. LVCIA VIRGINE ET MARtyre, *ex Ordinario nouo.*

XIII. DECEMBRIS.

LVCIA virgo Syracusana, genere & Christiana fide ab infantia nobilis, vnà cum matre Eutitia, quæ sanguinis fluxu laborabat, Catanam ad venerandum corpus beatę Agathæ venit: vbi etiam ad eius sepulcrum cùm suppliciter orasset, Agathæ intercessione matri sanitatem impetrauit. Statim verò matrem exorauit, vt quam dotem sibi datura esset, Christi pauperibus tribui pateretur. Quare & mox, vt Syracusas rediit, omnem pecuniam, quam ex facultatibus venditis redegerat, pauperibus distribuit. Quod vbi resciuisset is, cui eam

S. Lucia meritis S. Agathæ impetrat sanari suam matrem.

parentes contra Virginis voluntatem desponderant, apud Paschasium Præfectum Luciam, quòd Christiana esset, accusauit. Quam ille cùm nec precibus, nec minis ad cultum idolorum posset perducere, imò tanto magis incensam videret ad celebrandas Christianæ fidei laudes, quanto magis ipse eam à sententia auertere conabatur; Cessabunt, inquit, verba, cùm ventum erit ad verbera. Cui Virgo: Dei seruis verba deesse non possunt, quibus à Christo Domino dictum est: Cùm steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus, qui loquitur in vobis.

Accusatur quod esset Christiana.

QVAM cùm Paschasius interrogasset, Estne ergo in te Spiritus sanctus? Respondit illa: Castè & piè viuentes templum sunt Spiritus sancti. At ille: Iubebo te ad lupanar duci, vt te Spiritus sanctus deserat. Cui Virgo: Sed si inuitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Quare Paschasius ita inflammatus, Luciam eò trahi iussit, vbi eius virginitas violaretur: sed diuinitus factum est, vt firma Virgo ita consisteret, vt nulla vi de loco dimoueri posset. Quamobrem Præfectus circum ipsam pice, resina, ac feruenti oleo perfusam, ignem accendi imperauit: sed cùm ne flamma quidem eam læderet, multis tormentis excruciatæ tandem guttur gladio transfigi iubet. Quo vulnere accepto, Lucia prædicens Ecclesiæ tranquillitatem, quæ futura erat Maximiano & Diocletiano mortuis, vigesimo Calendas Ianuarij spiritum Deo reddidit. Cuius corpus Syracusis sepultum, deinde Constantinopolim, postremò Venetias translatum est.

Trahitur violentia ad lupanar, sed fit vt inde dimoueri non possit.

Transfossa guttur, vaticinata de futura pace Ecclesiæ, moritur.

VITA S. AVTBERTI EPISCOPI
Cameracensis, ex ea quæ putatur scripta per Fulbertum.

XIII. DECEMBRIS.

SANCTVS vir Domini Autbertus, & Sacerdos Christi probatissimus, refulsit temporibus Dagoberti Regis Francorum. Hic ab ipsis sacræ pueritiæ annis superna gratia adspiratus, annosos viros sanctis præibat moribus: ac deinde liberalibus studiis traditus, & Ecclesiasticis sanctionibus decenter informatus, per gradus singulosque proficiens, succedentibus virtutum incrementis, prouectus est ad culmen sacerdotalis honoris. Contigit verò interea, ita exigente sorte mortalis

S. Autbertus quo tempore floruerit.

talis naturæ, Ablebertum, Cameracensis sedis Episcopum, deposito carnis onere, de hoc mundo transisse. Quare diuina operatione cuncta salubriter disponente, ecce Autbertus vir conspicuus, & successor meritus, proficiens de virtute in virtutem, eiusdem sedis Pontificalem sortitus est dignitatem. Qui quidē constitutus in sede Pontificali, qualis quantusque in ea vixerit, nō est nostræ possibilitatis euoluere, altiùs enim eminet quàm vllo sermone includi valeat. Animalis enim homo percipere non potest, quantus hic fuerit in oculis summi Creatoris, cui nihil erat commune cum iis qui communiter versantur in mundo, præter quòd curæ pastoralis necessitudine videbatur arctari: quam si inoffensè declinare potuisset, vera fides est, quià eremum potiùs quàm monasterium delegisset, vti facilè colligere licet ex iis quos habuit suæ pietatis æmulatores siue discipulos: de quibus statim.

Constituitur Episcopus Cameracensis.

SANE frequentabatur à populis, ex vicinis & procul remotis vrbibus cateruatim ad eum confluentibus, qui eximiæ conuersationis fama excitati, videre eum anxiè sitiebant, ita vt & Dagobertus, qui tunc temporis inter Francigenas regni monarchiam regebat, celeberrimæ opinionis nunciis semel excitatus, deposito fastu regalis excellentiæ, crebrò ad eum veniret, & licet terreni regni imperio sublimatus, cuperet tamen humiliter de cælesti acquisitione à viro Dei ædificari. Qui cùm eum de temporalis regni solicitudine pia, de futuri seculi beatitudine æterna, de iudicij metu familiari colloquio præmoneret, ille eum libenter audiebat. Aestimari verò non potest quanto Regis animus resultabat gaudio, quòd tanti viri hospitio recipi, benedictione foueri, collocutione meruisset ædificari. Igitur & ne ingratus tātis beneficiis videretur, æstuabat animo, quonam modo vberiùs sancti viri gratiam sibi conciliaret, cùm tandem à quodam familiari eius audiuit, hoc nullo alio pacto faciliùs se posse promereri, quàm si res ecclesiæ beatæ Mariæ, cui, ipse Pater venerabilis Deo auctore deseruiebat, de suo iure augendas curaret. Nihil enim in rebus transitoriis Episcopo placere, præter quod expenderetur in vsus Ecclesiæ. Vnde & Rex, vt erat hilaris dator fratribus, qui in oratorio B. Mariæ famulabantur, vnū regalis munificentiæ fiscum donauit ad subsidia temporalia Fratrum, cui Oueng antiquitas nomen imposuerat.

A multis propter suā sanctitatem inuisitur, & sæpius etiā ab ipso Rege Dagoberto.

En priscam deuotionem.

PORRO discipulos habuit vir sanctus Landelinum Abbatem Crispinij, Vincentium Madelgarium Comitem, &

** Isiert um x Melano. S. Autberti*

coniu

aliquot sancti seu Venerabiles discipuli. coniugem eius sanctissimam Vvaldetrudem. Quorum sanctitati adiunxerunt se etiam multi Apostolici prædicatores ex Scotia & Gallia, & ex ipsa Græcia sanctissimus Gislenus : per quas colũnas felix Hannonia Christo Domino est incorporata, ac fidei Christianæ initiis imbuta. De quib⁹ qui volet, requirat pleniùs in singulorũ gestis. At verò de obitu beati viri Autberti, quo tempore sancta eius anima carne soluta supernam Hierusalem petierit, certum quid ad nostram notitiam non peruenit, obsistentibus causis Deo notis, quæ etiam magnam virtutum eius partem à nostra memoria sustulerũt. Fuit autem sanctum corpus eius tumulatum in ecclesia beati Petri quæ extra muros ciuitatis tunc erat, nunc verò intra mœnia eius est. In qua requieuit vsque ad tempus * Dádilonis Episcopi, qui ei decimus quartus in Episcopatu successit: qui, cùm Nortmanni Galliam depopulati essent, cum magna diligentia sanctum corpus in ecclesiam beatæ Mariæ transtulit, vbi honorificè collocatum, multo tempore quieuit, donec nostris temporibus Herluini Præsulis successor Gerardus monasterium in quo sanctus Autbertus quiescit, ab Herluino amplificatum, in memoriam sancti Pauli solenniter consecrauit, sacrumque beati Autberti corpus suis sedibus restituit, anno Christi decimo quinto supra millesimum. Qui locus haud procul abest ab ecclesia sanctissimæ matris Dei, & perpetuæ virginis Mariæ, in eoque recta fide petentibus, beato Autberto intercedente, beneficia diuina præstantur.

Sepelitur in ecclesia B. Petri.

** Dadilonis.*

Nota ætatem Scriptoris.

VITA S. IVDOCI CONFESSORIS,
filij Regis Britonum, ex ea quæ est per Florentium Abbatem.

XIII. DECEMBRIS.

S. Iudoci natales, & eius venerabilis frater.

EXIMIVS Christi Confessor Iudocus, de illustri procedens genealogia Riouali, qui principabatur in transmarina siue maiori Britannia, quæ modò dicitur Anglia, & postmodum in copiosa nauium multitudine, ac manu valida exteriorem sibi subiecit Britanniam, filius fuit Rethaëli Regis Britonum, habuitque fratrem maiorem natu beatum Rodichaëlum, qui regnauit post patrem ipsorum Rethaëlum. Cæterùm contemporanei fuerunt Dagoberti Regis Francorum, cum quo etiam post graues ad inuicem inimicitias, pacificatus

cificatus eſt tandẽ in palatio * Dippiaco amicus Dei Rex ille Britonum Rodichaëlus. Et quidem regreſſus vir Dei Rodichaêlus Rex in Britanniam, non multo pòſt regnum relinquere præmeditatus eſt & patriam, ac vitam monaſticam ducere, & ideo fratrem ſuum iuniorem, beatum ſcilicet Iudocum, conueniri fecit de ſuſcipienda regni gubernatione. At verò ille non minùs quàm ipſe feruens in diuina dilectione, induciis deliberandi per octo dies à Rege, ſuo fratre, vix impetratis, die noctuque anxia cogitare cœpit intentione, cùm interim, ipſo in monaſterio * Lammailmon, in quo literas didicerat, moram faciente, & orationi frequentiùs hac de cauſa incumbente, contigit per illud monaſterium vndecim peregrinos præterire, prętendentes quòd Romam vellent proficiſci.

* *Clippiaco.*

En piam cōcertationem pro contemptu regni terreni.

Hos itaque inſecutus ſecretò, & eis aſſociatus, venit Pariſius. Verùm vtrùm cum iis vlteriùs progrederetur, in dubio poſitus, conſilium tandem à Spiritu ſancto vtile conſecutus, à ſtrata declinauit publica, dimiſſiſque ſibi à Deo tranſmiſſis itineris comitibus, ad Pontini feſtinauit confinia, quæ antiquis plena nemoribus deſerta erant & inuia. Qua delectatus locorum vaſta ſolitudine, ſuper fluuium * Alteiam diſpoſuit habere habitationem. Verùm à Duce Haymone obuiam ei facto retardatus eſt ab hoc propoſito per ſpatium ſeptem annorum, infra quos & literas magis addidicit, & ſacros ordines ſuſcepit, atque ita tandem Sacerdos effectus, filium iam dicti Ducis, qui eum in maxima habebat veneratione, de ſacro ſuſcepit fonte, quem vocauit Vrſinum. Iam verò elapſum erat ſeptennium, cùm iuxta deſiderium iampridem cōceptum ad vitam tranſiens ſolitariam, manſit in loco qui dicitur Brahic, fluminis riuulis vndique circumdato, ædificatis ibidem eccleſia & domuncula. Quo in loco ea quæ erga beatum virum Dominus quotidie monſtrare dignatus eſt miracula, totam longè latèque commouerunt patriam ad viſitationem eius, & impetranda ipſius apud Deum ſuffragia. Quod cùm diutius ſuſtinere non poſſet, iam octo annis ibidem elapſis, ad vlterius, Domino duce, proceſſit deſertum, vt populi nimiam declinaret frequentiam, cōſtruens oratorium in honorem B. Martini in loco qui dicitur Rimacus, ſuper fluuium: vbi plurima tentamenta ab hoſte antiquo, qui felicibus eius actibus inuidebat, paſſus eſt per quatuordecim annos quibus ibidem commoratus eſt.

S. Iudocus cōtempto ſolio regni, venit Pariſios ac inde in partes Pontii.

Fit Sacerdos.

Longe & late viget fama eius.

POST

POST quos, per sanctum edoctus Spiritum, vt aliò transmigraret, comitante se duce Haymone, vastam circuibat eremum, vt inueniret in ea habitationis locum. Et vide rem stupendam. In quærendo eo, idem Dux graui torquebatur sitis molestia, ac præ sitis lassitudine obdormiuit, cùm electus interim Domini Iudocus orationi incubuit, surgensque, baculo, quo innitebatur, terræ infixo, sicut alter Moyses, aquam produxit, fontemq; largiùs effluentem: quo exhilarati Dux & eius familia, suæ sitis extinxerunt ardorem, & transeuntibus perinde vsque in hodiernum diem aquam administrat indeficientem. Progressus autẽ inde versus mare, in vallicula vmbrosa riuulum offendit paruum, quo delectatus, Hîc est, inquit, cathedra, hæc requies mea in sæculum seculi. Et mox, Haymone Duce ad propria reuerso, vir Dei duo ibi lignea manibus propriis construxit oratoria, vnum S. Petro Apostolorum Principi, aliud S. Paulo gentium Doctori. Deinde verò aliquanto interiecto tẽpore, profectus est Romam, ex mandato D. Martini sedis Apostolicæ summi Pontificis, qui longo tempore concupierat conspicere faciem eius, ac sanctissimo ipsius frui colloquio: à quo & receptus est cum honore debito, ac multo dignitatis obsequio. Verùm ibidem edoctus est à Spiritu sancto, quem in omnibus magistrum habebat & custodem, vt ad eremum suam reuerteretur, inde in breui transmigraturus ad Angelorum collegium. Vnde & cum preciosissimis Sanctorum reliquiis à Domino Apostolico sibi datis, reuersus est ad Pontini confinia.

Impetrat suis meritis à Deo fontem.

Euocat eum ad se Martinus Papa.

Iterum redit ad Gallias.

SED & Duce Haymone præsente, cum innumera cleri plebisque caterua in occursum eius congregata, sanctissimas reliquias quas attulerat, cũ ea qua decuit deuotione, vir sanctus reuerenter deposuit in noua B. Martini ecclesia, quam præfatus Dux lapidũ ornatu iam restaurarat, nec non & ipse Domini Sacerdos præparauit se ad diuina celebranda mysteria, stolam ac casulam candidam indutus. Qui quidem cùm adstaret sacro altari tertio idus Iulij, ac diuina cũ summa veneratione tractaret sacramenta, ecce manus Domini visibiliter apparuit inter sacrosancta Missarum solennia, suumque Sacerdotem consignauit & confirmauit benedictione perpetua, cum subsequente voce mirabili cælitus emissa: Quia paterni regni pro me refutasti culmina, præparaui tibi coronam inter Angelorum agmina, eroque loci huius, in quo resolueris, defensor & custos. Subsequente igitur tempore, preciosa

Nota pro veneratione sacrarum reliquiarum.

Celebrans diuina mysteria accepit insigne testimonium sanctitatis à Deo.

Preciosa Christi margarita Iudocus in carne præter carnem viuens, Angelus esse videbatur, non homo. Qui & tandem cupiens dissolui & esse cum Christo, feliciter Idibus Decembris obdormiuit in domino: cuius corpus ita saluum ac integrum permansit in tumulo ad sexaginta ferè annos, ac si spiritus vitæ foret in eo. *Transit feliciter.*

ATQVE hæc de libro vitæ ac gestorum beati Iudoci breuiter excerpsimus. Prolixitatem enim miraculorum, quæ per ipsius merita Dominus operari dignatus est, penitus pertransire dignum duximus, quia in enumerandis omnibus, nec memoria, nec sermo vires suppeditant. Quin & hæc quoque, quæ nostris vidimus temporibus, missa facientes, vnum tantùm in medium proferemus, videlicet de pluribus quos Dominus per eum resuscitare voluit à morte ad vitam, partim suspendio, partim aqua suffocatis, aut quouis alio mortis genere, etiam vnus, Ioannes nomine, per biduum aliquando submersus, adhuc penes nos est monachus. Vobis itaque S. Iudocum annuatim deuotè visitantibus, ac vniuersis ipsius cultoribus sit pax & lætitia cordis, vosque & vestra conseruet Dei gratia. *Plures mortuos euocat ad vitam.*

DE S. SPIRIDIONE EPISCOPO
Cyprio, ex lib. 1. tripartitæ historiæ cap. 10.

XIIII. DECEMBRIS.

FVIT Spiridion Tremithuntis Cypriorum episcopus: ad cuius virtutem demonstrandam sufficere puto, quæ hactenus de eo seruatur opinio. Per quem quanta diuino præsidio gesta sint, plura quidem nouère prouinciales, ego autē quæ ad nos valuerunt peruenire, non tacebo. Fuit enim iste rusticus habens vxorem & filios, sed non propterea in rebus diuinis minor. Aiunt autem aliquando per noctem venisse malignos viros ad caulas ouium eius, & cùm rapere niterentur, subitò vinctos nullo ligante fures. Tunc illum die facta venientem inuenisse ligatos eos, & soluisse quidem ab inuisibilibus vinculis, culpasse tamen & dixisse: Cur, fratres, dum licuisset quæ desiderabatis accipere, elegistis potiùs ea rapere, & noctem ducere iugiter infelicem? Tum miseratus eorum, magis autem ad meliora eos erudiens, ait: Abite hinc sumentes arietem: laborastis quippe vigiliis, & decet vos sine querimoniis recedere ab ouibus meis. Quod quidem quilibet iuste *S. Spiridion agit vitam rusticam.* *Etiam donat [illegible] vt [illegible].*

iustè poteris admirari.

NIHILOMINVS etiam illud mirandum. Apud filiam eius virginem Irenem nomine, quidam notus eius speciem aliquam deposuerat: quæ sumens, depositum sub terra condidit, vbi cautè credidit custodiri. Cōtigit interea mori puellam, nihil confessam patri. Venit homo depositum repetens, ignorante Spiridione quid loqueretur. Cumque in tota domo requisisset, nec inueniret, flebat, capillosque vellebat, & morti vicinus esse videbatur ille, qui deposuerat. Quæ Spiridium fieri videns, cursim veniens ad sepulcrum, vocauit nomine puellam. Qua respondente, de causa depositi requisiuit: & dum ab ea didicisset, reuersus, & inueniens vbi puella significauerat reddidit homini quod petebat. Et quoniam quidem ad hunc veni sermonem, nōn est incongruum etiam istud adiicere. Mos erat Spiridioni ex fructibus qui nascebantur ei, alios quidem pauperibus erogare, alios autem gratis mutuari, volentibus. Sed neque per se dabat, neque per se recipiebat, sed solum cubiculum demonstrabat, inuitans petentes, vt quantum opus haberent, tollerent, & denuò * reuocarent quantum se nouerant abstulisse. Quidam verò dum mutuum percepisset, reuersus est post aliquantum quod tulerat redditurus. Quem dum secundùm consuetudinem iussisset reponere in cubiculo, quod fuerat exinde mutuatus, ad iniustitiam ille conuersus, & credens latêre Spiridionem, non reddidit quod debebat; sed auferens rursus debitum, quasi reddidisset, abscessit. Quod tamen longo tempore non erat ignorandum. Post certum namque tempus venit rursum petens ab eo mutuum. At ille misit eum ad horreum, data potestate, vt ipse sibi metiretur, quantum opus haberet. Vacuum verò ille eundem locum inuenit, & hoc oculata fide cognoscens, Spiridioni nunciauit. Spiridion verò respondit ei: Mirum est ô homo quod loqueris. Quomodo tibi soli visum est horreum necessariis defecisse? Sed considera potiùs apud temetipsum, ne fortè mutuatus alia vice quod debueras primitus non solueris. Si enim hoc non est, indubitanter non priuaberis quibus eges, sed rursum accedens inuenies. Sic igitur ille captus, quod ei deliquerat, indicauit.

DIGNVM est autem etiam huius sacratissimi viri mirari puritatem, tum & Ecclesiastici Ordinis valde custodiam. Dicitur etiam quodam tempore pro aliqua vtilitate in vnum Cyprios Episcopos conuenisse, & inter eos fuisse hunc Spiridio

aliquid.

Alloquitur filiam suam defunctam & sepultam, & illa ipsi respondet.

Liberalissimus est in pauperes.
** restituunt.*

Mentienti & fraudâti, visum est horreū viri sancti vacuum, cum vacuum non esset.

Fit concilium quoddam Cypri.

dionem, & Triphyllium Ledrensem Episcopum, virum eloquio & sapientia, nec non Beryto legibus eruditum. Cùm itaque * collecta celebraretur, iniunctum est Triphyllio, vt faceret sermonem in populo. Vbi cum ille locus venisset ad medium; Tolle lectum tuum & ambula: ille cubile dixit pro lecto, mutans nomen. Tum verò Spiridion indignatus in eum, & exsiliens de cathedra sacerdotali: Tu, inquit, melior es eo qui lectum dixit, quia eius verbis vti confunderis? Hoc autem fecit populo conspiciente, mediocritatem docens eum qui eloquij supercilio prætumebat. Erat enim idoneus ad pudorem incutiendum, cùm esset venerandus & operibus gloriosus, simulq; senex æuo atque Sacerdotis officio. Atque hæc quidem de Spiridione hoc sancto & venerabili viro dicta sufficiant.

* *conuentus.*

Acriter inuehitur S. Spiridion in quẽdam qui in verbis sacris affectabat nouitates.

DE S. NICASIO EPISCOPO RHEMENSI & Martyre, ex iis quæ sunt apud R.P. Surium: Tom. 7.

XIIII. DECEMBRIS.

TEMPORE quo Vvandali multas vrbes subuertentes, per diuersas prouincias nihil aliud quàm Christianorum sanguinem sentire videbantur, clarebant in Galliis Nicasius Rhemensis, & Anianus Aurelianensis Pontifices, magnis prodigiis & virtutibus insignes: qui meritis suis ac precibus hanc iram indignationis Dei diu differre decertarunt, vt populum interim ad pœnitentiam reuocarent. Ast illi thesaurizantes sibi iram, nulllatenus eorum præceptis salutaribus obtemperabant. Interea verò Vvandali castrametantur circa vrbem Rhemorum; & omni regione depopulata, Christianos potissimùm, velut deorum suorum inimicos, & moribus paganorum contrarios, omnino delere satagebant. Vbi sanè vltimo subuersionis die, illis circumquaque fortiter prœliantibus, ciues terrore perculsi ad sanctum Nicasium in orationibus prostratum cucurrerunt, interrogantes quid vtilius fieri decerneret; aut seruituti gentium se tradere, aut vsque ad mortem pro salute vrbis dimicare. Qui præscius ex reuelatione diuina vrbem penitus subuertendam, cum magna constantia respondit: Indignationem hanc iusto Dei iudicio nostris sceleribus prouocatam non ignoramus: quapropter ad flagella diuina compuncti, non inuiti aut desperantes, sed

Cõsonat Vincẽtius lib. 21. Specul. c. 37.

Castrametantur Vvandali circa Rhemos

Hortatur S. Ni asius suos ad fortiter ferendam iram Dei.

patientes & deuotissimè, cum summa spe salutis nostræ, suscipiamus mortis periculum, quatenus ipsa mors præsens non supplicium nobis fiat, sed remedium. Ecce ego quasi pastor pro ouibus mori paratus sum: Ac proinde instantiùs oremus pro inimicis nostris, salutem ipsis optantes tanquam amicis. Sed & sancta quoque Eutropia germana sua expansis in cælum manibus, plebem pro viribus ad martyrium prouocabat.

Occurrit hostibus vnà cũ sua venerabili sorore Eutropia.

ITAQVE dum furibundus paganorum impetus tandem irrueret, vir sanctus, comitante sorore, cum hymnis & canticis spiritualibus ad ostium basilicæ sanctæ Dei genitricis Mariæ, quam matrem sedis suæ fundauerat, occurrit. Vbi cùm ferratas acies vidit, manu silentium indicens, ait; O nutibus diuinis ministra fortitudo; quare contra naturam humanæ conditionis victoriam vestræ dignitatis in rabiem conuertitis? Nam veri iuris titulus quondam nobilium bellatorum inscriptus erat: Parcere humilibus, & debellare superbos. Et ecce plebs Christiana, Deo suo humilis & deuota, vestris in conspectibus prostrata, remissionem peccatorum vsque ad mortem obediens exspectat. Pœnitemini ergo & vos pro sceleribus vestris, Deum verum agnoscentes: ne fortè indignatio eius, quæ per vos filiis fit ad correptionem salutis, vobis fit stipendium tartareæ damnationis. Quod si oues meas perseuerante impietate quæritis trucidare, me primùm pro ipsis victimam diuinæ Maiestati libare: vt pariter digni beatitudine cælesti mereamur inueniri. Quibus dictis, cùm in oratione prostratus versum hunc decantaret, Adhæsit pauimento anima mea; ilico gladiatoris ictu sequente, ac capite truncato, verbum tamen sanctitatis ab ore decollati non destitit, sed immortalitatis sententiam quam petiit, adimplendo impetrauit, dicens: Viuifica me secundùm verbum tuum.

Castigat eosdẽ grauissima oratione.

Psalm. 118.

Cõsummatur glorioso martyrio.

TVM verò sancta Eutropia, maximè quòd videret circa se impietatem eorum non ita rabidam ob corporis sui pulcritudinem, super interfectorem sacerdotis insiliens; Heu crudelis tyranne, ait, quid fecisti; Magnum Dei virum indignis iugulasti manibus, & me tibi abutendam seruas? Diuina te iam iamque damnat sententia. Quem ita ad martyrium suum prouocans, saltu repentino raptis palpebris, non feminea virtute, sed diuina vltione oculos eius euulsit; maluitque gladios persequentium sustinere, quàm delectationibus paganorum assentiendo, peccare. Ilico igitur & ipsa sacro fuso sanguine, palmam martyrij cum germano suo, & cæteris sanctis

Item & eius soror venerabilis Eutropia

ctis ibidem triumphantibus, à Domino promeruit. Cæterùm vniuersorum expleta cæde sanctorũ, terror subitaneus omnes persecutores Vvandalos inuasit, cùm quidem propter audaciam virginis,& Dei vltionem,quam perspiciebant, tum propter acies cælestes, quas contra se dimicare sentiebant, tum etiam propter horribilem sonitum,quem in ecclesia audiebãt, ita vt,relictis spoliis, irreuocabiliter aufugerent. Sicque, manente ciuitate solitaria (nam fideles incursiones Vvandalorum pertimescentes, ad montium munitiones confugerant) sub custodia tantùm Angelica Martyrum ibi corpora seruabantur:ita vt in noctibus à longè cælestia conspicerentur luminaria, & suauissimi soni supernarum virtutum à multis audirentur carmina. Vnde & paulo pòst ex reuelatione diuina confortati conciues paucissimi, qui remanserãt ad vrbem properant, ac cum ieiuniis & orationibus hymnorumque decantationibus sanctorum corpora in locis congruis circa ciuitatem venerabiliter humauerunt, ac de cætero sine timore hostium Domino seruierunt. Corpus verò beatissimi Nicasij atque sanctæ Eutropiæ in cœmiterio sancti Agricolæ solenniter sepelierunt. Quorum omnium Sanctorum intercessionibus suffulti, optata mereamur pertingere ad gaudia cælestia, per eum qui sine fine viuit & regnat.

& paulo pòst hostes exterriti cæteri omnes fugiũt.

Sepeliuntur venerabiliter sãcta corpora.

VITA V. BEGGHÆ MATRONÆ,

partim ex D. Molano, partim ex vitis S. Modoaldi, & S. Gertrudis.

XVII. DECEMBRIS.

VENERABILIS Beggha patrem habuit Pipinum, primum Ducem Brabantiæ, & Maiorem domus in Austrasia, germanam verò sororem beatissimam Gertrudem. Quæ Deo dilecta matrona, etsi sponsum in terris, diuina dispensante prouidentia, cum timore Dei consensit suscipere, bino tamen adhuc ordine sanctitatis, hinc tricesimum fructum pudicitiæ matronalis, illinc sexagesimum referens, continentiæ vidualis, duplicem quoque beatitudinis palmam meruit obtinere. Atque iterum sciendum est, Ansigisum fuisse filium beati Arnulphi, ex Maiore domus, Metensis Episcopi; cui venerabilis Beggha felici iuncta matrimonio, generosæ sobolis & nobilissimorũ Regum mater exstitit. Huius siquidem

V. Beggha genus.

Nubit Ansigiso filio B. Arnulphi.

dem filius Pipinus, quem præfato Duci peperit, nomen aui referens: qui mortuo Rege Childerico, sub quo beatus Lambertus eximia claruit sanctitate, eo magnitudinis excreuit & potentiæ, vt in tota * Austria, etsi non regio nomine, regia tamen dominaretur potestate. Nam multa præclara bella gerens, de omnibus fortiter triumphauit, ipsumque Regem Francorum Theodoricum bello superans, in fugam vertit: sed & beatum Lambertum, factione iniquorum de Episcopatu eiectum, in cathedra sua decentissimè relocauit.

** Austrasia.*

Factum hoc anno 691

ET vt tam gloriosæ sobolis fortia & præclara gesta liceat aliquatenus intueri, immò non paruo stupore admirari; videmus Carolum (quem idem Pipinus sibi superstitem tam dignitatis suæ, quàm & fortitudinis suæ reliquit hæredem) quomodo scilicet patrios transiliens limites, antiquas patrum victorias nouis excedens, mirabiles triumphos de Ducibus ac Regibus, de populis & barbaris nationibus reportauit. Nam & Saracenos, tribus eorum Regibus peremptis, vsque ad internecionem fudit, vrbesque eorum famosissimas expugnans, vsque ad fundamenta subuertit. Vnde & cognomen Tudetes à tundendo accepit, eo quòd à Sclauis vsque ad Hispanos tot regna, tot vrbes, tot castra & oppida, ferrei instar metalli tundens, transuolasse dicitur potiùs quam superasse. Sed & quid de filiis eiusdem Caroli, Carolomãno scilicet ac Pipino, dixerim? è quibus Carolomannus post plurima bella & nobiles triumphos secularem deserens militiam, factus monachus in monte Cassino cælesti se militiæ mancipauit: Pipinus verò virtutum suarum meritis excrescens, primus in hac stirpe regium nomen obtinuit.

Nepos V. Beggha Carolus Martellus.

Carolomãnus patruus Caroli Magni fit monachus.

NAM cùm merito prudentiæ suæ & virtutis, acclamantibus Ducibus & populis, primùm à S. Bonifacio Moguntinensi Episcopo, authoritate Zachariæ Papæ, in Regem esset consecratus, postmodum à Stephano Papa successore Zachariæ, quia Romanam Rempublicam ab Aistulphi Regis Longobardorum incursibus defendit, Apostolica benedictione, tam ipse quàm vxor eius ac liberi, in regnum perpetuò est confirmatus. Sed & tandem quoque (si placet) veniamus ad illum gloriosissimum Imperatorem Carolum Magnum, huius Pipini filium. Qui paternas virtutes cæteris magnificentiùs augens; regio nomini quod pater eius promeruit, Romani etiam nomen Imperij & dignitatem feliciter adiecit. Ipse est enim, cui in die Natalis Domini Leo Papa cum Apostolica bene

Pater Caroli Magni inungitur Rex.

ca bene

ta benedictione Imperij coronam imposuit, & à cuncto Romanorum populo ter acclamatum est, Carolo Augusto, à Deo coronato, Magno & Pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria.

Carolus Magnus & Beggha abnepos.

Hvivs sanè nomen & gloria, virtus & victoria, per tantà tempora adhuc quasi recens ore vniuersorum cum tanto studio & admiratione celebratur, vt si litera sileat, sola fama quasi viuere credatur. Qui quidem iam dicti quantum religionis, potentiæ & honoris Gallicis contulerint ecclesiis, testantur ecclesiæ, quas cum diuersi generis ornamentis, tum etiã prædiis & regalibus suis, Castris scilicet & Comitatibus, cum iure ciuitatum concessis, magnificè extulerũt, ne sancta Dei Ecclesia huius seculi potentibus subiaceret, aut tyrannide eorum pauesceret. Atque horum videlicet omniũ origo est, & fons venerabilis Beggha cum suo Ansigiso: qui quidem Dux egregius ab alumno suo, quem puerum fortè inuentum, & sacro fonte susceptum aluit in filium, & exaltauit, crudeliter in venatione peremptus est, propter appetitum honoris sui, quem tamen impius ille consecutus non est.

Nota quam olim Principes tam liberales fuerint in ecclesias.

At verò Deo dilecta Beggha, eo perempto, Romam adiit, dominam mundi, & Ecclesiæ caput. Vnde cum benedictione Adriani Papæ, & donatis Reliquiis reuersa, in honorem septem Ecclesiarum Romanarum, Andanæ ad Mosam cœnobium septem Ecclesiarum fundauit: vbi & feminas sub Religione congregauit, & secundum sanctorum Canonum præcepta claustris regularibus muniuit. Quin & expetiuit quoque ex monasterio germanæ suæ Gertrudis, sacras virgines & Reliquias, vt cœptum posset opus absoluere. Nec mora: Datæ sunt ei sacræ Reliquiæ, & libri sanctarum scripturarum, & eiusdem habitus aliquot religiosæ sorores, quæ illic monasticæ religionis prima iacerent fundamenta, addita etiã parte quadã lectuli eius, in quo S. Gertrudis soror eius supremum Christo reddiderat spiritum, ad quem certè innumera facta sunt miracula. Et quidem, vt finem habeat noster sermo: obiit tandem & ipsa piissima Beggha ibidem velata, decimo sexto Cal. Ianuarij: quo die festum eius celebratur Andanæ, in loco quietis, qui est inter Namurcum & Huium.

S. Beggha extruit Cœnobium Andanense.

Transferuntur ergo aliquot sorores Niuelenses.

Molanus. Migrat S. Beggha ad Christum.

DE S. GATIANO PRIMO EPISCOPO *Turonensi, ex D. Gregorio eiusdem loci Episcopo.*

Lib. 10. Hist. cap. 30.

XVIII. DECEMBRIS.

S. Gatianus quo tempore floruerit.

QVI primus prædicator ad Turonicam acceßit vrbem, fuit Gatianus Epiſcopus, anno Imperij Decij primo, à Romanæ ſedis Papa tranſmiſſus. In qua vrbe multitudo paganorum idololatriis dedita commorabatur: de quibus nonnullos prædicatione ſua conuerti fecit ad Dominum. Sed interdum tamen occulebat ſe ob impugnationem potentum, eò quòd ſæpius eum iniuriis & contumeliis, cùm reperirent, affeciſſent, ac per cryptas & latibula cum paucis Chriſtianis, vt diximus, per eundem conuerſis myſterium ſolennitatis diei Dominicæ clanculo celebrabat. Erat autem valde religioſus & timens Deum; vt, niſi fuiſſet talis, nó vtique domos, parentes, & patriam ob diuini amoris diligentiam reliquiſſet. Denique in hac vrbe ſub tali conditione plures annos commoratus tandem obiit in pace, & ſepultus eſt in ipſius cœmiterio, quod erat Chriſtianorum. Vnde tranſtulit illum tertius ab eo ſanctus Martinus, ſepeliuitque ipſum iuxta ſepulchrum ſancti Littorij, qui fuit ſecundus Turonenſis Epiſcopus, in baſilica ab ipſo Littorio ex domo cuiuſdam Senatoris facta, quæ nempe prima fuit in vrbe Turonica eccleſia.

Latitat vnà cũ Christianis in cryptis.

Obdormit in Domino.

Transfertur, eius sacrum corpus à S. Martino.

DE B. PHILOGONIO, EX PATRONO *causarum, Episcopo Antiocheno, ex Homilia D. Chrysostomi.*

XX. DECEMBRIS.

EGo quidem & hodie deſtinaram aduerſus hæreticos luctaturus veſtes exuere, quodque reſtabat debiti vobis perſoluere: verùm beati Philogonij dies, cuius hodie memoriam celebramus, ad ipſius benefactorum enarrationem linguam noſtram euocauit. Et omnino parendum eſt. Etenim ſi qui patri aut matri maledicit, morte moritur; profectò clarum eſt, eum qui benedixerit illis, vitæ præmia recepturum: & ſi iis qui iuxta naturam parentes ſunt, tantam debemus præſtare beneuolentiam; multo magis ad præſtandum ijs, qui iuxta ſpiritum ſunt parentes.

En sancti sunt nostri velut parentes.

SED quænam oratio par ſit viri laudibus, quem Deus tam felici ſorte dignatus eſt? Vnde laudationem illius auſpicabimur? An à magiſtratu, quem Spiritus illi tradidit gratia? Nam mundani magiſtratus nequaquam poſſunt Chriſtianorum demonſtrare virtutes: quin potiùs frequenter habent accuſationem

tionem malitiæ; nimirum, quoniam & ſolicitudines amicorum, & circumcurſationes, & adulationes, aliaque permulta his fœdiora tales magiſtratus ſolent conciliare. Cæterùm vbi Deus ſuo ſuffragio deſignarit aliquē, illaque manus ſanctum contigerit caput; incorruptum ſuffragium, alienum ab omni ſuſpicione iudicium, indubitata fuerit delecti comprobatio, propter eius qui delegit auctoritatem. Porrò quòd elegerit eum Deus, vel ex ipſa morum integritate perſpicuum eſt. Quippe quem ex medio abreptum foro ad thronum hūc euexerit; adeò ſcilicet caſtam & inſignem priùs egit vitam, quum vxorem haberet ac filiam, & in forenſibus negociis verſaretur; adeò Solem ipſum ſplendore vicit, vt protinus ab illo geſto, hoc magiſtratu dignus videretur, & à tribunali ad tribunal euectus ſit. Ac tum quidem hominibus patrocinabatur aduerſus homines, qui ſtruebant inſidias, eos qui afficiebantur iniuria ſuperiores reddens ijs qui iniuriam inferebant; hîc autem adeſt hominibus patrocinans aduerſus dæmones inuadentes.

Rapitur S. Philogonius à foro ad episcopatum.

Patrocinatur ſuis aduerſus dæmones.

Et verò, quantum ſit pietatis argumentum, quòd Deus illum tanto magiſtratu dignum iudicarit, audi. Chriſtus excitatus à morte quid dicit Petro? Poſtquam enim illum interrogaſſet, Petre, amas me? isque reſpondiſſet, Tu Domine ſcis quod amo te; non dixit Chriſtus, Abijce pecunias, ieiunium exerce, macera te laboribus, mortuos excita, dęmones abiges: nihil horum vel aliorum miraculorum, rectéque factorum in medium adduxit, ſed omnibus illis prætermiſſis, dicit illis Si diligis me, paſce oues meas. En ſi quis voluerit illi commendatus eſſe, curam habeat ouium illius, publicam quærat vtilitatem, fratrum ſuorum ſaluti proſpiciat. Nullum enim officium hoc Deo charius eſt: neque prorſus alia res eſt, quæ perinde declaret, doceatque, quis ſit fidelis & amans Chriſti, quàm ſi fratrum curam agat, proque illorum ſalute gerat ſolicitudinem. Hęc omnes audiant etiam monachi, qui montium occuparunt cacumina, quique modis omnibus ſeipſos mundo crucifixerunt, quo pro viribus Eccleſiarum præfectos adiuuent, horumque curas leniant precibus, concordia, charitate, ſcientes, quod ni modis omnibus opitulentur ijs, qui tot periculis obiiciuntur, per gratiam Dei, totque negociorum curas ſuſtinent, quibuſcumque poſſunt rationibus auxilientur, quamquam procul habitantes, & victus ſors ipſis periſſet, & tota in ſcopulum impegiſſet ſapientia.

Nullum officiũ Deo charius eſt, quam officium paſtorale.

Itaque vt monachi eccleſiarum præfectos adiuuēt.

SED nunc videamus quomodo munus hoc Episcopi administrarit. Quin potiùs non est opus hîc pluribus verbis, aut voce nostra, cum vester fauor, vestrumque studium hoc vltrò declaret. Quemadmodum enim aliquis ingressus vineam, vitesque contemplatus pampinis comantes, fructu grauidas, maceriis ac septis vndique munitas, haudquaquam desiderat orationem cuiusquam, qui demonstret vinitoris industriam, & agricolę virtutem: itidem & hîc, si quis ingressus conspiciat vites spirituales, vestrumque fructum contempletur, nihilopus habuerit, vt ex cuiusquam oratione discat qualis sit vester præpositus, sicut & Paulus scribit alicubi: Epistola mea vos estis, quæ inscripta est & legitur. Fluuius arguit qualis sit fons; & fructus indicat qualis sit radix. Dicendum autem etiam esset & tempus, & initium, quando vineam hanc suscepit: neque enim hoc minimum haberet momenti ad absoluendam encomij partem, sed omnino esset ad declarandam hominis virtutem. Res tum erat multæ difficultatis, cùm nuper esset sedata persecutio, manentibus etiamnum grauissimæ tempestatis illius reliquiis, cùm negocia plurimam desiderarent correctionem. Ac postremò illud adiungendum esset, quòd hæreticorum factio sub illo nata, negocium paruum exhibuit, illius sapientia cuncta prospiciente. Verùm ad alia nobis festinat oratio.

Declaratur S. Philogonij sanctitas quodam egregio simili.

2. Cor. 3.

Præest vir sanctus difficillimis temporibus.

DE S. THOMA APOSTOLO,
ex Ordinario nouo.

XXI. DECEMBRIS.

THOMAS Apostolus, qui & Didymus, Galilæus, post acceptum Spiritum sanctum in multas prouincias profectus ad prædicandum Christi Euangelium: Parthis, Medis, Persis, Brachmanis, Hyrcanis, & Bactris Christianæ fidei, & vitæ præcepta tradidit. Postremò ad Indos se conferens, eos in Christiana religione erudiuit. Qui ad extremum, vitæ doctrinæque sanctitate, & miraculorum magnitudine, cùm cæteris omnibus sui admirationem, & Iesu Christi amorem commouisset, illius gentis Regem, idolorum cultorem, magis ad iram accendit: cuius sententia condemnatus, telisque confossus, Calaminæ Apostolatus honorem martyrij corona decorauit.

S. Thomas discurrit prædicando per varias prouincias.

Tandem trāsijt gloriosè.

DE

DE S. SERVVLO CONFESSORE, EX *D. Gregorio Homilia 15. in Euangelia.*

XXIII. DECEMBRIS.

TERRA bona fructum per patientiam reddit: quia videlicet nulla sunt bona quæ agimus, si non æquanimiter etiam proximorum mala toleremus. Quanto enim quisque altiùs profecerit, tanto in hoc mundo inuenit quod duriùs portet: quia cùm à præsenti seculo mentis nostræ dilectio deficit: eiusdem seculi aduersitas crescit. Hinc est enim quòd plerosque cernimus & bona agere, & tamen sub graui tribulationum falce desudare. Terrena namque iam desideria fugiunt, & tamen flagellis durioribus fatigantur. Sed iuxta vocem Domini fructum per patientiam reddunt: quia cùm humiliter flagella suscipiunt, post flagella ad requiem sublimiter suscipiuntur. Sic vua calcibus tunditur, & in vini saporem liquatur. Sic oliua tunsionibus expressa, amurcam suam deserit, & in olei liquorem pinguescit. Sic per trituram areæ à paleis grana separantur, & ad horreum purgata perueniunt. Quisquis ergo appetit plenè vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare; vt tanto pòst ad iudicem mundior veniat, quanto nunc eius rubiginem ignis tribulationis purgat. In ea porticu, quæ euntibus ad ecclesiam beati Clementis est peruia, fuit quidam Seruulus nomine, quem multi vestrum mecum nouerunt, rebus pauper, meritis diues, quem longa ægritudo dissoluerat. Nam à primæua ætate vsque ad finem vitæ paralyticus iacebat. Quid dicam? quia stare non poterat? Nunquam in lecto suo surgere, vel ad sedendum valebat, nunquam manum suam ad os ducere, nunquam se potuit in latus aliud declinare.

Seculum persequitur bonos videlicet tanquam seruos suos fugitiuos.

Luca 8.

Quid boni adijciat tribulatio.

S. Seruulus à prima ætate paralyticus.

HVIC ad seruiendum mater cum fratre aderat; & quicquid ex eleemosynis potuisset accipere, hoc eorum manibus pauperibus erogabat. Nequaquam etiam literas nouerat; sed tamen Scripturæ sacræ sibi codices emerat, & religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se sine intermissione legere faciebat. Factumque est adeò, vt, quantum ad mensuram propriam attinet, plenè sacram scripturam disceret, cùm, sicut dixi, literas funditus ignoraret. Studebat in dolore semper gratias agere, hymnis Deo, & laudibus, diebus ac noctibus vacare. Sed cùm iam tempus esset, vt tanta eius pa-

Egregiè tolerat suam miseriam.

tientia remunerari debuisset, ecce membrorum dolor ad vitalia rediit. Vbi cùm iam se morti proximum agnouit, peregrinos viros, atque in hospitalitatem receptos, admonuit vt surgerent, & cum eo Psalmos pro expectatione sui exitus decantarent. Cum quibus cùm & ipse moriens psalleret, voces psallentium repente compescuit cum terrore magni clamoris dicens: Tacete, tacete, Numquid non auditis quantæ resonant laudes in cælo? Cumque ad easdem laudes quas intus audierat, aurem cordis intenderet, sic sancta illa anima carnis vinculis soluta est. Sed exeunte illa, tanta illic fragrantia odoris respersa est, vt omnes qui illic aderant, inæstimabili suauitate replerentur; ita vt per hoc patenter agnoscerent quòd eam laudes in cælo suscepissent. Cui rei monachus noster interfuit, qui nunc vsque viuit, & cum magno fletu attestari solet, quia quousque corpus eius sepulturæ traderent, ab eorum naribus odoris illius fragrantia non recessit.

Audit voces cælestes, & paulo post migrat ad Christum.

ATQVE ecce quo fine ex hac vita migrauit, qui hîc æquanimiter flagella tolerauit. Iuxta vocem ergo Dominicam, bona terra fructum per patientiam reddidit, quæ exarata disciplinæ vomere, ad remunerationis segetem peruenit. Sed vos rogo, fratres charissimi, attendite quod excusationis argumentum in illo districto iudicio habituri sumus nos, qui à bono opere torpentes, & res & manus accepimus, si præcepta Domini egenus & sine manibus potuit implere? Non contra nos Dominus tunc Apostolos ostendet, qui ad regnum secum fidelium turbas prædicando traxerunt: non contra nos scilicet Martyres exhibebit, qui ad cælestem patriam sanguinem fundendo peruenerunt. Nam quid tunc dicturi sumus, cùm hunc, de quo locuti sumus, Seruulum viderimus, cui longus languor brachia tenuit, sed tamen hæc à bono opere non ligauit? Hæc vobiscum fratres agite: sic vos ad studium boni operis instigate, vt cùm vobis bonos modò ad imitandum proponitis, eorum tunc consortes esse valeatis, per Christum Dominum nostrum.

Tribulatio est veluti vomer quo exarari debet bona terra, vt feras fructum.

Ad quid nobis seruiat hæc S. Seruuli vita.

DE NATIVITATE DOMINI, EX D. D. *Leone, Gregorio Nysseno, & Augustino.*

XXV. DECEMBRIS.

D. Leo ser. 1. de hoc festo.

SALVATOR noster, dilectissimi, hodie natus est: gaudeamus. Neque enim fas est locū esse tristitiæ, vbi natalis est vitæ;

vitæ, quæ, consumpto mortalitatis timore, ingerit nobis de promissa æternitate lætitiam. Nemo ab huius alacritatis participatione secernitur; vna cunctis lætitiæ communis est ratio: quia Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit. Exsultet sanctus, quia appropinquat ad palmam, gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam, animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei namque Filius, secundum plenitudinem temporis, quam diuini consilij inscrutabilis altitudo disposuit, reconsiliandam auctori suo naturam generis assumpsit humani, vt inuentor mortis diabolus per ipsam, qua vicerat, vinceretur. In quo conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis iure certatum est, dum omnipotens Dominus cum sæuissimo hoste non in sua maiestate, sed in nostra congreditur humilitate, obijciens ei eandem formam, eandémque naturam, mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem. Alienum quippe ab hac natiuitate est, quod de omnibus legitur: Nemo mundus à sorde, nec infans cuius est vnius diei vita super terram. Nihil ergo in istam singularem natiuitatem de carnis concupiscentia transiuit, nihil de peccati lege manauit.

Lætitia præsentis festiuitatis omnino omnibus hominibus communis.

Certauit Christus cum diabolo summo æquitatis iure.

VIRGO regia Dauidicæ stirpis eligitur, quæ sacro grauidanda fœtu, diuinam humanamque prolem priùs conciperet mente, quàm corpore. Et ne superni ignara consilij ad inusitatos paueret affatus, quod in ea operandum erat à Spiritu sancto, colloquio discit Angelico, nec damnum credit pudoris, Dei genitrix mox futura. Itaque agamus, dilectissimi, gratias Deo & Patri per Filium eius in Spiritu sancto, qui propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, misertus est nostri, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, vt essemus in ipso noua creatura, nouum figmentum. Deponamus veterem hominem cum actibus suis, & adepti participationem generationis Christi, carnis renunciemus operibus. Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire. Memento cuius capitis, & cuius corporis sis membrum. Reminiscere quòd erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum.

Nota: S. Maria prius concepit Christum mente quam corpore.

Deponenda nunc omnis vetustas morum.

VERVM & hortatur nos Euangelium, vt in Bethlehem oratione veniamus, & quæ in antro sunt, mysteria videamus. Quid namque est hoc? Puer pannis inuolutus, & positus in præsepio:

D. Gregor. Nyssenus, vt [illegible] to. 7. Surij.

præsepio: Virgo post partum, ac incorrupta mater, complectitur filium. Emittamus illam Prophetæ vocem: Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri. Num hæc quæ audiuimus de Christo, fortuna & casu contigerunt, & scripta sunt, an magis historiæ subest aliqua ratio? Quid sibi vult hæc Domini in antro sedes? hæc in præsepi reclinatio? Cur tempore descriptionis tributorum in vitam ingreditur? An perspicuum est, eum, quemadmodum à legis exsecratione nos eripit, factus ipse pro nobis exsecratio & liuores nostros in se transfert, vt eius liuore nos curemur, sic etiam vectigalem fieri, vt nos à grauissimo vectigali, quò p ab homine mors exigit, liberaret? Quòd verò speluncam vides, in qua paritur Dominus, cæcam hominum vitam, & sub terra demersam cogita, in qua nascitur ille qui in tenebris ambulantibus, & in regione vmbræ mortis sedentibus, se ostendit. Pannis autem obuoluitur, & fasciis constringitur, qui peccatorum nostrorum catenas subit & vincula. Præsepe verò, in quo Verbum gignitur, bestiarum est domus: vt cognoscat bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Per bouem autem intelligo illum, qui legis iugo subiectus est, per asinum autem, quod est animal ferendis oneribus natum, eum qui simulacrorum cultus onustus est crimine.

Psalm. 47.

Cur Christus natus tempore descriptionum.

Explicatur spiritualiter ut pannis quibus fuit inuolutus. Isaia 1.

CAETERVM commune ratione expertium animalium pabulum & vita fœnum est. Producens, inquit, Propheta fœnum iumẽtis. Quod autem ratione præditum est animal, hoc vescitur pane. Itaque idcirco in præsepi, quod est animalium ratione vacantium sedes, è cælo delapsus vitæ panis proponitur: vt & quæ à ratione remota sunt animalia, rationis cibo nutriantur, atque ita scilicet ratione decorentur. Medium igitur in præsepi se, inter bouem, & asinum, vtriusque Dominus locat: vt medium parietem maceriæ soluens, duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, ab altero graue legis iugum eripiens, alterum simulacrorum cultus onere liberans. * Itaque Dominus noster Iesus Christus fratres charissimi, qui in æternum cunctorum est creator, hodie sanè nascendo de matre, factus est nobis Saluator. Natus est nobis hodie in temporis volubilitate, vt nos perducat ad Patris æternitatem. Factus est Deus homo, vt homo fieret Deus. Vt panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum hodie factus est homo. Hodie impleta est prophetia illa quæ dicit: Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, &

Item quid significent præsepe, & bos, & asinus.

**. D. Aug. ser. 9 de Natali Domini.*

Hodie impletur desiderium commune antiquorum Patrum & Prophetarum.

ger

germinet Saluatorem. Factus est qui fecerat, vt inueniretur qui perierat.

VITA S. ANASTASIAE CVM SOroribus, ex Georg. Vvicellio.

XXV. DECEMBRIS.

ANastaſia Romanæ familiæ, patre ethnico, matre verò Chriſtiana, catechiſta ſeu inſtitutore Chryſogono fidem Euangelicam bellè edocta, & agendo & patiendo declarauit ſe timere Deum cœli. Verùm vt nonnullis alijs, ita huic quoque Anaſtaſiæ connubium impar, nec ita ſtabile, ſupplicij occaſio fuit. Nam Publio gentili homini, iubente patre, coniuncta, & nihilo minus officijs Chriſtianæ religionis functa, ſanctiſſima ac honeſtiſſima mulier, ſummum mariti odium incurrit. Bonum opus operata eſt Anaſtaſia, ob id malè tractatur à viro. Quæris, quidnam operis? Solebat Chryſogonum ſuum, cumque hoc plures Chriſtianos carceratos inuiſere & paſcere. Puduit Publium impium pijſſimi facinoris huius, nec ferre potuit beneficam vxorem, Conijcitur ergo in carcerem, quæ carceratis miniſtrarat. Eã verò in vinculis immaniſſimis cœleſtis pater haudquaquã dereliquit, nec deſeruit. Leguntur epiſtolia Chryſogoni ad Anaſtaſiam, & huius ad illam, quibus alterutrum cùm cõſolantur in eadem afflictione carceris, tum exhortãtur ad patiendũ grauiora. Interea ſorores eius Agapa Theia, Irena, capite plectuntur, propter confeſſionem Chriſti Ieſu. Felices ter, & amplius, animulas, quæ obdurare potuerunt in tanto agone. Publio tandem mortuo, liberatur Anaſtaſia carcere, & victrix iam vehementius ſolito incumbit in bene operandi ſtudium. Crux repetitur, fœmina conſtans eſt. Dynaſtes iubet adorare, iubet ſacrificare, Anaſtaſia non facit. Alius tyrannus iubet ſibi dari opes, vtpote quas habere vetuiſſet Chriſtus. Illa reſpondente: Ergo ne tibi opulento, & non potius egenis dederim? Commotus ira, Chriſtianam mulierem continua inedia cruciãdam in vincula protruſit. Dein ad palum religatæ ignem admouit, & corpus occidere non potuit. Eodem temporis ſpatio alij compluſculi è Chriſtianorum numero varijs ſupplicijs pereuntur. Inter quos vnus alacrior quum vidiſſet opes ſibi omnes eripi, elata voce dixiſſe ſcribitur: Heus

S. Anaſtaſia a S. Chryſogono edocta.

Publius eius maritus.

Eius ſorores.

Varia tormenta ſubit S. Anaſtaſia.

tur: Heus viri, quód vnum potestis auferre hinc, licet hoc quidem per me: tantummodò Christum Iesum à me ne auferatis. Facta hæc sunt tempore Diocletiani.

Hæc ex Nicephoro desumpta sunt. Apud Nicephorum legitur de corpore sanctæ Anastasiæ, à Sirmio Constantinopolim delato, & reposito in templũ eius in porticibus domini. De eodem ibidem habentur hæc verba: Vasto incendio Constantinopoli facto, Marcianus œconomus ascendens super regulas sanctæ Anastasiæ, tenens Euangelium orationibus & lacrymis illæsam domum seruauit. Historiæ Tripart. lib. ix. cap. viij. & ix. scribit Sozomenus de templo Anastasiæ apud Constantinopolim: nimirum, quòd ab Anastasi, hoc est, à resurrectione isto nomine vocitetur. Eo enim loco Orthodoxia tanquam à mortuis resurrexerat. Arianismo deuicto, præter quàm quòd ibi mortua puerpera, vi catholicæ precationis, reuixit.

DE S. STEPHANO PROTOMARTYRE, *ex varijs locis Ordinarij noui.*

XXVI. DECEMBRIS.

** Ex D. Fulgentio.*

HERI celebrauimus, dilectissimi, temporalem sempiterni Regis nostri natalem: hodie celebramus triumphalem militis passionem. *Nata insignes a ritu hujus* Heri enim Rex noster trabea carnis indutus, de aula vteri virginalis egrediens, visitare dignatus est mundum: hodie miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migrauit ad cælum. Ille sempiternæ Deitatis maiestate seruata, seruile cinctorium carnis assumens, in huius seculi campum pugnaturus intrauit: iste depositis corruptibilibus corporis indumentis, ad cæli palatium perenniter regnaturus ascendit. Ille descendit carne velatus: iste ascendit sanguine laureatus. *O felix comparatio hominis ad Deum.* Ascendit iste lapidantibus Iudæis: quia ille descendit lætantibus Angelis, Gloria in excelsis Deo heri exsultantes sancti Angeli decantauerunt: Hodie Stephanum lætantes in suum consortium susceperunt. Heri Dominus exiuit de vtero Virginis: hodie miles egressus est de ergastulo carnis. Heri Christus pro nobis pannis est inuolutus: hodie Stephanus stola est ab eo immortalitatis indutus. Heri præsepis angustia Christum portauit infantem: hodie immensitas cæli suscepit Stephanum triumphantem. Solus descendit Dominus, vt multos eleuaret: humiliauit se Rex noster, vt milites

suos

ſuos exaltaret.

SED ſimul neceſſarium quoque nobis eſt, fratres, cognoſcere, quibus armis præcinctus Stephanus ſæuitiam Iudæorum potuit ſuperare, vt ita meruiſſet feliciter triumphare. Stephanus ergo, vt nominis ſui cōronam meruiſſet accipere, charitatem pro armis habebat, & per ipſam vbique vincebat. Per charitatem Dei ſæuientibus Iudæis non ceſſit, per charitatem proximi pro lapidantibus interceſſit. Per charitatem arguebat errantes, vt corrigerentur, per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute ſubnixus vicit Saulum crudeliter ſæuientem, & quem habebat in terra perſecutorem, in cœlo meruit habere conſortem. Poſt multam denique monitionem *; Dura, inquiebat, ceruice, & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtis, ſicut patres veſtri, & vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de aduentu iuſti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis, qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis. Audientes autem, hæc, diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum. Et cùm eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei & ait, Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Et eijcientes eum extra ciuitatem, lapidabant, & teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum inuocantem & dicentem, Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino. Curauerunt autem eum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum.

Arma S. Stephani fuerũt charitas.

** Ex Actor 7.*

Acriter reprehendit duros Iudæos.

Lapidatus orat pro ſuis interfectorib.

** Actor 8.*

HVIVS ſanè ſancti Protomartyris corpus, ſicut & corpora ſanctorum Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis, quæ diu in obſcuro ac ſordido loco iacuerant, Honorio Imperatore, Luciano Presbytero diuinitus admonito, inuenta ſunt prope Hieroſolymam. Cui Gamaliel, cùm in ſomnis apparuiſſet graui quadam, & præclara ſenis ſpecie, locum iacentium corporum commonſtrauit, imperans vt Ioannem Hieroſolymitanum Antiſtitem adiret, ageretque cum eo, vt honeſtiùs illa corpora ſepelirentur. Quibus auditis, Hieroſolymorum Antiſtes

Breuiar. S. Aug. Poſt multum temporis inuenitur eius ſacrum corpus.

Antiſtes finitimarum vrbium Epiſcopis, Presbyteriſque conuocatis, ad locum pergit, fodi iubet, defoſſos quatuor loculos inuenit, vnde ſuauiſſimus odor efflabatur. Cuius rei fama commota magna hominum multitudo eò conuenit, multique variis morbis ægroti ac debiles, ſani & integri domum redierunt. Sacra autem corpora ſumma celebritate in ſanctam Eccleſiam Sion illata ſunt: & ſub Theodoſio iuniore corpus ſancti Stephani Conſtantinopolim, inde Romam Pelagio primo ſummo Pontifice eſt tranſlatum, & in agro Varano, in ſepulcro S. Laurentij Martyris collocatum.

Perfiſſit circa ſacras reliquias ſuauiſſimus odor.

PORRO de hoc Martyre ita etiam D. Auguſtinus, * Ad aquas, inquit, Tibilitanas, Epiſcopo afferente Proiecto reliquias glorioſiſſimi martyris Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus & occurſus. Ibi cæca mulier, vt ad Epiſcopum portantem pignora ſacra duceretur, orauit; flores, quos ferebat, dedit; recepit, oculis admouit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, præibat exſultans, viam carpens, & viæ ducem vlteriùs non requirens. Memorati quoque, vt idem teſtatur, memoriam Martyris, quæ poſita eſt in caſtello Synicenſi, quod Hipponenſi Coloniæ vicinum eſt, eiuſdem loci Lucillus Epiſcopus, populo præcedente atque ſequente portabat: & ecce fiſtula, cuius moleſtia iam diu laborauerat, & familiariſſimi ſui medici, qui eam ſecaret, operiebatur manus, illius piæ ſarcinæ vectatione, vbi ſanctas attigit reliquias, repentè ſanata eſt.

** Ex D. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. Dei, c. 8.*

Illuminatur quædam cæca.

Item curatur meritis S. Stephani quidam qui patiebatur fiſtulam.

DE S. IOANNE APOSTOLO ET *Euangeliſta, partim ex Diuo Hieronymo, partim ex Euſebio.*

XXVII. DECEMBRIS.

IOANNES Apoſtolus, quem Ieſus amauit plurimum, filius Zebedæi, frater Iacobi Apoſtoli, quem Herodes poſt paſſionem Domini decollauit, nouiſſimus omnium ſcripſit Euangelium, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, aduerſus Cerinthum, alioſque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe. Vnde & compulſus eſt diuinam eius natiuitatem edicere. Quartodecimo autem ann[illegible], ſecundam poſt Neronem perſecutionem mouente Domitiano, in Pathmos inſulam relegatus ſcripſit Apocalypſim, quam interpretantur Iuſtinus martyr

D. Hieron. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

S. Ioannes relegatur in Patmos.

martyr & Irenæus. Interfecto autem Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem resciſſis, ſub Nerua Principe rediit Epheſum; ibíque vſque ad Traianum Principem perſeuerans totas Aſiæ fundauit rexitque Eccleſias.

Vbi cùm aliquando ad vrbem quandam ſe contuliſſet, & quæ ad animos fratrum inter ſe diſſidentium conciliandos pertinebant, obiiſſet; ad extremum adoleſcentulum corporis viribus valentem, vultu & oris conformatione venuſtum, animíque impetu flagrantem fortè conſpicatus, ſtatim in eum, qui ibi Epiſcopus erat conſtitutus, oculos conuertit, eumque ſic affatus eſt. Hunc adoleſcentulum omni ſtudio, cura, & cogitatione coram Eccleſia, & Chriſto teſte, tibi tuæque fidei commendo. Quem cùm Epiſcopus in ſuam tutelam accepiſſet, & omnia ſe facturum fuiſſet pollicitus, Ioannes eadem iterum atque iterum illi ediſſerit, eiúſque fidem conteſtatur. Et quidem Ioannes ſic Epheſum deinde redit; Epiſcopus verò ille adoleſcentulum ſibi concreditum, in domum ſuam recipiens, educauit pro ſuo, in officio continuit, fouit humanitus, ad extremum baptiſmi ſacramento illuminauit. Quem cùm poſtea etiam ſigillo Domini, id eſt, ſacramento Confirmationis, tamquam perfecta, tutaque eius animi cuſtodia obſignaſſet, nonnihil de cura & obſeruatione in eo inſtituendo ſuſcepta remiſit. Quem etiam non ſolùm liberior viuendi poteſtas, quam fuerat ante tempus adeptus, verumetiam quidam adoleſcentes, eius æquales, ocio languidi, inertia diſſoluti, & omni malorum genere aſſuefacti, mox corruperunt.

Euſeb. lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 17.

Cõmittit quidam Epiſcopo quẽdam adoleſcentem.

En ſacramẽtũ Confirmationis.

Adoleſcẽs iã dictus conſortio malorum paulatim corrumpitur.

Ac primùm quidem exquiſitis conuiuiorum opiparorum deliciis illum alliciunt, inuitantque: noctu deinde educentes, ad furti ſocietatem coëundam attrahunt; tum & maiora moliri flagitia hortantur. Iſte pedetentim aſſueſcit, & propter generoſam animi magnitudinem tanquam equus effrenatus, & nimium ſibi, ſuiſque viribus præſidens, extra rectam viam impetu fertur, frænaque acriter præmordens, procliuiùs in profundum vitiorum gurgitem ſe præcipitat. Atque cùm omnino iam in deſperationem ſalutis in Deo ſitæ veniret, deinceps non de exiguis noxis cogitauit, ſed magnis quibuſdam, ac nefariis facinoribus admiſſis, vbi ſemel omni improbitate & nequitia perditus euaſerat, nullam non ſceleris labem ex æquo cum aliis contrahere ſecum ſtatuit. Iſtis igitur in familiaritatem adſcitis, & magna latronum turba collecta, animo prompto paratoque ſe ducem manu violentiſſimum,

Tandem fit & dux latronum.

sanguinis effusione crudelissimum, seueritate denique acerbissimum præbuit. Interea verò temporis, vbi necessaria ad id incidebat occasio, Ioannes accersitur. Qui vbi alias res, quarum gratia venerat, recta ratione disposuisset, Age, inquit, Episcope, depositum nobis redde, quod ego & Christus, Ecclesia teste, quam gubernas, tibi commisimus. Hic verò primò attonitus obstupuit, arbitratus pecuniam, quam nunquam acceperat, à se per fraudem & dolum malum repeti, & tamen neque facilè credere poterat ea ab se reposci per calumniam, quæ neutiquam habuisset, neque Ioanni depositum repetenti omnino diffidere. Verum simul atque Ioannes dixisset, Adolescentulum repeto, & animam fratris, senex dimisso vultu ingemiscens, & item lacrymans, Ille, inquit, mortuus est, Deo nempe. Nam nequam & perditus, & vno verbo, latro euasit, & pro ecclesia, in qua versabatur, montem cum nefaria hominum sui similium turba occupat.

Notent nimirum qui habent curas animarum.

ITAQVE Apostolus ingenti cum gemitu! O bonum, inquit, custodem animæ fratris tui te reliqui. Sed equus iamiam mihi adsit, & dux aliquis itineris. Inde ab Ecclesia, ita vt erat, cum festinatione se proripuit. Profectus autem ad locum, à primis latronum excubitoribus prehenditur. Qui neque fugam parans, neque euitare studens, sed vociferans admodum, dixit: Huc huius rei causa accessi: me ad Principem vestrum deducite. Qui quidem ad tempus, vt erat armatus, exspectat. Verum vt Ioannem aduentantem agnouerat, præ pudore capessit fugam. Hic verò ætatis suæ oblitus, illum pro viribus properè insequitur, atque clamans, Quid, inquit, fili me tuum ipsius patrem inermem & ætate confectum fugis? Miserere laboris mei fili, ne formides: adhuc tibi salutis spes reliqua est. Ego Christo pro te reddam rationem, &, si sit opus, pro te lubens mortem oppetam, sicut Dominus pro omnibus nobis, pro tua, animam meam dabo. Consiste, crede, Christus me misit ad te. Qui vbi hæc audiuit, primùm oculis humi defixis constitit, deinde arma abiecit: tum horrore perfusus, grauiter & acerbè lamentatus est. Senê ad se aduentantem complectitur, fletu & mœrore, quoad poterat, pro culpa satisfecit: & dextera sola occultata, lacrymarum vnda secundò baptizatur. Tum verò Apostolus rara & constanti asseueratione ei à Seruatore veniam, & remissionem peccatorum precibus suis impetraturum pollicetur, atque ad genua accidens, ipsam manum dexteram, tanquam aqua pœnitentiæ ablutam purga-

S. Ioãnes audiẽs, me se opara., vt recuperet eum qui perierat.

Offert se pro eo apud Deũ sponsorem.

En secundum baptisma, nimirum Sacramentum Pœnitentiæ.

purgatamque osculatus, illum ad ecclesiam reducit. Crebris item precibus Deum pro illo inuocat, continuis ieiuniis vnà cum eo se macerat, variis diuinæ sapientiæ sententiis eius animum quasi quibusdam lenociniis mitigat tranquillátque. Neque priùs inde decessit, quàm illum ecclesiæ ministerio præfecisset. Cuius conuersione magnum veræ pœnitentiæ exemplum, præclarum secundæ regenerationis specimen, illustre denique trophæum à peccatis resurrectionis per exteriora pœnitentiæ signa hominibus Deus proposuit ad imitandum.

Nimirum infundebat cum Samaritano oleũ & vinũ.

PORRO cum Ephesi moraretur Ioannes vsque ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere; nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Vnde & tandem discipuli & fratres qui aderant, tædio affecti quòd eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare hoc semper loqueris? Qui respondit dignam Ioanne sententiam: Quia præceptum Domini est; & si solum fiat, sufficit. *Sed & de eo quæritur, quomodo calicem martyrij biberit, sicut Dominus de eo & fratre eius prædixerat: cùm scriptura narret Iacobum tantum Apostolum ab Herode capite truncatum, Ioannes autem propria morte vitam finierit? Sed si legamus ecclesiasticas historias, in quibus fertur, quòd & ipse propter martyrium sit missus in feruentis olei dolium, & inde ad suscipiendum coronam Christi athleta processerit, statimque relegatus in Pathmos insulam sit, videbimus martyrio animum non defuisse, & bibisse Ioannem calicem confessionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem.

** D. Hieron. in epist. ad Gala. de eo quod semper & Ioannes dicebat: Filioli diligite alterutrum.*

** Idẽ D. Hie. lib. 3. in Matt. de eo quod vulgò dicitur, ante portam Latinã.*

DE SS. INNOCENTIBVS MARTYRIBVS AB HERODE OCcisis, ex Sermonibus D. Augustini.

XXVIII. DECEMBRIS.

HODIE, fratres charissimi, natalem illorum infantium colimus, quos ab Herode crudelissimo Rege interfectos esse Euangelij textus eloquitur. Et ideo cum summa exultatione gaudeat terra, cælestium militum, & tantarum parens fœcunda virtutum. Ecce prophanus hostis nunquam beatis

D. Augusti. serm. 10. de Sanctis.

te infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas quædam persecutionis pruina decoxit. *Martyrum primi flores.*

VITA S. THOMÆ ARCHIEPISCOPI
Cantuariensis & Martyris, ex Ordinario nouo, adiectis nonnullis ex R. P. Surio.

XXIX. DECEMBRIS.

THOMAS Londini in Anglia natus, Theobaldo successit Cantuariensi Episcopo: & qui antea in administrando Cancellariæ munere præclarè se gesserat, in Episcopali officio fortis & inuictus fuit. Cùm enim Henricus Angliæ Rex, coacta Synodo prouincialium Episcoporum, leges ferret vtilitati ac dignitati ecclesiasticæ repugnantes, adeò constanter obstitit Regiæ cupiditati, vt neque pollicitationibus neque terroribus de sententia decedens, in exsilium pulsus sit. Moxque propinqui eius omnis ętatis eiecti, amici, fautores omnes, iis quibus per ætatem liceret iureiurando adstrictis, vniuersos Thomam adituros, si fortasse miserabili suorum calamitatis adspectu moueretur, qui à sancto proposito priuatis incommodis deterreri minimè potuisset. Sed non respexit ille carnem aut sanguinem, neque vllus in eo humanitatis sensus pastoralis officij constantiam labefactauit. Contulit igitur se ad Alexandrum tertium Pontificem: à quo benignè acceptus est; & inde profectus, monachis Pontiniacensis monasterij, Cistertiensis Ordinis ab eodem commendatus est. Quod vt cognouit Henricus, missis ad conuentum Fratrum Cistertiensium minacibus literis, Thomam è Pontiniaco monasterio exturbare conatur. Quare vir sanctus veritus ne suâ causâ mali aliquid Cistertiensis familia pateretur, sponte discessit, & Ludouicum Galliæ Regem eius inuitatu conuenit. vbi tamdiu fuit, quoad Pontifice Max. & ipso Rege agentibus, ab exsilio summa totius regni gratulatione reuocatur.

Breuiarium Romanum. S. Thomas ex Cancellario fit Episcopus.

Pro iustitia expellitur à sua sede, vnde & se contulit ad Alexandrum Papã.

Delitescit apud monachos Põtiniacẽses.

Redit in patriam.

QVI dum boni pastoris officium securus exsequitur, ecce calumniatores ad regem deferunt, cùm multa contra regnum & publicam quietem moliri, vt propterea sæpius conquereretur Rex, se in suo regno cum vno Sacerdote pacem habere non posse. Ex qua Regis voce nefarij satellites, sperantes gratum se Regi facturos, si Thomam è medio tollerent, clàm

Fortissimè adhuc resistit impio Regi.

clam conuenientes Cantuariam, Episcopum in templo Vespertinis horis operam danté aggrediuntur. Qui, Clericis templi aditus præcludere conantibus, accurrens, ostium aperuit: illis vsus verbis ad suos: Non est Dei Ecclesia custodienda more castrorum, & ego pro Ecclesia Dei libenter mortem subibo. Tum ad milites: Vos Dei iussu cauete, ne cuipiã meorum noceatis. Deinde flexis genibus, Deo, beatæ Mariæ, sancto Dionysio, & reliquis sanctis, eius ecclesię patronis, Ecclesiam & seipsum commendans, sacrum caput eadem constantia, qua iniquissimi Regis legibus restiterat, impio ferro præcidendum obtulit, quarto Calend. Ianuarij, anno millesimo centesimo septuagesimo primo; cuius cerebro respersum est totius templi pauimentum. Quem multis postea illustrem miraculis idem Alexander Pontifex retulit in Sanctorum numerum. * Capita sanè constitutionum, quibus vir sanctus subscribere noluerat, sunt ista: Quòd non appelletur ad sedem Apostolicam sine licentia Regis. Quòd non liceat Archiepiscopo & Episcopo exire de regno, & venire ad vocationem Domini Papæ sine licentia Regis. Quòd non liceat Episcopo excommunicare aliquem, qui teneat de Rege in capite, sine licentia Regis, vel terram illius vel officialium suorum sub interdicto ponere. Quòd non liceat Episcopo coërcere aliquem de periurio, vel læsa fide. Quòd Clerici trahantur ad secularia iudicia. Quòd Laici, seu Rex, seu alij, tractent causas de decimis vel ecclesiis.

Tandem consummatur glorioso martyrio.

** Surius.*

O vtinã hæc diligenter attendant illi quorum interest.

PORRO post mortem viri beati, mox subitò, & præter omnium exspectationem, Deo vlciscente fusum sanguinem Martyris sui, pax regni perturbata est, excitatæque sunt seditiones, & bellum intestinum. Filius incurrit in patrem, & pater in filium; regnumque in seipsum diuisum, celerem desolationem minabatur. Normannia hostili gladio ferienda tradita est; Anglia contremuit, & commota est à facie cladis imminentis. Obsidebant eam hostes vndique, & intus vastabant exitiales seditiones, aliis patrem, aliis filium causam iustiorem fouere asserentibus; donec tandem Rex, cùm per visionem significatum esset nulla alia via sperandam esse pacem, nisi conciliato Martyre, Cantuariam veniens, & ab æde beati Dunstani vsque ad summum templum, in quo hic sanctus Thomas Martyr conditus est, nudis pedibus & lacrymabundus ingrediens, primò palàm se reum proclamauit, veniamque precatus est, quòd sanctum virum tam pertinaciter

Propter necẽ beati viri, Deo ita disponente, tota Anglia turbatur.

Tandem Rex agnoscit culpam, & agit pœnitentiam

citer esset persecutus; deinde exteriori veste se nudans, scapulasque & caput in tumuli fenestram magna humilitate submittens, primo ab Episcopis quinquies cæsus est, deinde à monachis ampliùs octoginta ternos accepit ictus, atque ita solenniter absolutus est.

DE S. SILVESTRO PAPA,

ex Ordinario nouo.

XXXI. DECEMBRIS.

S. Siluestri genus & educatio.

SILVESTER Romanus; patre Ruffino, à prima ætate operam dedit Cyrino Presbytero. Cuius doctrinam & mores egregiè imitatus, trigesimum annum agens Diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ à Melchiade Pontifice creatur. Quo in munere, cùm omni laude Clericis aliis antecelleret, in eius postea locum successit, Imperatore Constantino. Cui quidem Imperatori, cùm is lepræ curandæ causa, sibi ex infantium sanguine, medicorum consilio, balneum parari iussisset, sancti Apostoli Petrus & Paulus in quiete apparuerunt, præcipientes ei, vt, si ex lepra liberari vellet, omissa impij balnei immanitate, Siluestrum in Soracte monte latitantem accerseret; à quo salutari lauacro recreatus, in omni ditione Romani Imperij templa Christiano more ædificari imperaret, sublatisque inanium deorum simulachris, vero Deo cultum adhiberet. Constantinus igitur cælestibus monitis obtemperans, Siluestrum diligenter conquisitum vocat: à quo Apostolorum imagines recognoscens, baptismo sanatur, & ad tuendam propagandamque Christi religionem inflammatur. Itaque auctore Siluestro multas basilicas ædificauit, quas sacris imaginibus, donisque ac muneribus magnificentissimis exornauit; facultate etiam data Christianis, quod antea negatum erat, publicè tēpla extruendi. Hoc Pontifice habita sunt duo Concilia. Nicænum; vbi, præsidentibus eius legatis, præsenteque Constantino, & trecentis decem & octo Episcopis, sancta & Catholica fides explicata est, Ario, Photino, & Sabellio, eorumque sectatoribus condemnatis (quam etiam Synodum confirmauit, petentibus Concilij patribus vniuersis) & Romanum; in quo interfuêre ducenti octoginta quatuor Episcopi, vbi iterum Arius, Photinus, & Sabellius damnati unt.

Mittitur ad eum Constantinus Imperator, qui & baptizatur ab eo, mox curatur à lepra.

Celebratur sub eo Concilium Nicænum contra impium Arrium.

MVLTA item decreta fecit Ecclesiæ Dei vtilia;in his, vt ab Episcopo chrisma conficeretur:vt Presbyter chrismate baptizati summum liniret verticem: Vt Diaconi dalmaticis in ecclesia,& palla linostima ad lęuam vterentur:vt in lineo velo sacrificium altaris conficeretur. Præscripsit tempus, omnibus, qui ordinibus initiati essent, exercendi singulos ordines in Ecclesia, antequam quisque ad altiorem gradum adscenderet: vt laicus clerico non inferret crimen: Ne clericus apud prophanum iudicem causam diceret. Sabbathi & Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies Feriarum nomine distinctos appellari voluit; quò significaretur, quotidie Clericos,abiecta cæterarum rerum cura, vni Deo prorsus vacare debere. Quin & huic cælesti prudentiæ, qua ecclesiam administrabat, insignis vitæ sanctitas, & benignitas in pauperes perpetuò respondit: quo in genere prouidit, vt clericis copiosis egentes coniungeret; & vt sacris virginibus, quæ ad victum necessaria essent, suppeditarentur, ne fortè cogerentur ęgredi septa monasterij. Vixit in Pontificatu annos viginti tres, menses decem, dies vndecim. Sepultus est in cœmiterio Priscillæ via Salaria. Fecit ordinationes sex mense Decembri, quibus creauit Episcopos sexaginta quinque, presbyteros sexaginta duos, Diaconos viginti sex.

Sanxit ne clericus apud prophanũ iudicem causam dicat.

Nota de clausura sacrarũ virginum.

Migrat vir sanctus in cælum.

VITA S. ODILONIS ABBATIS CLVniacensis, *ex ea quæ est per B. Petrum Damianum.*

N. m. hoc die obijt.

XXXI. DECEMBRIS.

BEATVS Odilo Aruerniæ oriundus, ex equestri quidem ordine genus duxit, sed & terrenæ prosapiæ lineam cælestis vitæ nobilitate transcendit. Hic etiamnum puer, cùm nutricis incuria ante ianuam cuiusdam basilicæ fuisset relictus, ipse repens, membrorum languore quo detinebatur, depulso, facultatem subitò meruit incedendi. Qui dum ad grandiusculæ ætatis adolescerct incrementum, prius apud sanctum Iulianum factus est clericus; deinde beati Maioli Confessoris egregij se magisterio tradidit; & in Cluniacensi monasterio habitum sanctæ religionis accepit. Vbi dum quietus & simplex humiliter in sancta religione persisteret, vix euolutis quatuor annis, beato Maiolo in Domino obdormienti, ab eodem omnium Fratrum approbantibus votis, in Pastoralis officij

S. Odilonis clari natales.

Induit habitum monasticum, & mox quarto inde anno fit Abbas.

ficij cura subſtituitur. Quin etiam in commiſſi regiminis ſolicitudine conſtitutus, plurimis ſanctæ religionis mox cœpit florere virtutibus, nimirum vt pſalmodiæ ſtudiis vigilanter inſiſteret, dura corpus inedia maceraret, atque à ſacris altaribus non recedens, vberrimis plerumque lacrymarum compunctionibus afflueret.

IN erogandis eleemoſynis ita largus erat, vt in valida Aquitaniæ fame, omnibus exhauſtis, plurima ſacrarij vaſa confregerit; quin & coronę quoque, quam ſibi Imperator Henricus ob ſui memoriam deſtinauerat, nō pepercerit. In geſtorum etiam eius reperitur hiſtoria, quia corpus ſuum non modò duris conſueuerat attenuare ieiunijs, aſperrimis edomare ciliciis; ſed & quòd quibuſdam ferreis nexibus illud coarctabat. Sed & in percipiendis tamen ita ſe moderabatur eduliis, vt appoſita quæque contingens, & vanitatem ſuperſtitionis effugeret, & ſobrietatis continentiam ſeruaret. Porrò in promulgandis iudiciis, ac modis pœnitentiæ præfigendis, tam pius erat, & tanta mœrentibus humanitate compatiens, vt non tam diſtrictum patris imperium; quam maternum exhiberet affectum. Vnde ſe reprehendentibus huiuſmodi verbis ſolebat eleganter alludere: Etiamſi damnandus ſum, inquiens, malo tamen de miſericordia quàm ex duritia vel crudelitate damnari. Circa beatam Dei genitricem tam ardentiſſima deuotione flagrabat, vt conſtitutus in choro pſallentium, cùm ad illum veniretur ex modulantium alternatione verſiculum; Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti virginis vterum; in terram ſe proſterneret, ſicque per corpus oſtenderet, quibus deſiderij cæleſtis in mente facibus æſtuaret.

Tempore famis impendit pauperibus etiam ipſa ſacra vaſa.

Nota inſigne dictum contra rigides præfectos.

AT verò inter plurima viri ſancti præclara geſta, illud vel in primis memoratu dignum eſt, de inſtituta per ipſum in omnibus ſuis monaſteriis, poſt omnium Sanctorum ſolennitatem, memoria omnium in Chriſto quieſcentium, tanta ſcilicet erat huius ſancti viri in pſalmis, eleemoſynis, & præcipuè Miſſarum ſolennijs erga eos ſolicitudo. Qua generalitate ſi quis non contentus, vlterius inquirat, quis ſpecialiter per beatum Odilonem de pœnis vltricibus ſit ereptus; quid de reliquis ſentiat, in Papa Benedicto addiſcat. Sed & illud non parum ſimul mirandum, quòd quamquam homo Dei ſublimiter admodum ſe in ſpiritualibus ſtudiis & diuina contemplatione frequentiſſimè ſuſpenderet, in corpore tamen vtilitatis

Inſtituit in omnibus ſuis monaſteriis diem ſolennem omnium Animarum.

Loquitur de Benedicto 8. vide Platinam.

Plura monasteria tũ extruit tum reparat.

tatis etiam industria non mediocriter laborarit. Monasteria scilicet nonnulla à fundamentis erexit: alia vel iam semiruta, vel ruinam fortè minantia reparauit. Dilatauit illis prædia, nonnullis etiam insignia contulit ornamenta, quæ enumerare per ordinem non est huius instituti.

Postremis annis vitæ multum exercetur ægritudinibus.

DEMVM cùm vir Domini iam in extremis ageret, per quinquennium ferè compulsus est grauissimi languoris molestia cruciari. Itaque beatorum Apostolorum limina festinauit inuisere: vt quasi sub eorum pedibus, si sibi daretur, quod semper in votis habuerat, posset ex hoc mundo transire. Verumtamen quia non est in homine vita eius, aliter sibi contigit quàm sperauit. Per quatuor menses illic ægritudine detentus elanguit; deinceps cōtra spem aliquantulum conualescens, ad propria remeauit. Cluniacum itaque deueniens, per annum ferè totus in oratione permansit, seséque, quantum ægritudo permisit, ieiuniis ac vigiliis vehementer afflixit. Decreuit autem, vt antequam debitum conditionis humanæ persolueret, quæque monasteria sua circumiens, sanctæ admonitionis studio visitaret. Qua expeditione incepta, cùm Syluiniacum deuenisset, ibi se circa festiuitatem Dominicæ Circuncisionis ex hoc seculo migraturum dixit. Nihilominus tamen, cùm iam in agonis esset angustia constitutus, conspexit adstare diabolum. Quem cùm per nomen tremendi Iudicis increpasset, salutaris Eucharistiæ perceptis sacramentis, ea nocte quæ Dominicæ Circuncisionis solennia præcedebat, beatum Deo spiritum reddidit, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo octauo, ætatis suæ octogesimo septimo, ordinationis quinquagesimo sexto. Apud cuius venerabilem tumulum noua semper rutilant signa virtutum.

Sub mortem securè increpat adstantẽ sibi diabolũ, & sic transit ad Christum.

DE DEDICATIONE SEV CONSECRAtione Ecclesiarum, ex variis locis Breuiarij Romani.

Ex Gratiano De consecrat dist.1. En vnde desumpti sint ritus isti sacri. nimirum ab ipso præcepto Dei dato Moysi.

TABERNACVLVM Moysen, Domino præcipiente, fecisse & sacrasse, cum mensa & altari eius, & cæteris vasis vtensilibus, ad diuinum cultum explendum, legimus, & non solùm diuinis precibus ea sacrasse, sed etiam sancti olei vnctione, Domino iubente, perliniisse. Qualiter autem hæc facta sint, & quo modo ipsa sacra non alij quàm ipsi sacerdotes sacra vnctione delibuti, Dominóque cum vestibus sanctis

sacra

ſacrati,& Leuitæ tractabant,& ferebant,erigebant,&deponebant, in ipſis inſtitutionibus, quæ iubente Domino per Moyſen conſcriptæ ſunt in lege Domini, reperitur. Qualiter etiam Dauid Regum pientiſſimus amplificauerit cultum Dei, & templum Domini ædificare voluerit, ſed propter multum ſanguinem,quem effuderat,prohibitus eſt, & ipſe collegerat expenſas; Salomon quoque filius eius idipſum, quod ipſe facere optauerat, iubente & auxiliante Domino perfecit, & templum cum altari & reliqua ad diuinum peragendum cultum conſecrauit, in libro Regum legitur. Fecit ergo Salomon in tempore illo feſtiuitatem celebrem, & omnis Iſraël cum eo,multitudo magna ab introitu Emath vſque ad riuum AEgypticoram Domino Deo noſtro ſeptem diebus & ſeptem diebus, id eſt quatuordecim diebus, & in die octaua dimiſit populos.

Confirmat hos ritus & rex Salomon.

SANE ſolennitates dedicationum Eccleſiarum & Sacerdotum per ſingulos annos ſolenniter ſunt celebrandæ, ipſo etiam Domino exemplum dante,qui ad feſtum dedicationis templi omnibus id faciendi dans formam, cum reliquis populis eandem feſtiuitatem celebraturus venit, ſicut ſcriptum eſt: Facta ſunt encænia in Hieroſolymis, & hiems erat, & ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis, ſicut & quod octo diebus incænia ſint celebranda, in libro Regum, peracta dedicatione templi,vt iam dictum eſt,reperis.* Porrò ritus quos in conſecrandis eccleſiis & altaribus Romana ſeruat Eccleſia,beatus Silueſter Papa primus inſtituit. Nam et ſi iam ab Apoſtolorum tempore loca fuerunt Deo dicata, quæ à quibuſdam oratoria, ab aliis eccleſiæ dicebantur, vbi collectæ fiebant per vnam ſabbathi, & Chriſtianus populus orare,Dei verbum audire,& Euchariſtiam ſumere ſolitus erat non tamen illa chriſmate vngebantur, nec in eis adhuc in titulum erectum erat altare,quod chriſmate deliburum figuram Domini noſtri Ieſu Chriſti,qui Altare,Hoſtia, Sacerdos noſter eſt, ſignificaret.Sed vbi Conſtantinus Imperator per Baptiſmi Sacramentum ſanitatem ſaluteméque conſecutus eſt, tum primùm lege ab eo lata, conceſſum eſt toto orbe terrarum, Chriſtiani vt eccleſias ædificarent: quos ille non ſolùm edicto, ſed etiam exemplo ad ſacram ædificationem eſt cohortatus: nam & in ſuo Lateranenſi palatio eccleſiam Saluatori dedicauit, & ei continentem baſilicam nomine ſancti Ioannis Baptiſtæ condidit in balneo caloris ſui, eo loco

Quin & ipſe Saluator noſter in terris verſans, venit ad dedicationem templi.

** Nouum Breuiarium. 9. Nouemb.*

Nota quid ſignificent altaria,& de primis téplis Chriſtianorũ.

Apparet in dio dedicatio nu prima Ecclesia Romæ imago Saluatoris.

eo loco quo ipse baptizatus, à sancto Siluestro à lepra mundatus est, quam idem Pontifex consecrauit quinto idus Nouembris, quo die primùm Romæ publicè ecclesia consecrata est, & imago Saluatoris in pariete depicta populo Romano apparuit.

** Idem Breu. 28. Nouemb.*

PRAETEREA & hoc isto loco sciendum est, quomodo * ex omnibus locis sacris, quæ olim apud Christianos venerationem habuerunt, illa celeberrima & frequentissima fuerunt, in quibus condita sanctorum corpora, vel aliquod Martyrum vestigium aut monumentum esset. In quorum numero sanctorum locorum in primis semper fuit insignis ea Vaticani pars, quam sancti Petri Confessionem appellabant: nam eò Christiani ex omnibus terræ partibus tanquam ad fidei petram & Ecclesiæ fundamentum conuenientes, locum Principis Apostolorum sepulchro consecratum summa religione ac pietate venerabantur. Quare & illuc Constantinus Imperator octauo die post susceptum baptismum venit, depositoque diademate, & humi iacens vim lacrymarum profudit, ac deinde sumpto ligone ac bidente terram eruit, indéque duodecim terræ cophinis honoris causa duodecim Apostolorum ablatis, ac loco basilicæ Principis Apostolorum designato ecclesiam ædificauit, quam sanctus Siluester Papa decimo quarto Calédas Decemb. eo modo, quo Lateranensem ecclesiam quinto Idus Nouemb. cõsecrauerat, dedicauit, & in ea primũ altare lapideũ chrismate delibutum erexit, atque ex eo tempore sanciuit, ne deinceps altaria nisi ex lapide fierent.

Præ omnibus locis Sanctorum semper honorificentissime habitum est sepulchrũ S. Petri.

Nota: non possunt fieri altaria, nisi ex lapide, nimirum Christus significatur lapis viuus & angularis.

BASILICAM item Pauli Apostoli via Ostiẽsi ab eodem Constantino Imperatore magnificentissimè ædificatã dedicauit. Quas basilicas Imperator multis prædiis attributis locupletauit, ac muneribus amplissimis exornauit. Cuius Imperatoris tantus fuit ardor religionis, vt deletis idololorum templis, multas vbique terrarum exstruxerit ecclesias, & præcipuè Romæ, in quibus fuerunt basilica S. Crucis ad Hierusalem in agro Sessoriano, S. Laurentij extra muros in agro Verano, sanctorum Petri & Marcellini via Lauicana, aliæque permultæ. Itaque agite, ô fratres charissimi, & in Christo electi. * Profectò dum noua constructio ecclesiæ attenditur, quæ diuino nomini dedicatur, inuenitur à nobis deberi & Deo nostro maxima laus, & sanctitati vestræ congruus de diuinæ domûs ædificatione sermo. Quod vt breuiter dicatur, quod hic factum corporaliter videmus in parietibus, spiritaliter

** Ex serm. 5. D. Augustini de Dedicatione.*

In dedicatione ecclesia

liter fiat in mentibus, & quod hic perfectum cernimus in lapidibus & lignis, hoc, ædificante gratia Dei, perficiatur in corporibus vestris.

Vnusquisque meminisse debet se esse templum Spiritus sancti.

PRINCIPALITER ergo gratias agamus Domino Deo nostro, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, & eius bonitatem tota cordis alacritate laudemus, quoniam ad constituendam domum orationis fidelium, visitauit animum, excitauit affectum, surrogauit auxilium, inspirauit necdum volentibus vt vellent, adiuuit bonæ voluntatis conatus vt facerent. Denique celebritas huius congregationis, dedicatio est domus orationis. Domus ergo nostrarum orationum ista, domus autem Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc seculo ædificamur, vt in fine seculi dedicemur. Aedificium siue ædificatio habet laborem, dedicatio exsultationem. Id quod fit quando ecclesia aliqua surgit, hoc fit modò cùm congregantur credentes in Christum. Credendo enim quasi de syluis & montibus ligna & lapides præciduntur; cùm verò catechizantur, baptizantur, formantur, tanquam inter manus fabrorum & opificum dolantur, collimantur, complanantur, verumtamen domum Domini, non faciunt, nisi quando charitate compaginantur. Amemus ergo, gratis amemus, Dominum enim amamus, quo nihil melius inuenimus, ipsum amemus propter ipsum, & nos in ipso, tamen propter ipsum, cui trino & vni Deo sit gloria in secula seculorum. Amen.

Perfecta dedicatio non erit nisi in altero seculo.

TYPO

TYPOGRAPHUS LECTORI.

CVM paucis ab hinc annis Gregorius XIII. Xistus V. & Gregorius XIV. sanctissimæ Sedis Apostolicæ Pontifices summi, Sanctorum vitas Breuiario addiderint nonnullas, quibus anteà deficiebat omninò, eas his superaddere visum est, non suis tamen quasque mensibus & diebus collocatas, propterea quòd seorsum à Breuiarijs impressæ extabant tantummodo: vt verò Compēdij huius proxima editione fa cilius in suum ordinem reponantur, nouissima Breuiarij Romani ad me perlata, vnicuique celebrationis suæ diem censui apponendum.

VITA SS. QVADRAGINTA MARTYRUM, ex D. Basilij Homilia 20.

IX. MARTII.



Tempus & locus martyrij SS 40. Martyrum.

REGE Licinio & Agricolao præfecto, ad Sebastem Armeniæ vrbem, quadraginta militum fides in Iesum Christum, & fortitudo in cruciatibus perferendis enituit. Qui sæpiùs in horribilem carcerem detrusi, vinculísque constricti, cùm ipsorum ora fuissent contusa lapidibus, in stagnum gelidissimum coniecti sunt. Vna autē erat omnium oratio: *Quadraginta in stadium ingressi sumus, quadraginta item, Domine, corona donemur, ne vna quidem huic numero desit. Est in honore hic numerus, quem tu quadraginta dierum ieiunio decorasti, per quem diuina lex ingressa est orbem terrarum. Elias quadraginta dierum ieiunio deum quærens, eius visionem consequutus est.* Et hæc quidem illorum erat oratio.

Eorum oratio in tormentis.

CAETERIS autem custodibus somno deditis, solus vigilabat ianitor, qui & illos orantes & luce circumfusos, & solutam glaciem, & quosdam è cælo descendentibus Angelos tanquam à Rege missos, qui coronas triginta nouem militibus distribuerent, intuens, ita secúm loquebatur. *Quadraginta hi sunt, quadragesimi corona vbi est?* Quæ dum cogitaret, vnus ex illorum numero, cui animus ad frigus ferendum defecerat,

Visio facta ianitori. eiusq; de ea iudicium & euentus.

in pro

in proximum tepefactum balneum desiliens, Sanctos illos summo dolore affecit: verùm Deus illorum preces irritas esse non est passus: nam rei euentum admiratus ianitor, mox custodibus è somno excitatis, detractisque sibi vestibus, ac se Christianum esse clara voce professus, iniecit in stagnum: postridie manè cùm præfecti satellites ianitorem quoque Christianum esse cognouissent, tractis omnibus ad litus, bacillis comminuta eorum crura fregerunt. In eo supplicio mortui sunt omnes præter Melithonem, natu minimum, quem cùm præsens mater eius, fractis cruribus adhuc viuentem vidisset, sic cohortata est: Fili, paulisper sustine, ecce Christus ad ianuam stat adiuuans te. Cùm verò reliquorum corpora plaustris imponi cerneret, vt in rogum inferrentur, ac filium suum relinqui, quod speraret impia turba puerum, si vixisset, ad idolorum cultum reuocari posse ipso in humeros sublato, sancta mater vehicula Martyrum corporibus onusta strenuè prosequebatur: in cuius amplexu Melithon spiritum Deo reddidit, eiusque corpus in eundem illum cæterorum Martyrum rogum pia mater iniecit, vt qui fide & virtute coniunctissimi fuerant, funeris etiam societate copulati, vnà in cælum peruenirent. Combustis illis, eorum reliquiæ proiectæ in profluentem, cùm mirabiliter in vnum confluxissent locum, saluę & integræ repertæ honorifico sepulchro conditæ sunt.

Supplicium 40. Martyrum.

Verba matris ad Melithonē filium ex omnibus vnum relictum, & charitas.

Reliquiæ Sanctorum sepulchro donatur.

VITA S. FRANCISCI DE PAVLA CONfessoris, *ex 2. tomo Surij in canonizatione S. per Leonem X. Pontif.*

II. APRILIS.

FRANCISCVS Paulæ, quod est in Calabria oppidum, humilibus & honestis parentibus natus est singulari Dei munere: ipsi namque cùm sine prole multos annos in matrimonio viuerent, tandem voto pie facto, & precibus S. Francisci Assisinatis, filium susceperunt, quem propterea Franciscum quoque appellauerunt. Is porrò aduersus mundum, carnem & dæmonem fortiter dimicando, inter cæteros Iesu Christi athletas, admirandis virtutum exemplis meritisque sanctam Ecclesiam decorauit. Puer igitur in sortem Domini electus, decimum & tertium circiter annum agens, magnam veræ pietatis speciem præbuit, in eremumq; secedens annos ferè sex ibi victum asperam sed meditationibus suauem & cælestem vitam duxit. De eius sanctitate cum celebris

S. Francisci de Paula sancta educatio.

Eius vita sanctitas, & austeritas maxima.

celebris fama esset, ideoque multi se ei in disciplinam tradidissent: inde vt alijs prodesset, exire coactus est. Quare prope Paulam suis manibus, ac laboribus magnis ecclesiam ædificare aggressus, aliorum eleemosynis adiutus, opere formáque notabili perfecit: atque in ea, quanto maius ędificium extruere volebat, tanto altius iecit fundamenta ordinis sui.

Ecclesiam ædificat.

Eius virtutes maximæ, & institutio ordinis Minimorum.

FVIT autem mirifica in loquendo gratia, & verò humilitatem amplexus, infimum quodque ac maximè abiectum ministerium, ita etiam inter discipulos suos obire studuit, vt se omnium minimum, & sui ordinis alumnos, minimos item appellare instituerit. Castitatem perpetuò coluit. Humi cubans, se noctu flagris verberabat: laneo, rudique panno vestitus, nudis pedibus semper ibat. Admirationi fuit omnibus propter cibi abstinentiam: pane enim tantùm, & aquæ potu semel in die post Solis occasum se reficiebat. Ad panem si quando corpore vires deficerent, adhibuit olera, & legumina, aut pisciculos, aut eiusmodi obsoniũ, quo vesci in Quadragesima licet. Quadragesimalẽ autẽ hanc vitam vt fratres item sui ordinis omni anni tẽpore seruarent, quarto eos voto deuinxit. Eius porrò sanctitatẽ, miraculorũ etiã magnitudine testatã Deus fieri voluit. Dæmones enim effugauit, cæcorũ oculos, multorũ ora aperuit, morbos insanabiles curauit, mortuosque suscitauit. In fornacem calcariam flammarum vi efferuescentem ingressus, ignem repressit, & inuiolatus euasit: palmis ardentes prunas, ac titiones illæsus tractauit, Siciliæ fretum strato fluctibus pallio suo, in eo quasi pedibus nisus, cum socio transmisit, admirãtibus nautis, à quibus in littore relictus erat, quia nihil habuerat, quod pro naulo solueret. Prophetico autem spiritu, multa futura prænunciauit. His alijsque & in vita, & post obitu miraculis claruit, eamque ob rem Minimorum ordo in Italia primùm, pòst in omnibus ferè Christiani orbis partibus est propagatus.

Abstinentia eius maxima

Eius miracula.

In Galliam à Ludouico xi. rogatus mittitur.

EIVS ordo sanctitatis in omnem propè terram effusus cum esset, illius fama motus Gallorum Rex Ludouicus vndecimus à Sixto quarto, Pontifice maximo impetrauit, vt ad se in Galliam mitteretur, vbi singulari deuotione ab eo susceptus, atque in honore deinceps habitus, cœnobia, vt anteà in Italia alijsque prouincijs, construxit, sanctisque institutis, maximè verò humilitatis & charitatis exemplis stabiliuit. Demùm vir Dei, sibi finem humanæ peregrinationis adesse cùm intelligeret, pridie quàm ex hoc sæculo abiret, ad Ecclesiam descen

Tempus obitus eius, & locus.

descendit, vbi in Missa conuentuali, multis sui ordinis fratribus, qui ex diuersis regionibus conuenerant, præsentibus, profusa lacrymarum vi sacrum viaticum sumpsit. Postridie eos omnes salutaribus monitis cohortatus, mox ad mortis cogitationem piè intentus, Crucis imaginem sæpe amplexus, cùm sæpe pronuntiasset: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*: iunctis manibus erectisque in cælum oculis, nonagesimum primum annum agens apud Turones migrauit ad Dominum, anno salutis nostræ millesimo quingentesimo septimo, die Parasceues, & hora, qua ipse Saluator pro mundi redemptione in ligno Crucis spiritum emisit. Dies vndecim insepultus, atque incorruptus ita permansit, vt suauis odor ex eo mirificè manaret. Eum Leo X. Pontifex tantarum, tamque cælestium virtutum laude clarum, retulit in sanctorum numerum: posteà Sixtus V. Pontifex duplicis officij ritu celebrari præcepit. *A Leone X. in Sanctorũ numerum relatus.*

VITA S. PETRI MARTYRIS ORDINIS *Prædicatorum, ex Thom. Leontino Patriarcha Hierosolimitano. Tom 2. Surij.*

XXIX. APRILIS.

BEATVS Petrus Martyr ordinis Prædicatorum, egregius fidei defensor, iam inde ab infantia contra hæreses mirabiliter pugnans, admirandis sanctarum virtutum progressionibus, præclarisque pro gloria Dei dimicationibus, ad coronam Martyrij peruenit. Is Veronę in Gallia Cisalpina natus è parentibus Manichæorum hæresi infectis, ne infans quidem, vllis paternis neque blanditijs, neque minis eò deduci vnquã potuit, vt consuetudinem aut colloquium cum impiis hominibus haberet, sed ab iis longè refugiens, etiam à domestica hæreticæ prauitatis labe purum, integrúmque se diuinitus cõseruauit. Annos verò circiter septem natus, cùm scholas frequentaret, inde rediens patrio hæretico occurrit, à quo interrogatus, quid tandem in iis didicisset; Christianæ fidei symbolum se didicisse respondit. A cuius fidei professione puerum abducere blandis dolis, ac minitationibus hæreticùs conatus, nihil tamen ab eo vnquam obtinuit qui Spiritu Sancto repletus constanter affirmauit, quod elegisset, quodque scrip- *S. Petri Martyris à teneris annis summa constantia.*

tum esset id se velle & credere & profiteri. Tanta igitur constantia pueri victus; cùm timeret id, quod posteà successit, ne adultus hæreticorum perfidiam confringeret, patri suadere non destitit, vt eum à scholis auocaret. Sed, neque hoc impetrauit, Dei voluntate, qui iniquorum hominum dissipat cogitationes.

Bononiã studiorum causa venit.

IN ipsa igitur pueritia cùm hæreticos vicisset, adulta ætate Bononiam studij causa venit, vbi tutiorem vitæ viam ingrediens, vt huius nequam sæculi pericula quoque superaret, institutum Ordinis Prædicatorum suscepit, in quo, tanquam lumen aliquod eius sanctitatis perpetuò eluxit. Beati enim patris Dominici exempla sequutus mente corporéque virginitatem coluit, vsque adeò, vt nullius mortiferi peccati conscientia se vnquam inquinatum esse senserit. Ieiuniis & vigiliis corpus ita macerauit, vt neruis præ abstinentia contractis, dentes etiam aliquando compressi, ad sorbendum deduci ægrè possent. Mentem verò diuinis contemplationibus assiduè exercuit, nullumq́ue tempus ab actione aut meditatione vacuum reliquit. Nam breui somno contentus, reliquam noctis partem in sacris studiis, precibus, orationeq́ue traduxit, in qua ardentissimè versabatur: diem autem in salute animarum posuit, cùm vel conciones haberet, vel pœnitentium confessiones audiret, vel hæreticorum impia dogmata firmissimis refutaret argumentis: in iis enim specialis dono gratiæ noscitur claruisse. Sed tantam etiam in concionando vim habuit, vt innumera hominum multitudo ad eum audiendum confluens, tempus anteuerteret, locaq́ue præriperet. Itaque cùm præ turba in Ecclesiam ingredi aliquando non posset, tantopere colebatur, vt in lectica ob venerationem inclusus, ciuiumq́ue humeris delatus, eò introduceretur. Vbi illum concionantem audierant, multi hæresim abiurabant, plures, depositis odiis, pacem conciliabant, plurimi ad pœnitentiam se parabant, cùm de ea sæpius conciones suas ipse institueret iis potissimùm Prophetæ verbis: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.*

Pius sãctitas vita.

Eius maxima in concionando vis.

ADMIRANDA verò humilitate, & ardenti charitate, omnibúsque virtutum ornamentis excultus vir Dei, hoc præter cætera habuit, vt omnem pro fide dimicationem susciperet, pro qua etiam martyrium subire, Deum assiduè precabatur. Quocirca cùm in ditione Mediolanensi sacræ

Inquisi

Inquisitionis munus, à sede Apostolica commissum, sancta solicitudine gereret, vt locum sanè nunquam reliquerit neque concionibus, neque monitionibus, neque aliis officiis, quibus ad veritatis lucem hæreticos reuocaret: ij odio imbuti, necem, quam etiam ille concionando paulo antè prædixerat; machinati sunt. Quorum precibus, pretioque inductus, quidam sicarius illum Cumis Mediolanum, officij sui causa redeuntem, gladio in capite semel atque iterum vulnerauit. Itaque penè necatus beatus Martyr, dum ait: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, symbolúmque fidei, quàm patrui blandimentis, ac minis puer abnegare noluit, in ipsa etiam nece recitare non oblitus, in lateribus quoque mucrone ab eodem transuerberatus, ad martyrij præmium migrauit in cælum Sabbato in Albis, anno Salutis 1252. anno autem sequenti cùm eius sanctissimam vitam, ac miracula, quæ, cooperante Domino, & ante & post martyrium multa edidit: diligenter Innocentius IV. Pontifex cognouisset, solenni ritu illum adscripsit in numero beatorum Martyrum. Eius porrò diem natalem Sixtus V. Pontifex duplici officio celebrari constituit.

Gladio petitus obiit.

In Sanctorũ numerum adscriptus.

VITA S. ANTONII DE PADVA

Confessoris ex Surio Tom. 3. & Chr. Franc.

XIII. IVNII.

ANTONIVS, anteà Fernandus vocatus, Vlyssipone, in Lusitania ab honestis ortus parentibus, cùm piè educatus esset adolescens, mundi spretis illecebris, Canonicorum regularium S. Augustini institutum religiosè suscepit. Verùm quo tempore corpora beatorum Martyrum quinque Fratrum Ordinis Minorum, qui pro Christi fide apud Marrochium paulò antè passi erant, Coimbriam magna Regis, populíque religione transferebantur, martyrij desiderio incensus, abbatis sui tandem concessu, à Canonicorum Augustinianorum Ordine ad Franciscanum transijt, mutatóque nomine Antonium se vocari petijt, appellatione loci, quo ad habitum suscipiẽdum venerat, qui Sanctus Antonius nuncupabatur. Martyrij autem spe in dies ardentiùs inflammatus, ad Saracenos, cùm primùm facultatem à Fratribus habuit, ire properauit: sed infirma valetudine, quæ diu illum grauiter afflixerat, in patriam redire coactus,

Fernandus quando & quare Antonius dictus.

Martyrij spe inflãmatur.

cùm ad Hiſpaniæ littora nauim appellere putaret, ventorum impulſu in Siciliam venit, Dei prouidentia reſeruatus ad plurimorum ſalutem, quos variis è peccatorum ſordibus reuocauit ad ſalutares pœnitentiæ fructus. Aſſiſium è Sicilia ad generale capitulum venit inde ad Æmiliam prouinciam, vbi in eremum montes Pauli ſeceſſit, quo loco cellam in crypta quadam nactus, diuinis contemplationibus, orationi, abſtinentię, ieiunio, vigiliiſque diu vacauit. Poſteà autem, diuino ſpiritu roboratus, ad forum Liuij, vt ſacris ordinibus initiaretur, vnà cum aliis fratribus profectus, ſuperioris iuſſu ſermonem tanta myſteriorum vi & copia habuit, vt apud omnes magnam ſui admirationem excitarit. Miſſus verò deinceps ad concionandum, mirificè profecit, inimicitias, odia, fœnora, furta, rapinas, aliaque peccata & publica & priuata, vbi gentium fuit, prædicatione ſua diuinitùs ſuſtulit: hæreſeſque vndique profligauit, ideóque vocatus eſt perpetuus hæreticorum malleus. Primus Ordinis Franciſcani fuit, qui Bononiæ, aliiſque locis ſacrarum literarum interpres fratrum ſuorum ſtudio præfuit. Enimuerò monaſteria, quæ habitauit, interpretationum diuinarum munere, concionumque vſu frequenti mirabiliter illuſtrauit. Nam diuina ſapientia affluens, in cæleſtibus myſteriis luculenter, copioſeque explicandis vſque adeò præſtitit, vt cùm eum aliquando concionantem Pontifex audiret, Arcam teſtamenti appellarit.

Fructus eius maximus in prædicando

Arca teſtamenti dictus.

EA porrò in veneratione fuit, vt cùm innumera hominum multitudo, etiam intempeſta nocte, ad eius conciones conflueret, veſtem cultiorem omnes ferè deponerent. Sanctitate autem, quam quotidie fermè inauditis miraculis Deus teſtificatam eſſe voluit, vbique præluxit, vſque adeò, vt mulieres ex illius tunica particulas præciderent, quas reliquiarum loco aſſeruarent. Multis verò peragratis prouinciis, anno denique ante obitum venit Patauium, vbi ab omni alia cura vacuus, in oratione, prædicatione, confeſſionibuſque audiendis aſsiduus, atque aliis pietatis operibus deditus, admiranda etiam ſuæ diuinæ virtutis monimenta reliquit. Itaque laboribus magnis pro Dei gloria perfunctus, demum cùm dies migrationis venit, vnctione ſacra percepta, pſalmiſque pœnitentialibus deuotè pronunciatis, paulò poſt, quaſi dormienti ſimilis in manu aſtantium conquieſcens, idibus Iunij ad præmium abiit in cœlum anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo.

Eius ſanctitas admiranda.

Patauium venit.

Dies obitus.

mo. Eum tantis meritis cumulatum, miraculorumque laude clarum, Gregorius nonus Pontifex, in sanctorum Confessorum numero adscripsit. Posteà Sixtus quintus Pontifex duplicis officij ritu celebrari praecepit.

VITA S. ANNÆ MATRIS BEATISSIMÆ

virginis Mariæ, ex S. Epiphanio Patrar. hæres. 78 & 79. & Ioan. Damasceno, de fide orthod. lib. 4. & aliis.

XXVI. IVLII.

ANNA Virginis Dei genitricis mater, Gaziri filia, ex tribu Iuda in Bethlehem oppido Iudeæ nata, Ioachimi fuit vxor, qui & ipse ex eadem tribu Galilæus erat ex Nazareth, ambo ex stirpe Regia, sancti atque iusti, vt decebat parentes futuros Virginis, quæ Christum erat progenitura. Tripartitam habebant suorum bonorum rationem: vnam enim partem pauperibus; alteram templo, eiusque ministris dicauerant: tertia se suamque familiam alebant. Sed in iustitia, pace, gaudio, & charitate maritali perseuerantes, vnus tantùm dolor sterilitatis angebat, nulla prole post annum matrimonij vigesimum procreata, quod turpe & infamiæ loco inter Iudæos habebatur.

Tripartita bonorum ratiò S. Ioachimi & S. Annæ vxoris.

Sterilitas infamiæ loco habita apud Iudæos.

IOACHIMVS igitur, cùm in festo Encæniorum Hierosolymam adorandi gratiâ venisset, velletque supplex ad altare Dei munus offerre, repulsus est ab Isacare Sacerdote cum ignominia, quasi indignus esset ob longam sterilitatem, qui, more patrum & fœcundorum hominum ad eum locum accederet. Qua repulsa mœstissimus Ioachimus, nec ferens piè pudore suorum ciuium aspectum, ad caulas secessit, & cum pastoribus commorans, assiduis precibus à Deo contendebat vt eam à se ignominiam depelleret: Angelus autem Domini Ioachimo se ostendit, & bono animo ipsum esse iubens, preces eius auditas esse à Deo renunciauit, filiamque procreandam, quæ Sarræ & Rachelis prolem mysterij magnitudine superaret.

Angeli verba ad Ioachimum.

Ioachimi & S. Annæ mutua congratulatio. TALI ergo spe erectus lætusque Ioachimus, domum repetens vxori obuiauit: quæ, cùm ei quoque apparuisset Angelus, eademque nunciasset, plena spe & gaudio ad marito congratulandum properabat. Salutant igitur inter se cum maxima lætitia, & visa, Deique promissum conferentes, domum reuertuntur. *Natiuitas S. Mariæ virginis.* Concepit Anna diuino munere, sextoque idus Septembris Mariam peperit, cuius ortu felicissimo sterilitatis macula deleta, parentes compotes facti sunt longissimi desiderij. *B. Annæ obitus & sepultura.* Migrauit autem ad Dominum Anna beatissima septimo Calendas Augusti: cuius corpus conditum est in Bethlehem in paterna sepultura.

VITA SS. MARTYRVM SEPTEM *fratrum, ac Ruffinæ & Secundæ Virginum & Martyrum, ex Gestis.*

X. IVLII.

Varijs tormentorum generibus excruciati Martyres septem. SEPTEM fratres, filij S. Felicitatis, Romę in persecutione Antoni Pij à Publio præfecto primùm blanditijs, deinde terroribus tentati, vt Christo renunciantes, Deos venerarentur, & sua virtute, & matre hortante, in fidei confessione perseuerantes, variè necati sunt. Ianuarius plumbatis cæsus; Felix, & Philippus fustibus contusi, Syluanus ex altissimo loco præceps deiectus est: Alexander, Vitalis, & Martialis capite plectuntur: mater eorum quarto pòst mense eandem martyrij Palmam consecuta est, illi sexto Idus Iulij spiritum Domino reddiderunt.

SS. Ruffina & Secunda apprehenduntur. RVFFINA & Secunda sorores, Virgines Romanæ, reiecto connubio Armentarij & Verini, quibus à parentibus desponsæ fuerant, quod Iesu Christo virginitatem vouissent, Valeriano & Galieno Imperatoribus comprehenduntur. Quas cùm nec promissis, nec terrore Iunius præfectus à proposito posset abducere, Ruffinam primum virgis cædi iubet, *S. Secundæ verba ad Iudicem.* in cuius verberibus Secunda iudicem sic interpellat: *Quid est, quod sororem meam honore, me afficis ignominia? iube ambas simul cædi, quæ simul Christum Deum confitentur.* Quibus verbis incensus Iudex, imperat vtramque detrudi in tenebricosum, & fetidum carcerem. Quo loco statim clarissima luce, & suauissimo odore completo, in ardente solo volutantur. Et cùm inde

inde etiam integræ euasissent, mox saxo ad collum alligato in Tiberim proiectæ sunt, vnde ab Angelo liberatæ extra vrbem Via Aurelia milliario decimo capite plectuntur. Quarum corpora à Plautilla matrona in eius prædio sepulta, ac posteà in vrbe translata, in Basilica Constantiniana, prope Baptisterium condita sunt.

Eorum obitus & sepulturas

MAGNVM spectaculum positum est ante oculos fidei nostræ. Auditu audiuimus, corde vidimus, optantem matrem ante se istam vitam finire filios longè contrarijs votis consuetudinis humanæ. Omnes enim homines filios suos, ex hac vita migrando præcedere volunt, & non sequi: illa autem optauit posterior mori. Non enim amittebat filios, sed præmittebat; nec intuebatur tanquam vitam finirent, sed tanquam inchoarent. Desinebant enim viuere vbi quandoque fuerant morituri, & incipiebant viuere, sine fine victuri. Parum est, fuisse spectatricem, mirat sumus potiùs hortatricem, fœcundior virtutibus, quàm fœtibus, videns certantes, in quibus omnibus & ipsa certabat, & in omnibus vincentibus etiam ipsa vincebat.

Hæc desumpta sunt è manuscriptis B. Augustini.

VITA S. NICOLAI TOLENTINATI, Confessoris, ex Surio Tomo quinto.

X. DECEMBRIS.

NICOLAVS Tolentinas Picenus in oppido sancti Angeli diœcesis Firmanæ natus est parentibus pijs, qui cùm multos annos in matrimonio sine liberis essent, diuino monitu Barium voto peregrinationis suscepto, ad S. Nicolai Episcopi Nixensis Ecclesiam, in qua sacrum eius corpus pia veneratione colitur, profecte sunt, vbi ab eo de futura prole per visum confirmati, cùm posteà demum rediissent, filium ex Dei benignitate susceperunt, quem propterea Nicolai nomine appellarunt. Is pietate, literisque ab infantia imbutus, multarum virtutum & abstinentiæ præsertim specimen dedit, cum annum vix septimum agens, aliquot hebdomadæ dies, instar ipsius Beati Nicolai, qui quarta, & sexta feria semel duntaxat cibum sumebat, ieiunare cœperit: cumque indole esset optima, puerorum petulantium consuetudinem

S Nicolai genus, & præsagium de eo nascituro.

Eius præclara eruditio & vita.

fugiens, omnes respuit illius ætatis illecebras ac voluptates.

Fit Canonicus Ecclesiæ S. Saluatoris. ADVLTA ætate Canonicus Ecclesiæ sancti Saluatoris factus, cùm Concionatorem Ordinis Eremitarum sancti Augustini quodam die de rerum humanorum contemptu dicentem audisset, eo sermone tam ardenter incensus est, vt statim relicto seculo, sit eundem Ordinem ingressus. *Ordinem ingreditur S. Augustini.* Itaque primùm in patria, pòst Tolentini, vbi deinceps perpetuò mansit, ideoque Tolentinus vocatus est, eam sanctissimæ vitæ rationem coluit, vt cæteris charitate, continentia, humilitate, summisque alijs virtutibus mirificè præluceret. *Eius abstinentia maxima.* Annis triginta nunquam carnem, oua lac, ac ne poma quidem ad cibum adhibuit, cumque in morbum grauem aliquando incidisset, vix tandem superioris iussu paululùm carnis gustauit. Secunda, quarta, & sexta feria, atque in honorem beatissimæ Virginis Dei genitricis, etiam Sabbatho semper ieiunauit, solo pane, & aqua contentus: verberibus prætereà, aspero vestitu, & ferrea catena carnem domans, in seruitutem spiritus illam redegit.

Eius in orando assiduitas, & egregia charitas. IN oratione magnam temporis partem consumpsit, obeamque rem Sathanæ insidijs variè vexatus, & flagellis interdum cæsus, ab illa orandi assidua consuetudine dimoueri nunquam potuit. Charitate erat eximia erga omnes, ægrotos munusculis, diuinisque colloquijs consolabatur, pauperes fouebat, dissidentes conciliabat, detentis in carcere opera auxilioque non deerat. *Ante obitum eius magnus Angelorum concentus auditur.* Multos igitur annos sanctè exercitatus vir Dei, demùm sex ante obitum mensibus, paulò ante nocturnas preces, singulis noctibus Angelicum audiuit concentum: cuius suauitate vitæ futuræ desiderio flagrans, illud Apostoli dictum frequenter in ore habebat: *cupio dissolui, & esse cum Christo.* *Obitus diem prædicit.* Obitus denique diem præsentiens, cunctis fratribus eum prædixit, qui fuit quarto Idus Septembris. Miraculis multis, ac magnis etiam post mortem claruit, cùm pręter cætera mortuos ad vitam reuocarit, morbósque insanabiles curarit, atque alia multa diuinitus egerit, quibus ritè & ordine cognitis, ab Eugenio IIII. Romæ in Sanctorum numerum relatus est. *Sanctis adscribitur.* Pòst autem aliquantò, id mirabile fuit, quod schismate sublato, illius præsertim intercessione pacem consecuta est Ecclesia. Eius diem natalem Sixtus Quintus vbique duplici officio celebrari instituit.

IN FESTO SS. MARTYRVM IAnuarij Episcopi, & sociorum, ex Ioanne Diacono, Tomo S. Surij.

XIX. DECEMBRIS.

S. Ianuarius varijs tormẽtorum generibus tentatur.

IANVARIVS Beneuenti Episcopus, Diocletiano, & Maximiano in Christianos sæuientibus, ad Timotheum Campaniæ præsidem ob Christianæ fidei professionem Nolam perducitur. Ibi eius constantia variè tentata in ardentem fornacem coniectus ita illæsus euasit, vt ne vestimentum aut capillum quidem flamma violauerit. Hinc præses accensus iracundia, Martyris corpus imperat vsque eò distrahi, quo ad neruorum compages artuumque soluantur. Festus intereà Diaconus & Desiderius Lector, qui ad Episcopum suum visendum accesserant comprehensi & ipsi, vinctique vnà cum Episcopo ante rhedam Præsidis Puteolos pertrahuntur, & in eundem traduntur carcerem, in quo Sosius Missenas & Proculus Puteolanus Diaconi, Eutyches etiam, & Acutius laici ad bestias damnati detinebantur.

Sancti cũ eo comprehensi, & Martyrio donati.

Sancti feris obiecti.

POSTERO die omnes in amphitheatro feris obiecti, quæ naturalis oblitæ feritatis, ad beati Ianuarij pedes illicò prostrauêre sese. Id Timotheus magicis cantionibus tribuens, cùm sententiam capitis in Christi Martyres ferre non dubitasset, oculis repentè captus, orante mox Beato Ianuario, lumen recepit, quo sanè miraculo hominum millia ferè quinque Christi fidem susceperunt. Verùm ingratus iudex, nihilò placatior factus beneficio, sed conuersione tantæ multitudinis actus in rabiem, veritus maximè principum decreta, lege protinus agere lictorem iubet. Ita B. Ianuarius cum socijs ad sulphurariam Puteolanam gladio percussus, ad Episcopalis muneris laudem martyrij coronam adiunxit.

Lumen redditur Timotheo obcæcato.

Timothei iudicis ingratitudo.

Sanctorum sepultura.

HORVM corpora finitimæ vrbes pro suo quæque studio certum sibi patronum ex ijs apud Deum adoptandi sepelienda curarunt. Ianuarij corpus Neapolitani diuino admonitu extulêre, quod primò Beneuentum, inde ad monasterium Montis virginis, postremò Neapolim Alexandro vj. Pontifice translatum, & in Cathedrali Ecclesia perhonorificè conditum multis miraculis claruit. Sed illud cum primis

Miracula facta ad sepulturam S. Ianuarij.

memorandum, quod erumpentes olim è monte Vesuuio cinerum, & flammarum globos, nec viciniś modò, sed longinquis etiam regionibus vastitatis metum afferentes extinxit: cuius rei pariter, ac B. Martyris memoriam Græci quotannis semel atque iterum celebrant. Præclarum illud quoque, quod eius sanguis, qui in ampulla vitrea concretus asseruatur, cùm in conspectu capitis eiusdem Martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri, & ebullire perinde atque recens effusus, ad hæc vsque tempora cernitur. Cuius sancti Martyris & sociorum festum Gregorius quartusdecimus Pont. Maximus in vniuerso terrarum orbe, sub semiduplici; in ciuitate autem & regno Neapolitano sub duplicis officij ritu celebrari, & tanquam de præcepto seruari & custodiri mandauit.

DE PRÆSENTATIONE B. VIRginis *Mariæ, ex Petro Canisio, & S. Ambrosii libr. 2. de Virginibus.*

XXI. NOVEMBRIS.

Virtutibus omnibus plena S. Maria.

BEATA Virgo MARIA, quæ peperit mundi redemptorem, vt erat etiam, antequam in lucem ederetur, plena gratia, ac peccati omnis immunis: sic in omni ætate præbebat magnæ documenta insitæ virtutis & gratiæ. Præsentata igitur, quasi mulier iam ætatis prouectæ, in templo supplex Dominum adorabat, ac in Dei laudibus constantissimè perseuerabat. Conuenientibus videlicet initiis vitam instituens, qualis eum decebat, quæ filium Dei superueniente Spiritu sancto virgo esset paritura.

Eius vita omnium disciplina.

TALIS fuit Maria, vt eius vnius vita, omnium disciplina sit. Si igitur auctor non displicet, opus probemus, vt quæcunque sibi eius exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in vna Virgine species virtutum emicant? Secretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obsequium, virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum. O quantis illa virginibus occurrit! quantas complexa ad Dominum trahet, dicens: *Hæc thorum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato seruauit pudore.*

Sic Maria intendebat omnibus, quasi à pluribus moneretur: sic implebat omnia virtutis officia, vt non tam disceret, quàm doceret. Talem hanc Euangelista monstrauit, talem Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer? vt eam parentes dilexerint, extranei prædicauerint: quæ digna fuit, ex qua Dei filius nasceretur. Hæc ad ipsos ingressus Angeli, inuenta domi, in penetralibus, sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet. Neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat: quinetiam tum sibi minus sola videbatur, cùm sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ?

Nunquã sola, etsi sola.

***

QVAE

Quæ sequuntur per obliuionem suis locis omissa sunt, ideò hîc subiecimus: ea autem ex Vicellio petita inuenies.

VITA S. SYMPHOROSAE MARTYRIS, *ex Epitome Roman.*

XVIII. IVLII.

Filij S. Symphorosæ septem.

TYBVRE Symphorosa matrona sanctissima, vxor fuit Getuli martyris, ex quo septem filios ad martyrium procreauit, videlicet Crescentium, Iulianum, Nemesium, Primitinum, Iustinum, Stactæum, Eugenium: cum quibus in persecutione Adriani capta est, propter Christianæ fidei professionem, omnésque multis affecti suppliciis, vt à vera pietate discederent. In qua quum immobiles permansissent, Symphorosa in præterfluentem fluuium, saxo ad collum appenso, præcipitata est, & interempta: eiusque corpus ab Eugenio, ipsius fratre, sepulturæ datum. Postridie verò, qui fuit decimo quinto Calend. Augusti, septem fratres singulis stipitibus alligati sunt, & Crescentius per guttur ferro transfixus, Iulianus per pectus, Nemesius per cor, Primitinus per vmbilicum, Iustinus membratim dissectus est, Stactæus multis lanceis confixus, Eugenius à pectore in partes inferiores scissus. Ipsorum autem corpora in fossam quandam præaltam deiecta sunt in via Tyburtina milliario nono.

Martyrium septem fratrum.

VITA SS. SIMPLICII, ET FAVSTINI FRATRVM, AC BEATRICIS *sororis eorum.*

XXIX. IVLII.

TEMPORIBVS tyrannorum Diocletiani & Maximiani inuenti inter alios Euangelij professores sunt duo viri Christiani, Romano nati sanguine, adeoque stemmate senatorio, Simplicius & Faustinus, qui maiore zelo accensi, magna pro Christo fecerunt, aliorum martyrum exhortatores simul

& martyres ipſi effecti, truncata gladio corpora illorum in Tyberim coniecta, poſthac à Beatrice ſorore, teſtibus preſbyteris, aquis exempta, honorificè tumulata ſunt. Quo piè facto, inſurrexit tyrannico furore plenus Lucretius quidam, in virginem Beatricem, quæ conſtanti animo Chriſto quoque ſuo ſpiritum inter carnificis manus læta tradidit.

S. Beatrix corpora fratrum ſepelit.

MIROR hîc nullo verbo attingi Fuldenſe cœnobium, in cuius baſilica horum ſanctorum corpora in thecis quieſcere dicuntur. Vetuſtiſſimus Martyrologij codex manuſcriptus eadem ferè habet, quæ ego hîc ex Bibliotheca Fuldenſi decerpſi. Equidem illo ipſo loco reperi Societatem S. Simplicij deſcriptam, quæ nimirum conſtitit in viris domi nobilib. Horum conſuetudo fuit, torques argenteas de geminis SS. fabrefactas, collo geſtare. Geminæ verò S, S, indicabant ſanctum Simplicij nomen. Per harum interuallum continebat torquis xij. laminas minutiſſimas de argento, in quibus inſculpti erant xij. articuli fidei Chriſtianæ, vnà cum trifolio Simpliciano, à torque autem viſebatur Simplicius penſilis, & ab eo ſeptem chariſmata ſpiritus ſancti ſignificantibus. Poſtò hoc toto myſterio docebatur, vt iſti ita torquati in religione Chriſtiana, tam domi, quàm militiæ, perdurarent conſtantiſſimi, adiutorio diuino ſemper confiſi, ſeſe nunquam deſerendos: deinceps, vt inter ſe concordes atque amici viuerent, pacem vbique procurantes, ab eo quod inhoneſtum eſt, abhorrentes, eleemoſynas affatim largientes, & ab obitu corporis alter alterius, videlicet mortui curam habentes.

Deſcriptio ſocietatis S. Simplicij.

TYPO

TYPOGRAPHVS LECTORI, S.

QVONIAM Typographorum est maximè (beneuole Lector) publico potiùs quàm priuato bono consulere, hoc præsertim tempore quo tanta sanæ rectæq́; doctrinæ dilaceratio, & opinionum confusio reperitur, vt nisi seruarentur desuper periclitaturi forent Christiani, quæ suppeditarunt mihi cùm veteres tum recentiores Authorum chartæ ad Sanctorum vitas pertinentia hac editione quàm politissimè fieri potuit, volui comprehendi. Sed, quid hæc præter ordinem? De prioribus suo loco diximus; ad illa quæ nunc propositurisumus veniamus. Sacrorum ministros Ecclesiæ hic conuenimus quamplurimos, qui vt ista in lucem prodirent Sanctorùm vitæ voluerunt. Votis annuimus. Eas in ordinem digerere mensium ac dierum, vt & reliquas, erat in animo: sed postquàm ab iis exquisiissem, nec quicquam pro comperto habuissem, exstorsit mihi ingens tui ardor & studium inuito, qui in aliam editionem differre constitueram. Tæduit aliquantisper propositi. Consilium tandem mutaui, & in appendicem redegi quæ hinc inde excepta (vt dixi) non inutilia IESV-CHRISTI fidelibus indicaui. Omnia æqui bonique consulas, & iusto meo dolori ignoscas velim. Vale. Lugduni, sexto Kalendas Octobreis, M. D. XCIIII.

VITA



APPENDIX.

VITA S. ACHATII CVM DECEM MILlibus Martyrum, ex Io. Mal-donato Hispano.



CVM Agareni populi, & Euphratenses ab Imperio Romano desciuissent, Adrianus & Antonius Imperatores, qui per id tempus Alexandriæ morabantur, nouem millia militum in rebelles conscripserunt. Quibus Achatium Heliadémque viros fortissimos præfecerunt. Iam acies instructæ directæque erant, iam manus conserere exercitus vterque parabat, cùm noua manus Imperatorum ingentem hostium multitudinem conspicata, suis diffisa viribus aduersus tot millia, turpiter terga dedit, seq; in tutum recepit. Ibi milites in religionem versi, ignauiam quisque suam neglectæ religioni ascribebant. Mactatis itaq; ritè hostiis, in aciem iterum prodierũt, & turpiori nihilominus fuga in castra compulsi sunt. Angelus tum visus est, virtutem præclaramq; victoriam polliceri, si Christum Deum agnoscerent, cacodæmonesq; relinquerent: inde asserens, ignauiam illis turpẽ ingruisse, quòd summo posthabito numine, malos genios adorassent. His visis ac commonitionibus erecti, fiunt omnes sine mora Christiani, commissóque postridie prælio, hostes partim occidunt, partim fundunt fugantque, reliquos proximo lacu demergunt. Potiti tam insigni victoria milites Christi, Angelum denuò monitorem habuerunt. A quo in Araroth montem ducti, triginta sine viatico continuos dies inter consortia sermonésque Angelorum peregerunt. Imperatores certiores facti, milites Christum professos, in montem conscendisse, reges finitimos cohortati sunt, vt si bene consultum vellent diis, cum exercitibus properarent, ad delendos nouos, conficiendosque Christianos. Iunctis maximis copiis Christi milites ab Imperatoribus euocantur. Parent illi ab Achatio præstructi, ac persuasi, interrogatíque de secessione post victoriam facta, per Achatium respondent, Christianos esse, Christóque velle militare. Lapidantur tum ingenti clamore, sed in iaculatores lapides retorquentur. Credunt iam mille alij milites: & omnes simul ad decem millia crucibus affixi, omnia quæ Christo sunt illata cruciamenta, pertulerunt.

VITA

VITA S. ADELELMI, EX IO. MALdonato Hispano.

DIVUS Adelelmus Lugduni, quod est oppidum Galliæ, illustri Christianaque ortus familia, post mortem parentum, post patrimonium pauperibus dilargitum, militare sibi dempsit indumentum, palliastrúmque vile induit, ac Romam mendicans properauit. Vbi cùm triennium piis orationibus, ieiuniis, carnisque afflictationibus animum intendisset, tandem ad Robertum Casædei abbatem, cuius ante Romanam profectionem obsequio se deuinxerat, reuertitur, à quo vix quidem est cognitus, tanta macie, tanto simul & situ, & squalore apparuit deformatus. Post multos denique amplexus, post acceptam redditámque salutem, ac reciprocas congratulationes, monasticam est Adelelmus vitam professus. In qua quidem quos languores, quas ægrotationes signo crucis depulsauerit, haud compendij est huius enarrare. Nam & proximam ciuitatem adiens, sacris initiandus, cereum ardentem per noctem hibernis flatibus horrificam sine noxa pertulit. Deuolutis post aliquot annis, inuitus, & omni nixu subterfugiens, Casædei abbas creatus, pium quidem ac mirabilem pastorem egit. Haud ita tamen multò post eundem præsulatum vt Christo pleniùs deseruiret, obluctante, & supra quam dici queat, ægrè ferente sodalitio, deposuit. Iam hominis fama latè diffusa, omnes in admirationem verterat, cùm Angliæ regina Lethargum patiens, spéque salutis prorsus destituta, nuntios ad eum destinauit, vt vel micam panis, cui benedixisset ipse, transmitteret ad medelam. Vix est primò exoratus. Sed tandem quadram misit, qua regina primum, mox quotquot per insulam morbo tenebantur, conualuerunt. Accitus post hæc literis Constantiæ Hispaniarum reginæ, quæ Alfonso septimo nupta erat, in Hispaniam venit. Vbi abs rege simul & regina perhumanè acceptus & habitus, mirabilem prima (quod aiunt) fronte se præbuit. Nam per vada Tagi prope Toletum, cùm regius esset exercitus fortè traducendus, nullis vel qui equis valentibus vehebantur, fluminis æstui, ripas exsolutis niuibus occupantis, satis fidentibus: Adelelmus debili sedens asello, vndarum globos cum omnium stupore tranauit. Cæterùm vt breuitatis institutæ non simus immemores, cùm copiam faceret rex Adelelmo, deligendi

Romam venit S. Adelelmus.

Monasticam vitam profitetur.

Casædei abbas factus.

Angliæ Regi na eius opera conualescit.

In Hispaniã venit.

gendi

gendi sibi locum ad habitandum, quem maximè vellet, Sacellum diui Ioannis Euangelistæ, quod in suburbio Burgensi rex ipse construxerat, petiit impendióque dotatum accepit, & per vitæ reliquum frequentauit. Vbi & feliciter mortuus est, & insigne nunc monumentum, eius reliquias continens, ac nomen referens, conspicitur.

In sacello diui Ioannis Euangelistæ obiit.

VITA S. ÆMILIANI, EX *Io. Maldonato Hispano.*

AEMILIANVS in Tarraconensi prouincia curam agebat ouium, vt magisterium hominum, cui erat destinatus, præstrueretur. Hic cùm certo die citharam de more pastorum secum ferret, ne desidia mens ociosa torperet, ad locum cælitus dispositum peruenit, & mox obdormiuit. Etenim opifex ille mundi citharæ materiam adornans, in sacrarum instrumenta literarum conuertere, & opilionis animum in diuinę mentis contemplationem transformarę, somnum Aemiliano immisit. Expergefactus namque, cœlestem iam meditabatur vitam, & cura relicta ouium, in eremum festinauit. Cúmque apud Felicem virum sanctissimum moras nonnullas traxisset, & modum ab eo viuendi didicisset, ad propria remeauit. Haud ibi tamen diu moratus, quòd impedimento sibi esse concursus hominum, intelligebat, Distecij montis iuga perrexit. Quas ille quadraginta annos, quos solus in eremo duxit, visibiles, quas inuisibiles hostis humani generis ludificationes pertulerit, ij coniectabunt verè qui in se fuerint experti. O ingens donum! ô singularem virum! ô præstantissimum animum diuinæ contemplationi sic adeò deditum, vt nihil in eo vendicare sibi hoc sæculum videretur. Quoties (coniectura hæc est) diuina mente afflatus, inter densissimas syluas, verticésque collium excelsos clamabat ad Christum: heu me, quia peregrinatio mea prolongata est. Sed tandem cùm fama pietatis eius longe latéque diffunderetur, tractus est ad Ecclesiam, & in eius moderamine multis functus laboribus, ad annum vita prope centesimum migrauit ad Christum.

S. Aemilianus pastor ouium.

Contēplationi cælestium deditus omnino.

VITA S. ALFONSI ARCHIEPISCOPI *Toletani, ex Io. Maldonato Hispano.*

Genus & educatio sanctissima S. Alfonsi.

ALFONSUS Toleti nobilissimis Stephano & Lucia parentibus ortus, omníque cura nutritus, liberalibus disciplinis instructus est. Primum habuit præceptorem Eugenium Toletanum antistitem, à quo miram ob indolem Hispalim ad Isidorum multiiuga tunc eruditione pollentem, est missus. Duodecim apud Isidorum commoratus annos, tandem fruge bona doctrináque sana imbutus, Toletum remeauit ad Eugenium. Postquam verò factus est ob vitæ candorem peritiámque non vulgarem, ab Eugenio diaconus, mundi cupiens laqueos declinare, in Agalensi monasterio, quod Cosmæ tunc erat & Damiano dicatum, insigne pietatis cucullum induit. Cui neque parentes iam prece iam vi omnia tentantes, obsistere valuerunt, quin constanter in proposito permaneret. Monachi non multò pòst in demortui Abbatis locum subrogarunt, Suspiciebant siquidem in eo præter virtutes reliquas, æquitatem, morum facilitatem, prudentiam, raram sanctitudinem. Tantus itaque fulgor, tanta veræ pietatis lux (quod ipse timebat) latere non potuit. Eugenio námque vita functo, cleri, senatus, totiúsque populi decreto Toletanus archiepiscopus est creatus. In quo quidem præsulatu quantum verbo Alfonsus profecerit, quæ miracula ediderit, quàm multis fuerit nominibus de virgine matre bene meritus, non facilè dixerim. Cùm dies Leocadiæ festus ageretur, & clerus frequensque populus conuenisset, Alfonsus ad sepulchrum virginis accedens, flexis suppliciter genibus, precabatur, & ecce reserato repentè sarcophago, Leocadia sanctissima prodiit: videntibúsque cunctis & audientibus, Alfonsi merita de virgine Maria commendauit. Porrò diua Leocadia, præsule collaudato redibat, & Alfonsus, ne res sine testibus tanta posteris referretur, arrepto Recensundi regis, qui fortè tunc aderat, gladiolo, velaminis partem, quo caput Leocadiæ tegebatur, resecuit: eámque cum regio simul cultro celebri pompa in sacrarium intulit. Prætereà cùm nocte media, quæ festum annunciationis, quod ipse quindecimo calendas Ianuarias celebrandum instituerat, antè venit ad sacra de more peragenda, phanum adiret, in limine primo fulgore quodam repentino perterritis, ac retrocedentibus ministris, intrepidus ad aram vsque processit, & ibi precibus supplex intentus, diuam Mariam in illo ipso throno sedentem, quo solitus erat ipse, suspexit. Quæ post diuina, quæ breuitatis causa subticemus, colloquia cœlesti

Fit Monachus

Eligitur in Abbatem.

Archiepiscopus Toletanus creatur.

Eius miracula.

cœlesti eam veste donauit. Obiit tandem diuus Alfonsus feliciter ac sanctè, cùm desedisset in Episcopatu circiter annos nouem.

VITA S. CASILLÆ, EX *Ioan. Maldonato Hispano.*

QVo tempore citerioris vlteriorísque magnam Hispaniæ partem Saraceni possidebant, regnabat Toleti Canon, vir summè potens, & ad res gerendas sanè promptissimus strenuissimúsque. Magnas ille quidem clades Christianis intulit, prædas omne genus & captiuos passim abegit. Huic erat filia nomine Casilla, quæ velut inter spinas rosa virtutum omnium odorem ab incunabulis spirauit. Porrò nimio charitatis & misericordiæ flagrabat affectu in pauperes & afflictos, in Christianos maximè, quibus tota penitus inhiabat. Consueuerat pia virguncula panes & obsonia, quæ sibi suísque quotidie dimetiebantur in tres partes diuidere; quarum vnam suo victui & suorum reseruabat, duas reliquas captiuis Christianis propriis manibus elargiebatur. Rex pietatis huius admonitus filiam obseruauit, deprehendit tandem Christianos adeuntem. Sciscitatur quidnam in sinu contracto ferat; rosas dixit. Intulit ille manum, & rosas inuenit. Credidit pater, filiam falsò insimulatam, ac dimisit. Illa nec minùs Christianos adiuit, & explicato sinu, cibaria protulit. Nam quæ in manu parentis videbantur rosæ, panem & carnem pij famelici sunt experti. Tandem hæc virgo morbo laborare cœpit immedicabili, cúmque nullam eius salutis spem medici regi darent, Casilla diuinitùs est admonita, nisi in lacubus sancti Vincentij, qui sunt in ditione Burgensi, vbi res tunc Christiana vigebat, nullatenus sanitati posse restitui. Regem orat, vt eò filiam mittat ægrotam. Rex ad consilium refert. Omnibus visum est, regiæ virginis saluti quoquomodo consulendum. Abiit igitur Casilla Deo monstrante iter, & sanitati protinus reddita, iuxta lacus eosdem, in iugo montis prærupti vitæ reliquum miraculis frequentibus egit.

Canon, pater S. Casillæ Christianorũ inimicissimus

S. Casilla charitas.

Panis in rosas mutatus. Rosa iterum in panem.

Diuinitùs de sanitate recuperãda admonita.

VITA S. CENTOLLÆ VIRGINIS
Hispanæ, ex Io. Maldonato Hispano.

S. Centolla variis tormentorum generibus cruciatur.

CENTOLLA virgo Hispana cùm multis virtutibus esset insignis, & Christianam pietatem accuratissimè coleret, ad regem, qui summa tum rerum in Hispania tenebat, ducta est. Qui videns eam in prædicando Christo, mirum in modum constantem, cruciari iussit, deinde Eglisio præfecto sæuioribus, si non mutaret animum, afficiendam tormentis tradidit. Eglisius nullum tormentorum genus omisit, quod in Centollam non exercuit, eçuleum, pectines, virgas ferreas. Denique mamillas secuit, & in carcerem retrusit, quo misso interiret sanguine. Frequens mulierum multitudo intromittitur ad eam. Dolent, solantur, rogant vt animum mutet, quo medicis adhibitis, vulnera obligentur, sanentúrque. Illa vultu sereno multò se maiora pati promptam dicit. Si scirent ipsæ, quæ martyribus præmia manerent, inuidere potiùs, inducerent animum, quàm dolere. Irrupit carcerem Eglisius, & Centollæ ipsius verba cõtemnenti, probráque in deos iacienti, linguam præcidit, & abijt. Tunc Helena nobilis fœmina veniens ad Centollam, eius virtutem cæpit extollere, & ne deficeret, adhortari. Cui Centolla: ego libens quidem patior, tu vide, ne deficias, quæ simul mecum trucidanda es. Præses vbi vidit Centollam non posse superari, & ad moriendum secum Helenam pellexisse, antequã numerus cresceret, ambas decollauit. Corpora post aliquot secula, Alfonso decimo regnante, Gonsalus Burgensis Episcopus in Burgensem Ecclesiam transtulit, & celebri pompa instituit, quotannis earum solennia celebrari.

Lingua ei præciditur.

Decollatur cũ Helena.

DEDITIO VRBIS GRANATAE.

Hanc deditionem Granatæ Antonius Regius Indiarum Patriarcha, Burgensis Episcopus e Barrio suscepit, superstitiosum

BELLVM Granatense religiosissimis principibus Fernando & Elisabellæ diuinitùs conceptum, strenuè gestum, felicissiméque confectũm, ad Dei laudem & gloriam recensemus; vt inter gratiarum actiones plebs fidelis intelligat vnde huius Dei tam celebris solennitas emanarit. Catholico regi Fernando & Elisabellæ reginæ nihil quicquam, post pacem Hispaniæ redditam, cordi magis fuit, quàm hæresim Hebraicam

braicam extirpare, Christianámque pietatem vbique asserere. Quod vt plenius exequerentur, Mauris Christi hostibus octingentos iam annos regnum Granatæ in Hispania possidentibus, bellum intulerunt, quod decem annos protractum; vndecimo est tandem finitum. Longum tamen esset quæ singulis annis gesta sunt commemorare, cùm tot fuerint ciuitates & oppida validissimè expugnata, tot acerrimè debellatæ phalanges. Nam & Cathama direpta, Alora per deditionem recepta, Rhonda furto occupata, Baza viribus exhaustis, nostris cedere coacta, Almeria expugnata, Malacha post longam grauémque obsidionem in desperationem redacta, Almunecar diruta, soloque æquata, Munda excisa, Marbella ferro ignique vastata. Sed quia nos coarctandi necessitas intercludit, & nec Fernandum & Elisabellam fœderis vnicum coniugalis exemplum, celebrare pro meritis, limites dati permittunt, ad ipsum belli decus & robur vrbem Granatam transcurramus. Anno huius belli decimo, ante mœnia Granatæ vrbis, inuictissimi reges vexilla posuerunt. Vbi tumultuariæ inter nostros Agarenósque, sed atroces persæpe pugnæ intercesserunt, quibus rex præsidebat: eiúsque auspicio cuncta gerebantur. Quippe Regina, ne à bello rex auocaretur, semper in castris excubabat, consultandísque rebus, quæ ad regnorum gubernationem pertinebant, viriliter incumbebat. Quare fortè mense Iunio cùm audiendis legationibus multam ad noctem prudens fœmina vigilasset, fessa tandem in sacellum, quod regium erat intra tabernaculum, piis precibus indulsura, concesit. Vbi cūctis somno presis, paululum etiam obdormiuit. Erat sacellū introrsus lineum, extrorsus è sæpibus aridísque ramusculis cōtextum, quod cùm vento agitaretur, lucernæ flammam, quæ fuerat inconsideranter à Regina linteis admota, corripuit, aridæque materiæ subministrauit. Ignis fragore expergita regina, oblita tot preciosissimarum rerum, quibus erat tentorium refertissimum, syngraphorum arculam eripere solùm tentauit. Cæterùm postquam flamma longiùs euagata, multorum ope partim suppressa est, partim ipsa, deficiente materia resedit, confessa se regina ignis autorem omne quod est per reliqua tentoria absumptum dominis per æstimatores numerati præcepit, vt sola sentiret damnum, quæ intulit. Reliquum noctis reficiendis pauperibus impertiuit. Sed vt cætera nunc prætermittamus, Anno Christianæ salu-

indicans præsule Fonse ã, qui celebr. tantibus eiusmodi nouis indulgendum censebat, meque ad eam scribendam induxerat.

Obsidio vrbis Granatæ.

Elisabellæ Regina magnitudo animi.

Expugnatio vrbis Granatæ.

 tis

tis millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, Ianuarij die secundo, Baudelis rex Granatæ decennali bello iam fractus, viris ac pecunijs exhaustus, spe denique (quod pluris est) propter noua surgentia tecta (sancta fides nunc oppidum est) destitutus, deditionem fecit: hoc solum pactus, vt liberum sibi esset, in Aphricam transfretare. Fernandus & Elisabella magno splendidoque comitante exercitu, succedunt ad mœnia, venientémque obuiam Baudelem benignè excipiunt. Qui licèt victus, regem se tamen ostendit, non alio reges salutans tenore victores ac tantos, quàm si regno staret incolumis, & viribus integris in colloquium deuenisset. Sequebatur Baudelem longus ordo captiuorum, redemptionem suam factam & visitatam à Deo gratulantium, profusissimóque gaudio prædicantium. Demùm catholicus Rex portis ciuitatis cum omnibus copijs appropinquauit, & ibi tantisper mansit, donec crucem castelliferumque vexillum arcis summæ capitello sublatum prospexit, Regina è tumulo quodam prospectabat, crucémque Domini flexis genibus adorabat. Vtrobique tamen, & apud regem & apud reginam cantores modulatis vocibus, *Te Deum laudamus* personabant.

Baudelis victi regium factum.

VITA S. GYRALDI EPISCOPI *Bracarensis, ex Ioanne Maldonato Hispano.*

GYRALDVS Christianis in Germania parentibus ortus, ab vtero penè matris Christo sic adeò fuit deditus, vt nihil per omnem vitam gesserit, quod non meritò fuerit summo præconio celebrandum. Eius siquidem parentes, qui Cartucensis erant regionis ex primatibus, ante susceptam sobolem, primicias Deo vouerant sui seminis. Natus igitur prima eorum fœtura Gyraldus, cùm liberaliter nutriretur ac sanctè, priusquam excederet ex ephebis, in cœnobio moysiaco nuncupato professioni monasticæ ascriptus est, vbi tantum profecit literis, fraternáque illa disciplina, tum etiam integritate morum ac vitæ, vt facilè præ cunctis emineret. Inerant in eo certè virtutes omnes, quibus Christiana solet sanctitudo maximè commendari. Hic igitur cœnobita veniens in Hispaniam, quo tempore Bracarensis erat ecclesia destituta pastore, suffragiis omnium Pontifex renunciatus est. Quod vtique

Deo, nondum natus Gyraldus dicatus à parentibus.

Monachus factus.

vtique factum diuinámque electionem Paschalis Romanus Pontifex non confirmauit modò, sed prærogatiuis etiam multis est prosecutus. Rexit Bracarensem Ecclesiam diuus Gyraldus ita piè, sic sanctè, vt post vitæ cursum feliciter peractum, inter diuos meritò relatus sit.

VITA S. INACHI, EX IOANNE *Maldonato Hispano.*

CVM regnabat in Castella Xanthus, Xanthi comitis gener ac hæres, Christi dogma latè per Cantabriam diffundi cœptum est. Quippe rex pius deuictis ac fugatis Saracenis, ditionis suæ fines latissimè producendo, ad Pyreneos vsque saltus orthodoxam fidem supplantauit. Et inter alia pietatis opera Ogniense cœnobium, quod Xanthus socer substruxerat, reformandum reficiendúmque curauit. Nam & fœminis inde parum pudicis expulsis, monachos verè pios induxit, quibus Garsiam quendam præfecit Abbatem. Garsia tamen vita functo, haud mediocris Xanthum cura incessit, quemnam potissimum monachis præficeret. Erat per id tempus in Aragonia vir nempe pius Inachus nomine, qui vt mundi fugeret illecebras, Deoque totus intenderet, inuia inaccessaque montium solus habitabat. Huius celebri fama comperta, quæ longè latéque currebat, nuntium rex destinauit ad eum, cupiens Ogniense monasterium tali viro committere. Cæterùm aliis & aliis nihil proficientibus nuntiis ac literis, rex tandem iuit ad eum. Adductus igitur Inachus abs rege inuitus, Ogniensique cœnobio abbas constitutus, dictu non facile est, quantum in augenda re familiari, reformandísque monachorum institutis ac moribus profecerit. Iam miraculis tantis inclaruit, vt incerti, quæ nunc potissimùm referamus, omnia consultò prætermittimus, ad gestorum eius volumina lectorem cupidum relegantes. Illud nunc retulisse iuuabit, quòd post multos annos, quibus bonum abbatem, sanctúmque pastorem egit, cùm ægrotaret propediem moriturus, & à vico proximo in monasterium deferretur, pueri vestibus albis coruscantes visi sunt ei, lampades ardentes manibus præ se ferre, quibus vt subueniretur, cùm clamaret (putabat enim mole lampadarum prægrauari) monachi nihil tale cernentes, delirare eum primò ex febre crediderunt; mox verò

Ogniense cœnobium a Xantho reformatum.

Inachus Ogniensis cœnobij abbas factus.

cognita re Deum mirabilem in ſancto ſuo prædicauerunt. Ita ingreſſus Inachus monaſterium, & ſacramenta percepit, & animam Deo reddidit.

VITA S. IOANNIS ORTHECÆ *Presbyteri, ex Ioanne Maldonato Hiſpano.*

Sacerdos electus S. Ioannes Ortheca. IOANNES Presbyter in oppidulo Quintana Ortugno, quod eſt in territorio Burgenſi natus, ab infantia Chriſto deditus eſt. Inualeſcente iam ætate, literis adeò incubuit, vt in ſacerdotalem meritò fuerit dignitatem prouectus. Sed cùm id temporis regis Alfonſi ſexti, qui ſine liberis deceſſit, interitu, bella Hiſpaniam horrida diſſecarent, ne compilationes mortéſque pauperum intueretur, ſecedere vir diuinus conſtituit. Itaque facultatibus partim in pauperes, quos bonis bella *Hieroſolymā venit.* nudauerant, diſtributis, partim ſibi retentis, Hieroſolymam nauigauit. Vnde poſt annum reuerſus, Aucenſem ſibi eremum ad habitandum delegit, vt latrones, viam quæ dicitur ſancti Iacobi, infeſtantes, ac interrumpentes, fugaret. Quam rem mente conceptam, quo ſtabilius firmaret, locum in eadem eremo ſaltuoſum, cui nomen erat Ortheca, prope viam quæ *Sacellum extruit.* ducit Compoſtellam, abs rege petiuit. Quo facilè impetrato, operi ſtatim inſiſtens, ſacellum diuo Nicolao, cuius eſt ope, cùm Hieroſolymam peteret, ſæuientibus vndis ereptus, ſubſtruxit. Poſt verò quaſi aſylum, quod peregrinos aſſereret. Sæpiſſimè ſunt latrones conati fundamenta demoliri, vitęque Ioannis inſidiari, quoquo modo ſtudētes, è medio tollere, ſpe tamen fruſtrati, cùm non ſine mente Dei fieri concepiſſent, vacuam Dei miniſtro ſyluam fecêre, ſeque aliò traduxere. Iam diuus Ioannes opera illa confecerat, iam concurſus hominum vndique frequens erat, iam ingentes ad eum diuitiæ eleemoſynarum nomine deportabantur, cùm veritus, ne in alios con- *Tres pontes erexit.* gerere vſus diuitias videretur, tres ſummè neceſſarios erigere pontes ſimul aggreſſus eſt. Vnum Lugrugni ſuper flumen Iberum, à quo eſt Iberia dicta. Alterum Naiaræ. Tertium prope ſanctum Dominicum Calciatenſem. In quibus ædificandis, & *Miraculum eius egregiū.* per reliquum vitę quantis inclaruerit miraculis, quantis etiam poſt mortem, quæ ſeneſcenti ſecura contigit ei, non eſt noſtri propoſiti enarrare. Vnum tamē è multis, quæ viuens exhibuit,

paucis referamus. Pauperes quamplurimi diuersorium Ioannis de more frequentabant,& ecce dies quidam illuxit,in quo egentium haud paruam turbam dispensator ob panis certè penuriam fame marcidam dimittebat, id Ioannes intelligens,ægréque ferens, dispensatoris incusata prouidentia, panarium vt pertentaret iterum, mandauit, ille & tentasse, & discussisse,satis contendebat, ac eiurabat, sed vt instanti domino satisfaceret, denuò totum dispandit, & dictu mirabile, plenum ad summum inuenit.

VITA S. IVLIANI CHRISTIAni Philosophi, ex Ioann. Chrysostomo.

SI enim Græci infideles, triobolatores quidam viri & canes,Philosophiam istam triobolarem ac vilem(talis enim est Græcorum Philosophia) imò non ipsam sed nomen ipsius amplexi,pallioque amicti,ac comã nutrientes,multos ad se flectunt atque præstringunt,quantò magis qui verè philosophus est? Si habitus mendax, si vmbra Philosophiæ apparens ita extollit,quid futurum est, si veram ac synceram Philosophiam dilexerimus? Annon omnes colent, & domos & vxores, & pueros talibus cum magna facultate & libertate commendabunt?Sed non est iam,non est,inquam, talis quisquam Philosophus. Propterea neque exemplum aliquod inuenire potest.Sunt quidem tales inter solitarios,inter mundanos verò non amplius.Quod autem inter solitarios sint, possunt multi adduci, veruntamen vnum ex pluribus,proferam. Scitis sanè & audistis, quidam verò vestiûm viderunt etiam virum illum,de quo dicturus nunc sum. Iulianum dico admirabilem ac celebrem.Hic erat vir rudis & agrestis,humili sorte & ex obscuris parentibus ortus,neque omnino æternę eruditionis peritus, sed syncera Philosophia plenus. Isto in ciuitates introeunte (rarò autem huc fiebat) ita cateruatim colligebatur populus,vt nihil tale factum sit vel rhetoribus vel sophistis,aut alijs quibuscumque ingredientibus.Quid dico?An non & nunc quidem nomen eius cunctis regibus illustrius ac venerandum magis habetur?Si verò ista in hoc mundo fiunt, in eo scilicet mundo,in quo nobis nihil boni promisit Dominus, in quo peregrinos nos esse dixit,cogitemus quanta bona nobis reposita sint in cœlis.

Super Eph cap. 6.

S Iuliani genus & eruditio.

VITA S. MALCHI CAPTIVI MOnachi, ex diuino Hieronymo.

Elegans allegoria authoris.

QVI nauali prælio dimicaturi sunt, antè in portu & in tranquillo mari flectunt gubernacula, remos trahunt, ferreas manus & vncos præparant, dispositóque per tabulata milite pendenti gradu & labenti vestigio stare firmiter assuescunt, vt quod in simulachro pugnæ didicerunt, in vero certamine non perhorrescant. Ita ego qui diu tacui, silere quippe me fecit metus cui sermo supplicium est, priùs exerceri cupio in paruo opere, & veluti quandam rubiginem linguæ abstergere, vt venire possim ad historiam latiorem. Scribere enim disposui si tamen Deus vitam dederit, & si vituperatores mei saltem fugientem me, & clausum persequi desierint, ab aduentu Saluatoris vsque ad nostram ætatem: id est, ab Apostolis vsque ad nostri temporis fæcem, quomodo & per quos Christi Ecclesia nata sit, & adulta, & persecutionibus creuerit, martyrijs coronata sit. Et postquam ad Christianos principes venerit, potentia quidem & diuitijs maior, sed virtutibus minor facta sit. Verùm hæc aliàs: nunc quod imminet explicemus. Maronias triginta ferme millibus ab Antiochia vrbe Syriæ haud grandis ad orientem distat viculus. Hic post multos vel dominos vel patronos, dum ego adolescentulus morarer in Syria, ad Papę Euagrij necessarij mei possessionem deuolutus est, quem idcirco nunc nominaui, vt ostenderem, vnde nossem quod scripturus sum. Erat illic quidam senex nomine Malchus, quem nos Latinè regem possumus dicere, Syrus natione & lingua, & reuera eius loci indigena, anus quoque in eius contubernio valde decrepita, & iam morti proxima videbatur. Tam studiosi ambo religionis, & Ecclesiæ limen terentes, vt Zachariam & Elisabeth de Euangelijs crederes, nisi quòd in medio Ioannes non erat. De his curiosè cùm ab accolis quærerem, quænam esset eorum copula matrimonij, sanguinis an spiritus: voce consona omnes sanctos, & Deo placitos, & mira nescio quæ respondebant, qua cupiditate illectus adorsus sum hominem, & curiosiùs sciscitans rerum finem: hæc ab eo accepi. Ego (inquit) mi gnate, in Maronensi agello colonus parentibus solus fui, qui cùm me quasi stirpem generis & hæredem familię ad nuptias cogerent, monachum me potiùs velle esse respondi. Quantis pater minis, quan

Hic incipit historia.

S. Malchi genus & patria.

Hæc sunt verba S. Malchi ad authorem.

quantis mater blanditijs persecuti sunt, vt pudicitiam perderem, hæc res sola indicio fuit, quòd & domum & parentes fugi. Et quia ad orientem ire non poteram propter vicinam Persidem, & Romanorum militum custodiam, ad occidentem verti pedes, pauxillulum nescio quid viatici portás, quod me tantum ab inopia defensaret. Quid multa? perueni tádem ad eremum Calchidos, quæ inter Imam & Essam magis ad Austrum sita est, ibi repertis monachis, eorum me magisterio tradidi, manuum labore victum quæritans, lasciuiámque carnis refrænans ieiunijs. Post multos annos incidit mihi cogitatio, vt ad patriam pergerem, & cùm adhuc viueret mater (iam enim patrem mortuum esse audieram) solarer viduitatem eius: & exinde venundata possessiuncula, partem erogarem pauperibus, & ex parte monasterium construerem. Quid erubesco infidelitatem meam confiteri? partem in sumptuum meorum solatia reseruarem. Clamare occœpit Abbas meus diaboli esse tentationem, & sub honestæ rei occasione latere antiqui hostis insidias, hoc esse reuerti canes ad vomitũ suum. Sic multos monachorum esse deceptos, nunquam diabolum aperta fronte se prodere. Proponebat mihi exempla de scripturis plurima, inter quæ illud ab initio, quòd Adam quoque & Euam spe diuinitatis supplantauerit. Et cùm persuadere non posset, prouolutus genibus obsecrabat, ne se desererem, ne me perderem, ne aratrum tenens, post tergum respicerem. Væ misero mihi, vici pessima victoria, reputans illum non meam vtilitatem, sed suum solatium quærere. Prosecutus ergo me de monasterio quasi funus efferret, & ad extremum vale dicens: Video te, ait, ô fili, sathanæ notatum cauterio, non quæro causas, excusationes non recipio. Ouis quæ de ouili egreditur lupi statim morsibus patet. De Beria ad Essam pergentibus vicina est publico itineri solitudo, per quam Sarraceni incertis semper sedibus huc atque illuc vagantur. Quæ suspicio frequentiam in illis locis viatorum congregat, vt imminens periculum auxilio mutuo declinetur. Erant in comitatu meo viri, fœminæ, senes, iuuenes numero circiter septuaginta: & ecce equorum camelorumque sessores Hysmahelitæ irruunt, crinitis vittatisque capitibus, ac seminudo corpore, pallia & latas caligulas trahentes: pendebant ex humero pharetræ: & laxos arcus vibrantes hastilia longa portabant. Non enim ad pugnandum sed ad prædandum veniát. Rapimur, dissipamur, in diuersa trahimur. Ego interim longo

Abbatis sui verba cùm ab eo decederet.

post

postliminio hæreditarius possessor, & sero mei consilij pœnitens, cum altera muliercula in vnius heri seruitutem sorte deuenio. Ducimur, immò portamur sublimes in camelis: & per vastam eremum semper ruinam timentes, pendemus potiùs quàm sedemus. Cibus semicrudæ carnes, & lac camelorum potus erat. Tandem grandi amne transmisso, peruenimus ad interiorem solitudinem: vbi dominam eiúsque liberos ex more gentis adorare iussi, ceruices flectimus. Hoc quasi clausus carcere, mutato habitu nudus ambulare disco: nam aëris intemperies præter pudenda nihil aliud velari, patiebatur. Traduntur mihi pascendæ oues, & in malorum consolatione hoc fruor solatio, quòd & dominos meos & conseruos rarius video. Videbar mihi aliquid habere sancti Iacob: Recordabar Moysi: qui & ipsi pecorum in eremo quondam fuêre pastores. Vescebar recenti caseo & lacte, orabam iugiter, canebam psalmos, quos in monasterio didiceram. Delectabat me captiuitas mea, agebam Dei iudicio gratias, quòd monachum, quem in patria fueram perditurus, in eremo inueneram. O nihil vnquam tutum apud diabolum! ô multiplices & ineffabiles eius insidiæ! sic quoque me latentem inuenit inuidia: dominus videns gregem suum crescere, nihílque in me deprehendens fraudulentiæ, sciebam enim Apostolum præcepisse, dominis sic quasi Deo fideliter seruiendum: & volens me remunerare, quo fidum sibi magis faceret, tradidit mihi illam conseruam meam aliquando captiuam. Ego cùm refutarem & dicerem me Christianum: nec mihi licere vxorem viuentis accipere, siquidem captus nobiscum vir eius ab alio domino fuerat adductus, ferus ille & implacabilis in furorem versus, euaginato me cepit petere gladio, & nisi festinus brachium tendens, mulierem præoccupassem, illicò effudisset sanguinem. Iam venerat tenebrosior solitudo, & mihi nimium immatura nox, duco in speluncam semiruptam nouam coniugem, & pro nubente nobis tristitia, vterque alteram detestamur, nec fatemur. Tunc verè sensi captiuitatem meam, prostratúsque humi monachum cœpi plangere quem perdebam. Huccine miser seruatus sum? ad hoc me mea scelera perduxerunt, vt incanescente iam capite virgo maritus fierem? Quid prodest parentes, patriam, rem familiarem contempsisse pro domino si hoc facio, quòd ne facerem illa contempsi? nisi quòd fortè propterea hoc sustineo, quia rursus patriam desideraui.

Fit pastor ouium S. Malchus.

A domino gladio petitur.

Fletus plâctus maximus.

Quid

Quid agis anima, perimus an vincimus? expectamus manum domini, an proprio mucrone confundimur? Verte in te gladium: animæ magis, mors timenda est, quàm corporis. Habet enim seruata pudicitia martyrium suum: iaceat insepultus Christi miles in eremo, ipse mihi ero & persecutor & martyr. Sic fatus eduxi in tenebris quoque micantem gladium: & acumine contra me verso, vale, inquam, infœlix mulier: habeto me martyrem potiùs quàm maritum. Tunc illa pedibus meis prouoluta, Per ego te inquit Iesum, pérque huius horæ necessitatem oro, ne effundas sanguinem tuum: vel si mori tibi placet, in me primum verte mucronem: sic nobis potiùs coniugamur. Si vir meus ad me rediret, seruarem castitatem, quam mea me captiuitas docuit; vel interirem antequam perderem. Cur moreris ne mihi iungaris? ego morerer si mihi iungi velles. Habeto me coniugem pudicitiæ: & magis animæ copulam amato quam corporis. Expectent domini maritum, Christus nouerit fratrem. Facilè persuadebimus nuptias cùm nos viderint sic amare. Fateor, obstupui: & admiratus virtutem fœminæ, coniugem plus amaui: nunquam tamen illius corpus nudum intuitus sum, nunquam eius carnem tetigi, timens in pace perdere, quod in prælio seruaueram. Transeunt in tali matrimonio dies plurimi, amabiliores dominis nos fecerant nuptiæ: nulla fugæ suspicio: interdum & mense toto aberam fidus gregis pastor per solitudinem. Post grande interuallum dum solus in eremo sedeo, & præter cælum terrámque nihil video, cœpi mecum tacitus voluere, & inter multa, monachorum quoque contubernia recordari: maximéque vultum patris mei qui me erudierat, tenuerat, perdiderat, sic quoque cogitans aspicio formicarum gregem angusto calle feruere: video ferre onera maiora quàm corpora; aliæ herbarum quædam semina forcipe oris trahebant; Aliæ egerebant humum de foueis, & aquarum meatus aggeribus excludebant; illæ venturæ hyemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea verteret, illata semina præcidebant; hæ luctu celebri corpora defuncta portabant; & quod magis mirum est egrediens non obstabat intrantibus; quin potiùs si quam vidissent sub fasce & onere concidisse, suppositis humeris adiuuabant. Quid multa? mihi pulchrum spectaculum dies ille præbuit, vnde recordatus Salomonis ad formicarum solertiam nos mittentis, & pigras mentes tali exemplo suscitantis, cœpit tædere captiuita

Habet coniugem pudicitia.

Formicarum natura mirabilis.

uitatis,& monasterij cellulas quærere, ac formicarum illarum similitudinem desiderare, vbi laboratur in medium; & cùm nihil cuiusquam proprium sit omnia communia sunt. Regresso ad cubile occurrit mulier, tristitiam animi vultu dissimulare non potui, rogat cur exanimatus sim: audit causas, hortatur ad fugam, non aspernatur, peto silentium, fidem tribuit: & iugi susurro inter spem & metum dubij fluctuamus. Erant mihi in grege duo hirci miræ magnitudinis, quibus occisis vtres facio, eorúmque carnes viatico præparo, & primo vesperi putantibus nos dominis secreto cubitare inuadimus iter, vtres & partes carnium portantes. Cúmque peruenissemus ad fluuium (nam decem millibus aberat) inflatis & ascensis vtribus, aquis nos credimus paulatim pedibus subremigantes: & deorsum nos flumine deferente & multo longiùs quàm conscenderamus in alteram exponente ripam, vt vestigium sequentes perderent. Sed inter hæc madefactæ carnes & ex parte lapsæ vix tridui cibum pollicebantur. Bibimus vsque ad satietatem futuræ nos siti præparantes; currimus, post tergum semper respicimus. Et magis noctibus promouemus vel propter insidias late vagantium Sarracenorum, vel propter calorem solis, nimium pauco miser & referens, & iam securus toto tamen corpore perhorresco: post diem tertium dubio aspectu procul aspicimus duos camelos insidentes venire concitè, statimque mens mali præsaga Dominum meditari, mortem solam cernere nigrescentem. Dúmque timemus & vestigio per arenam nos proditos intelligimus, offertur ad dexteram specus longè sub terram penetrans, igitur timentes venenata animalia (solent quippe viperæ, guli & scorpiones & cætera huiusmodi feruorem solis declinantia vmbras petere) intramus quidem speluncam, sed statim nos in ipso introitu sinistræ foueæ credimus, nequaquam vltra progredientes, ne dum mortem fugimus incurramus mortem. Illúdque nobiscum reputantes: si iuuat Dominus miseros, habemus salutem: si despicit peccatores, habemus sepulchrum. Quid putas tunc nobis fuisse animi? quid terroris? cùm ante speculam haud procul staret dominus & conseruus & vestigio indice iam ad latebras peruenissent. O multò grauior spectata quam illata mors. Rursus cùm labore & timore lingua balbutit, & quasi clamante domino mutire non audeo. Mittit seruum, vt nos de specu protrahat, ipso camelos tenente, & euaginato gladio nostrum spectat aduentum. Interea tribus fermè vel quatuor cubitis

introgesso famulo, nobis ex occulto terga eius videntibus (nam oculorum istiusmodi natura est, vt post solem tenebras intrantibus cæca sint omnia) vox per antrum sonat: exite furciferi, exite morituri: quid statis? quid moramini? exite, dominus vocat. Adhuc loquebatur & ecce per tenebras aspicimus læenam inuasisse hominem, & gutture suffocato cruentum intro trahere. Iesu bone quid tunc nobis terroris, quid gaudij fuit? spectabamus hostem nostrum perire domino nesciente: qui cum videt illum moras facientem, suspicatus est, duos vni resistere, diúque iram ferre non valens, sicut tenebat gladium ad speluncam venit: & clamore rabido serui increpans socordiam, prius à fera detentus est, quàm nostras latebras præteriret. Sublato autem illo metu, similis ante oculos nostros versabatur interitus, nisi quòd tutius erat leonis rabiem quam rabiem hominis sustinere. Pauemus intrinsecus, & ne mouere quidem nos ausi, præstolamur euentum rei, inter tanta pericula pudicitiæ tantum conscientia pro muro septi. Leæna insidias cauens, & se visam sentiens, matutina effert luce catulos, nobisque cedit hospitio: neque tamen satis creduli statim erumpimus, sed expectantes diu, & egredi cogitantes, illius nobis semper figurabamus occursum. Sublato ergo terrore, illa transacta die eximus ad vesperam: videmusque camelos, quos ob nimiam velocitatem dromedarios vocant, præteritos cibos in ore voluere, & in aluum missos iterum detrahere: quibus ascensis noua sit arctia refocilitatis, decima tandem die ad Romana per desertum castra venimus: oblatique tribuno rem ordine pandimus. Inde transmissi ad Sabinum Mesopotamiæ ducem camelorum pretium accepimus. Iam abbas ille meus dormiebat in domino, ad hæc delatus loca me monachis reddo, hanc trado virginibus diligens eam vt sororem. Non tamen ei me credens vt sorori. Hæc mihi senex Malchus adolescentulo retulit, hæc ego vobis narraui senex, castis historiam castitatis expono: virgines virginitatem custodire exhortor. Vos narrate posteris, vt sciant inter gladios, inter deserta & bestias pudicitiam nunquam esse captiuam: & hominem Christo deditum posse mori, non posse superari.



MVLIER SEPTIES ICTA,
Ex Diuo Hieronymo.

ARGVMENTVM.

Vercellæ, maritus quidam vxorem innoxiam detulerat adulterij: conijcitur in carcerem vna cum iuuene, quem accusarat maritus, admouentur tormenta. Iuuenis impatiens, confessus est, quod non admiserat. Mulier constanter negauit. Vterque damnatus ducitur ad supplicium, ille occiditur. Hæc sæpius icta vixit, demum admoto iugulo mucrone, visa est mori. Sublatum cadauer reuixit. Huic cùm ad supplicium requireretur Euagrius, ab Imperatore libertatem suis precibus impetrauit. Lusit in hac epistola diuus Hieronymus artificio scribendæ historiæ, & stylum tam scribendi desuetudine torpescentem, hac exercitatiuncula renouauit.

AD INNOCENT. DE MVLIERE SEPTIES ICTA.



SAEPE à me (Innocenti charissime) postulasti, vt de eius rei miraculo, quæ nostra ætate acciderat, non tacerem. Cúmque ego id verecunde & verè, vt nunc experior, negarem, méque assequi posse diffiderem, siue quia ocium quasi quædam ingenij rubigo, paruulam licet facultatem, pristini siccasset eloquij, tu econtrario asserebas in Dei rebus non possibilitatem inspici debere, sed animum: neque posse eum verba deficere, qui credidisset in verbo. Quid igitur faciam? Quod implere non possum, negare non audeo. Super onerariam nauem rudis vector imponor. Et homo qui necdum scalmum in lacu rexi, Euxini maris credor fragoribus. Nunc mihi euanescentibus terris, cœlum vndique, & vndique pontus: nunc vnda tenebris inhorrescens, & cæca nocte, nimborum spumei fluctus canescunt. Hortaris vt tumida malo vela suspendam, rudentes explicem, clauum regam. Pareo iam iubenti, & quia charitas omnia potest, Spiritu sancto cursum prosequente confidam, habiturus in vtraque parte solatium. Si me ad optatos portus æstus appulerit,

guber

gubernator putabor. Si inter asperos orationis anfractus, impolitus sermo substiterit, facultatem forsitan requires, voluntatem certè flagitare non poteris. Igitur Vercellę Ligurum ciuitas haud procul à radicibus Alpium sita olim potens, nunc raro est habitatore semiruta. Hanc cùm ex more consularis inuiseret, oblatam sibi quandam mulierculam vnà cum adultero, nam hoc crimen maritus impegerat, pœnali carceris horrore circundedit. Neque multò pòst cùm liuidas carnes vngula cruenta pulsaret, & sulcatis lateribus dolor quæreret veritatem, infelicissimus iuuenis volens compendio mortis longos cruciatus vitare, dum in suum mentitur sanguinem, accusauit alienum, solúsque omnium miser, meritò iussus est percuti, qui non reliquit innoxiæ, vnde posset negare. At verò mulier sexu fortior suo, cum eculeus corpus extenderet, & sordidas fœtore carceris manus post tergum vincula cohiberent, oculis quos tantum tortor alligare non poterat, suspexit ad cœlum, & volutis per ora lacrymis: *Tu*, inquit, *testis es domine Iesu, cui occultum nihil est: qui es scrutator renis & cordis: non ideò me negare velle, ne peream, sed ideò mentiri nolle, ne peccem. At tu miser homo, si interire festinas: cur duos interimis innocentes? Equidem & ipsa cupio mori, cupio inuisum hoc corpus exuere, sed non quasi adultera. Præsto iugulum, micantem intrepida excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram. Non moritur, quisquis victurus occiditur.* Igitur consularis pastis cruore luminibus vt fera, quæ gustatum semel sanguinem semper sitit, duplicari tormenta iubet, & sæuum dentibus frendens, similem carnifici minitatus est pœnam, nisi confiteretur sexus infirmior, quod non poterat robur virile reticere. Succurre domine Iesu, ad vnum hominem tuum complura sunt inuenta supplicia. Crines ligantur ad stipitem, & toto corpore ad eculeum fortius alligato, vicinus pedibus ignis apponitur, vtrumque latus carnifex fodit, nec papillis dantur induciæ: immota mulier manet, & à dolore corporis spiritu separato, dum conscientiæ bono fruitur, vetuit circa se sæuire tormenta. Iudex crudelis, quasi superatus attollitur. Illa Deum deprecatur, soluuntur membra compagibus. Illa oculos ad cœlum tendit, quasi de communi scelere alius confitetur. Illa pro confitente negat, & periclitans ipsa, alium vendicat periclitantem. Vna interim vox est, *Cæde, vre, lacera, non feci. Si dictis tollitur fides: veniet*

dies, quæ hoc crimen diligenter discutiat, habeo iudicem meum. Iam lassus tortor suspirabat, ingemit: nec erat nouo vulneri locus. Iam victa sæuitia, corpus quod laniarat horrebat. Ex templo ira excitus consularis: Quid miramini, inquit, circunstantes, si torqueri mulier mauult, quàm perire? Adulterium certè sine duobus committi non potuit, & esse credibilius reor, noxiam ream negare de scelere, quàm innocentem iuuenem confiteri. Pari igitur prolata in vtrumque sententia, damnatos, carnifex trahit, totus ad spectaculum populus effunditur, vt prorsus quasi migrare ciuitas putaretur, stipatis proruens portis turba densatur. Et quidem miserrimi iuuenis ad primum statim ictum amputatur gladio caput, truncúmque in suo sanguine volutatur cadauer. Postquam verò ad fœminam ventum est, & flexis in terram poplitibus, super trementem ceruicem micans eleuatus est gladius, & exertam carnifex dexteram totis viribus concitauit, ad primum corporis tactum stetit mucro lethalis, & leuiter perstringens cutem, rasuræ modicæ sanguinem aspersit, imbellem manum percussor expauit, & victam dexteram gladio marcescente miratus in secundos impetus torquet. Languidus rursus in fœminam mucro delabitur, & quasi ferrum eam timeret attingere, circa ceruicem torpet innoxiam. Itaque furens & anhelans lictor, paludamento in ceruicem retorto, totas expedit vires, fibulam quæ chlamydis mordebat oras, in humum excussit, ignarúsque rei, ensem librabat in vulnus. En tibi ait mulier ex humero aurum ruit, collige multo quæsitum labore, ne pereat. Proh rogo quæ est ista securitas? Impendentem non timet mortem: lætatur percussa, carnifex pallet, oculi gladium non videntes, fibulam vident. Et ne parum esset, quod non formidabat interitum, præstat beneficium sæuienti. Iam igitur & tertium ictum sacramentum frustrauerat Trinitatis. Iam spiculator exterritus & non credens ferro, mucronem aptabat in iugulum: vt qui secare non poterat, saltem premente manu corpori conderetur. O omnibus res inaudita seculis! Ad capulum gladius reflectitur, & velut dominum suum victus aspiciens, confessus est, se ferire non posse. Huc huc mihi trium exemplum puerorum, qui inter frigidos flammarum globos hymnos edidere pro fletibus, circa quorum

rum saraballa sanctámque cæsariem, innoxium lusit incendium. Huc beati Danielis reuocetur historia, iuxta quem adulantibus caudis, prædam suam leonum ora timuerunt. Nunc Susanna nobilis fide, omnium subeat mentibus, quæ iniquo damnata iudicio Spiritu sancto puerum replente saluata est. Ecce non dispar in vtraque misericordia domini. Illa liberata per iudicem, ne iret ad gladium: hæc à iudice damnata absoluta per gladium est. Tandem ergo ad fœminam vindicandam populus armatur. Omnis ætas, omnis sexus carnificem fugat, & cœtu in circulum coeunte exclamat. Non credit penè vnusquisque quod videt. Turbatur tali nuntio vrbs propinqua, & tota lictorum turma glomeratur. E quibus medius, ad quem damnatorum cura pertinebat, erumpens, & caniciem immundam perfuso puluere turpans: *Quin meum, inquit, ô ciues, petitis caput, me illi vicarium datis? Si estis misericordes, si clementes estis, si vultis seruare damnatam: innocens certè perire non debeo.* Quo fletu vulgi concussus est animus, mœstúsque se per omnes torpor insinuat, & mirum in modum voluntate mutatâ, cùm pietatis fuisset, quod antè defenderant, pietatis visum est genus, vt paterentur occidi. Nouus igitur ensis, nouus percussor apponitur. Stat victima Christo tantùm fauente munita. Semel percussa concutitur, iterum repetita quassatur, tertiò vulnerata prosternitur. O diuinæ potentiæ sublimanda maiestas, quæ priùs fuerat quarto percussa, nec læsa, ideò post paululum visa est mori, ne pro ea periret innoxius. Clerici quibus id officij erat, cruentum linteo cadauer obuoluunt, & fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parant. Festinato sol cursu occasum petit; & misericordia domini, celeriore cursu naturæ nox aduenit. Subito fœminæ palpitat pectus, & oculis quærentibus lumen, corpus animatur ad vitam. Iam spirat, iam videt, iam subleuatur, & loquitur. Iam in illam potest vocem erumpere. *Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi homo* Anus interim quædam, quæ Ecclesiæ sustentabatur opibus, debitum cœlo spiritum reddidit, & quasi de industria ordine currente rerum, vicarium tumulo corpus operitur. Dubia adhuc luce, in lictore diabolus accurrit, quærit cadauer occisæ, sepulcrum sibi monstrari petit, vi-

uere putet quam mori potuisse miratur. Recens à clericis cespes ostenditur, & dudum superiecta humus, cum his vocibus ingeritur flagitanti: *Erue scilicet ossa iam condita. Infer nouum sepulchro bellum, & si hoc parum est, auibus ferisque lamanda membra discerpe* Septies percussa, debet aliquid plus morte perpeti. Tali ergo inuidia carnifice confuso: clam domi mulier refocillatur. Et ne fortè creber medici ad Ecclesiam commeatus suspicionis panderet viam, cum quibusdam virginibus ad secretiorem villulam secto crine transmittitur. Ibi paulatim virili habitu veste mutata, in cicatricem vulnus obducitur. Et ô verè *ius summum, summa malitia:* post tanta miracula adhuc sæuiunt leges. En quò me gestorum ordo pertraxit. Iam enim ad Euagrij nostri nomen perueniemus. Cuius ego pro Christo laborem, si arbitrer à me dici posse, non sapiam. Si penitus tacere velim, voce in gaudium erumpente non possim. Quis enim valeat digno canere præconio, Auxentium Mediolanis incubantem, huius excubiis sepultum, penè antequámque mortuum Romanum Episcopum iam penè factionis laqueis irretitum: & vicisse aduersarios, & non nocuisse superatis? Verùm hæc ipse equidem spatiis exclusus iniquis prætereo, atque aliis post me memoranda relinquo. Præsentis tantùm rei fine contentus sum. Imperatorem de industria adit, precibus fatigat, meritò lenit, solicitudine promeretur: vt redditam vitæ, redderet libertati.

TRANSLATIO S. IACOBI MAIORIS *in Hispaniam, ex Ioanne Maldonato Hispano.*

POST Apostoli Iacobi cognomento maioris necem atrocissimam, quam ei perfidi Iudæi Hierosolymis intulerût: discipuli clam sublâto corpore, & in portum delato, nauique imposito, sine remige, sine vllis naualibus instrumentis, soli permisso deo gubernaculo, in Gallætiam vltimum Hispaniæ angulum die septimo deuenere. Sic enim nutu Dei factum est, vt qui in dispersione Apostolorum, Hispaniam sorte prouinciam obtinuerat, & in ea non amplius viros nouem Christo lucrifacere valuerat: idem vita functus, martyrióque coronatus, per tot maria & Syrtes in eandem Hispaniam

niam reueheretur, & quod viua voce non potuit, cadauere trunco Chriſtianam pietatem mentibus Hiſpanorum ingereret. Subducentes igitur diſcipuli magiſtri corpus è naui, grandi lapidi impoſuere. Qui mollis adeo factus eſt, vt veluti cera ſole liqueſcens, illud in ſe totum excepetit. Inde progreſſi, Lupam reginam, quæ oram illam ditione tenebat, conueniunt: defuncti corporis mirabilem aduentum denunciant: Chriſtúmque velle, dicunt, per corpus exanime veram Hiſpanias ad fidem reſipiſcere, cuius eſſent vocem dedignatæ viuentis audire, locum itaque ſepulturæ monſtraret. At verò Regina re tam Lupa, quam nomine, ad regem eos Hiſpaniæ miſit, cuius eſſe dicebat, eiuſmodi petita concedere. Rex vinctos in carcerem truſit: ſed liberati diuinitus, fugam illi capeſſerunt. Milites ſubſequi fugientes, trucidaréque captos iuſſi, fluminis in tranſitu refracto ponte periere. Quo rex miraculo attonitus, pios tandem euocari præcepit: factúſque per eos Chriſtianus, nihil expoſtulatis abnuendum, iam cenſuit. Quod cum ad aures Lupæ peruenit, regem ſcilicet cum omni populo Chriſtianum factum Apoſtoli diſcipulis credidiſſe, literáſque cum mandatis ad ipſam dediſſe, ſupra modum exarſit. Atque vocatis piis, literiſque regis inſpectis: ite, inquit, & boues meos, quos illo in monte errantes offendetis iungite: plauſtróque corpus veſtri magiſtri, quocunque ſit libitum, vehite. Quod eo eſt profectò animo dictum abs regina, vt diſcipuli vel à Dracone montem illum infeſtante, deuorarentur, vel ab indomitis tauris diſcerperentur: vel corpus ſi plauſtro incideret, raptatum diſtraheretur. Porro diſcipuli, nullum ſubeſſe dolum ſuſpicantes, montem conſcendunt: Draconem ſigno crucis interimunt, tauros manſuetiſſimos reddunt: corpus, vt erat lapide incluſum, plauſtro imponunt: tauriſque deuehendum permittunt. Illi nullo duce in regiam Lupæ detulere. Lupa mirata rem nouam ac prodigioſam, Chriſtum credidit ſaluatorem: tum regiam diuo Iacobo templum dicauit, ampliſſimiſque donis expleuit. Vbi frequentibus diu miraculis claruit, & cuncto nunc orbe Chriſtiano aditur, viſitur, veneratur.

TRANSLATIO S. ISIDORI EX *Ioann. Maldonato Hispano.*

INTER alias pacis leges, quas victor Fernandus Castellæ simul & Legionis primus rex, Benabeth Mauro Hispalensi regi, victo ac profligato, dedit, hanc præcipuam ferunt: quòd pateretur corpus sanctæ virginis Iustæ, quod Hispali tenebatur, Legionem transferri. Quibus datis acceptisque conditionibus, Aluitum Episcopum Legionensem, & Ordonium Astoricensem Comitem Nugnum, atque Abbatem sancti Mammetis, cum equitum turma Fernandus Hispalim misit. Illi responso à Benabeth accepto, nescire se vbi Iustæ corpus lateret, disquirerent: ipsi quò se verterent incerti, tandem ad pias preces detulerunt. Peracta igitur triduana precatione, quam indixerat Aluitus: videre visus est ipse Aluitus in somnis venerandum quendam antistitem, húiusmodi verba proferentem. Sat scio te cum tuis sodalibus Aluite venisse, quo diuæ Iustæ corpus vobiscum auferatis, inque patriam comporteris. Scito tamen diuinæ menti non placere, Hispalim Iustæ reliquiis viduari. Proinde ne vacui omnino remeetis, meum vobis corpus conceditur, quod sit apud vos pignus, fore me deinceps patronum Legionensibus. Reueritus viri maiestatem Aluitus, quæsiuit ex eo quis esset, quo nomine vocaretur. Sum, inquit, Isidorus, huius qui fui vrbis antistes. Expergitus Aluitus ac incertus, an vera vidisset, orauit deum, vt iterum ac tertio moneretur. Quod ita contigit: nam bis postea Isidorus apparens, eadem verba retexit: vltimóque loco corporis sui sepulturam sceptro designauit: & mortem ipsi Aluito mox futuram, denunciauit. Quæ cum sodalibus regique Benabeth retulisset Aluitus, morbo correptus decessit. Rex Benabeth miratus rem prodigiosam, omnibus prosequendum officiis corpus aliique sodales mœsti aliquandiu morte Aluiti: tandem eius corpus & simul Isidori Legionem detulerant. Quibus Fernandus rex obuiam cum celebri pompa progressus, corpora intulit vrbi: diuersisque in templis ex prædictione diuina tumulauit: Isidori in templo Ioannis Baptistæ, quod à nouo postea hospite denominatum est: Aluiti in primario.

TRANSLATIO SANCTÆ IVLIANÆ. *Ex Ioanne Maldonato Hispano.*

IVLIANA Nicomediæ, quæ ciuitas est Bithyniæ, ab Eulosio præfecto, cui erat desponsata, martyrio affecta est: eiusque corpus à Sophonia patricia fœmina in Campaniam (sic fama tenet) deportatum. Cæterum Burgensis ecclesia haud quidem immeritò eam veluti tutelarem diuum, numénque vernaculum suspicit, ac veneratur. Constat profectò, reliquias eius priscis ante nostram memoriam seculis, in Burgensem regionem fuisse translatas: licet à quibus, aut quo tempore maiorum incuria obliteratum sit. Est in Burgensi ditione oppidum nomine Santilana, non sane incelebre, in quo basilica sacra veterem quandam referens structuram, conspicitur: quæ quoniam reliquias diuæ Iulianæ continet noménque refert, cunctis est adiacentibus populis religiosa. Oppidum etiam ipsum à Iuliana nomen traxisse, manifestum est, si paucas reponas literas, quæ vetustate obsoleuerunt. Alfonsus igitur Carthaginensis Burgensis episcopus, vir parentum nostrorum memoria certè pius ac prudens, venerandum ex officio pastorali adiens monumentum; cernensque non satis ex merito tantum Iulianæ pignus decenti loco teneri (erat enim in meditullio templi quasi desertum) ex autoritate clerici populique, in caput eiusdem tēpli, & aram ipsam primariam, magna sacerdotum pompa, prophanæque turbæ concursu transferendum curauit. Atque vt translationis tanto cunctorum ordinum plausu celebratæ, memoria ad posteros emanaret, clero præsertim Burgensi, quod vocant capitulum, & nobilibus plerisque suffragantibus, censuit, ac sub Anathematis interminatione sanciuit, vt festum sanctæ Iulianæ, quod quartodecimo calendas Martias ad eam diem agebatur, pridie nonas Martij in fauorem nouæ translationis ageretur. Deprecemur ergo sanctissimam Iulianam, vt quæ nostram voluit suo funere prouinciam honestare, quæque non dedignata est, toties hinc inde quo nobis patrocinaretur, transferri: obtineat apud deum omnipotentem, hinc nos depositis commissorum sarcinis, ad superas sedes post vitæ cursum transferri.

TRANSLATIO DIVI BENEdicti. Ex Ioanne Maldonato Hispano.

CVM Longobardi quondam Italiam occuparunt, inter alias calamitates, quas Christianis intulerunt, Casinense Monasterium, in quo diui Benedicti & Scholasticæ sororis condita erant corpora, diruerunt penitus ac euerterunt, sic vt vix vlla vestigia extarent. Quare Mimolinus Floriacensis cœnobij abbas, ne tanti viri reliquiæ sine honore iacerent, aut earum memoria forsitan obsolesceret: Aigulphum monachum misit, qui corpus summo studio quæsitum in Galliam conueheret. Aigulphus strenue delegatum munus obiuit. Siquidem diuino adiutus oraculo. non corpus modo Benedicti, sed Scholasticæ simul reperit, & ad Mimolinum deportauit. Mimolinus maximis precibus exoratus corpus Scholasticæ Cenomanensibus dono dedit: quod eorum legati in idem Casinum missi, ab Aigulpho fuerant decepti: cui causam itineris exponentes, non suspicati sunt, eandem ipsum peregrinationis causam habere. Haud tamen corporum facilis fuit discretio, propterea quod cum nuda solum ossa, ex tam longinquo superessent æuo, minus apparebat sexus. Itaque duorum corporum recens defunctorum maris & fœminæ suscitatio ambiguitatem sustulit. Reuolutis postea centum decem annis. Peno quidam Brixiensis Casinense cœnobium restituit, ac reparauit. Cuius monachi magno Carolo Imperante, à Zacharia Romano pontifice, Cæsare ipso non refragante, impetrarunt, vt reliquiæ sancti Benedicti Casinum, vnde fuerant sublatæ, referrentur.

TRANSLATIO SANCTÆ Victoriæ. Ex Ioann. Maldonato Hispano.

ANNO reparationis humanæ trecentesimo vicesimo post millesimum, Consalus Burgensis episcopus, precibus Mariæ coniugis Xanthi regis Castellæ, legationem suscepit ad Philippum regem Gallorum, per causam recuperandæ dotis, quæ Elisabellæ Xanthi filiæ, Britanniæque ducis vxori fuerat

fuerat intercepta. Parisijs ergo cum esset Consalus expediendo Britanniæ ducis negocio intentus, Burgensis ecclesiæ veluti sponsæ charissimæ non etiam immemor: anxius interdum cogitabat, qua posset via margaritis eam, hoc est sanctorum pignoribus honestare. Itaque literas à Philippo rege impetrauit, ad Coloniensem archiepiscopum: & monachas illas, in quarum cœnobio vndecim millium virginum reliquiæ asseruantur: vt ex tot millibus vnum concedere corpus dignarentur: Archiepiscopus & monachæ lectis literis, cum animaduerterent, quam continua bella Hispani cum Mauris gerant, quamque Burgi cæteras inter vrbes præmineant: tam pias respuere preces minimè æquum esse duxerunt. Itaque comperto inter reges Hispaniæ & Siciliæ arctam intercedere cognationem, corpus sanctæ Victoriæ regis Siciliæ & sanctæ Gerasinæ filiæ quæ cum tribus sororibus & matre fuerat inter vndecim millia virginum trucidata, libenter æquoque animo contulerunt. Quod Burgis est illatum quarto Idus nouembris.

TRIVMPHVS SANCTÆ
crucis Ex Ioann. Maldonato Hispano.

ALFONSVS Rex cognomento bonus cupiens damna Christianis à Mauris Bæticam, totamque illam australem Hispaniæ plagam possidentibus illata, resarcire prorsus, ac retaliare (semel enim cum eis aduerso marte pugnauerat) magnum conflauit exercitum: reges finitimos ac dynastas solicitauit: condonationes à summo pontifice impetrauit: vt in eo Pio bello qui caderent, nullis capitalibus commissis præpedirentur, quo minus cœlos statim reuolarent. Quare tantus ardor tuendæ Christianæ ditionis ac pietatis plerosque inuasit, vt flagitium flagitiosissimum ducerent, à tam pijs castris abesse. Ingentes Toletum copiæ iam ad regem Alfonsum confluxerant. Iam Petrus Aragoniæ rex haud contemnendam manum contraxerat. Iam regem Nauarræ Xanthum aduentare, fama vulgauerat. Iam proceres, iam episcopi, sed Toletanus ante alios fulgentibus stipati cateruis, regium latus cingebant: cum omnes non sine numine Christi profecti, ditionem Maurorum inuadunt. Nonnulla sunt in via obiter ex-

pugnata oppida ignobilia: ſed quinto denique die Calatrauam, quæ firmo Maurorum præſidio tenebatur, primo impetu capiunt. Alarcos deinde ducunt, vbi ſe rex illis Nauarræ coniunxit. Maurorum rex, qui ingentem Gienium contraxerat exercitum, vbi noſtros comperit in radicibus montium conſediſſe equitatus partem præmiſit, quæ montium ad anguſtias incompoſitos inſidiis exciperet. Ipſe lentiori gradu cum reliquo ſubſequitur exercitu. Alfonſus tamen rex equitum iam turmam miſerat, ad ſumma montium occupanda: qui fugatis ſtrenuè Mauris, montis planiciem (Nauas Toloſæ vocant) tenuere, caſtris locum delegere. Lætus Alfonſus, quod cacumina ſui montium, profligatis hoſtibus, tenuiſſent: omnem iubet exercitum eò conſcendere. Difficilis admodum erat aſcenſus, ſed à peritis locorum turmatim ducti ad faſtigia montis omnes euaſerunt. Quod vbi Maurus intellexit: Iam enim ipſe per auerſam partem cum omnibus copiis conſcenderat: iterum equitatum miſit, qui caſtra munire prohiberet. Sed cum neque id proſpere ceſſiſſet productis omnibus copiis, aciem explicuit, noſtriſque pugnandi copiam fecit. Noſtri eo die proximóque prælio abſtinuerunt. Nocte media, quæ diem à ſuperato monte ſecundam eſt conſequuta, Chriſtiani voce præconis iubentur corpora curare, arma, equos expedire, ſignum pugnæ prima luce intenti expectare. Quod tanto omnium plauſu gratulationéque exceptum eſt, vt noctem, quòd tarda iret, incuſarent. Orta luce Alfonſus eductis omnibus copiis, aciem inſtruxit, curas inter reges ac proceres partiuit. Haud tamen poteſt ſummatim dici, quem quiſque locum tenuerit, quam quiſque partem tuendam acceperit. Satis ex euentu perſpicuum eſt, omnia præclariſſimi ducis Alfonſum munia fortiſſimè ſapientiſſiméque obiſſe. Conſertis igitur manibus, vt reliqua nunc prætermittamus, acriter pugnatum eſt: ancepſque diu victoria fuit. Sed tandem fauentibus ſuperis, Victi Mauri, ac occiſione occiſi ſunt. Rex eorum cum quatuor equitibus prælio fuga ſe ſubduxit. Ducenta millia Maurorum occiſa memorantur: cum ex noſtris vigintiquinque ſolum fuerint deſiderati. Mira quæ in hoc prælio contingerunt: numerus primum occiſorum in tanta paucitate Chriſtianorum. Crux item in medio conflictu, cum noſtri maximè laborare viderentur, Alfonſo quampluri miſque viſa in aëre. Præterea crux quæ præſulem ante Toletanum de more

gestatur, bis incolumi signifero aciem hostium sublata penetrauit. Quare, & quòd Christianis symbolum ac insigne Crux erat, triumphus sanctæ Crucis hæc præclara victoria compellata est.

VITA S. EVCHERII, EX *Breuiario Lugdunensi.*

Eius festum celebratur 16. Nouembris.

FVit quidam vir ex ordine Senatorio, Eucherius nomine habens vxorem Nobilibus ortam natalibus, nomine Gallam, quos quidem ampla possessio & numerosa familia, thesaurorúmque copia claris in sæculo fecerat; sed timor Domino, qui est initium sapientiæ, in conspectu conditoris omnium clariùs exornabat. Cumq; liberos non haberent, deprecati sunt Dominum, & exaudiuit orationem eorum dans eis filiam quam votiuo nomine Consortiam vocauerunt, hæredem videlicet illam, & propagatricē sui sanguinis habere cupientes. Cumque eam in timore Domini educarent, & illa in annis puerilibus posita, religiosum animum habere cœpisset, nimirum Domino eam ad consortium regni cœlestis secundum præsagium vocabuli eius occulta inspiratione vocante, aucta est spes illorum, accepta alia filia, quam Tulliam vocauerunt.

ACCIDIT eo tempore, vt Pontifex Ecclesiæ Lugdunensis migraret ad dominum, mos autem erat præfatæ Ecclesiæ, vt quotiens, (lege cunctis mortalibus debita) suo viduaretur Episcopo, in eligendo successore, reuelationem Domini expectaret. Tunc ergo triduano à cunctis præmisso ieiunio, cuidam puerulo apparuit in visu Angelus Domini. Est, inquit, Senator quidam Eucherius nomine super fluuiū Durentiam, retrusus in specu, qui relictis omnibus quæ possidebat, secutus est Dominum. Ad hunc adducendum pergite, & vobis pastorem illum constituite, quoniam à Domino est electus. Quod cùm puer senioribus diluculò retulisset, omnipotenti Domino, cunctis fratribus conuocatis, gratias egerunt; missoque cum clericis ad præfatum locum Archidiacono, qui tunc Ecclesiæ curam gerebat, inuenerunt eum, sicut eis Dominus reuelauerat. Cumque illi Archidiaconus rem propter quam

quam venerat indicasset, cœpit cum iuramento dicere se voluntarium de specu non egressurum, nec cum eo nisi ligatus duceretur iturum. Cumque talia diu repeteret, Archidiaconus effracto muro speluncæ, eduxit eum, & iuxta quod ipsi iurauerat; vinctum perduxit Lugdunum; quem pari animo vnóque consensu clerus & populus sibi eligens Sacerdotem, in Pontificali Cathedra solemniter collocauit. Galla verò vxor eius eum locum speluncæ ingressa, in quo vir Dei latuerat, reliquum vitæ suæ tempus vt cœperat religiosè peregit: filia eius Consortia quotidianum victum ei subministrante, sicut ipsa priùs fecerat viro suo.

***

FINIS.



1175

LVGDVNI,
EX TYPOGRAPHIA
Stephani Seruain.

M. D. XCIIII.